Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMI.

D. DOMINI MELCHIORIS CANI EPISCOpi Canarienſis, ordinis prædicatorum, & ſacræ Theologiæ profeſſoris, ac primariæ cathedræ in academia Salmanticenſi olim præfecti,

De locis Theologicis Libri duodecim.

Cum Indice copioſiſſimo atq; locupletiſſimo.

SALMANTICAE,

Excudebat Mathias Gaſtius, Anno Domini

M. D. LXIII.

Cum Priuilegio.

Eſta taſado en tres marauedis el pliego.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CENSVRA FRATRIS Roderici Vadilei Benedictini. S. C. Maiestatis à sacris cõtionibus in lib. de Locis theologicis admodum. R. Patris Fratris Melchioris Cani Sancti Dominici monachi, Episcopi Canarienſis.

DE mãdato Regij ſenatus opus cui titulus eſt de locis theologicis, admodum R. magiſtri fratris Melchioris Cani ordinis ſancti Dominici Monachi, olim Canarienſis epiſcopi inſpiciendum ac excutiendũ accepi: laborẽ ſane viribus ingenij mei longe diſparem ſentiens non ſum auerſatus: tum ob tanti Senatus dignitatẽ, cuius obſiſtere imperio citra grauiſsimi criminis notã haud licebat, tum ob eiuſdẽ operis magnam totiecclesię vtilitatẽ futurã: adde quòd eiuſdem authoris elucubrationes, hanc præſertim, perlegendi magno tenebar deſiderio. Itaq; legi, euolui, perlegi præſens opus. Sed quid potiſsimũ in tãto quidẽ opere laudem, vix dicere queo. Nã ſi dictionis caſtitatẽ, elegantiã quæras, eam certe reperies quæ cum Ciceroniana conferri poſsit. Si vero rerũ geſtarum hiſtoriã, rationemq́; tractãdæ hiſtoriæ requiras, Salluſtio hiſtorico ſatis laudato, ſi non ſuperiorẽ, inferiorẽ profecto nõ inuenies. Si autẽ Philoſophiæ ſubtilẽ acuratamq́; rationẽ percupias, hic cõpendio omnem Platonicæ, Ariſtotelicæq́; diſciplinę rationẽ cumulatiſsime contẽplari licebit. Si vero theologicæ ſcholaſticæ capiaris argumento, poſt diuũ Thomã (quem ſemper excipiẽdum duxi) nullo ex multis qui de hac familia docte ac diſerte ſcripſerunt inferiorẽ iudicare licebit, ita vt vere illius nõ ſatis laudati Magiſtri Fratris Franciſci à Victoria diſcipulũ eximiũ agnoſcere poſsis: cui omnes ſuos is author (quæ nõ eius prudentiæ, eruditionis, modeſtiæ, ac humilitatis laus minima exiſtimanda eſt) prouectus in re theologica refert acceptos. Porro ſi Iuris Põtificij (cui author nõ contẽnẽdã dedit operã) affectes peritiã, ex huius Monachi laboribus cõperdiariã tractandi eiuſdẽ Iuris rationẽ petere licebit. Iam vero ſi ſacrarũ ꝓfunda literarũ myſteria perſentire, ac perũeſtigare cures, nullo poſt illos magnos ſanctę eccleſię doctores Magiſtro plenius ac clarius diſces. Quid dicã de eo quo aduerſus omnes hęreticos zelo accendebatur? quos ſane ceu venaticus procul odorabatur canis perſequebaturq́; magni illius Athanaſij incorruptos ac catholicos referẽs mores, ac forte labores: quos omnes præ catholicæ veritatis amore inſtar magni patriarchę Iacobi facile perpetiebatur. Cęterũ tanti authoris vtilitatẽ, doctrinã, omniumq́; diſciplinarũ tractandarũ rationem chriſtiane lector, Illuſtriſsimo, ac Reuerẽdiſsimo Archiepiſcopo Hiſpalenſi Ferdinando Valdeſio ſupremo rerũ fidei cognitori (quẽ huius operis præclari hæredẽ reliquit) acceptã refero, qui ſummo curauit ſtudio vt præſens opus in lucẽ omniũ vtilitati profuturũ æderetur. Nec minor ſtudioſe lector Illuſtriſsimo ac Reuerẽdiſsimo dño Gaſparo de Cuniga Archiepiſcopo Cõpoſtellano ſummo. S. C. Ma. Capellano gratia debetur, qui ꝓ ea neceſsitudine qua authori deuinctus erat, ſummopere ſtuduit, vt quàm breui tam inſigne opus in lucẽ æderetur. Quapropter opus tam elegans, eruditũ, omniumq́; diſciplinarũ genere refertiſsimũ (vt prętermittã valde catholicũ, hiſq́; calamitoſis tẽporibus apprime vtile, imo dicã neceſſarium) excudendum, non ſolum magna cum laude totius ſanctiſsimi patris Dominici ordinis, ſed etiam totius Hiſpaniæ, imo eccleſiæ catholicæ oppido duximus. Madriti .15. die menſis Auguſti, Anni dominici. M. D. LXII.

Rodericus
Vadilæus.

I

FRATRIS MELCHIORIS CANI ORDINIS PRAEDICATORVM ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, EPISCOPIQVE CANARIENSIS, AC PRIMARIAE CATHEDRAE IN ACADEMIA SALMANTIcenſi olim præfecti, de locis Theologicis Libri duodecim.

In libros de locis Theologicis Proœmium.

AEpè mecũ cogitaui Lector optime, boni ne plus is attulerit hominibus, qui multarum rerum copiam in diſciplinas inuexit: an qui rationem parauit & viam, qua diſciplinæ ipſæ facilius & commodius ordine traderentur. Nam & rerum inuentoribus nos debere multum negare non poſſumus: & debemus certè iis multùm, qui ratione atq; arte res inuẽtas ad communem vſum accommodarunt. Equidem cùm veterum eruditionẽ conſidero, & variam in eis doctrinæ ſuppellectilem animo colligo, non minimam video per eos inuectam eſſe partem commodorum. Cum autem iunioris ſcholæ operam & curam repetere inſtituo, plurimas vtilitates intelligo nouæ huius artis ſubſidio et diligentia comparatas. Ac me ſanè diu cogitãtem ratio ipſa in hanc potiſsimùm ſententiam ducit, vt exiſtimem vtroſq; de bonis artibus iuxtà eſſe bene meritos. Quoniam etſi priſci doctrinarum auctores doctiſsimis quibuſq; ac diligentiſsimis magnam diuitiarum copiam ſuppedit auẽre: at recentiorum inopia docendi facilitate penſatur: qua in rudium & inertium animos artificioſius influunt, & quæ fusè olim diſputabantur ac liberè, ea nunc articulatim preſſeq; dicentes, lucem non paruam inuẽtis priſcorũ obſcurioribus afferant. Atq; hac vna in re, quantum animi mei coniectura colligere poſſum, iuniores vel pares antiquis, vel etiam ſuperiores reperientur, cæteris omnibus longè inferiores. Certè poſt priores illos, in rerum inuentione

A *tribuere*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribuere sibi posteriores vix quicquam possunt. Ordinem verò, dispositionem, perspicuitatem, sibi si assumunt, videntur ea iure suo quodammodo vendicare. Quapropter vtrisque legendis efficiet Theologus scholasticam disputationem sine dubio pleniorem. Nam ex illis quasi materiam, ex his tanquam formam differendi mutuatus, potens nimirum erit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Tit. 1 *Quod est (vt Paulus ad Titum ait) Christiani doctoris præcipuum institutum. Cuius explicandi desiderium omnino me mouit, vt de locis Theologicis disputationem instituerem, viris doctis (nisi me opinio fallit) non prorsus ineptam: indoctis verò magnoperè necessariam. Id autem eò libentius feci, quòd nemo Theologorum adhuc, quod equidem sciam, genus hoc argumenti tractandum sumpsit: cùm præter communem illam artem differendi, quam à Dialecticis accepimus, aliam Theologus habeat necesse sit, alioq; item ad disputãdum locos: vnde argumenta non quasi communia & aliena, sed tanquam propria ducat & suis dogmatis confirmandis & aduersariorum sententijs refellendis. Hoc verò opus, arduum quidem illud, statim exordior, si priùs animo demisso atq; humili ad opem Iesu Christi supplex abiectusq; confugio. Non enim ego illud aut ingenio, aut eruditione mea fretus aggredior, sed spiritus sancti auxilio atq; fauore. Quem si pater et filius mihi ad hunc librum conficiendum impertierint, operæpretium haud mediocre, vt spero, Theologis facturus sum: in quorum gratiam vel maximè opusculum editur.*

DE LOCIS THEOLOGICIS LIBER PRIMVS.

¶ Caput primũ. De totius operis partitione.

DE locis ego theologicis perpetuam orationem habiturus, totam mox in quatuordecim libros partiri constituí. Quorũ primus breuiter enumeret locos, è quibus idonea possit argumenta depromere, siue conclusiones suas Theologus probare cupit, seu refutare contrarias. Decem reliqui erũt, qui fusiùs & accuratiùs doceant, quam vim vnusquisq; locorum contineat, hoc est, vnde argumenta certa, vnde verò probabilia solùm eruantur. In duodecimo & tertiodecimo differetur, quem vsum eiusmodi loci habeant, tum in scholastica pugna, tum in sacrarum literarum expositione. Nam in concione populari quis eorum sit vsus, haud sanè difficile dictu est: sed prætereundum tamen, ne ab scholæ instituto aliena videatur oratio. Postremus denique liber, quoniam non omnes loci omni disputationi conueniunt, figillatim ostendet, quibusnam argumentis propriè aduersum hæreticos, quibus peculiariter aduersum & Iudæos & Saracenos, quibus verò tandem aduersum Paganos transigenda Theologo disputatio sit, siquando sit cũ his pro fide catholica decertandũ. Quæ scilicet cùm fauente Deo plenius absoluero, vndique apta atque perfecta erit de locis Theologiæ disputatio mea, expletaque omnibus suis numeris & partibus.

¶ Cap. secundũ. De duobus generibus argumentorum quibus omnis disputatio transigitur.

PRiùs autẽ quàm locos Theologicos numero, quod pars huius disputationis prima pollicetur, illud nobis constituendum est, omne argumentum vel à ratione vel ab auctoritate duci. His enim duobus modis cuiusq; rei, quæ in controuersiam venit, assensionem facimus. Cùm verò in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, at Theologia tamen vna est, in qua non tam rationis in disputãdo, quàm auctoritatis momenta quærenda sunt. Et enim locum ab auctoritate adeò sibi proprium vendicauit, vt rationes vel tãquam hospites & peregrinas excipiat, vel in suũ etiam obsequium asciscat, quasi longè repetitas. Quippè fidei potissimùm innititur: quæ nisi ab auctoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est nanq; fides (vt Apostolus tradit) argumentum rerum non apparentium, quas si certas certa velis ratione facere, cum ratione profectò insanies. Principem itaque locum, sicut apud fideles, ita apud Theologos auctoritas habet. Ratio deinde veluti pedisequa sequitur. Id quod Apostolus videtur significare, cùm ait, Oportere ecclesiæ doctorem amplecti eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Primum enim stringat fidei sermonem necesse est: quicunq; Christianæ scholæ magister esse volet: sed nisi mox doctrinæ rationem adhibeat, fidelis quidem esse poterit: sed fidelium doctor esse non poterit. Nam & homines quamlibet experientes, quod ex Aristotele rectè collegit diuus Thomas, disputare cum aduersarijs non queunt, nisi experimento ratio artus accesserit. Vtraque igitur Theologo necessaria est, & auctoritas & ratio. Sed

Hebræo. 11

Tit. 1

1. Meta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita tamen, vt auctoritas primas in Theologia partes obtineat: ratio verò habeat postremas. Quod ergo primæ partis fundamentum erat, præclarè illud iactum est. Nam traditi sunt quidem, è quibus argumenta ducuntur, duplices loci, vni ex auctoritate, alteri ex ratione: sed omnia fermè argumẽta Theologica à priore illo fonte deriuãtur. Quam rem sicut & locorum numerum atq; ordinem, index qui sequitur, ostendet.

¶ *Cap. vltimum. De locorum Theologicorum numero atq; ordine.*

QVod à Platone priùs & Aristotele traditum præcipit Cicero: Omnẽ institutionem, quæ de re quacunq; suscipitur, debere à definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit id de quo disseritur, hoc mihi in disputatione, quæ de locis Theologicis futura est, non erat certè negligendũ, vt quid esset locus Theologicus ante omnia explicaretur: nisi ex ijs quæ dixim⁹ ita esset in promptu, vt res explicatione nó egeret. Nó enim in hoc opere de locis communibus, q̃ de vniuersa re tractari solent, seu de capitibus rerũ illustrium, quæ nunc etiã cõmunes appellantur loci, vt de iustificatione, de gratia, de peccato, de fide, deq; alijs huius generis, nos disputaturos pollicebamur, id quod è nostris fecêre plurimi, è Lutheranis non modò Philippus, sed Caluinus etiam fecit, homines non parum eloquentes, impij tamen, vt Lutheri discipulos possis agnoscere. Sed quemadmodum Aristo. in Topicis, proposuit cõmunes locos, quasi argumẽtorum sedes & notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inueniretur: sic nos peculiares quosdam Theologię locos proponimus, tanquam domicilia omnium argumentorum Theologicorum, ex quibus Theologi oẽs suas argumentationes siue ad confirmandum siue ad refellẽdum inueniant. Quare cùm definitio loci Theologici ante oculos ex ijs esset, quæ in proœmio dicta sunt, non erat hîc nobis accuratiùs explicanda: sed quod obscurum erat, id statim aggrediendum, & locorum huiusmodi certus definitusq; numerus indicandus. Locorum ergo Theologicorum elenchum denario nos quidem numero complectimur: nó ignari futuros aliquos, qui eosdem hos locos in minorem numerum redigãt, alios, qui velint etiam esse maiorem. Sed de enumerationis figura nihil morandum est: modò nullus omnino locus vel superfluus numeretur, vel prætermittatur necessarius.

Primus igitur locus est auctoritas sacræ scripturæ: quæ libris Canonicis cõtinetur.

Secundus est auctoritas traditionum Christi & apostolorũ, quas quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos peruenerunt, viuæ vocis oracula rectissimè dixeris.

Tertius est auctoritas ecclesiæ catholicæ.

Quartus, auctoritas conciliorum præsertim generalium, in quibus ecclesiæ catholicæ auctoritas resident.

Quintus, auctoritas ecclesiæ Romanæ, quæ diuino priuilegio & est, & vocatur apostolica.

Sextus est auctoritas sanctorũ veterũ.

Septimus, est auctoritas Theologorũ scholasticorum, quibus adiũgamus etiam iuris pontificij peritos. Nam iuris huius doctrina quasi ex altera parte scholasticæ Theologiæ respondet.

Octauus, ratio naturalis est, quæ per omnes scientias naturali lumine inuentas latissimè patet.

Nonus est auctoritas Philosophorum qui naturam ducem sequũtur. In quibus sine dubio sunt Cæsarei Iurisconsulti, qui veram & ipsi (vt Iureconsultus ait) Philosophiam profitentur.

Postremus deniq; est humanæ auctoritas historiæ, siue per auctores fide dignos scriptæ, siue de gente in gẽtem traditæ, non superstitiosè atq; aniliter, sed graui constantiq; ratione.

Sunt itaq; hi loci decem, in quibus argumenta omnia Theologica delitescunt: eo scilicet discrimine in lucem eruenda, vt quæ ex septem prioribus locis eliciantur, propria ferè sint ea huius facultatis: quæ verò ex tribus posteriorib⁹, ascriptitia sint, ac velut ex alieno emendicata. Nam cùm sint, vt supra dixi, duo genera argumentandi, vnum per auctoritatem, alterum per rationem, cumque illud proprium sit Theologi, hoc Philosophi: confugiendum Theologo est ad posterius, si vti ei non licet superiori. Quanquam licet aliquando vtrunque simul argumentandi genus adhibere, vt suo postea loco demonstraturi sumus. De prima igitur operis parte, quoniam, vt à principio diximus, longa oratione non egebat, hactenus dictum sit.

Libri primi finis.

DE LOCIS THEOLOGICIS LIBER SECVNDVS.

In librum secundum de locis Theologicis Proœmium.

QVanquam plures in illa esse sententia video, qui orationis splẽdore illustrare cogitationes suas nesciat, eum si scribat, impudenter abuti & scientia & literis: ego tamen, si Theologus nõ afferat eloquentiam, tantùm abest vt asperner, vt ne flagitem quidem. Nam de rebus obscuris atq; ad intelligendum difficilibus dilucide dicere, nec sententijs solùm argutè, sed verbis etiam ornatè, adeò est operosum & arduum, vt iniquus futurus sit, qui voluerit efflagitare. Atq; id equidem paucis adhuc video contigisse, vt ijdem vtroq; in genere laborarent, simulq; in Theologia controuersijs sequerentur & elegans illud dicendi & hoc argutum disputãdi genus. Nos autem quantum in vtroq; profecerimus, aliorum sit iudicium: vtrũq; certè sequuti sumus. Flumẽ enim nobis inanium verborum displicet, quibus sententia deest, nec sententiarum subtilitate capimur, si orationis est siccitas. Ac de sermonis cultu nostra legens suo quisq; iudicio libere vtatur, nihil enim impedio: in rerũ autem earum tractatione, quas his libris multas & graues et vtiles accuratè copioseq; disputaturi sumus: magnum, vt videmur, afferemus adiumentum Theo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

logis nostris, vt non modò rudes, sed etiam docti aliquantum fortasse adepturi sint, & ad disserendum & ad iudicandum. Nec verò hoc arroganter dictum existimari velim, nam eloquendi scientiam concedens multis, quod est schola proprium, strictim presseq; disserere, & quasi ad viuum omnia resecare, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, non sum (ni fallor) arrogans: si id iure quodam meo vendicarim. Nec vsq; adeò ineptus ego sum, vt non verear me in rebus quoq; ipsis sæpè etiam allucinatum. Sed aliud est, nunquam falsum sentire: quod mihi non tribui: aliud rest um grauissimas tum difficillimas via & ratione premere, quod vtiq; assumpsi iure, vt mihi videor, at falli possum, condonetur iniuria. Etenim quæ dixi eò pertinent omnia, non vt rerum mihi scientiam arrogem, quid enim à viro modesto alienius esse potest? sed vt nemo politioris literaturæ candidatus in scholastica disputatione orationẽ à me tersam postulet, nedum rhetorum phaleris adornatam. Scholam enim ego placare volo, scholæ propria verba peculiaresq; loquendi formas submouere non audeo. Nam & si disputare cupio ornatiùs quàm solent nostri, at non debeo tamen labores duos afferre Theologis, vnum in rerum, alterum in verborum intelligentia. Breuiter lectoribus ego meæ mẽtis fateor arcanum: qui per me formam in Theologia disserendi habiturus est, nolo vt is mea scripta difficulter intelligat, & ad Theologum cognoscendum grammaticum quærat interpretem. Sed de his satis. Iam enim tempus est, vt ea persequamur, quæ sunt deinceps explicãda. Quæ quidẽ vt magnum negotium nobis, ita quoque prolixam disputationem exhibebunt. Sed prolixitas vtilitate pensabitur. Nihil autem vtilius scholæ Theologorum tradi potest, quàm vt discant, quisnam locus argumenta firma, & quis contrà infirma submini-

stret. Quæ re vel maximè Theologiæ nerui atq; artus pressi solidiq; consistunt.

¶ *Cap.*

¶ Cap. primũ. De sacrarum literarum solidissimo firmamento, & quatuor machinis quibus illud impetitur.

AC primus quidem locus sine controuersia firmus est diuina eademq; grauissima auctoritate. Nam libros sacros & Canonicos appellamus, quos spiritu sancto dictante sacri auctores exceperunt. Quos igitur tales esse constiterit, eos dubio procul certissimos ac verissimos esse credemus. Quemadmodum Augustinus lib. de Ciuitate Dei. 11. cap. 3. & libr. confess. cap. 15. & epistol. 7. ad Marcellinum. & epi. 19. ad Hieron. & lib. 1. de doct. Chri. c. 37. & libr. 2. de bapt. cont. Donat. cap. 3. & in proœmio. 3. libr. de Trinit. docet, resumit, inculcat. Ac rectè ille quidem. Nisi enim fundamentum hoc fideliter ieceris, quicquid in Theologia superstruxeris, corruet. Corruetque adeò ciuitas illa Dei, cuius fundamenta in montibus sanctis, & in scripturis principum qui fuerunt in ea. Quarum scripturarum auctor est non homo, sed Deus. Dominus enim narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Dominus itaq; huius loci auctoritatem tuetur, tuentur & principes. Turris quippè Dauid est, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quam omnino rem, quoniam in tertiodecimo libro fumus latiùs explicaturi, satis hic fuerit breuiter attigisse.

Psal. 86

Cant. 4

Verum enimuero turris hæc tam alioquin munita arietibus, quatuor concuti solet. Primo, quòd homines à Deo aliquãdo deceptos sacræ ipsæ literæ prodidere: fieri igitur potest, vt auctores sacri ab spiritu sancto fallantur, ita quodcunque ex huiusmodi auctoribus argumentum sumas, incertum erit. Altero, quòd nondum videtur exploratum, quinam libri sint in canonem sanctarum scripturarum referendi: cùm ex veteri testamento septem, ex nouo totidem à viris & doctis & catholicis reiciantur. Quocirca si argumentum inde Theologus promat, imbecillum erit, carebitque diuina auctoritate. Tertio, quòd vt certò constaret quinam essent huiusmodi sacri libri: non tamen adhuc constat, an Latini codices Græcis Hebraicisq; concordent: quapropter argumentatio ex Latino exemplari ducta, infirma erit, cùm solius interpretis sensu intelligentiaque nitatur. Quartò, quòd vt perspicuum esset, quodnam exemplar potissimum sequendum sit: tamen an Apostoli, vel Prophetæ in testimonijs, quæ videlicet ex ipsis afferuntur, de spiritu Dei an de suo loquantur, non perinde certum est: cùm auctores sacri nonnulla humano more citra diuinam reuelationem scribere videãtur. Non itaque omnia librorum canonicorum testimonia Dei auctoritatem habent, vt certam fidem facere possint. Nec verò in his argumentis explicãdis eam copiam, quam possumus, persequemur: ne hoc vno in loco tota insumatur oratio. Sed quatuor hos arietes, quibus nostræ religionis mœnia nonnulli quatere & diruere conantur, quanta maxima breuitate licebit, repellere curabimus. Non enim materiam hîc & farraginem multarũ rerum conamur inuehere: sed formam Theologo disserendi præscribere. Quæ nimirum quò breuior, eò præstabilior erit.

¶ Cap. secundum, vbi argumenta referuntur suadere volentium, quòd Deus fallere aliquando potest.

VT autem ab illa controuersia ordiamur, quæ licèt facillima, tamen caput est cæterarum, prima veniat in medium iuniorum opinio, quæ plerisq; notissima est, non omnium quidem, sed paucorum

prima controuersia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

asserentium, aliquando Deum humano angelicóue ministerio homines fefellisse. Nam q̃ spiritus veritatis ipse per se quempiam fallat, ne impietatis inuidiam subeãt, in dubium vocare non audent. Quòd vèrò per alium decipere Deus posit, id persuadere se posse arbitrantur. Primùm quòd Abraham pueris mentitus est, inquiens, expectate hic, ego & puer postquàm adorauerimus, reuertemur ad vos. Et tamen illa erat prophetia diuinæ reuelationis: vt docet Amb. libr. 1. de Abraham. cap. 8. in hæc verba. Prophetauit quod ignorabat ipse solus disponebat redire immolato filio, sed dominus per os eius locutus est. Captiosè autẽ loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet aut fletu. Hominis ergo ministerio, homines Deus fallit. Alterum quoque eiusdem rei argumentum proferunt, quòd Iacob patrem suum Isaac mendacio etiam de industria confícto decepit, dicens. Ego sum primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, surge & comede de venatione mea. Et paulò pòst, cùm Isaac interrogasset, tu es filius meus Esau? respondit Iacob. Ego sum. Mentitus est ergo Iacob, id quod agnouit pater, inquiens, venit germanus tuus fraudulenter. &c. At ea omnia Iacob & fecit & dixit ex diuina reuelatione, vt Innocentius tradit. Deus igitur per alium decipere potest. Ad hæc Esaias Ezechiæ cras, inquit, morieris & non viues. Esaias autem sine dubio suis ipse verbis assentiebatur, nec verò nisi lumine prophetico: agnoscebat enim reuelationem illam esse diuinam. Lumen ergo prophetiæ causa quandoque prophetæ est, vt decipiatur. Non enim tunc tẽporis mortuus est Ezechias, sed conualuit. Præterea cùm dominus aliquando interrogasset, quis decipiet Achab? egressus spiritus, ego inquit, decipiam illum. Cui dominus, In quo? Tum ille. Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit dominus, decipies & prævalebis: egredere & fac ita. Subdit verò Michæas. Nunc igitur ecce dedit dominus spiritum mẽdacij in ore omnium prophetarum, qui hic sunt: & dominus locutus est contra te malum. Deus itaque per cacodæmonem administrum decipit. Id quod Augu. lib. 83. Quæst. confitetur. Quemadmodum enim iudex damnatum percutere, sua persona indignũ & nefarium iudicat: eius tamen iussu hoc facit carnifex, ita quem Deus per se non faceret, eum fallit Deo iubente cacodæmon. Libet nanque similitudine eadem eisdemque penè verbis quibus Augustin. vtitur, huius rei argumentum facere. Item Iudæi domino præcipiente AEgyptios decepère. Fecerunt enim filij Israël, sicut præceperat dominus Moysi, & petierunt ab AEgyptijs vasa argentea & aurea: Dominus autem dedit gratiam populo suo coram AEgyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt AEgyptios. Deo igitur auctore homo hominem fallit. Nec mirum si hostem decipi dignum, decipere Deus iubet, quoniam hoc pertinet ad iustitiam & veritatem, vt dignis digna distribuantur: quemadmodum idem Augustinus loco nunc citato argumentatur. Atq; hæc testimonia non perinde vigent. Illa difficiliora sunt, quæ, quoniam vnius modi sunt fermè, simul commemorabuntur.

1 Primum est illud. Qui immutat cor principum, & decipit eos: & errare eos facit
2 quasi ebrios. Secundum illud. Homo qui posuerit immunditias in corde suo, & venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: & propheta cùm errauerit & locutus fuerit verbum, ego dominus decepi prophetam illum. Tertium illud: Quare errare nos fecisti domine de vijs tuis? Quartum est Apo-
3 4 stoli dicẽtis: Sicut non probauerũt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum. Quintum est etiam eiusdem Apostoli. Eo quòd charitatem veritatis non

Primũ argumen. Genc. 22

Hoc Amb. testimonio iratia. 22. §. 2. §. Abraam. mendacij culpa liberat Patriarcham.

Genc. 27 2. Argumẽ.

De diuo. c. gaudemus. 2. Argumẽ. Esa. 38

3. Reg. 22 4. Argum.

Quæst. 53

5. Argumẽ. Exo. 12

6. Argum. Iob. 12.

Ezechi. 14

Esa. 63

Roma. 1

2. Thes. 2

tis non receperunt, ideò mittet illis Deus operationem erroris. Quibus testimonijs Augustinus manifestè doceri existimat Deum in cordibus hominum operari ad inclinandas eorum voluntates in malum, nedum mentes in falsum. Nec ab his ratio aliena est, cùm enim error pœna sit, nihil obstat, quominus Deus qui pœnarum omnium auctor esse à prophetis dicitur, erroré ipse efficiat in eo præsertim, qui antecedẽtibus culpis commeruit, vt à iusto iudice in errorem induceretur. Vita & mors, inquit, paupertas & honestas à Deo sunt: sapientia & disciplina apud eum: error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. Confirmat autem illud vel maximè, quòd cuiusq; motionis Deus est causa: in ipso enim mouemur & sumus. Errorem itaq; qui hominis errantis motio est; Deus efficere in hominem potest, poteritq; proinde decipere. Cuius etiam rei argumentum aliud est, quòd mẽdacium non est suapte natura malum. Potest ergo Deus cuiquam præcipere vt mentiatur. Illud verò primum ex eo ostenditur, quòd Ioseph mendaciũ etiam iuramento confirmauit. Per salutem (inquit) Pharaonis exploratores estis. Non est autẽ credendum quòd mendacium iuramento firmatum vir iustus diceret, nisi diuinam haberet reuelationem, per quam à mortali peccato excusaretur. Deinde illud etiã probatur ex eo qđ Michæas ait. Vtinam vir essem non habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer. Non ergo est intrinsecùs malum, quod Propheta Deo instigante desiderat. Adde hũc, quod Aristot. 4. Ethi cor. lib. Mendacium in iactantiam & ironiam partitur, quæ est diuisio propria mendacij auctore diuo Thoma. 2. 2. quæst. 110. ar. 2. At vsus eius, quæ dissimulatio Latinè dici potest, Græcè enim εἰρωνία dicitur, frequens in sacris literis est: vt ibi, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Et alio loco, Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis. Et. 3. reg. 22. Ascende (ait Michæas) & vade prosperè. &c. Si igitur ironia mẽdacium est, Deus verò per sacros auctores ironicè interdum loquitur, non est, vt videtur, cur negemus, Deum posse per alios mentiri. His testimonijs atque rationibus, opinationem suam suadere poterant Theologi noui & in sacris literis parum exerciti. Nam quibus ipsi argumentis vtũtur, ego data opera fileo: ne qui hũc librum legerint, scholasticis illi auctoribus inuidiam conflent: vulgiq́ue & imperitorum insciliam academijs præferant, cùm ea audierint, quæ nonnunquam differuntur à nostris. Sed de his hactenus. Iam quæstionẽ ipsam explicemus: diuinamq́; veritatem (quod erit facile) ab eiusmodi aduersarijs vindicemus. Deum namq́; deceptorem credere, nefarium & impium esse, quis non facillimè intelligat?

De gra. & lib. arb. c. 21

7. Argum. Amos. 3 Esa. 45

Eccleſia. 11

8. Argumẽ. Actio. 17

9. Argum.

Genc. 14

Mic. 2

Cap. 7

Genc. 3 2. Cor. 4

¶ Cap. tertium ostendit Deum nec per se nec per alium fallere vnquam posse.

EA igitur explicanda quæstione, quoniam breuis esse cupio, illud statim ponendum est, diuinæ potentiæ descriptionem esse duplicem. Nam & generalem quandam intelligimus, quæ, quoniam lege nulla etiam naturali constringitur, à Theologis absoluta vocatur: Et aliã huic subiectam, quæ spectat in rerum ordinem præfinitum, ideoq́; potentiam appellant ordinatam. Atque illa superior definiri solet circa eas res, quas esse non repugnat, quæue non implicant contradictionem, sic enim loquuntur. Quæ autem potentia ordinaria subiecta illi priori quasi generi est, eam definiunt circa ea, quæ esse possunt salua lege statutisque diuinis. Illud etiam ponere debemus mentiri nihil aliud esse, quàm asserere falsum animo fallendi. Sic enim. Augustinus ac Gelasius definierunt. Ex duobus itaq; mendacium conflatur, si falsum dicitur, & si eo animo dicitur,

Libro. 1. de mẽ. c. 3. & 4. lib. Item de mẽ. ca.

Universidad de Deusto
Biblioteca

12.22. q. 2. c. Beatus. dicitur, vt fallantur audientes. Sed & quis propriè dicatur fallere, explicandum est antè breuiter, quò faciliùs id quod docere volumus intelligi possit. Non enim qui verum dicit is propriè fallax existimãdus est: licèt ille qui audit, ex praua intelligẽtia veritatis in maximos incurrat errores. Impropriè autem, res à Deo creatæ dicuntur esse fallaces, dicuntur item esse muscipulæ, sed pedibus insipientum. Ecquis igitur alium propriè fallit? Nempè qui falsum asserendo causa alij est vt fallatur. Alioqui si ex alieno errore & ignorãtia fallacem quempiam definimus, ipsa quoque veritas erit nobis fallacissima. His positis sit prima conclusio. Hæreticum est asserere, quòd Deus de potentia ordinata mentiri possit.

Matth. 13

Sap. 14.

Rom. 3 2. Timo. 2 Num. 23

Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Et rursum, Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Et alio loco, Vndè, non est Deus quasi homo vt mentiatur. Atque hæc quidem conclusio adeò est apud omnes certa, vt eam testimonijs etiam apertis confirmasse, superuacaneum fuisse videatur. Quare illa breuiter posita pergamus ad reliquas. Secunda conclusio est. Qui existimat Deũ ex ordinaria potẽtia per administrum posse vel mentiri vel fallere, errat ille in fide turpissimè. Nam hæreseos notam huic inurere ad ecclesiæ auctoritatem pertinebit.

Atque hæc quidem conclusio primùm ex eo colligitur, quòd eiusdem est præcipere malum & facere malum: quisque enim eius rei causa est, quæ eo imperante fit. At iuxta fidem catholicam Deus auctor peccati esse non potest, ergo ne mendacij quidem, quod iuxta potentiam ordinariam peccatum est. Non itaque Deo auctore vel angelus vel homo quempiam fallit. Deinde cùm dominus per administros vel angelos vel homines nobis loquitur, ipse se loqui testatur: vt multis locis sacrarum literarum constat. Ita si Dei administri mentirentur, Deum quoque mentiri necesse esset. Quod quàm absurdum sit, quis non videt?

Exo. 3. Esa. 1 Hier. 1. 2. 3. 4. 5. Luc. 1. ad Hebr. 1. Vide Hilariũ in Psal. 118. in

Præterea, sic opinantibus non constaret an Deus nos per Apostolos & prophetas fefellerit. Et cùm in sacris literis Deus ipse per se quidem rarò fuerit locutus, per angelos autem & per homines frequentissimè: si his administris falli à Deo possumus, certè sacrarum literarum firmitas corruet. Atque hæc quidem ratio tam magnum apud me momẽtum habet, vt non dubitem, ab ecclesia catholica errorem hunc hæresis nota damnatum iri, si in consultationẽ referatur. Quippè qui aut prorsus euertit nostræ fidei fundamẽta, aut certè non patitur firma consistere. Porrò sacris auctoribus fidem habere non tenebimur, si semel eam opinionem induimus, q; Deus per alios decipere possit. Nec vlla Dei pollicitatio firma erit, nisi quam Deus per se ipse præstiterit. Id quod apertè cum Apostolo pugnat. Nam cùm in epistola ad Hebræos in eam promissionẽ incidisset, quæ Abraham, per angeli haud dubiè ministerium, facta est, volens (inquit) Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mẽtiri Deum, fortissimum solatium haberemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Non esset autem tuta & firma, si huic opinationi credimus. Efficitur itaque Deum nullo modo posse fallere. Nec mihi dicas scriptores sacros iustos sanctosque fuisse, spiritu enim sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Et rursum, Sicut locutus est per os sanctorum. &c. per huiusmodi autem viros Deum nec velle fallere, nec verò posse: sed per improborum ministerium posse. Primùm enim si spiritu Dei inspiratus loquitur etiã impius, Deo verba illa tribuuntur, atque adeò Dei authoritatem habent. Deinde si Dei vel consilio vel præcepto mentitur impius, certè eodem consilio præceptóue mentiri

Hebr. 6

2. Pet. 1

Luc. 1

Ioan. 11 Nume. 23

mentiri poterit pius. Non igitur Deus potest per alium fallere, id quòd secũda conclusione dictum est. Tertia conclusio. Deus etiam ex absoluta potentia nec per se nec per alium mentiri potest. Cùm sit (inquit Augustinus) omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Et rursum idem, dum de omnipotentia Dei (ait) tam multa dixerimus, si volunt inuenire quòd omnipotens non potest, habent prorsus: Ego dicam, mentiri non potest. Dominus autem id mihi manifestè videtur confirmare cùm ait. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Vel concidat ergo omne cælum omnisq; natura, diuina tamen veritas consistat necesse est. Præterea & illud Apostoli testimonium, quod ante citatum est, idipsum ostendit. Est, inquit, Deus verax: omnis autem homo mendax. Quo loco Paulus non significat quidem omnes homines mentiri, sed eo esse ingenio vt mentiri possint. De natura quippè agit non de more. Nam reperire liceat viros aliquando, qui vel rationem rectam ducem sequentes vel euangelij gratia legeq; adiuti ac moniti à mendacio abhorrent, veritatem amplectuntur. Sed quoniam humanitatis ea est imbecillitas, vt veritatem, quam tenet, desistuere interdum possit: idcirco scriptura omnem hominem dixit esse mendacem. Ex quo intelligitur, in eo sensu Deum appellari veracem, quòd cum diuina natura mendacium pugnet. Id quod non modò probabili argumentatione, sed etiam necessaria Theologorum ratione concluditur. Nam quæ contrarietas est mali & boni, eadem est veri & falsi. Sed primæ bonitati repugnat facere malum, ergo & primæ veritati dicere falsum. Hinc enim illa sunt, fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et fidelis Deus & absque vlla iniquitate. Tam alienus itaque Deus est à falsitate quàm ab iniquitate: & sicut nec per se nec per alium iniquitatem facere, ita ne fallere quempiã potest. Quòd si quispiam Deo auctore falleretur, iam à fonte veritatis mendacium emanaret. At non solùm Euãgelista testante, sed natura etiam duce cognouimus, omne mendaciũ non esse ex veritate. At reuera (vt eò vnde egressa est referat se oratio) vtrũque & malum facere & falsum dicere cũ natura stabili immobiliq; pugnat. Inde enim cùm scriptura dixisset, non est Deus vt homo vt mentiatur, eucstigio subdidit: nec vt filius hominis vt mutetur. Mendacium quippè mobilis naturæ nota est. Adde huc, quòd si per alium Deus decipere homines potest, & per se quoq; idem poterit efficere. Cætera siquidẽ mala quæ pœnam habent à culpa disiunctam, Deus dare & per ministros & sine ministris per se ipse potest. Atq; vt semel finiam, si Deus mentiri posset, meritò etiam nos formidare poterimus, an fuerit aliquando mentitus. At nullus est, inquies, formidandi locus: cùm ex potentia ordinaria constet, Deum non posse mẽtiri. Bellè id quidem: sed cùm hoc nisi per reuelationem constare nequeat, qui scire possumus, an illa ipsa reuelatione Deus potentia sua absoluta fuerit abusus? Vt enim apud Augustinum est, quomodo credendum est ei, qui putet quandoque esse mentiendum? Nam & fortè tunc mentitur, cùm præcipit vt ei credamus. Peritergo, ni ita sit, sacrarum literarum certitudo. Præterquàm quòd apud Philosophos tam euidens est, Deum non mentiri, quàm esse tum optimum tum sapientissimum, ac proinde nec fallere nec falli posse. Nihil autem interesse, an per se ipse id efficiat, an per administros suos. Etenim nec purissima veritas est, cui quoquomodo est vel falsitas vel fallacia permixta, nec summa intelligitur, qua maiorem aliam cogitamus. Veracior autem is esset, qui nec per se nec per alium, quàm qui per alium fallere posset. Ita diuina veritate firmiter posita, &

Lib. 1. de Symb. ca. 1.

Lib. 20. de ciui. Dei. cap. 25.

Luc. 21

Psal. 144

Deute. 32

1. Ioa. 2

Num. 23

Lib. contr Mend. c. 4. et. 18. Et de Men. c. 8

ratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationum ac testimoniorum certitudine corroborata, non aliud superest, nisi vt aduersariorum argumenta diluamus.

¶ Cap. quartum. Vbi argumenta cap. secundi diluuntur.

Gabri. 3. d. 38. sequutus est Augustinum sermone primo de immolatione Isaac. Est hic in numero. 71 Idem in sermone. 72 Ad Heb. 11

AD primum igitur argumentum non est Theologorum vna & simplex responsio. Sunt enim qui piè grauiterq; contendant, Abraham non esse mentitum. Non enim, vt aiunt, contra id quod mente gerebat locutus est. Quin filium credidit protinus suscitandum: quemadmodum Apostolus videtur in hæc verba tradere. Fide obtulit Abrahã Isaac cùm tentaretur, & vnigenitũ offerebat, in quo susceperat repromissiones: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Sunt alij contrà, quibus ego vehementer assentior, qui admittunt quidem Abraham, ea ratione fuisse mentium, quòd contra mentem dissimulandi causa locutus est: prophetasse autem, quia dixit verum, quod tunc scilicet ignorabat. Id nanq; Ambrosij verba præ se ferunt. De primo igitur argumento satis dictum est. Deinceps, vt erat propositum & de reliquis dicamus.

Adrian. quodlibeto. 1. ad primũ princi.

Scot. 3. d. 38 Caietan. in Gene.

Ad secundum Theologi quidem non ignobiles respõdent vtiq; Iacob mẽtitum fuisse, sed matre consulente, non Deo reuelante. At nos, quibus in animo est sanctorum sensa pro nostra quidem virili tue-

Quæst. 74 ri, multò aliter respondere debemus. Augusti. siquidem in quæstionibus super Gene. Iacob à mendacio excusat. Adducitq; in hoc, quod de illo scriptura dixit, virum simplicem fuisse, hoc est, non fictum & sine dolo: vt. 70. interpretes conuerterunt. Sine dolo igitur erat qui dolum fecisse videtur. Quapropter in eo loco, vt ait, spirituale mysterium cogimur intelligere. Et

Cap. 37 16. lib. de ciu. Dei. quis est (inquit) dolus simplicis, quæ fictio non mentientis nisi profundum mysterium veritatis? Chrysostomus etiam hom. 6. in epist. ad Colo. & hom. 53. in Gene. sicut Abraham & Phinees ab homicidio, ita & Iacob (quoniam Deum illi cooperatum esse credit) à mendacio excusat. Excusant etiam Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata. c. 2. & 3. Innocentius de diuorti. cap. gaudemus. Magister sen. 3. d. 38. Gratia. 22. q. 2. c. quæritur. Alexan. Alen. 2. par. q. 139. mẽbro. 6. D. Tho. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad. 3. Nec verò audiendi sunt, qui putabũt Iacob perreuelationem quidẽ excusari, nõ ne mentitus sit, sed ne peccarit mentiendo, Quod mendacium, vt aiunt, rectè nonnunquam dici potest ex familiari consilio spiritus sancti. Quos ego auctores non modò redarguerem, verumetiam quamplurimis argumentis grauiter errasse monstrarem, nisi diuus Augustinus in eadem causa aduersum Priscillianistas accuratè elaborasset, atq; ita multa disseruisset, vt si labor idem rursum à nobis susciperetur, nihil aliud quàm actor ageremus: quod vetamur veteri prouerbio. Hos itaque cum sua ista Theologia relinquamus, cùm doctores sancti non modò negent peccasse Iacob; sed astruant etiã & verũ dixisse, & verbis illis prophetasse. Qua in re illud equidem animaduerto, maiores nostros, quod perspicuum & exploratum erat, id latere non potuisse: nempè verba illa Iacob in sensu proprio esse mendacium. Nec esse tamen absurdum, si homo quamlibet iustus semel aut iterum mentiatur. Quamobrem cùm constanter astruerint Iacob non fuisse mentitum, existimandi sunt peculiares easdemq; graues causas habuisse, quibus in hanc sententiam inducerentur. Porrò quemadmodum per legitimas allegoriæ rationes iustus figura iustorum, iniquus iniquorum est, ita & falsum absurdè in typum veritatis assumitur. Scio quæ contra hoc dici possunt, legi enim Diui Gregorij commentaria, in quibus huic regulæ non alligat expositionem suam, legi & Hiero. qui Abacuch. 1. cùm spiritum malum per tropologiam conuertisset in bonum, tropologia, inquit, libera est, & his tantùm

Gabri. 3. d. 38. q. uni. ad. 2.

Petrus Aliac. 1. sen. q. 12.

Nec Lyranus ab hac sentẽtia abhorrere uidetur.

In libro de men. & in lib. cõ. men.

Augu. con. men. c. 10.

Licencia.

DON FELIPPE por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Secilias, de Ierusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarues, de Algecira, de Gibraltar, de las islas de Canaria, de las Indias islas e tierra firme del mar Oceano, Conde de Flandes, e de Tirol &c. Por quãto por parte de vos fray Pedro Serrano procurador general de la ordẽ de sancto Domingo, nos a sido fecha relaciõ, que el Reuerẽdo in Christo padre fray Melchior Cano defuncto, Obispo que fue de Canaria de la dicha orden, auia cõpuesto vn libro intitulado de locis Theologicis en dos cuerpos, y lo auia dexado al monasterio de sancto Domingo de la ciudad de Salamanca, el qual era muy vtil e prouechoso, suplicando nos, atento que era obra de buen exemplo, y doctrina, y enella el dicho fray Melchior Cano auia puesto mucho trabajo, diessemos licencia e facultad para que lo pudiessedes imprimir y vẽder mãdando que por el tiẽpo que nuestra merced y voluntad fuere, otra ninguna persona lo pudiesse imprimir y vender so graues penas, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro cõsejo por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pragmatica por nos agora nueuamẽte fecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, y nos touimos lo por biẽ. E por la presente damos licẽcia e facultad para que qualquier impressor destos nuestros Reynos pueda imprimir el dicho libro que ãsuso se haze menciõ, sin que por ello caygan ni incurra en pena alguna, e mandamos que despues de impresso no se pueda vẽder ni venda sin que primero se traiga al nuestro cõsejo jũtamente cõ el original q̃ en el fue visto q̃ va rubricado e firmado al fin del de Domingo de çauala nuestro escriuano de camara, de los que residen en el nuestro consejo, porque se vea la dicha impression si esta conforme a los originales, y sele de priuilegio mandando dar licencia para lo poder vẽder, con que se tasse ante todas cosas en el nuestro consejo el precio por que se ouiere de vender cada volumẽ, so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica e leyes de nuestros Reynos, e no fagades ende al por alguna manera, so pena de la nuestra merced e de diez mil marauedis para la nuestra camara. Dada en Madrid a veynte y siete dias del mes de Agosto de mil y quinientos e sesenta e dos años.

El Marques. El Licenciado Vaca de Castro. El Licenciado Pedrosa. El Licenciado Villagomez. El Licenciado Larana. El Licenciado Atiença.

Yo Domingo de çauala escriuano de camara de su Magestad la hize escreuir por su mandado con acuerdo de los del su consejo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EL REY.

POR quãto por ꝑte de vos fray Pedro Serrano procurador general de la ordẽ de Sctõ Domingo deſtos nueſtros Reynos, a ſido fecha relacio q̃ nos auiamos dado licẽcia ꝑa imprimir vn libro q̃ auia cõpueſto el maeſtro fray Melchior Cano, intitulado de locis Theologicis ſacræ ſcripturæ. E porq̃ en̄l dicho libro el dicho fray Melchior Cano auia pueſto mucho trabajo, nos ſuplicaſtes ſe dieſſe priuilegio al monaſterio d̃ ſant Eſteuan de la ciudad de Salamanca, q̃ auia heredado los dichos libros, para q̃ por tiẽpo de quinze años, otra perſona ninguna no le pudieſſe imprimir ni vender, ſino el dicho monaſterio, o quien ſu poder ouiere ſo graues penas, e ſe taſſe el precio por q̃ ſe ouieſſe de vẽder cada volumẽ, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro cõſejo fue acordado, q̃ deuiamos mãdar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, e nos touimos lo por bien. E por la preſente mandamos, q̃ por tiẽpo de diez años primeros ſiguientes, q̃ corrã e ſe cuẽtẽ deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula en adelãte pueda imprimir e vẽder el dicho libro. Y mãdo e defiendo q̃ ꝑſona alguna ſin vueſtra licẽcia no lo pueda imprimir ni vẽder durãte el tiẽpo de los dichos diez años, ſo pena de ꝑder todos los libros q̃ del ouierẽ imprimido, y mas diez mil marauedis para la nueſtra camara, con tanto q̃ ayays de vẽder e vẽdais cada pliego de molde de la dicha impreſſion a tres marauedis y no mas, e con que aſsi miſmo acabado de imprimir el dicho libro, ante e primeramente que vẽdais ningun libro de los q̃ ſe imprimierẽ como por la dicha nueſtra carta de licẽcia vos eſta mandado le traygays al nueſtro conſejo, para que ſe corrija con el original que en el fue viſto que va rubricado e firmado al fin del de Domingo de çauala nueſtro eſcriuano de camara de los que reſidẽ en̄l nueſtro conſejo, para que ſe vea ſi la dicha impreſſion eſta conforme al original. Y mando a los del mi conſejo preſidẽtes e oydores de las nueſtras audiencias alcaldes, alguaziles de la nueſtra caſa e corte e chancillerias, e a todos los corregidores aſsiſtente e gouernadores alcaldes e otros jueẑes e juſticias qualeſquier de todas las ciudades villas e lugares de los nueſtros Reynos e ſeñorios, e a cada vno e qualquier dellos, aſsi a los que agora ſon como a los que ſerã de aqui adelante, que vos guardẽ e cumplan e fagan guardar e cũplir eſta mi cedula e merced q̃ aſsi vos hago, e que cõtra el tenor e forma della, ni de lo en ella cõtenido no vayan ni paſſen, ni conſientan yr ni paſſar por alguna manera ſo pena de la nueſtra merced, e de veynte mil marauedis pa la nueſtra camara. Fecha en Madrid a. xxij. dias del mes de Nouiẽbre. de. M. D. L XII. años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Mageſtad,
Franciſco de Eraſſo.

tãtùm legibus circũſcripta, vt pietatẽ ſequatur intelligẽtiæ. Sed hæc longior pugna eſt, nec huius tẽporis patitur anguſtias. Equidẽ abuti hac libertate nollẽ, ſed myſticos ſenſus quibuſdã potiùs terminis lineisq̃; preſcribere. Nec.n. cõſentaneum eſt, niſi à rebus vicinis & ſimilibus, vt metaphorã ita & figurã imaginẽq̃; rerũ trahi. Quippe cũ rem, quę altenus figura eſt, eius ſimilitudinẽ gerere neceſſe ſit. Nec Salomõ in peccatis Chriſti typus erat, ſed in pace: nec Iebpte in impietate aduerſus filiã typus erat Dei, ſed in zelo. At D. Th. 2.2.q.88.ar.2.ad.2. repugnat: videtur profectò. Verùm iã dixi hîc me nõ agere de liberis allegorijs, ſed de his, quæ certa via & ratione premũtur. Quo ſenſu nec Hieronymus, nec Thomas locuti ſunt. Quæ.n. conuẽtio lucis ad tenebras? qd Chriſto cũ Belial, vt ꝑ myſticũ ſenſum lucẽ quidẽ tenebrarũ, Chriſtũ verò Belial figurã faciamus? Sed de his plura alio loco opportuniùs. Núc, vt ad propoſitũ reuertamur, nobis ad certã regulam diuinæ ſcripturæ tractãdæ ſunt, nec iniquũ in eo quo iniquus eſt, nec mẽdacẽ in eo quo mẽdax, aut iuſti aut veracis typũ faciemus. Quia ergo cõſtat, Iacob tùm etiã cùm præripuit fratri benedictionẽ, gentiũ fidem prænotaſſe, conſequens fit, ex peculiari Dei procuratione ea oĩa & dicta & facta futuræ veritatis imaginẽ habniſſe, ac proinde non fuiſſe mẽdacia. Quid ergo? verũ ne illud eſt, Ego ſum primogenitus tuus Eſau? Nẽpè verum eſt. Eſt enim & primogenitus ſecundũ carnẽ, & primogenitus ſecũdùm ius. Nã & Ad. Ro.9. Apoſtolus duo filiorũ genera exprimit, inquiẽs. Nõ oẽs qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitę, nec q̃ ſemẽ ſunt Abrahę oẽs filij: ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimãtur in ſemine. Et ſtatim. Nõ ſolùm aũt illa, ſed & Rebecca exvno cõcubitu. &c. & qa maior ſeruiet minori. &c. Paulus itaq̃; ſemẽ Abrahæ vocat populũ gentiũ, eundẽq̃; fratrẽ appellat minorem, cui maior erat ſeruiturus. Vt igitur ſine mẽdacio gẽtium hîc populus in fidem iam & hæreditatẽ Iudęorũ ſuffectus dicere poterat, Ego ſum ſemẽ Abrahę, ita & Iacob, qm̃ ius habebat ad primogenituram, in quã Deo auctore fuerat ſubſtitutus, verè vtique dixit, Ego ſum primogenitus tuus Eſau. Quid? cùm Ioãnes Baptiſta Elias à dño vocatus ſit, non natura quidẽ ſed præcurſoris officio: num non & ad eũdem quoq̃; modũ Iacob, qui hæreditario iure fratri ſucceſſit, ſe eſſe Eſau ſine falſitate potuit aſſerere? Sed ais. Vnde ius hoc Iacob intellexit ad ſe pertinere? Certè vel Deo reuelãte, vel matre inſtruẽte, quã Dei familiare cõſiliũ habuiſſe Gene.25.c. traditur. Atq̃; in. 2. argumenti confutationem ſatis multa diximus. Mat.11.

Tertium aũt, quod ex Eſaiæ teſtimonio nobis opponitur, D. Tho.2.2.q.171.artic.6. ad.2. confutat. Quæ quidem cõfutatio quoniã prolixa eſt, nos verò breuitati ſtudemus, non eſt hîc adſcribẽda. Nam & aliter reſpõderi breuiùs poteſt, eiuſmodi prophetias cõminatorias eſſe, ſic.n. ſcholaſtici vocãt. Id quoniã prophetæ intelligebãt (nam intelligẽtia opus eſt in prophetia) minimè fallebãtur. Quin potiùs fide quidẽ bona ſuo miniſterio functi, exiſtimabãt tũ comminatiões mutatis poſſe moribus cõmutari. Ob eã.n. cauſam Ionas nolebat Niniue ſubuerſionẽ prænũtiare, q̃ diuinã putabat mĩam Niniuitis pœnitẽtibus eſſe flectẽdam. Quocirca in ſimplicib⁹ eiuſmodi denũtationibus natura rerũ vſusq̃; cõis eò nos ducit, vt cõditionẽ tacitã ſubaudiamus. Cuius rei inſigne exemplũ legitur Gene.c.20. vbi Abimelech regẽ corripiens dñs his verbis vtitur, Et morieris propter mulierẽ quã tuliſti. Poſtquã aũtẽ ille excuſauit, in hunc modũ dñs locutus eſt. Nũc redde viro ſuo vxorẽ & orabit pro te & viues. Si autem nolueris reddere, ſcito q̃ morte morieris. Vides, vt primo edicto vehemẽtiùs animũ eius cõcutiat, quo ſatisfactioni reddat intẽtum: ſecũdo autem volũtatem liquidò ſuã explicet, qua pœnam denũtiando nihil aliud ſignificat q̃ eos ſe monere, quibus vult parcere: niſi quod ſyllabatim non exprimit, qd̃ intelligere tũ promptũ eſt. Ad tertiũ itaq̃; argumẽtum ſic reſpõſum eſto. D.ani.10.

Ad quartũ autem facilè reſpõdetur. Ver

Universidad de Deusto
Biblioteca

bum imperãdi non ſemper aut præceptum, aut conſiliũ ſecum, ſed aliquãdo etiam permiſſionẽ ferre. vt apud Ioãnem. Quod facis fac citius. & alio loco dñs ad Balaam, ſi vocare, inquit, te venerint homines iſti, ſurge & vade cũ eis. cui tñ poſtea angelus dixit. Ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua. D. Tho. de Malo. q. 3. art. 1. ad. 17. Sic igitur dictũ eſt, egredere, et fac: ſicq; oĩno, Deũ dediſſe ſpiritũ mẽdacij in ore oĩum prophetarũ, concedẽdo ſcilicet non iubẽdo. In quẽ ſenſum illud etiã intelligitur, & ne nos inducas in tẽtationem. & illud forſitã, Tu rex regum es, & Deus cœli regnũ & imperiũ dedit tibi. &c. & illud. Non haberes poteſtatẽ in me vllã, niſi tibi datũ eſſet deſuper: atq; illud demũ. Quòd pater dicitur filium in manus impiorũ tradidiſſe. Quia verò pmiſſionẽ ipſam diuinã (rede ẽidum eſt. n. ad propoſitum) qua homo vel in errorem, vel in culpam inducitur, non miniſtri boni, ſed mali exequũtur, ideo Auguſtinus aſſeruit, per adminiſtros malos Deũ aliquãdò decipere. Ac quarto argumẽto refutãdo hæc dicta ſint modò: nã poſterius illud apertiore fortaſſe via & ratione refutabimus. Argumẽtationi quoq; quę quarto loco poſita eſt ita reſpõdeo, Deũ nõ iuſſiſſe q̃dẽ filijs Iſrael vt cũ eis ũenirẽt Aegyptios, ſed vt vaſa argẽtea & aurea peterẽt cõmodatò. Præcepit verò poſtea ne accepta vaſa redderẽtur. Id q̃d facere legitimè potuit, tũ propter alia, tũ his præcipuè cauſis. Vna, quòd Aegyptij operarũ mercedem Iudæis non reddiderant. Preſſerant ſiquidem eos operibus duris luti & lateris omniq; famulatu, vt Exodi. 1. capite legitur. Itaq; vel in pace mercedẽ ab inuitis rapere potuerunt, q̃n res alioqui debitas nulla alia erat via repetẽdi. Altera aũt erat cauſa, q̃n in bello iuſto res hoſtiũ victoriæ iure auferre poterãt. Quẽadmodum & Epiphanius in libro Ancoratus explicuit, & docuit antèClemẽs Alexãdrinus lib. 1. Stroma. Certè vtrãq; cauſam è Sapiẽtiæ. c. 10. colligere licet. Prioré ibi, Et reddidit iuſtis mercedẽ laborũ ſuorũ. Poſterioré autẽ ibi, ideo iuſti tulerũt ſpolia impiorũ. Mag, verò ſentẽ. in. 3. diſt. 37. Iudęos affirmat viros optimos nullo modo peccaſſe: infirmis aũt, qui cupiditate quadã Aegyptios fefellere, magis eſſe illud vt facerẽt permiſſum q̃ iuſſũ. Quod. n. Auguſtinus dixit, Iſraelitas iuſſos eſſe hoſtẽ decipere, id ipſe eodem prorſus loco ac quæſtione correxit inquiens: factũ eſt, vt iuberet Deus, vel potiùs pro illorũ cupiditate pmitteret. Pertinet verò ad iuſtitiã & veritatẽ, vt is, q̃ meretur decipi, decipiatur à Deo quidẽ concedẽte, ab homine aũt vel angelo malo efficiẽte. Quos iuſtitiæ ſuę adminiſtros licèt Deus ſeuerè ſanè ad vindicãdum proferat, nõ cõtinuò tñ praui eorũ operis cauſa eſt. Non. n. mox, ſi quis ab vſurario pecunias petit hominiſq; peruerſi culpa vtitur, idẽ ipſe vſurarũ eſt auctor. Nec verò difficile videbitur, eadẽ opera ad Deũ, Sathanãq; referri: ſi in vno eodẽq; motu actionẽ & paſſionẽ res planè diuerſas inſpiciamus. Hæ nãq; res duæ faciũt, vt in talibus lõgè alia ſit ratio diuinæ, diabolicæq; actionis. In calamitate porrò ſua Iob nõ ſolũ dęmonis, ſed Dei etiam opus recognoſcit: quẽ ea dicit ſibi abſtuliſſe, quæ inſtigãte impellenteq; Sathana per Chaldæos fuerãt erepta. Etenim, quia paſsio bona ac iuſta erat, cõſilium quoq; Dei optimũ finiſq; ſanctiſſimus: in prõptu viro Dei fuit, ibi inculpatã Dei operationẽ agnoſcere, vbi hominũ Sathanæq; nequitia cũ praua ſua operatione ſe pdidit. Hoc video, dũ breuiter voluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcuriùs: ſed experiar, & dicã, ſi potero, planiùs. In opere illo malo & culpa erat & pœna, actioq; prauа rectæ iuncta paſsiõi. Deus igitur illic non erat otioſus: ſed eius erat oĩno auctor, q̃d in illo opere erat bonũ: ab eo aũt erat alienus, q̃d in illo erat malũ. Ita Deus viro ſctõ Camelos abſtulit quidẽ, at nõ iuſtè ſolũ, ſed benignè. Abſtulit & Sathã: at crudeliter nedũ impiè Chaldęi quoq; abſtulerũt: at tũ auarè tũ etiã iniquè. Nihil ergo eſt abſurdi, ſi opus idẽ, quaten⁹ pœna eſt, ad Deũ: quatenus eſt culpa, ad Sathanã auctorẽ referamus. vt Sathan & in culpa agat & in pœna: Deus in pœna

pœna agat quidẽ, at in culpa non agat, ſed permittat. Atq; hac eadem reſpõſione ſextum quoq; argumẽtum refellitur. Non. n. decipit Deus deceptionem ipſam faciẽdo, ſed permittẽdo vt fiat. Qua etiã ratione corda & excæcare dicitur & indurare. Vt Gregorio. 13. mo. lib. c. 16. & Tho. 3. aduerſ. Gen. c. 162. docuere. Et Clemẽs Alex. lib. Strom. 1. explicans illud Matth. 13. Ideo in parabolis loquor eis. &c. Non dñs præbet ignorationem inquit, hoc enim ſentire eſt nefarium, ſed ipſam, quę inerat, propheticè arguit. Sic etiã homines tradit Deus in reprobum ſenſum & in paſsiões ignominiæ. Dimiſit eos, ait, ſecũdùm deſideria cordis eorum: ibunt in adinuẽtionibus ſuis. Atq; hoc itẽ ſenſu reliqua teſtimonia interpretãda ſunt. Nam Auguſtini verba ipſe idem Auguſti. in lib. de præd. & grat. c. 4. docuit, quomodo accipere debeamus. Nõ operatur, inquit, Deus in homine ipſam duritiã cordis. Sed indurare eũ dicitur, quẽ mollire noluerit. Sic etiã excęcare, quẽ illuminare noluerit, & repellere eũ quẽ noluerit vocare. Hactenus ille. Et in libro de articulis ſibi falsò p. Pelagianos impoſitis artı. 10. corũ opinionẽ deteſtatur, qui Deũ prauę cuiuſquã, aut volũtatis, aut actionis credũt auctorem ſiue excitãtem, ſiue ſuadẽtem, ſiue impellentem peccantiũ cupiditates. Deùs quippe neminem tentat. Etrurſum, Non dicas, ille me implanauit. Et iterum, Perditio tua Iſrael, tãtummodo in me auxilũ tuum. Et alio loco, diligis oĩa quæ ſunt: & nihil odiſti eorũ quæ feciſti. At odio habet Deus cæcitatem cordis, errorem, obſtinationem: cùm odio ſint Deo impius & impietas eius: Deus igitur nihil eiuſmodi in homine propriè facit: ſed tantùm iuſto iudicio permittit. Nam obſtinatio, error animi, ac cęcitas peccata ſunt: quę ſcilicet in hominibus, ſi proprietatem verbi ſequi volumus, Deus nullo modo operatur. Niſi Melanctthonis ſtultitia placet, qui ęquè proprium Dei opus ludæ proditionem ac vocationẽ Pauli eſſe ait. Verùm hic error nõ ſolùm ſcripturæ teſtimonijs, ſed naturæ quoq; rationibus manifeſtè refellitur. Primùm. n. illa Auguſtini ratio expedita eſt: nullo ſapiente auctore aliquem deteriorẽ fieri. Tanta. n. culpa eſt, quæ in ſapientem quãuis hominẽ cadere nequeat. Multo igitur minùs Deo auctore fiet homo deterior, cùm ſit Deus quouis homine ſapiẽtę præſtãtior. Illa item eiuſdem Aug. cauſa nõ eſt leuis: Quod quę me auctore fiunt, ea me volẽte & aut ſuadente, aut conſulente, aut imperãte fieri neceſſe eſt. Nullum autẽ Dei iuſtum rectumq; de culpis iudicium futurũ eſſet, ſi homines Dei voluntate, ſuaſu, cõſilio, præceptoq; peccarẽt. Plato inſuper in ſecundo de rep. libro. modis omnibus pugnãdum eſſe ait, ne Deus, qui bonus eſt, dicatur eſſe malorum cauſa. Alioquiſecũ Deum pugnaturum, qui ſuis legibus cõtraria fieri mãdauerit. Ita eos ciuitate extrudi iubet, qui verba illa nefaria dixerint: nobis vtiq; pernicioſa, vt inquit, ſibiq; ipſis malè conſona. Sed alterius & loci & temporis eſt hanc ſiue amentiam ſiue inſaniam refutare. Nunc reliqua perſequamur. Nam & eis refellẽdis huius ſexti argumenti teſtimonia, apertiùs explicabuntur.

Lib. 83. q. q. 3.

In lib. de articul. falſ. ſib. per Pel. im.

Cum itaq; ſeptimo loco obijcitur: Deũ eſſe omnium pœnarum cauſam, nos certè id negamus: ſed earum verè ac propriè cauſa eſt, quæ ſolùm pœnæ ſunt, nõ culpæ. Eſt autẽ interdum, vt ad Romanos & Theſſalonicẽſes tradit Apoſtolus, vna culpa alterius pœna. Quo caſu in pœnã incurrit impius Deo deſerente, non efficiente. At verõ Caietanus in illud, Ecce ego ſuſcito ſuper te malum de domo tua, Eſt ſermo, inquit, nõ de malo culpæ, ſed de malo pœnę. Deus. n. non eſt auctor peccati vt ſic, ſed quatenus pœna eſt peccãtis, vel alterius. Hactenus ille. Et in illud, Dñs præcepit ei, vt malediceret Dauidi, agnoſcit, ait, maledictionem illam quatenus pœnalem ſibi procedere à Deo. Efficit ſiquidem Deus per Semei maledictionem illã non quatenus erat peccãtum, ſed quatenus erat pœna ipſius Dauidis. Quẽadmodum ſuperiùs etiã per os Nathan

Ad ſeptimum.

Rom. 1. 2. The. 2.

2. Reg. 12.

2. Reg. 16.

Ideo. 1. Eccl. 15. Oſeæ. 13. Sapi. 11.

Sapi. 14.

In anno. epi. ad Roma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

than dixerat,ſuſcitabo malũ de domo tua, non quatenus erat malũ culpæ,ſed pœnæ. Hactenus etiam ille. Ac poſterior hæc ſententia quidem faciliore ratione defendi pót, ſi ea diſtinctio repetatur,quæ quinto argumẽto diluẽdo poſita eſt,in opere vno eodẽ q; & actionẽ conſiderari & paſsionẽ. Cùm autẽ res temporariæ,ſalus quoq; & vita auferũtur,paſsio nõ modò ex parte Dei iuſta eſt,verumetiam ex parte patiẽtis eſt bona. Non vtilem patiẽti dico,nã hoc quis dubitet? ſed honeſtã ac meritoriã, ſi æquo aũo patienterq; feratur. Quia verò quòd paſsio eſt,eò pœna eſt:ritè,ni fallor,dici pót Deus auctor eſſe operis mali, nõ quà eſt malum culpæ,ſed quà eſt malũ pœnæ. Cùm enim Ariſtoteli actio & paſsio idẽ motus ſint,illud perinde eſt,ac ſi Deũ auctorẽ dicamus eſſe non malæ actionis,ſed bonę paſsionis. Cæterùm, quãdo vnũ peccatũ alterius eſt pœna,res nõ ita facilè expediri poteſt. Tũc enim nec actio, nec paſsio honeſta eſt: ſed is qui plectitur & agẽdo & patiẽdo peccat. Vt cùm gẽtes,verbi cauſa, cõtumelijs affecerunt corpora ſua in ſemetipſis,& relicto naturali vſu turpitudinẽ naturæ inimicam operati ſunt,mercedẽ, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipiẽtes:nihil omnino illic diſtinguere poſſumus, cuius Deũ cauſam afferamus. Siue enim agentes, ſiue patientes, & quia agebant, & quia patiebantur,vtrinq; omnino peccabant. Quamobrem Deus nec actionum eiuſmodi auctor erat vllo modo,nec paſsionũ. Illud igitur,quod priore loco Caietanus ait, dilutius videtur eſſẽ, quàm vt cõſiſtere in vera Theologia poſsit, quæ an argutias adeò formales recipiat,ignoro. Si enim Deus auctor peccati eſt,quatenus eſt pœna peccantis,omnium pœnarum abſolutè cauſa erit, tum etiam, cùm peccantis culpa poſterior culpæ prioris pœna eſt. Ita erit cauſa indurationis, cæcitatis, erroris earũq; paſsionũ, quas ne nominare quidem per verecundiam licet. Et cùm cauſa moralis,de qua in præſenti ſermo eſt,non agat niſi per volun-

3. Phyſic. text.18.

tatem mouens: Deo certè volẽte,atq; adeò veliubente, vel ſuadente, vel inſtigante ea peccata prouenient, quæ in priorum pœnam accidũt. Quæ nimirum omnia & per ſe ſunt falſa perſpicuè,& inter ſe vehementer repugnantia. Intelligo autem Diuum Auguſtinum lib.contra Iulianum.5.longa oratione contẽdere,non permiſsionis tantũ aut patientiæ diuina eſſe peccata,ſed etiã potẽtiæ: quũ priora videlicet per poſteriora puniũtur. Adducit verò in hoc non ea modò teſtimonia, quę nos in argumẽtis attulimus:verùm illa etiam, Miſcuit dñs ſpiritum vertiginis in medio eius, & errare fecerũt Aegyptum ſicut errat ebrius. Et Domini ſententia fuerat,vt indurarentur corda eorum,& non mererẽtur vllam clementiam,ſicut præceperat dñs Moyſi. Et,Non acquieuit rex populo, quoniam auerſatus fuerat eum dominus,vt ſuſcitaret verbum ſuum.&c.loco aũt eius,quod noſtra tranſlatio habet,quoniã auerſatus fuerat eũ dominus.70.trãſtulerunt,ὅτι παρὰ Κυρίου ἦν ἡ μεταστροφή. Quæ verba Auguſtinus ita reddidit, quoniã à dño erat conuerſio. Ac rectè ille quidẽ,nam, μεταστρέφω, propriè,cõuerto, eſt. Huic verò illud etiam ſimile eſt, cõuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerẽt in ſeruos eius. Addit deniq; Auguſt.& illud, quo vno cauſam videtur obtinere,In hocipſum excitaui te,vt oſtẽdam in te virtutem meã. Ac protinus, quem vult indurat. Volens ergo indurat Deus.Et poſterius, Quòd ſi Deus volẽs oſtẽdere irã,& notã facere potẽtiam ſuã. &c. Potẽtiæ igitur diuinæ ſunt eiuſmodi peccata,quæ Deus in his agit etiã,nedũ permittit. Confirmat aũt hoc,vel maximè,q̃ cùm Dauid increparet Abiſai, qui caput Semei cuperet amputare,dimittite, inquit, eum: dñs enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et paulò pòſt, Dimittite eum,ait,vt maledicat iuxta præceptum domini. In eam quæſtionem, quam velis equiſque, vt dicitur,fugere conabar, volens nolens incurri. Ita enim coniũcta eſt huic,quæ præſenti loco

Eſa. 19.

Ioſ. 11.

3.Reg.12.

2.Reg. 16.

loco verſatur,vt illam ab hac nõ potuerim ſeparare, quanuis in ea re diu multumq; elaborauerim. Cùm enim conſidero,quid ferat inſtituti operis ratio:occurrentes conſequenteſq; etiam controuerſias pro mea certè virili declino:magis adeò eas,quas dignas eſſe video, vt & tractentur fuſiùs,& explicentur accuratiùs. Hinc quippe volumen mihi grande diſplicet:inde autem moleſtè fero, res quàm grauiſsimas minùs accurata diligentia expẽdi, quàm earum amplitudo requirat. Id qđ in ea,quæ eſt nunc in manibus, accidat neceſſe eſt. Nam etſi multa dicentur,multa tamen prætereunda ſunt:quæ huic argumento plenè abſoluendo erant valde neceſſaria. Atq; veteres patres,ne feneſtrã impijs aperirent, duritiem cæcitatẽ, erroreſq; ſuos & peccata in Deũ referendi,in id genus locutionibus, quæ actionem Dei ſonare videtur, ſolam permiſſionem agnoſcũt. Quam ſobrietatem vt ex oſculor,ita minimè periculoſum iudico, ſi permiſsioni nonnihil addamus: quod nec actio propriè Dei ſit,nec ſola permiſsio. Ita enim,vt reor,ſcripturæ ſacræ intelligẽtiam, germanam,ſolidam, expreſſamq; tenebimus. Principiò autem illud intelligendum eſt,vim ſcripturæ & energiam in illiusmodi locis nõ ſatis per negationem explicari. Etenim, ſi eum Deus excæcat, quem non illuminat:eumq; indurat,quem non emollit:oẽs profectò, quicunq; in peccato ſunt mortui,excæcati à Deo ſunt & indurati. Quod nec ſcriptura nec ratio recipit. Quoſdam ſiquidẽ peculiariter excæcatos à Deo & induratos legimus:in quibus iram,iuſtitiam ac potẽtiam ſuam inſigni ſingulariq; vindicta dñs oſtenderit. Deinde id quoq; certũ nobis expeditumq; ſit, Deũ propriè nec excæcare, nec indurare, nec decipere, nec hominũ corda in odiũ conuertere,nec ea demũ facere,quę in literæ ſuperficie facere aſſeritur. Illa enim,quemadmodum antè conſtituimus, à natura Dei abhorrent omnia. Itaq; Deo impropriè & figuratè tribuuntur:triplici,vt ego ſentio,ratione. Primùm enim, cùm ſublato eius lumine nihil aliud quàm caligo & cæcitas ſuperſit:cùm ablato ſuauitatis eius ſpiritu corda noſtra in lapides obdureſcant: cùm ceſſante eius directione in obliquitatem cõtorqueantur, excæcare eos,indurare,errare facere dicitur, quibus facultatem videndi,liqueſcendi,ad veritatem rectam ingrediẽdi adimit. Nam & qui lucerni hanc oculis noſtris auferrẽt, & qui columnam, qua firmatur & conſiſtit ædificium, tollerent: ij verè ac iure & obtenebrare oculos, & diruere ædificium dicerentur. Cùm autem dicimus,Deum facultatem videndi auferre cæteraq; ſimilia: id non ita accipiendũ eſt, quaſi homo arbitrij facultate priuatus nec videre nec molleſcere nec rectà ingredi ipſe poſsit. Sed ita demum intelligere oportet, vt quia ſine lumine videre homo nõ valet,nec ſine ſpiritus ſuaui oleo emolliri, nec ſine Dei directione rectà ingredi: idcirco qui illa iuſto hominibus iudicio adimit, hic facultatem quoque ea exequendi quodammodo dicatur adimere. Altera eſt ratio,quæ propiùs ad verborum proprietatem videtur accedere,q̃ ad exequenda iudicia ſua Satana adminiſtro vtitur:ob idq; ea dicatur efficere,quæ miniſter illius auctoritate robo ratus efficit. Quemadmodum quæ iudicis adminiſter, dum iuſtam eius ſententiam exequitur,facit:ea ſuo modo à iudice quoq; fieri ſanè intelligimus. Tertiã rationem Hieronymus ad Hedibiam reddidit. Sicut enim vnus eſt ſolis calor,& ſecũdum eſſentias ſubiacentes alia liquefacit,alia indurat: alia ſoluit,alia aſtringit: liquatur enim cæra,& induratur lutum:& tamẽ caloris non eſt diuerſa natura. Sic Deus eodem omnino lumine malè affectum excæcare dicitur,benè inſtitutum illuminare: eodemq; prorſus beneficio indurare illum, hũc mollire. Videlicet miraculis eiſdem editis emollitus Iſrael eſt,obduruit Pharao:eadem doctrinæ luce Apoſtoli viderũt, Phariſæi cæci facti ſunt. Quoniam diuina lux tametſi per ſe quidem ad videndum editur, ſed per

Vide Damaſcen. li.4. c.14.ubi ait moremeſſe diuinæ ſcripturæ permiſſionem Dei, actionẽ eius nocare.

Pſal. 105.

Quæſt. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

occasionẽ, tñ in eo cæcitaté efficit, q̃ prauè affectos habet oculos: in eo duritié, q̃ prauo affect⁹ est animo. Atq; huic illud simile est, q̃ hi seducere decipereq; dicũtur, q̃ oratione dubia vel obscura tenebras alicui offundũt. Hac.n. ratione dñs in parabolis turbas alloquut⁹, eas excæcasse dicitur, ac Hieremias, seduxisti (ait) me dñe & seductus sum. quia.n. in principio illud audierat, Prophetã in gentibus dedi te: & iterum: Ecce constitui te super gentes & regna: arbitratus est nihil se cõtra populum Iudęorum, sed contra diuersas in circuitu nationes esse dicturũ: vnde & Prophetiã libẽter assũpsit. Cùm vidisset aũt aliter sibi ac existimauerat accidisse, queritur à Dño se esse deceptũ: nõ falsitate autem deceptus est, sed ambiguitate. Nihil aũt refert an (qđ Hieronymus ait) inde Hieremias fuerit seductus, an ex illis potiùs verbis: Ne timeas à facie eorũ quia tecum ego sum vt eruam te. &c.

His igitur tribus rationibus nõ illa solũ explicantur, quæ retro citata sunt, sed & illud simul intelligitur, q̃ Deus ministros
Esa.5.et.7. iræ suæ nunc sibilo euocaturũ se minatur,
Ezech. 12. Hiere.50. Esa.10. nũc eos instar nouaculæ sibi fore ad radẽdum caput & barbã vniuersam, nũc sagenã & rete ad irretiẽdos improbos, nũc malleũ ad feriẽdos, virgã deniq;, securim, ferrã, quã eleuet, in qua secet, quã trahat. Nam, qđ. 2. reg. 16. legitur, Dñi præcepto Semei Dauidi regi maledixisse, id per figuratã dictionẽ vsurpatũ esse vel illud: satis abundè magno argumẽto est, quod Ecclesia. 15. scribitur, Nemini mandauit impiè agere. Et re vera cũ recta ratione pugnat, in eo peccare hominẽ, quod Deo præcipiẽte agit. At Semei sine dubio maledicẽdo peccauit. Præceptũ igitur in libris sacris pro lege & ordinatiõe quãdoq; accipitur, siue sit lex obligans ex imperio, siue permissio, siue pœna præscripta, seu ordo etiã naturæ præfixus. Sic enim quod Matth. 19. dicitur, Ad duritiã cordis vestri p̃misit vobis. &c. Marci. c. 10. dictũ est, Scripsit vobis præceptũ istud. Sic etiam Threno. 3. Quis est iste q̃ dixit vt fieret dño nõ iubẽte? Quẽ locũ alij ita vertũt, Quis hoc dixerit? aliq̃d fieri qđ dñs nõ præcipiat? Et iterũ, statuit ea in æternũ & in seculũ seculi, præceptũ posuit &c. Qđ ergo ordine diuinæ iustitiæ fit, id diuino præcepto fieri dicitur. Iã illud fuerã oblit⁹, qđ Paulus ait, quẽ vult indurat. Sed primũ, voluntas etiã p̃missionis à Theologis ponitur. Vñ Augustin Enchiri. c. 95. nõ fit quicquã, ait, nisi omnipotẽs fieri velit, vel sinẽdo vt fiat, vel ipse faciẽdo. Deinde, volẽte aliquo ea fieri dicũtur, quæ illo non inuito fiunt. Sic.n. pater volẽs dicitur filium gignere. Ac de. 7. argumento nimis q̃; multa dicta sunt.

Octauũ aũt breuissimè refutabitur. Intelligẽdum est enim causarũ duo esse genera: naturale & morale. Vt q̃ imperat, qui cõsulit, q̃ suadet, q̃ impellit, is eius rei, quæ imperio, cõsilio, suasione, impulsu eius fit, causa moralis dicitur. Est aũt Deus causa naturalis quidẽ omniũ motionũ. Nã generali naturaliq; cõcursu cum oĩbus causis agentibus operatur. At causa moralis nõ est nec erroris, nec prauę cuiusq; actionis. Actus igitur ille, qui peccatũ est, si in genere rerũ naturaliũ cõsideratur, ad causas tantũ naturales referendus est. Sin cõsideratur in rerũ moraliũ ordine, ad causas naturaliter agentes ineptè quidem & absurdè reuocabitur. Stultus quippe erit is, q̃ in cælorũ motrices intelligẽtias, culpas vel proprias, vel alienas retorserit. Quocirca, tametsi res atq; actiones vniuersæ, quaten⁹ effecta naturæ sunt, Deũ auctorem habẽt: sed cũ de peccatis agitur, qm̃ mox in peccati nomine liber & moralis actus intelligitur, ineptissimi p̃fectò erimus: quicũq; in Deũ errores peccata q̃; nostra regeremus. Ille enim, quẽadmodũ diximus, in moralis causę modũ nec ad errorẽ mouet, nec ad prauã aliã quãlibet actionẽ, hoc est, nec mẽtitur oĩno, nec suadet aut imperat malũ. Quib⁹ modis ac similib⁹ & deciperet p̃priè, & causa peccatorũ habetur. Sed hæc causæ partitio in relectione de Sacramẽtis in genere vberi⁹ explicata est. Nũc ad. 8. argumẽti explicationẽ dixim⁹ satis.

tis. At postremũ facilè refellitur. Nego.n. id quod primo loco antecedit, cui. f. suadendo tota illa argumẽtatio incũbit. Mẽdaciũ nãq; ita malum natura est, vt nulla ratione quisquã iustè mẽtiri possit, qđ & Arist. 4. Ethic. tradit. & August. in lib. de mẽdacio demõstrat. Ad primã verò rationẽ, qua huius cõtrarium suadetur, sunt q̃ respõdeant, Ioseph fuisse re vera mẽtitum, sed ioco tñ. Et si obijcias periurium omne, esse mortale peccatũ, argutè respõdent, Ioseph nõ iurasse absolutè, eos esse exploratores: sed ex conditione. Ait.n. mittite ex vobis vnũ & adducat eũ, donec probẽtur ea, quæ dixistis, vera an falsa sint: alioqui per salutẽ Pharaonis exploratores estis vos. At. D. Aug. in. q. sup. Genẽ. totã assertionẽ à mẽdacio liberat: & verbũ illud, estis, accipit pro verbo, habemini. Quę verbi vsurpatio nõ est insolẽs. Nam. 3. reg. 18. Elias ait, Qui exaudierit per ignẽ ipse sit Deus: hoc est habeatur. In quã sentẽtiam. D. quoq; Bonauẽtura iuit: adiecitq; Ioseph illa verba tentãdo & quasi inquirẽdo (qđ iudices solẽt) sine mẽdacio dixisse. In iudicijs nimirũ, enũtiationes loco interrogationũ vsurpãtur. Interrogãtes autẽ nõ mentiũtur. Nihil.n. cẽsentur asserere, sed, vt veritatẽ eliciãt, p̃tẽtare. Qualis illa interrogatio fuit, An ignoratis, q̃ nõ est similis mei in sciẽtia augurãdi? Gratianus tñ docet ioco id esse dictũ, quare nõ habẽdũ pro mẽdacio: vt qđ nõ animo fallẽdi dictũ sit.
22.q.2. ea. quod autẽ.

Ad secũdam verò rationẽ respõdeo sermonẽ Prophetæ esse figuratũ, vel ad exprimẽdam rei maximã certitudinẽ, vel ad desideriũ vehemẽs explicandũ, vt si fieri posset ea mala nõ acciderẽt. Qđ vulgo apud Hispanos inculpatè dicitur, plega a Dios q̃ yo miẽta. At tertiæ rõni hoc habetur respõsũ. Ironiã ab Aristotele ibi accipi, p̃ cauillatiõe quadã turpi ac dissimulata assutaq̃; parata ad decipiẽdũ. Verbũ. n. Grẽcũ, εἰρωνεύομαι, interdũ idem est atq; cauillatorìe decipere.
Cic. libr. 1. offi. Atq Socrates in oĩ orõne simulator, quẽ, εἴρωνα Græci nominarũt, nõ solũ absq; vitio sed etiam cũ laude fuit. Nã & ironia illusio seu irrisio est figura apud Latinos vsurpata, vbi nullũ mẽdaciũ inest. Argumẽta igitur oĩa quæ à principio huius cõtrouersiæ posuim⁹, hoc qdẽ pacto fuerint refutata. Occurri aũt nobis põt, & quidẽ à doctis & eruditis quærẽtibus, satis ne prudẽter agere videamur, q̃ cũ in huius operis initio Dei veritatẽ, eui fides innititur, primũ Theologiæ principiũ esse docuerimus, nũc tñ lõgè aliter doctrinã videmur instituere. Qm̃ diuinã veritatẽ in quæstionẽ reuocamus, & rõnibus etiam philosophiæ cõfirmare nitimur. Absurdũ est aũt, vt Aristoteles docet, de cuiusq; disciplinæ principijs velle cum quouis homine disserere. & Basilius in Psalmũ. 115. in quolibet studio, inqt, qđ ordine in finẽ p̃cedit, impossibile est, primorũ subiectorũ demõstratiões mq̃rere. Sed necesse est oĩum artiũ, quæ p̃batione nitũtur, principijs sine vestigatiõe aut ratiõe positis, reliqua, quæ deinceps sequũtur, cũ rõne ostẽdere. Sic & Theologiæ mysteriũ ex fide minimè rõnibus p̃bata ædificiũ quærit. Hactenus Basilius. Atq; Hilarius in lib. ad Cõstãtiũ Augustũ, fides, ait, nõ in quæstione philosophiæ est, sed in Euangelij doctrina. Cũ ergo & Theologia & fides eo ꝯ quam summo principio adnitãtur, q̃ oĩa in scripturis à Deo reuelata vera sint, stultũ videtur esse, id aut in dubiũ vertere, aut philosophiæ argumẽtis velle finire. Qđasi fides in qõne philosophię sit, & non magis oporteat, cũ in alijs doctrinis tũ in hac maximè discipulũ addiscẽtẽ credere. Ac re vera quẽ admodũ prima philosophię principia quibusq; nõ oĩno rõnis expẽtibus animo antecepta sũt, nec nisi absurdissimè ĩ qõne vocarẽtur, sic oẽs Christiani istã siue anticipationẽ siue prænotionẽ nullo argumẽto intercedẽte habẽt aio quasi insculptã, Deum esse natura veracẽ, neminẽq; p̃inde ab eo posse falli. Quãobrẽ imprudẽtię nomine, vt dictũ est, accusuri à viris etiã eruditis posumus, qui de re, quæ cõtrouersa esse nõ debet, cõtrouersiã fecimus, & primũ fidei ac Theologię fundamẽtũ nõ testimõio solũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiam ratione constituimus. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat vnquam quid sequatur. Quæ enim ista esset Theologia, vel quæ disciplina potius, principiorum ratione sublata? Quæ prorsus tollitur, si perinde atq; conclusio, principium quoque in cõtrouersiam veniat. Quoniam autem mihi interdum videor differere non cum perfectis Theologis pleneq; sapientibus, sed cum ijs, quibuscum præclarè agitur, si insunt simulacra Theologiæ, nonnullos lapides ego moueo, quos scilicet non mouerem, nisi quorundam imprudentiam veritus, qui dum iuniores passim Theologos sine iudicio legunt, in eas opiniones incurrunt, quas refellere, vt videtur, necesse est, vt Theologiæ fundamẽta & doctis & indoctis pariter iaciamus. Itaq; concedẽdum nobis est, si imperitorum causa quædam præter differendi artem differimus. Nec prudentiam nostram ibi desiderare oportet, vbi doctor tantò prudentior est, quantò sese magis indoctorum ingenijs & imperitiæ accommodat. Porrò autem, vt viris doctis nonnihil etiam respondeamus, disciplinarum principia non eandem rationem vniuersa subeunt. Quædã enim sunt tam nota atq; perspicua, vt qui ea in quæstionem vocent, hi non sint verbis, argumentis & disputatione philosophorũ, sed verberibus, vinclis & carcere fatigandi. Vt quodlibet esse vel nõ esse, omne totum esse maius sua parte. Alia verò sunt eiusmodi, vt & negari ex ignorantia quandoque possint, & rationibus etiam illustrioribus comprobari. Sic enim Aristoteles tradidit Dialecticé ac Methaphysicé eos coarguere, qui aliarũ disciplinarum principia inficiantur. Atq; ipse idem, sæpe ex effectis manifestis causas rerũ minùs manifestas persuadet, quibus causis tamen philosophiæ principia continentur. Sed & duas esse cuiusque disciplinæ partes exploratum est. Vnam, in qua principia ipsa tanquam fundamenta ponimus, statuimus, firmamus. Alterã, in qua principijs positis, ad ea quæ sunt inde consequẽtia proficiscimur. Atq; in hac quidem posteriore, si quis principia negarit, quæ nimirum in sciẽtia supponuntur, non est cum eo contentiosa disputatione certãdum. Si enim Theologo suas conclusiones ex principijs colligere volenti neget quisquam Deum esse, stultus erit, si aduersum eiusmodi, disputationem Theologicam velit instituere. In illa verò, quam priorem esse diximus, licebit vtiq; non solùm obscura perspicuis illustrare, sed etiam minùs nota principia, ex his, quæ sunt nobis notiora, ostẽdere. Ferè autem fit, vt causæ rerum quæ sunt suapte natura manifestæ, sint nobis obscuræ. Quemadmodum oculo Nictycoracis radij solares tenebræ sunt. Ita si viro sapienti negaretur Deus esse, licèt primum sit Theologiæ principium, daret tamen ille operam, vt via aliqua & ratione Deũ esse constitueret. Non igitur mirum esse cuipiam debet, si hoc fanè libro, vbi de principiorum Theologicorum firmitudine agimus, ipsa nos principia non modò explicemus, verùm etiam constituamus. Aliter autem vrbium fundamenta inimicus concutit, qui conatur euertere, Aliter artifex, qui nititur non solùm iacere, sed etiam confirmare. Sed iam ista omittamus, & ad ea, quæ propriùs ac validiùs vrgent, festinemus. Nam prima illa quidem machina, nõ erat adeò instructa, vt ad eã deturbandam aut longior aut acrior futura esset oratio. In illam verò alteram, vt quam aduersarij maiori arte & viribus instruxerint, maiori quoque nos studio & acriori disputationis vi debemus incumbere.

¶ Cap. quintum, Vbi quatuor decim libri è sacris Biblijs numerantur, quos quidam vel ambigunt esse canonicos, vel certè à canone reijciunt.

In

2. Controuersia.

IN dubium itaq; & olim & nostra hac tempestate vocatum est, an septem illi libri veteris testamẽti, Baruch, Thobias, Iudith, Sapiẽtia, Ecclesiasticus, duoq; Machabæorum sint habendi canonici. Ex nouo quoq; testamẽto, quæstio fermè eadẽ exstitit de epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Iacobi, de secunda Petri, duabusq; posterioribus Ioannis, de epistola Iudæ, & libro Apocalypsis. Sunt enim Theologi & fuerunt, atq; in his quidẽ & nobiles veteres lõgeq; principes & quidã iuniores docti & graues, qui multis magnisq; rationibus adducti negarint eos libros oportere in canonicis computari. Alij verò auctores ipsi quoq; præstãtissimi contra asseuerant hos omneis esse canonicos. Atq; ad eam rem confirmãdam plurimis etiã maximisq; argumẽtis vtuntur. Ita addubitare cogit doctissimorum hominũ de maxima re tanta dissensio. Ego autẽ quò cõtrouersiam hãc manifestiùs explicẽ: diuidam omnino totã istam de libris canonicis quæstionem, in quatuor partes. Primùm illud ostẽdam, ad cuiusnè auctoritatem, spectet definire, quis liber sit canonicus. Deinde eos libros, qui nunc in dubiũ veniunt, sacros esse demonstrabo. Tum adducam argumẽta, quæ verisimilitudine homines alioqui & doctos & pios fallere potuerunt. Postremò eadem argumenta diluam. Hæc enim omnia ad hanc quæstionem referenda sunt.

¶ Cap. sextum. Continet argumenta eorum qui suadere conantur, scripturam sacram non egere ecclesiæ approbatione.

ET quidem, quod ad primã partem attinet, Lutherani aliquãdo asseruerũt, scripturam non egere ecclesiæ aut alterius cuiusq; approbatione, sed iudicium de scriptura ex ipsis scripturis esse faciẽdum: seu potiùs per ipsas scripturas cætera omnia iudicanda, eas verò per se quidem cuiq; habẽti Spiritus sancti, & fidei lumen esse manifestas. Quòd si ab illis roges, ecquis nobis fidem facit hæc à Deo prodijsse? ecquis salua & intacta ad nostram vsq; ætatem peruenisse certiores reddat? Ecquis persuadeat librum hunc reuerẽter excipiẽdum, illum verò numero expũgendum? Aiunt, perinde esse ac si quis roget, vnde discemus lumen discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro: non enim obscuriorẽ veritatis suæ sensum scripturam præ se ferre, quàm coloris sui res albas ac nigras, saporis suaues & amaras. Sicut etiam apud philosophos per cõmunes animi conceptiones (sic enim vocãt) reliqua omnia probantur, cùm ipse probatione non egeãt. Ita existimant Lutherani, diuini verbi cognitionẽ, quod est doctrinæ catholicæ cõe principiũ, vsq; adeò in prõptu esse, vt nulla hominũ approbatio sit necessaria. Atq; hic idẽ pernicios*issim*ũ error olim apud Vuicleffistas inualuit, vt Thomas Vualdensis auctor est. lib. 2. doctri. fid. Anti. c. 19. ne quisq; existimet à Luthero hãc primũ hæresim prodijsse. Suadẽt autem id principiò, ex eo quod dñs apud Ioãnem dicit, Ego non ab homine testimoniũ accipio. At siue summus Põtifex, siue cõcilium seu etiam ecclesia tota homines sunt, nõ igitur ab his Christi euangelium aut reliquæ scripturæ partes accipiũt testimonium. Idem rursum ex illo confirmant, quod Ioannes Apostolus ait. Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus & verum est. Tertio loco argumentãtur ex eo verbo dñi, si quis voluerit volũtatem eius facere, cognoscet ex doctrina vtrum ex Deo sit. Cui simile est illud, oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequũtur. Quo testimonio Lutherus quasi re confecta gloriatur, & nondum collata manu tanquàm ferox victor insultat. Apertè enim (vt ait) euangelium testatur, ipsas per se oues habere idoneam discernendi scripturas facultatem.

Ioann. 5. 1. Argum.

2. Argum.

1. Ioann. 2. 3. Argum. Ioann. 7. Ioann. 10.

Quartò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arg. 4. 1. Ioann. 5. Quartò illud Ioannis afferunt, si testimonium hominũ accipitis, testimonium Dei maius est: qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. In omnibus igitur, quæ ad fidem pertinent, non ad externa hominum testimonia recurrere debemus, sed ad id quod Deus intra nos testimonium præbet. Addunt etiam hucillud Deut. 18. ex Deutero. qui verba prophetæ, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Propheta autem, qui voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, interficietur. Quod si tacita cogitatione respõderis quomodo possum intelligere verbũ, quod dñs non est locutus: hoc habebis signũ. &c. Quòd si in nomine Domini propheta ille prædixerit & nõ euenerit, hoc dñs non est locutus. &c. Ecce quẽadmodũ discernendis verbis Dei à verbis hominum, non remittitur fidelis populus ad pontificem aut sacerdotem, non ad hominum concilium, sed ex ipsa rerũ euidentia, vt discernat instituitur.

2. Ioann. 4. Eodem quoque pertinet illud Ioannis, Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. &c.

1. Cor. 2. Confirmant præterea idem ex illo Apostoli testimonio. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, spiritualis autem iudicat omnia. Rursum ex eo, Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri diiudicent. & paulò post, si quis videtur esse spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quòd domini sunt mandata. Quicunq; igitur, in quo est spiritus Dei, cognoscere verba Domini, eaq; discernere iure suo potest. Proferunt etiam alia testimonia, quæ quoniam eodem spectant, eodemq; modo refelluntur, nõ est necesse ea hoc loco proferre: sed rationes illas addere, quibus etiam vtuntur in sui erroris confirmationem.

1. Cor. 14.

Si ecclesia, inquiunt, de diuinis scripturis iudicium ferret, tum inferior in superioris legem auctoritatem vsurparet. Id quod absurdum planè est. Nam, vt Augustinus inquit, non licet iudici de legibus iudicare, sed secundùm ipsas. distin. 4. cap. in istis.

Præterea quæ securitas (aiunt) nobis erit æternæ vitæ, si quæcunq; de ea in sacris literis extant promissiones solo hominum iudicio fultæ consistant? Rursum fides nostra quantùm apud homines in suspicionem vocabitur, si credatur hominum beneficio non secùs ac precariam habere auctoritatem? Et cùm Apostolus asserat fundamentum ecclesię esse catholicam & apostolicam doctrinam, suam huic certitudinem antè constare oportet, quàm illa extare incipiat. Nã si Christiana ecclesia prophetarum scriptis & apostolorum prædicatione fundata fuit, vbicunq; reperiatur ea doctrina, ecclesiã certè præcesserit eius approbatio, sine qua nunq; ecclesia ipsa extitisset. Vanissimum ergo commentum est (1. cap. institu. Caluinus ait) scripturæ iudicandæ potestatem esse penes ecclesiã, quasi ab huius nutu illius certitudo pendeat.

Præterea si scripturæ sacrę veritas ab hominum testimonio penderet ex eoque cõprobaretur, tunc vltima fidei resolutio in ecclesiæ auctoritatem fieret. Credimus.n. Christum fuisse filium Dauid: Quoniam Deus Prophetis & Apostolis reuelauit. Quòd si Deum reuelasse ex ecclesiæ auctoritate teneremus, iam fides nostra non in Deum tandẽ, sed in homines reuocaretur. Quocirca ratio fidei formalis non diuina sed humana veritas esset.

Postremò, vt Aristoteles docuit. 1. li. post cap. 2. propter quod vnumquodq; tale & illùd magis. Si igitur scriptura canonica ecclesiæ auctoritate comprobaretur, plus hominibus q̃ Deo crederemus. Constat verò nullam auctoritatem maiorem esse diuina: qua videlicet sacrę literę pollẽt. Non ergo scriptura sacra per ecclesiam cõfirmabitur, & ab illius approbatione pendebit. His atque alijs argumentis errorem suum Hęretici suadere possunt, persuadere non possunt. Errant enim vehementer. cùm in asserendis scripturis ecclesiæ auctoritatem labefactare conãtur. Qua de re nunc breuiter & ad hãc solùm de libris canonicis causam disputabimus. Propterea quòd & à plerisque viris catholicis contra hæreticos de ecclesiæ auctoritate accuratissimè disputatum est. Et hanc nos quoq; in vniuersum postea asserere & confirmare debemus.

¶ Cap. septimum. Docet ad cuius auctoritatem spectat de libris canonicis iudicare.

SIt igitur, quod ad præsentem locum attinet, Prima propositio. Iudicium de scripturis p̃ scripturas ipsas, nullo pacto idoneũ esse potest. Nam, vt de pluribus alijs taceamus, quorum similis omnino causa est, certè libros Ruth, Ester, Iob, esse canonicos: nullo modo ex ipsis scripturis cõprobabitur. Ergò si res hæc in cõtrouersiam veniat, aliunde q̃ ex sacris literis petenda probatio est. Deinde, quoniã hoc idem amplius vrgere volumus, si in controuersia sit, an ambo Testamenta nouũ & vetus Deo auctore sint edita, per nullã alterutrius Testamenti auctoritatem hæc disceptatio cõponi potest. Qua enim ratione de toto volumine dubitabitur, eadem quoq; de qualibet particula voluminis ambigetur. Necesse igitur est, huius quæstionis aliquem præter sacras literas iudicem constituere. Præterea Basilides Prophetas nescio quos produxit Barchabam & Barchob aliosq; id genus, qui re vera prioribus sæculis nunquam extiterint. Vt auctor est Eusebius lib. 4. Eccle. histo. cap. 8. At huiusmodi prophetarum libri per scripturas ipsas refelli non possunt. Diceret nanq; Basilides præter quatuor maiores & quatuordecim minores alios item prophetas in veteri Testamento fuisse, idq̃ eiusdem testamenti testimonijs confirmaret. Nec his rationibus alia exempla desunt. Nam quidam Hæretici reiecerunt Euangelia, quòd Christus Dominus, nec scripserit aliquid, nec scribendum præceperit: vt Augustinus 2. retra. c. 16. refert. Alij omnes Epistolas Pauli respuerunt apud Eusebiũ. lib. 3. hist. Eccle. cap. 27. Irenæ. libr. 1. cap. 26. & Orige. in. 82. Psalm. referente eodem Euse. libr. 6. cap. 28. vide Irenæum. c. illo. 26. &. 29. Alij vniuersam Moysi legem atque adeò omnes instrumenti veteris scripturas abnegarunt, vt August. cùm aliàs sæpè, tùm in libris cõtra Faustum, & Euse. 5. libro. cap. vltimo auctores sunt. Nos verò hos libros in vniuersum recepimus. Item, quæ Nichodemi & Bartholomæi nomine ab Hæreticis proferũtur, euangelia contemnimus: Marci Euãgelium veneramur. Ac nos quidem harum rerũ causam reddimus: Illi verò eius, qđ vniuersa tenet, tenuitq; semper ecclesia: rationẽ reddere nullo pacto queũt. Imò viuorũ iudicum auctoritate sublata, nihil illis supereſt, nisi vt totũ sacrorum Bibliorum codicem de medio tollant. Adde q̃ scriptura Iudex est mortuus, q̃ nec litigantium vtriq; rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Accedit quòd si in humana aliqua repub. talis iudiciorum esset forma præscripta, vt nulli essent iudices viui, sed solis exaratis literis controuersia quæcunq, de illius reip. scripturis exorta finiretur: præterquam quòd forma iudicandi stultissima esset, nullus etiam esset litigandi finis. Ei enim, qui neget instrumentum, nulla vis inferri queat, si viui iudices nulli habeantur. Ita Deute. 17. non ad scripturam dissidentes homines referuntur, sed ad viuorum examen iudiciumq;. Et Malach. 2. cap. labia, inquit, sacerdotis custodiũt scientiam, & legem requirent de ore eius. De ore eius ait, nõ de lege ipsa. Et Actorum. 15. non ad scripturam appellauerũt Antiocheni, vt intelligerent an verba Pauli diuina essent: sed ad Apostolos & seniores, qui erant Hierosolymis. Nec Apostoli & seniores scripturam iudicem, sed semetipsos & Spiritũ sanctum posuerũt, Visum est, inquiunt, nõ scripturæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pturæ, sed Spirituisancto, & nobis. Sanctus quippe spiritus non habitat in litera, sed in spiritu: nó in syllabis, sed in cordibus. Quòd si ij, qui Paulo aduersabantur, scripturæ in causa illa iudicium peterent, quæstio hodie maneret ambigua.

Secunda propositio. Iudicium de scripturis canonicis ad priuatos reip. Christianæ ciues non pertinet. Primò, quia in humana republ. eiusmodi iudicia nó permitterẽtur priuatis hominibus, nisi legislatores desipuissent. Vterq; enim eorum qui dissidium habent, hanc sibi iudicandi pari ratione vendicaret auctoritatẽ: sicq; nullus esset dissidiorũ finis. Priuatas ergo cuiusq;, vel reuelationes, vel opiniones velle sequi, idq; in quæstione fidei necessaria, stultum erit. Pro sua etenim factione quisq; definiet, & quæ ipse existimauerit, ea sibi asseret à Deo reuelata. Quid? quòd nullus homo priuatus certam habet in ecclesia auctoritatem, nullus apud reliquos fideles exploratam & solidam veritatem? ita iudicium quodcunq; ab eiusmodi priuato ciue profectum infirmũ erit: & scripturarum proinde fides incerto & imbecillo fundamento nitetur. Quid? q; Deutero. 17. quæstiones graues non ad priuatos iubentur deferri, sed ad eos qui habent publicam in ecclesia potestatem? Quid? Num Antiocheni priuati homines iudicium sibi assumpsere in illa cõtrouersia, qua dubium erat, Pauli ne verba Dei essent an non? Minimè verò. Sed miserunt ad Apostolos & seniores qui erãt in Hierusalem. Acto. 15. Adde huc, q; cùm quidam viri doctissimi negarint epistolam ad Hebræos esse canonicam, alij auctores quoq; ipsi nó ignobiles Apocalypsin Ioannis excluserint: non posset ex cuiusq; priuati hominis sensu ea doctissimorum virorum controuersia componi. Vide Origenem, Homi. 7. in Ezechi. Grego. Nazanzenum in Apologe. Hiero. in Ezechie. cap. 13. & in Hiere. c. 23. vt intelligas quàm parum sit deferẽdum in huiusmodi rebus priuatorũ hominum præiudicijs. Sed de his multa posterius. Nũc reliqua persequamur.

Tertia propositio, Ab ecclesia est determinandum, quisnam liber sit canonicus, & illius auctoritas certa regula est, ad libros vel in sacrorum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numero reijciendos. Hanc tenuit Irenæus, lib. 3. aduersus Hæreses. c. 2. 3. & 4. & August. libr. contra Faustum. 13. c. 4. & lib. 28. c. 2. &. 4. & secũdo libro de doctrina Christiana. c. 8. Deniq; in libro cótra epistolã Manichęi. c. 5. vbi illa est omniũ sermone trita sententia. Euangelio non crederẽ, nisi me ecclesiæ moueret auctoritas.

Hæc eadem definitur à concilio Toletano primo, in hæc verba. Si quis dixerit vel crediderit alias scripturas esse canonicas, præter eas quas ecclesia catholica recipit, Anathema sit. Ecclesiæ igitur catholicæ auctoritas certum argumẽtum exhibet ad libros sacros vel recipiendos, vel reijciendos, id quod multis magnisque rationibus comprobatur.

Primùm enim si huiusmodi res in cõtentionẽ veniat, cùm nec ex scripturis ipsis nec ex priuata cuiusuis opinatione sit censura ferenda, ex aliquo hãc loco petere necesse est. Non est autem vnde commodiùs atq; constantiùs huiusmodi iudicium censuramq; petere debeamus, quàm ab ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis. Ad ec- Prima. Timo. 3
clesiæ igitur tribunal est hæc quæstio referenda: & eius decretum Lydius lapis erit ad explorandum qui liber canonicus sit.

Item, vt D. Augustinus contra Faustum Manichæum argumẽtatur, in libris Aethnicorum non alia ratione magis veros auctores exploramus, quàm ex communi consensu & testimonio eorũ qui fuerũt ante nos. Vnde enim Platonis, Aristo. Ciceronis libros nouimus, nisi ex eorum qui nos ętate anteceſſerũt continuis testimonijs? Si ergo in cęteris omnibus hęc via tutissima & certissima est ad cognoscendum cuiusq; libri auctorem, cur hęc eadem non erit certa & explorata viro catholico ad intelligendum hunc librũ esse Matthęi, illum nó esse Thomę, hanc epistolam esse scriptam à Paulo, illam Lib. 33. c.

iam à Paulo scriptam non fuisse? Ecclesiæ itaque testificatione libri sacri sunt admittendi. Quod videtur Ioannes Euangelista Ioan. xxi. significasse, cùm ait, Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus quia verũ est testimonium eius. Ioannes ergo testimonium perhibet euangelij, & ecclesia probat inquiens. Et scimus. &c. Alioqui, quorsum illa numeri tam subita & inopinata mutatio? Apostolus quoque Paulus id manifestè docet in Epistola ad Gala. c. 2. Nam cùm accepisset euãgelium per reuelationem Iesu Christi & mansisset cum Petro & Iacobo diebus quindecim, ascendit rursum Hierosolymam secũdum reuelationem: & contulit cum apostolis & fidelibus euangelium, quod prædicabat in gentibus: seorsum autem, ijs qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vanum curreret aut cucurrisset. Quòd si ecclesiæ probatio non esset necessaria, certè non fuisset solicitus Paulus, vt ascenderet ad conferendum euangelium ne fortè. &c. Atq; (vt Aug- Lib. 28. c. 4
stinus contra Faustũ ait) si apostolus Paulus non inueniret in carne Apostolos, cum quibus conferret euangelium, ecclesia illi omnino non crederet. Et Hieronymus in Epistola ad Augusti. hæc Apostoli verba pertractans, ex his (inquit) ostendit se non habuisse securitatẽ enãgelij prædicãdi, nisi Petri & qui cum eo erant fuisset sententia roborata. Est autem hæc epistola etiam in tomo operum Augustini secundo numero. 11. Et Tertullianus. libr. 4. aduersus Marcionem, propterea, inquit, Paulus Hierosolymam ascendit ad apostolos consultandos, ne fortè in vacuũ cucurrisset. Non enim sufficeret ad fidẽ singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum. Deniq; vt cum auctoribus cõtulit & cõuenit de regula fidei, dexteras miscuere. Igitur si ipse illuminator Lucę auctoritatẽ antecessorum & fidei & prædicationis suæ optauit, quanto magis eam Euangelio Lucæ expostulem, quæ euãgelio magistri eius fuit necessaria? Hactenus ille.

Idem quoq; habetur Actorũ. 15. Cùm enim apud Antiochiam dubitaretur, an Paulus & Barnabas, verè & sentirent & docerent de cessatione legalium, statuerunt fideles vt ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ad apostolos & presbyteros in Hierusalem. Non ergo vnusquisq; per se cognoscit an doctrina ex Deo sit nec ne, aut ipsa statim doctrina cuiuis sese esse diuinam manifestat: sed ecclesiæ opus est approbatione. Quod Lutherani tãdem in comitijs Augustanis confessi sunt, habere scilicet ecclesiam auctoritatem ad discernendum verba Dei à verbis hominũ. Atq; Lutherus in lib. de captiui. Baby. vbi de ordinis Sacramento agit, confitetur quidẽ ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominũ, sed non proinde tamen iudicem esse verbi Dei. Quemadmodũ Augustinus ait, quòd veritate ipsa sic capitur anima, vt per eam de omnibus certissimè iudicare possit, sed veritatem iudicare non possit, dicere autem cõgatur infallibili certitudine hanc esse veritatem iudicata magis quàm iudicãs. Ita & in ecclesia talis, inquit, est sensus, illustrante spiritu, in iudicãdis & approbandis doctrinis, quẽ demõstrare non potest, & tamen certissimũ habet. Sicut enim apud Philosophos de communibus conceptionibus nemo iudicat, sed omnes per eas iudicãtur: ita apud nos de sensu spiritus qui iudicat omnes & à nemine iudicatur. Sed nos hoc sanè loco de verbis cõtare nolumus.

Tantum definimus, id quod iam Lutherani vel inuiti concedunt, ex ecclesię auctoritate certum argumentum sumi vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos qui sacri non sunt.

At verò non parua quæstio se offert, an nomine ecclesiæ significemus hoc loco ecclesiã, quæ fuit tempore apostolorũ, an fidelium cõgregationẽ, qui modo sunt. An potiùs vniuersam collectionẽ Christianorũ à baptismo Christi per apostolos & cæteros successores eorũ vsq; ad hæc tẽpora

Universidad de Deusto
Biblioteca

propagatam. Durandus enim in 3. Sententiarum. distinctione vigesimaquarta. quæstione prima. & Gerson de vita spirituali animæ lectione. 2. corollario. 7. huiusmodi auctoritatem sacros libros approbandi, vel etiam non sacros reprobandi ad Ecclesiam referunt fidelium, qui cum Apostolis extiterunt. At Ioannes Driedonis libro. 1. de Ecclesiasticis scripturis & dogma. capitulo. 1. & Thomas Vualdensis libro. 2. doctrinal. fide. antiquæ. capitulo. 19. & 20. hanc auctoritatem existimant referendam ad seriem patrum omnium & fidelium ab Apostolis succedentium. Quæ eadem profectò videtur fuisse sententia Irenæi libro. 3. capitulo. 3. & libro. 4. capitulo. 63. aduersus hæreses. & Tertulliani libro. 4. aduersus Marcionem. & Augustin. libro. 33. contra Faustum Manichæum. & in libro. 2. capitulo. 6. contra Iulianum Pelagianum. & libro. 2. de doctrina Christi. capitulo. 8. & Epistola. 63. Sed & alij tamen hanc auctoritatem huius etiam temporis ecclesiæ tribuunt: quæ videlicet eadem est cum antiqua, habetque eundem veritatis spiritum assistentem.

Ego verò primùm sentio ad Apostolos pertinuisse libros sacros probare, non sacros reijcere. Nec enim alios libros canonicos habemus siue veteris, seu noui testamenti, quàm quos Apostoli probauerunt, atque Ecclesiæ tradiderunt.

Existimo deinde huiusmodi traditionem apostolicam non alia ratione melius innotescere, quàm per patres & doctores Ecclesiæ post Apostolos succedentes. Quemadmodum non alia via certior atque expeditior est, ad Christi & Apostolorum reliquas traditiones cognoscendas, quod suo postea loco demonstrabimus. Atq; horum quidem neutrum opus est, exquisitis rationibus confirmare, tantùm satis est admonere.

Illud verò demonstrandum est, Ecclesiam fidelium nunc viuentium non quidem scribere canonicum librum posse, sed definire an liber de quo disputatio est, canonicus sit an non. Quia definitio dubiorum, quæ circa fidem modò exoriuntur, ad præsentem Ecclesiam pertinet. Oportet enim iudicem viuum in Ecclesia esse, qui fidei controuersias decidere possit (Siquidem Deus in necessarijs Ecclesiæ suæ non defuit) At librum esse canonicum nec ne, fidem maximè tangit, Ad ecclesiam igitur huius temporis huius rei iudicium pertinebit. Nam si errores qui sanæ doctrinæ aduersantur, ecclesia quæ nunc est, condemnare nequit, profectò iudicibus de medio sublatis, huius sæculi hæretici impunè viuere, atque adeò regnare possunt.

Rursum tempore Hieronymi dubitare catholico licuit, an Apocalypsis Ioannis sacra & canonica esset. Nunc autem, vt suo loco ostendemus, id non licet in dubium vertere. Ergo post tempora Hieronymi ecclesia auctoritatem habuit illam quæstionem profligandi. Quamobrem cùm nostro tempore quidam in dubium vocent, An Baruch & Machabæorum libri, ac cæteri, de quibus quæstio in manibus est, canonici sint nec ne, hanc certè ambiguitatem præsentis Ecclesiæ iudicium explanare poterit.

Præterea, Ecclesia quæ nunc est, in fide errare non potest. Ergo si crediderit aliquem librum esse canonicum, ex eius testimonio idoneum firmumque sumetur à Theologis argumentum. Nam & Ecclesia præsens docere eos, qui fidem susceperint, suo iure potest quæcunque fidei sunt, & sacros libros, quos per traditionem veterum accepit, posteris suis ipsa tradere. Qui quidem posteri fidem proximè habeant ecclesiæ præsenti necesse est: vt præsentes credidimus proximè antecedentibus, & illi superioribus serie quadam & ordine vsque ad Apostolos. Quibus fideles tunc viui proximùs crediderunt.

Sicut

Sicut enim in disciplinis duo principiorũ genera cernimus, vnũ remotum, alterum proximũ, hoc postremum, illud primum: nec conclusiones ad prima initia nisi per postrema referuntur: sic nec fides succedentiũ ad eos, qui nos ætate antecesserunt, nisi per nos referri potest, donec ad Apostolos & inde ad Christum peruenitur, vbi tanquam in primo fundamento catholica fides cõsistit. Quẽadmodum etiam vtraq; disciplinarum principia firma sunt, vtraq; item conclusiones certò probant, licèt altera mediata altera immediata sint: ita & ecclesia quæ nunc est, certum argumentum dogmatis Christiani exhibet, quanuis ipsius demum fides ad Christi & apostolorum sit doctrinam referenda.

Qua in re videtur mihi falsus Thomas Vualdẽsis. Etenim, vt paulò antè indicauimus, aliud est quærere, qd ecclesia præsens definire possit, & quousq; habeat cõtrouersias decernẽdi auctoritatẽ, aliud verò inuestigare, quanã via & ratione ad rectã & firmam harum rerũ definitionẽ valeat peruenire. Ac nos quidem ingenuè fatemur, non esse nũc nouas reuelatiões expectãdas siue à summo Põtifice, siue à concilio, siue etiã ab ecclesia tota, sed inquirenda potiùs maiorum documẽta ac sanctorũ scripta, Apostolicas rursum traditiones, sacras etiam literas consulendas, atq; per huiusmodi conquisita media quæstionem de fide propositam decernendam. Nam & Apostoli & seniores congregati in conciliũ Hierosolymitanum magna facta cõquisitione, tum ex rebus anteactis, tum ex scriptis prophetarum, sententiam de re proposita atq; in quæstionem vocata, tulerunt.

Fallitur & in alia re, nisi fallor ego, Thomas Vualdẽsis, cùm asserit testimoniũ laicorũ fideliũ etiam huc pertinere. Sed ideo ad eos non esse opus recurrere, quia nescierunt, inquit, fidem suam cõgruis vocabulis atq; ab omni intricatione liberis successorum propinare memorijs. Nam quę ad fidem spectant, sunt in duplici differentia. Altera, quæ omnes fideles explicitè credũt: vt filium Dei humanam naturã suscepisse. Altera verò sunt, quę videlicet soli maiores credere tenentur explicitè, populus autem implicitè in maiorum fide. Vt patrem & filium esse vnum principium Spiritus sancti. A populo igitur rudi in rebus fidei, quę sub priori genere cõtinentur, iure forsitan testimoniũ postulaueris: q̃ earũ rerũ fides æquè ad maiores ac minores pertinet. At in his, quæ ad alterũ genus spectant, si qua quæstio exoriatur, ineptissimum erit, vt imperitũ vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus, consulatur: idque maximè si non ad ecclesiam præsentem, sed ad eam quæ superiorum fuit temporum, huiusmodi quæstiones sint referendæ. Quod fieri oportere Thomas ipse Vualdensis asseruit. Cùm igitur fides de numero canonicorum librorũ explicita, non popularium sit, sed maiorum ad quos vtiq; spectat, qui nã sint sacri libri cognoscere, fateamur necesse est, in huiusmodi quæstione, quã modo versamus, testimonium à plebe nõ esse requirẽdum, sed à doctoribus ecclesiæ, quibus & plebs rudis debet credere, ad quos q; similium rerum iudicium pertinere, vt iustum ita quoq; certum est. Quo fit, vt si omnes sancti & doctores Ecclesiæ asseruerint aliquem librum esse canonicũ, id pro certo habẽdum sit, perinde ac si tota ecclesia asseruisset. Quod vberiùs alio loco explicandum est: de tertia igitur propositione satis est dictum.

Quarta propositio. Ad cõcilium vniuersale præcipuè pertinet definire qui liber sit canonicus. Quam quidẽ propositionem æquo animo paterer ab hæreticis nõ admitti. Sed illud tamẽ doleo vehemẽter, q̃ eam nonnulli fideles inficiãtur, in quibus Thomas Vualdensis esse videtur. lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ. c. 19.

Probatur tamẽ illa manifestè, quia proponere fidelibus ea, quæ sunt diuinitus reuelata, ad ecclesię pastores maximè spectat, tum quia tota ecclesia huiusmodi reuela-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta proponere & docere non valet: tũ quoniã vt posset,non deceret tũ, vt tota ecclesia docẽdi officium assumeret. Tum quia pascere oues in scientia & doctrina proprium munus pastorum est. vt Hieremiæ 3.dicitur. Tum quoniam aliquando inter ipsos catholicos concertatio est, an hic aut ille liber canonicus sit. Ad dirimendum igitur huiusmodi disceptationem oportet in ecclesia iudices esse,quorum sententiam fideles debeant sequi. Iudices autem in doctrina fidei non alios conuenientiùs accipimus,atque episcopos & doctores,quibus fideliũ institutio demãdata est: quos q; si de medio tollas,ecclesiæ vniuersalis iudicia protinus aufers. Cùm tota ipsa ecclesia,hoc est,fideles omnes, conuenire ad iudicandum de proposita quæstione nec debeant nec verò possint.

Præterea concilium est certa regula in his quæ fidei sunt,vt posteriùs ostẽdemus. Cùm igitur hæc quæstio de libris sacris atq; canonicis ad fidem attineat,concilij testimonio abundè poterit definiri. Id quod Antiochenos intellexisse cõstat. Non eñ quæstioné de legalibus ad fideliũ plebem sed ad apostolorũ & seniorum synodum retulere. Nec post cõcilij sententiam vllus relictus est dubitandi locus. Acto.15.

Quinta propositio. Ad Summum Pontificem pertinet definire, qui nam liber sit canonicus. Primò q a maiores ecclesię causæ ad Sũmum Põtificem referẽdæ sunt,vt Innocentius probat,de baptismo. cap. maiores. nosq; idem etiam sumus demonstraturi. At hæc de libris canonicis causa maxima est,ad summum itaq; Pontificem est referenda. Deinde quia cõtingit esse dissidiũ inter patres in concilio cõgregatos. Quòd si non esset iudex in ecclesia, qui hanc contentionem litẽq; dirimeret, certè non esset ecclesię à Deo ,puisum in rebus necessarijs.

Præterea,quia Sũmus Pontifex quoties de fide pronũciat,errare nequit, quod suo postea loco etiã commõstrandũ est. Ipsius ergo Pontificis testimonio tanquam certo iudice probare poterimus,quis liber sit canonicus,quis contrà non sit.

Postremò id ostenditur Argumento Nicolai Papæ. Nam quod verè sedes Apostolica probauit, hodie tenetur acceptum: & qđ illa repulit,hactenus inefficax prorsus habetur. Ita opuscula doctorũ quæ approbauit,ecclesia probat: quæ cõtra reprobauit,ecclesia reprobat. Sũmorum ergo põtificum de hisce rebus testimoniũ,ipso etiã perpetuo rerũ experimẽto firmũ ac certum habere compellimur. Nam & euãgelium, quod Paulus prędicabat in gentibus,vt antè ex Tertuliano Hieronymo & Augustino mõstrauimus, non fuisset ab ecclesia receptũ,nisi Petri auctoritate,fuisset roboratum. & vt idẽ Hieronymus in libr. de viris illustribus ex Clemẽte in.6. ὑποτυπώσεων scribit Marci euãgelium,cùm Petrus audisset, probauit: & ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit. Idem verò Eusebius. lib.2. ecclesiasticæ historiæ. c.15. non solùm Clementus,sed ex Papiæ testimonio cõfirmat. Constat autẽ qui Petro succedit, hunc eandem potestatẽ habere in illis sanè quæ sunt ecclesiæ necessaria. Ad summũ ergo Pontificem huiusmodi de libris canonicis iudicium pertinet. Nam & si qua similis quæstio in veteri lege exoriretur,ad Pontificem eius definitio pertineret vt Deut. 17. legimus. Hactenus quanta fieri potuit breuitate à nobis ea dicta sunt, quæ præsenti loco satis erant,vt pius lector intelligeret,quibus auctoribus in libris canonicis constituendis fidem habere oporteret. Nam si quæ horum maiori vi & argumentis indigent, vt in vniuersum probẽtur omnibus, ea suis postea locis confirmabuntur. Nũc verò illud agendum esse puto,vt argumentationes hostiũ veræ religionis,quàm breuissimè etiam possumus,refellamus.

C. si Rõmã norum. 19. dist.

In Marco

¶ Cap. Octauum. Vbi confutantur argumenta capitis sexti.

Ad

Ioann.1. Ioann.15. Acto.1.

AD primum igitur argumentum sic respondeo. Si Christus ab homine testimonium nõ accipit, vbinam illud est, fuit homo missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine? Vbi rursus illud, vos testimonium perhibebitis de me,quia ab initio mecũ estis? Vbi deniq; illud (ne omnia repetamus) eritis mihi testes in Hierusalẽ? &c. Sensus igitur est. Ego hominis testimonio nõ egeo quidem: sed affero tamen testimonium Ioannis propter vos. Ideoq; subiungit, Sed hæc dico vt vos salui sitis. Quòd autem ipse humanum testimoniũ non quærat,quo videlicet ipse minimè egere credendus est, probãt subiungens. Ego habeo testimonium maius Ioannis. &c. Et reuera conuincit,vt qui diuinum testimonium habet,ipse quidem propter se nõ accipiat ab hõmine testimoniũ: sed oblatum tamen propter aliorum vtilitatẽ non repudiet. In eundem quoq; sensum deinde subinfert. Claritatẽ ab hominibus non accipio, cùm tamen Petrus dictus sit sua morte Deũ glorificasse. Ac de primo quidem argumento satis.

Ioann.vlti.

Ad secundum verò facilè respondetur; Apostolum ibi nõ cum imperitis sed cum doctis habere sermonẽ. Ait enim,non scripsi vobis quasi ignorãtibus veritatem,sed quasi scientibus eam. Sapientibus ergo ecclesiæ magistris vnctio interior sufficit ad ea,quæ fidei aduersantur,refutãda: at ignorantibus opus est etiam externa doctrina eorum maximè, quos Deus constituit in ecclesia pastores & doctores. Intelligendũ est etiam doctrinam fidei singulis hominibus necessariam vnicuiq; per se fortè innotescere, si spiritum manentem in se habet. At verò quæ sunt in fide non singulis quidem necessaria,sed ad ecclesiæ communem vtilitatem pertinentia, non ea statim à bonis viris cognoscuntur quàmlibet spiritum Dei & vnctionem habentibus. Si enim simplici mulierculæ proponatur, an accidentia in Sacramento altaris sine subiecto sint,quanuis sancta sit & iusta, non est opus ea de re ab vnctione doceatur. Sed si illud ab ea inquiras,num Christus pro peccatis nostris sanguinẽ fuderit, id profectò ab vnctione docebitur, quoniam præstanti quod in se est Deus fidem ad salutem necessariam non negat. Porrò autẽ cùm quæstio hæc de numero librorum Canonicorum nõ spectet ad singulos, sed ad doctos in ecclesia viros referẽda sit, fit consequẽs, vt ad cognoscendum an hic liber aut ille sit Canonicus,non sit satis vnctionem habere. Non enim vnctio quemcunq; simpliciter docet de omnibus, sed quemq; de his,quæ sunt ei propria & necessaria. Atq; hæc satis abundè erant, vt secundum argumentum eluderetur. Sed vt ijs morem geramus, qui aliud præterea quicquam in illius testimonij explicatione desiderant,tertia adhuc responsio adijcienda est. Non si quidam in ecclesia primitiua tãtos habuere & in virtute & in doctrina progressus, vt nullo doctore externo indigerent,quippe qui spiritu docente nossent omnia, idcirco gratiam illam Spiritussancti nos & ad omnes & ad hoc etiam tempus referemus. Alioqui si quis aut linguarũ donum aut alia multa,quæ spiritus à principio fidelibus impertiebatur, modò non habeat, non se arbitretur spiritum accepisse nec vnctum sese exãstimet,nisi cum Antonio Monacho Aegyptio sine vlla scientia literarum diuinas scripturas intellexerit. Quòd si etiãnú vnctio docet sine externo doctore de omnibus, non doceant parentes paruulos suos doctrinam Christi, sed ne ad ipsum quidem euangelium audiendum atq; discendũ eat populus in ecclesias, quin etiam codices nullos legat nec legẽtem explicantemq; hominem audiat: expectet verò rapi se vsq; ad tertium cœlum, & ibi omnia Christianæ doctrinæ mysteria percipere. Caueamus, Augustinus ait, tales tẽtationes superbissimas, magisq; cogitem⁹ & ipsum Apostolũ Paulum licẽt diuinis & voce & spiritu instructũ ad hominem tamen missum esse, vt ab eo disceret quid se oportere

Vide Aug. in præmio. lib. de doct. Christ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret facere. Acto. 9. Et Cornelij cogitemus quanuis & exauditas orationes eius eleemosynasq; respectas ei angelus nunciarit, Petro tamen traditum imbuendũ, à quo quid credendum, quid sperãdum, quid diligendum, audiret. Acto. 10. Ac de secũdo argumento hactenus.

Tertium verò eludi primùm poterat eo rerum discrimine repetito, quod in superioris argumenti confutatione posuimus. Concedimus enim liberaliter, doctrinam cuiq; in sua vita & statu necessariam illi fore perspectã & cognitam, qui fecerit volũtatem Dei. Sicut enim gustus benè affectus differentias saporum facilè discernit, sic animi optima affectio facit, vt homo doctrinam Dei ad salutem necessariam discernat ab errore cõtrario, qui ex Deo non est. Quæ verò ecclesiæ sunt communia nec ad iudicium & fidem spectant singulorum, ea non à quouis discerni & iudicari possunt, quantumcunque is Dei faciat voluntatem. Huiusmodi autem sunt quæ versantur in hac controuersia de librorum diuinorum numero. Nec illarum etiam rerum iudicium adeò perspicuum est cuiuis, vt statim ac sine doctore in promptu sit. Erant enim quidam verbum Pauli cum auiditate suscipientes, & quotidie tamen scrutabantur scripturas si hæc ita se haberent, Acto. 17. Et cùm quidam docuissent sine circuncisione neminem posse saluari, non protinus cuilibet exploratum fuit, num ea vox ac doctrina ex Deo esset an non: sed relata est potiùs ad Apostolos & seniores quæstio, & adhibito concilio, magnaq; priùs facta disquisitione finita, Actorũ. 15. Quòd, si quæ in huius argumenti refutatione dicta sunt, cupiam adhuc non esse illa satis videãtur: habeat & hoc responsum. Christum non dixisse quidem qui fecerit volũtatem Dei, hunc per se & sine magistro verã omnem prophetarũ, euangelistarum, apostolorũq; doctrinã posse à falsa discernere, aut oues sine doctore externo vocem Christi internoscere cõtrariamq; alieni refutare. Sed id docuit, cùm adest fidei magister idoneus, qui rem credẽdam aptis loco & tempore, solido pondere ac certa auctoritate proponat, tunc auditorem, si bonus est, Dei doctrinam accepturum, sin malus, repudiaturum. De se quippe Christus suaq; doctrina peculiarter loquebatur, quem quoniam pater signauerat Deus, ducem ac præceptorem mundo dederat, omniq; testimoniorum genere cõprobarat: ei tot tantisq; argumentis euangelium annuncianti, ei vitæ, doctrinæ, miraculorum gloria præstanti, ei humana atque adeò diuina auctoritate pollenti fidem non habere nemo sine peccato poterat. Abeat nunc Lutherus, &, quasi ecclesiæ fidem validissimis arietibus concusserit, vanissima exultatione bacchetur. Nos verò intelligamus potiùs illum, quem diximus, esse verborum Christi sensum cùm ex alijs euangelistę testimonijs tùm verò pręcipuè ex ipso eodem, quod ex cap. 10. Lutherus aduersus nos citat. Opera, inquit dominus, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Et statim, oues meæ vocem meam audiunt. Nam certè si non audirent, eò oues Christi non essent, vt quæ ad vocem proprij pastoris tam exploratam & certam clausis auribus obsurdescerẽt. Qua ex re patet, quàm ineptè à Luthero illa domini testimonia in hac causa, de qua nunc disserimus, referantur. De tertio igitur argumento tantum.

Quarto prius quàm respondeo, operæpretium mihi facturus videor, si strictim quædam attigero, quò faciliùs non hoc solùm argumentum diluatur, verùm etiam ea, quæ deinceps differenda sunt, explicari queant.

Primum ergo id statuo, iuxta communem legem aliqua exteriora & humana incitamenta necessaria esse, quibus ad euangelij fidem inducamur. Quomodo enim credent

Ad Ro. 10.

credent ei quẽ non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicãte? Item si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: & si opera nõ fecissem, quæ nemo alius fecit, excusationem haberent de peccato suo. Non igitur solùm necessarium est, vt credituro ea quę sunt fidei simpliciter ab homine proponãtur, quasi prima principia discipulo: verũ etiã opus est exteriorẽ aliquam persuasionem & humanum incitamentum adhiberi: quomodo principia geometriæ nonnulla à magistro & explicãtur & suadentur. Hinc illud est, quod cùm dixisset Moyses Domino, non credent mihi, dominus ei dedit potestatem signa faciendi. Hinc rursum illud, Prædicauerunt vbiq;, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Huc illa pertinẽt, hic venit in testimonium. &c. vt omnes crederent per illum. Et Sergius Paulus vir prudẽs cùm vidisset factum, credidit, admirans super doctrina domini. Acto. 13. Et Cẽturio videns quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens, Verè filius Dei erat iste. Luc. 23. Et cognouit pater quòd illa hora esset in qua dixit ei Iesus filius tuus viuit, & credidit ipse & domus eius tota. & paulò antè. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci: & multi venerunt ad Iesum, & dicebant, Quia Ioannes quidem signum fecit nullum: Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc vera erant. Et Ioann. 20. Introiuit ille discipulus q venerat primus ad monumẽtum, & vidit & credidit. Nondum enim sciebant scripturam: quia oportuit eum à mortuis resurgere. Philippus denique & Petrus non vtcunq; fidem Eunucho, Cornelioq; proposuere: sed & causas etiam adhibuerunt. &c.

Ioan. 15.
Exod. 4.
Marci vlt.
Ioann. 1.
Ioann. 4.
Ioann. 10.
Acto. 8.
Acto. 10.

Deinde id quoq; statuẽdum est auctoritatem humanam & incitamenta omnia illa prædicta siue alia quæcũq; adhibita ab eo qui proponit fidem, non esse sufficientes causas ad credendum, vt credere teneamur: sed præterea opus esse interiori causa efficiente id est, Dei speciali auxilio mouentis ad credendum. Docent id D. Thomas. ad Roma. 10. lectio. 2. ac D. Aug. lib. 1. retra. c. 21. & aliàs sæpe, quin sacræ literæ id quoq; docent. Quàm speciosi, inquit, pedes euãgelizantium pacem, euangelizantium bona: sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, domine, quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Item nolite murmurare inuicem: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum: est scriptum in prophetis, & erũt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Et inferius, quibusdã discipulis dicẽtibus, durus est hic sermo, & quis potest eũ audire? propterea (inquit dñs) dixi vobis q nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datũ à patre meo. & alio loco, Cùm aũt tanta signa fecisset corã eis nõ credebãt in eũ: vt sermo Esaiæ impleretur, dñe, quis credidit auditui nostro, et brachiũ dñi cui reuelatũ est. &c. Externæ igitur omnes & humanæ persuasiones, non sunt satis ad credendum quantumcunq; ab hominibus competenter ea quæ sunt fidei proponantur. Sed necessaria est insuper causa interior, hoc est, diuinum quoddam lumẽ incitans ad credendum, & oculi quidã interni Dei beneficio ad videndũ dati. Viderũt (inquit Moyses) oculi tui signa illa portẽtaq; ingẽtia, & non dedit tibi dñs cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, nec oculos ad vidẽdum. Hoc quoq; fua voce dilucidè confirmauit Christus Petro inquiens, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus q in cælis est. Certè Petrus audierat Ioannis Baptistæ testimonium, quo aperta voce clamauerat, Christũ esse filiũ Dei. Multa insuper Christi miracula viderat, & tñ post hæc omnia non aut testimonio, aut auctoritati Ioannis, non miraculis visis, fidei cõfessionem

Ad Ro. 10.
Ioann. 12.
Ioann. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus assignat, sed diuinæ reuelationi.

1.ad Thes.2 Et ad Thessalonicenses, Gratias agim⁹ Deo, quoniã cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Sunt & alia pleraq; sacrarum literarum testimonia in huius rei confirmationem. Vt

1.ad Cor.12 ad Corinth. Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in Spiritu sancto. & cætera quæ

1.ad Cor.13 2.ad.Cor.3 Actо. 16. sequũtur. Et rursum inter spiritus Charismata Paulus enumerat fidem. & alibi non sumus sufficientes. &c. Et apud Lucã Quædam mulier colés Deum audiuit Paulum, cuius dominus aperuit cor intendere his quæ dicébantur à Paulo. Et illud erigit ma

Esa.50. ne, mane erigit mihi aurẽ, dominus Deus aperuit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Dies me deficiet si omnia velim cõmemorare, quibus secundum hoc fundamentum stabilitur.

Cui & Tertium subijciendum est, rationem formalem nostræ fidei non esse eccle siæ auctoritatem, hoc est, fidei vltimam resolutionem non fieri in ecclesiæ testimonium, ipsæ scholasticæ res formas dicendi scholasticas rapiunt, & quę vocabula scholarum consuetudo diuturna triuit, ea Latini nobis cõdonare debent. Nec enim tam sermonis ornatum, quàm disputationis lucem sequimur. Sed ad rem. Eorum hîc errorem dissimulare non possum, qui asse-

Vide Scotũ 3.d.23.q.unica.et Duran.d.24. q.1.ar.1.& d.25.q.3. et Gabri.d.23 q.2.art.1.et 2. qui uidẽtur esse in hoc errore runt, fidem nostram eò, tanquam in vltimam credendi causam, reducendam esse, vt credamus ecclesiã esse veracem: cui priùs (inquiunt) assentimur per fidem acquisitã quàm per infusam. Quod si verũ esset, prima ratio formalis infusæ fidei, non esset veritas increata sed creata. Quare fides nostra non inniteretur tanquam suo fundamento diuinæ veritati, sed humanæ. Deinde cùm assensus conclusionis non sit certior principiorũ assensu, Vt Aristoteles. 1. post. lib. demõstrat, Si fides infusa fide acquisita niteretur, tunc Deum esse trinum, cui assentimur per infusam fidem, non est nobis, aut firmius, aut certius q̃ ecclesiã esse veracem: cui iuxta horum sensum assentimur per fidem acquisitam, & per humanarum causarum incitamenta.

Præterea nũquam hominem quemuis ita per fidem acquisitam existimamus esse veracem, quin formidemus, eum posse, vel falli, vel fallere. Quapropter si assensus catholicæ fidei ex acquisita fide penderet, firmus omnino esse non posset.

Ad hæc si omnes hi qui me docuerũt, imò adeò angeli cœlorum mihi astruerẽt oppositum eius quod fide teneo, nõ ex eo fides mea labefactaretur. Iuxta Pauli Apo

Ad Gal.1 stoli præscriptũ illud, Licèt nos aut angelus de cœlo euangelizet nobis. &c. Nostræ igitur fidei assensio humanis causis, & incitamentis non innititur, quæ scilicet fides acquisita sectatur. Quare ne mens nostra vacillet, altiùs petenda, q̃ ab hominis vel ratione, vel auctoritate, scripturæ diuinæ auctoritas est.

Præterea Apostoli & prophetæ resoluebant vltimò fidem suam in diuinam & auctoritatem & veritatem. Ergo nos in humanam ecclesiæ auctoritatem fidem nostram non resoluimus. Eadem enim fides est, idemq; proinde habet obiectum, rationemq; formalem.

Confirmat autẽ hoc, vel maximè, quòd ea quæ per accidens contingunt obiecto alicuius habitus, non variant illius obiecti formalem rationem: sed articulos credendos proponi per hos, aut illos homines, per accidens omnino contingit. Cùm ergo prophetæ & apostoli assentirentur articulis fidei, qa Deus reuelauit: eandẽ quoq; nos credendi rationẽ habebimus. Nisi fortè fides nostra nõ est virtus theologica, cuius videlicet prima & formalis rõ, si his credimus, non diuina sed humana veritas est.

Nec desunt sacrarum testimonia literarum in huius rei confirmationem, vt illud, crediderunt domino, & Moysi seruo eius. Exod.14.
Non dixit Moysi & domino, sed Domino & Moysi. Item, Qui credit in me, non Ioan.12.
credit

credit in me, sed in eum qui misit me. &cæ

Gad Thes.2 tera, quæ sequũtur: & ad Thessaloni. Gratias agimus Deo, quoniã cùm accepissetis à nobis verbũ auditus fidei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei.

His verò tribus certis stabilibusq; sentẽtijs illa etiam coniuncta est, vltimam fidei nostræ resolutionẽ fieri in causam interiorem efficiẽtem, hoc est, in Deũ mouentem ad credẽdum. V.G. huic articulo, Deus est trinus, & huic, ecclesia non potest errare, et cæteris vniuersis doctrinę Christianæ principijs assentio per infusam fidem. Non q̃ Ioannes dixerit, aut quiuis alius homo, sed quòd Deus reuelauerit. Huic autem, Deus reuelauit, immediatè Credo à Deo motus per instinctum specialem. Itaque ex parte obiecti ratio formalis mouens est diuina veritas reuelans: sed illa tamen non sufficit ad mouendum, nisi adsit causa interior, hoc est, Deus etiam mouens per gratuitum specialemq; concursum. D. Thomas. 2.2. quæst. 2. art. 9. ad. 3. Augustinus. 11. confes. ca. 3. Et licèt fundamento in hoc secundo iam iacto firmiter hæreat, subsistit tamen eo etiam testimonio quod in argumento refertur. Hunc enim sensum habet quod Ioannes Apostolus dicit, si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Atqui, vnde credemus Apostole id esse Dei testimonium? Qui credit (inquit) in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Quòd si rem hanc à capite arcessere, & vnde oĩa manant videre volumus: illud tandem intelligamus oportet, habitum fidei in ordine ad Theologiæ disciplinã se habere, vt habitus intellectus se habet ad humanas scientias & facultates. Quemadmodũ itaq; intellectus noster in discursu disciplinarum naturalium, primò cum principijs cõgreditur, deinde ad reliqua cognoscẽda proficiscitur, quę videlicet à principijs positis deriuãtur: sic in cognitiõe supernaturalium rerum quædam sunt principia supernaturalia, ex quorum fide fidelis animus ad cætera inuestiganda procedit. Accedentem (inquit) ad Deum oportet ad Hebr.11 credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. & iterum, cùm deberetis ad Hebr.5. magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt doceamini quæ sint elemẽta exordij sermonum Dei. Et statim docet, quænã sint eiusmodi elementa inquiens. Intermit ad Hebr.6. tentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur. Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ, fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, resurrectionis mortuorum & iudicij æterni. Quibus rebus expositis facilè (vt opinor) intelligi potest, vera esse quæ paulò antè sunt dicta: Hoc est oportere, humana quædã & exteriora admmicula interuenire ad credendũ: nec tamẽ ea esse idonea per se, nec fidei nostrę resolutionẽ in eiusmodi fieri, sed in interiorẽ causam diuinãque excitet, & moueat vt credamus. In assensum siquidem principiorum geometriæ, vel Arithmeticę multa veniunt quasi præambula & antecedentia, vt cognitio sensitiua, explicatio & suasio præceptoris, qui eadem principia nõ vtcunque proponit, sed explicat etiam vel per exempla sensibus manifesta, vel per effecta notissima. At ratio assentiendi formalis non est quicquam illorum: sed sunt illa quasi determinationes, & veluti conditiones sine quibus eiusmodi principia à discipulo non intelligerentur. Ratio autem formalis, lumen naturale est inexistẽs: quo videlicet euidens ille assensus efficitur: vt & lumen hoc exterius ratio formalis est, quę colores efficit euidentes. In hunc ergo modum, proponere credenda, suadere, miracula facere, determinant quidem intellectum vt credat: quasi cõditiones, sine quibus vis vnquam intellectus determinatur. At ratio formalis assentiendi lumen fidei est: quod Deus infundit credenti.

Iam si hęc quę dximus sacris literis accommodaueris, inuenies profectò, ea esse vsqueadeò cõsentanea, vt obtinere à quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuis aduersario debeamus. Huc enim pertinet illud Ioannis. 4. iam nō propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi. Vt illa alia prætereamus, quæ retro sunt nobis commemorata. Nam quarto argumento refellendo satis superq; dictum est. Vnde tū tria postrema argumenta facillimè diluantur, quāuis enim respectu vnius aut alterius hominis, sacras videlicet literas reijcientis, pri[illegible] sit ecclesiæ auctoritas, quoniam iure probamus illi hāc esse epistolam Pauli, illam Iacobi, per ecclesiæ auctoritatem: non tamen inde colligitur, quòd absolutè ecclesiæ auctoritas sit ratio credendi formalis. Quomodo si negas principia Philosophiæ naturalis ex effectis notissimis nitamur ea suadere nō quærimus causam à qua principia Philosophiæ pendeāt, sed argumētum aliquod vel indicium certum eius rei, quæ in controuersiam venit. Aēferè in oībus disciplinis cōtingit, vt aduersus ignorātem causam vtamur effectu: & aduersus negantem effectū vtamur causa, propter vtriusq; mutuam cōnexionem. Atq; id quidem copiosè variis multarum disciplinarum exemplis mōstrare possem, sed quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Adhibebimus ergo exemplum vnicum, generis eius, quod & facilè intellectu sit, & positum in vna re transferri per multas possit. Terram interijci inter Solem & Lunam, ex Lunæ defectu suadet Astrologus, nec affert tamen genus argumētationis ineptum. Præclarè enim est hoc vsurpatum à doctissimis, quorū auctoritate non vterer, si mihi apud aliquot agrestes habenda esset oratio. Cùm verò ad eos scribam, quibus hæc inaudita non sunt, cur ego simulem, me si quid in his studijs operæ posuerim perdidisse? Vsurpatum est igitur ab eruditissimis viris, quoddam argumentandi genus, quod à posteriori iuniores vocāt, Aristoteles iuxta, veterem interpretem demonstrationem quia est, nos ab effectis vocamus. Quæ quoniam suis sæpe causis notiora sunt, ad eas cōmonstrandas idētidem inferūtur. Nec illico tamē effecta hæc causarū suarū formales rationes erunt. Non enim, vt in eodem versemur, si terram interijci ex Lunæ defectu suademus, idcirco defectus ipse, ratio est interiectionis formalis. Quin econtrario, si rerum natura spectetur, ipsa terræ interiectio ratio est formalis, cur Luna defectum patiatur. Quod igitur in cæteris artibus, idem quoq; in Theologia contingit, vt rerum ordo interdum humani ingenij causa permutetur. Ita fit vt contra negantes nouum testamentum aptissimè argumentemur ex veteri, atq; ediuerso cōtra negātes vetus ex nouo. Etenim ab his quæ notiora sunt nobis, ad ea quæ minùs nota sunt, quodā quasi naturæ ductu homines ferri nō solùm Philosophus auctor est, sed nullo etiam philosopho auctore experimur. Quamobrem Iudæo, cui vetus testamentum certius est, nouum ex veteri suademus. Habemus, inquit, firmiorem propheticū sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. & Acto. 17. ij qui cum auiditate verbum Pauli susceperant, scrutabantur quotidie scripturas an hæc ita se haberent. Contrà verò oportet vt aduersus eum qui nouum testamētum recipit, ac reijcit vetus, ex nouo veteris auctoritatem colligamus. Ad eūdem quoq; modum auctoritas ecclesię cum sacrarum literarum auctoritate connexa est, & per legem connexorum vtrāq; in alterius probationem sumimus. At si generaliter quæratur, vnde fideli constet, ea quæ fide tenet esse à Deo reuelata, non poterit Ecclesiæ auctoritatem inducere, quia vnum, de reuelatis est, ecclesiam errare non posse. Vt. 1. ad Timo. 3. cap. habetur. Nec verus catholicus, quod nōnulli fingunt, assentitur huic Ecclesia est verax, solùm per coniecturas humanas, quibus acquisita fides innititur. Ad quem modum & Saraceni suis præceptoribus, & Iudæi suis Rabbinis, & Gētes

suis

suis Philosophis, & omnes denique suis maioribus inhærent. Non sic (inquam) Christiani: sed per interius lumen infusum à spiritu sancto: quo firmissimè atque certissimè mouentur ad credendum, ecclesiam Christianam errare non posse: Saracenorum, Iudæorum, Paganorum, errare posse. Deinde respondeti potest, quòd etiam si in vniuersum opus esset, vt ecclesia ea, quæ sunt credenda, proponeret: non tamen proinde colligeretur, vltimam fidei resolutionem in ecclesiæ auctoritatem fieri. Non est enim ecclesiæ auctoritas ratio per se mouens ad credendum, sed causa, sine qua non crederemus. Quippe vt nos credamus, iuxta præscriptam à Paulo legē, oportet vt illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponantur. Prouidit autem Deus vt ecclesia esset, quæ certo ac firmo iudicio ea, quæ verè nobis sunt credenda, proponeret. Proponit enim ecclesia, vt rem exempli causa illustremus, Euāgelium Matthęi esse à Deo reuelatum: nec mihi proponere nisi verū potest: Ego igitur non credo Euangelistam dicere verum, quia ecclesia eum dicat verum dicere, sed quia Deus reuelauit. Et tamen ecclesia proponens est causa, sine qua ego non admitterem illud euangelium esse Matthæi. Spiritu itaq; sancto ecclesiam afflatam certò credo, non vt veritatem auctoritatemvè libris canonicis tribuat, sed vt doceat illos, non alios esse canonicos. Nec si nobis aditum præbet ad huiusmodi sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum est: sed vltrà oportet progredi, & solida Dei veritate niti. Qua ex re intelligitur, quid sibi voluerit Augustinus, cùm ait, Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ moueret auctoritas. Et rursum. Per catholicos euangelio credideram. Videlicet negotium Augustino erat cum Manichæis, qui absq; controuersia suo cuidam euangelio credi volebant, & Manichæo fidem astruere. Rogat igitur Augustinus ecquid facturi sint, si in hominem inciderint, qui ne euāgelio quidem credat: quovè genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi. Certè se affirmat, non aliter potuisse adduci vt euangelium amplecteretur, quàm ecclesiæ auctoritate victum. Non itaque docet fundatam esse euangelij fidem in ecclesiæ auctoritate, verùm simpliciter nullam esse certam viam qua siue infideles seu in fide nouitij, ad sacros libros ingrediantur, nisi ecclesiæ catholicæ vnum eúdemque consensum. Id quod eiusdem epistolæ capit. 4. & in libro de vtili. creden. ad Honora. satis ipse explicauit. Certum itaque argumentum in controuersia de vnoquolibet libro sacro ex ecclesiæ auctoritate sumitur, idque Augustinus tradit, sed non ad hāc, sed ad diuinā auctoritatem fides librorū diuinorum referenda est.

Nec post hæc in postremis illis tribus argumentis eluendis lectorem ampliùs morari volumus, sed ad ea, quæ in medio relicta sunt, explicanda properare. Testimonium igitur ex Deut. illud, quo deinceps aduersarij vtuntur, pro eis nihil omnino facit. Quemadmodum enim, cùm dominus fideles monuit vt à lupis attēderēt, eosque ceu arbores non ex foliis sed ex fructibus internoscerent: non statim excluditur nec canū fida custodia & ad discernendum lupos naturæ mira sagacitas, nec pastorum vigilans cura & diligens omnium prouidentia, nam si isthæc desunt, ipsæ per se oues sibi cauere non possunt, quanlibet signum à Christo habeant vnde lupi internoscantur. Sic Moses discernendis prophetis falsis per rerum quidem euenta populum instituit, sed non proinde tamen sacerdotum in his iudicium negligit, ad quos scilicet causas omnes dubias ipse idē paulò antè referri iusserat. Sæpè aūt vsu venire poterat, vt difficile esset & ambiguū de propheta quopiam iudiciū, & variæ, vt fit, discrepantesq; sententiæ. Testimoniū verò quod affertur ex Ioāne, quoniā simile est, simili quoq; ratione cōuellitur. Aliud verò

ex prima

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex prima ad Corinthios epistola non ita facilè refelli potest: sed id constat, verba Pauli mirificè à Luteranis torqueri. Nam si spiritualis homo, id est, in quo est spiritus Dei, sic enim illi interpretantur, iudicat in vniuersum omnia: quomodo Elisæus anima, inquit, eius in amaritudine est, & dominus celauit à me? 3. Reg. 4. Quomodo Iob, cùm multa se ignorare argumentis certis cognouisset, ignorationem suam fatetur inquiés, insipiéter locutus sum, & quæ vltra modũ excedũt sciẽtiam meã? Iob. 38. 39. 40. 41. 42. Quomodo apostoli non intelligebãt, quę dicebantur? Luc. 18. Quomodo Petrus & Ioannes nondum sciebãt scripturam, Ioannis. 20? Quomodo aperuit scripturas discipulis suis Christus, quæ illis antea erãt clausæ? Luc. 24. Quomodo Petrus non iudicauit simulationẽ suam esse euangelio contrariam? Quomodo rursus idem absit domine, inquit, quia nunquam manducaui omne commune & immundum? Hæsitauit enim intra se quid nã esset visio quam vidisset. Acto. 10. Expediãt mihi, si possunt, Lutherani: cur Eunuchus, in quo sine dubio spiritus Dei erat, locũ Esaiæ sine externo doctore expedire non poterat. Acto. 8. Explicẽt & id quoq;, quamobrem fideles, qui erant ex circuncisione, disceptabant aduersus Petrum quòd ad Cornelium accessisset, si omnia viri iusti dijudicare possunt. Exponant item id, quod paulò antè in hac causa retulimus, quidnam Antiochenis impedimento fuit, vt non discernerẽt doctrinam Pauli veram esse, aliorũ verò falsam: sed in senatum Hierosolymitanum retulerunt, vt seniorum apostolorumq; concilio illa quæstio dijudicaretur. Adderem è sacris libris huiuscemodi non pauca, nisi in promptu essent. Et ea etiã, quæ posuimus, satis sunt ad euincendam causam. Paulus itaq; non vult quemuis hominem iustum posse de omnibus iudicare. Erant enim inter Corinthios ipsos paruuli quidã & imperfecti, quibus & si spiritus ad iustitiam non deerat, deerat tamen ad ea discernenda mysteria, quæ Apostolus perfectis communicabat. Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus. Tanquam paruulis in Christo lac potum vobis dedi. &c. Per viros igitur spirituales perfectos intelligit, inter quos sapientiam ipse loquebatur, qui similes Paulo spiritum apostolicum acceperant, vt scirent quæ ipsis donata essent, quæ & loquebantur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, qui breuiter sensum Christi peculiari spiritus dono possidebãt. Sed ne ij quidem simpliciter omnia dijudicabant, nisi velimus eos per spiritũ & Geometras & Physicos & Astrologos fuisse. Atq; nec spiritualia vniuersa cognoscebãt. Nam quędã sibi spiritus reseruauit: quædam priuatim vni, alia alij reuelauit. Est ergo distributio accommoda, vt ibi, Ille docebit vos omnem veritatem, & ibi etiam, Vnctio docet vos de omnibus. Spirituales igitur & apostolici viri omnia discernunt, hoc est, supranaturalia & naturalia, spiritualia & corporalia, non singula, sed ea omnia, quæ ad salutem fuerint necessaria. Quibus rebus intellectis, nihil est opus respondere ad alterum eiusdem epistolæ testimonium. At verò prima ratio hoc modo eluditur. Nõ decet veros graueſq; theologos verborum ambiguitate ludere. Non itaque hoc loco iudicium vsurpamus proeius sententia, qui re ipsa, quam iudicat, superior est. Alioqui si ea semper esset vocis huius significatio, cùm iuxta Paulum Prophetæ duo aut tres loquuntur, & cæteri dijudicant: oporteret hos, qui iudicium ferũt, & Prophetis, & prophetia esse superiores. Asserimus ergo ecclesiam de scripturis earũq; sensu iudicare, id est, discernere humanã à diuina, verum à falso. Atq; ecclesia sine vsurpata auctoritate, quẽadmodũ antè constituimus, hãc habet à Christo facultatem, spiritus, inquit, meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui vsq; in sempiternũ. De qua re quoniam alio loco sumus fusè disputaturi, nihil est nunc præterea dicendum.

dum. Rationes autem, quæ sequuntur, omnes iam sunt in quarti argumenti responsione confutatæ. Pergamus itaque ad reliquas cõtrouersias, & institutum ordinem persequamur.

¶ Cap. Nonum ostendit illos libros, de quibus erat controuersia, habendos esse sine dubio pro canonicis.

IN secunda huius controuersiæ parte polliciti sumus nos quidem ostẽsuros, quatuordecim illos libros, qui in dubium sunt vocati, canonicos esse. Id vt fiat quàm breuissimè, sit prima conclusio.

Baruch à canone sanctarum scripturarum eximere, non solùm temerarium, sed etiam erroneum est. Erroneum verò hîc appello, quoniam varia & ambigua est huius nominis significatio, id quod hæresi proximum, hæresim non audeo vocare.

Hæc primùm patet ex concilio Florentino sub Eugenio. 4. in Decreto super vnione Iacobinorum & Armeniorum. Vbi Baruch inter prophetas & sacros auctores annumeratur.

Deinde synodus Tridentina sub Paulo. 3, apertè librum Baruch in canonicis censet. Erroneum igitur est, illum à canonicis excludere. Nam & Eusebius libro de demonstr. Euange. cap. 19. Prophetiam Baruch diuinam esse non dubitat affirmare. Affirmat quoque idem Clemens Alexan. lib. 2. pædago. cap. 3.

Denique in vigilia Pentecostes nomine prophetæ toti populo Christiano per omnes ecclesias legitur. Qua in re si Ecclesiæ Christi fallerentur, pernicioſissimè fallerentur. Quid ita? Nempè simul atque populus intelligeret se in re eiusmodi à sacerdotibus ludificari, nullam deinceps certam fidem haberet, aut prophetias, aut etiã euangelia proponentibus: vt qui in simili causa atque negotio iam & essent falsi & fefellissent. Quòd si hîc plebis Christianæ fides vacillat & claudicat: certè ego non video, quo alio in loco possit firma consistere. Eorum autem, qui volunt plebem rudem non à sacerdotum auctoritate pẽdere, sed per seipsam exquirere, An liber, qui legitur, canonicus sit, iam pridem explosa sententia est.

Fateamur ergo, ne in ecclesiæ doctrina grauiter erremus, librum Baruch, quẽ illa nomine prophetæ à multis annorum centurijs legit, inter canonicos esse censendum. Nec enim viro cuique pio persuaderi potest, Deum passurum fuisse, vt populus Christianus tot seculis in re adeò graui deluderetur.

Secunda conclusio, Thobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque Machabæorum libros à canone reijcere, multò magis erroneum est, ne dicam hæreticum. Augustinus in primis hos etiam sex inter alios canonicos enumerat, libr. 2. de doctrina Christiana. capitulo. 5. vbi diuinarum scripturarũ catalogum intexuit ex communi ecclesiæ proculdubio sententia.

Isidorus quoque. 6. etymolog. cap. 1. de his libris loquens ait, quòd licèt eos Hebræi intra suum canonem non recipiant, sed ecclesia Christiana inter diuinos honorat & prædicat libros.

Hanc præterea conclusionem definit Innocentius primus in epistola ad Exuperium Tolosanum episcopum. cap. vltimo, quo loco sanctarum scripturarum libros inseruit.

Gelasius etiam Papa cum concilio. 70. Episcoporum id decreuit: asseruitque hos quoque libros sanctam & catholicam Romanam ecclesiam in ordine veteris testamenti suscipere ac venerari.

Hanc eandem cõclusionem docet concilium tertium Carthaginense. Quod tamen si prouinciale fuit, confirmatum est tamen & à Leone. 4. 20. distin. cap. de libellis. & à synodo in Trullo celebrata. Nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

mouere nos debet, quod Trullana illa synodus concilium Carthaginense probasse legitur, non concilia. Quoniam apud Græcos Carthaginense vnicum est, quod Græcum vocatur, in cuius.24.c.hæc habetur sacrorũ librorũ annumeratio. Tametsi Patres Trullanæ synodi non cõcilium Carthaginense probent numero singulari, vt Gratianus accepit, sed canones editos in noua Carthagine.

Postremò, Hanc eandem cõclusionem habes apud duo concilia iam citata, & Florentinum sub Eugenio. 4. & Tridẽtinum sub Paulo.3.

Tertia conclusio, Hæreticum est epistolam ad Hebræos inter canonicas non reponere. Primò, quoniam aduersatur definitioni omnium pontificum & conciliorum sacros libros annumerantium: vt Innocentij primi, atque Gelasij, concilij tertij Carthaginensis, Florentini insuper ac Tridentini, denique Laodicensis. Quod
Cap.59. C.2.16.dist. c.quoniam. vtique concilium manifestè confirmatum est à synodo Trullana.

Deinde probatur hæc conclusio, quoniam epistola ad Hebræos recepta est in concilio Niceno: vt auctor est D. Thom. in commentarijs super eandem. Rem verò adeò grauem vir sanctus non astrueret, nisi compertum habuisset.

Præterea, Manifestè id ostenditur ex
Cap.10. concilio Ephesino, cuius verba sunt. Pontificem & apostolum confessionis nostræ fãctum esse Christum diuina scriptura commemorat: Si quis ergo Põtificem & apostolum nostrũ negat esse factũ ipsum Dei verbum, anathema sit. Hactenus cõcilium. Id autem non alio loco nisi in epistola ad Hebræos apostolus dixit. Diuina igitur scriptura est: ex cuius etiam solius auctoritate efficax argumentum trahitur ad hæresim reuincendam.

Quòd si post tam præclara & summorum Pontificum & conciliorum testimonia sanctos auctores in huius sentẽtiæ confirmationem citare voluero, vereor mihi illud obijciatur, quòd afferam in re non dubia testes minimè necessarios. Atqui, non est leue argumentum, quod ex communi omnium sanctorum cõsensione ducitur. Atque vt Græcos scriptores præteream, quorum omnium (vt Hieronymus ad Dardanum ait) manet ad vnum firma consensio: vtq; Latinos omittam reliquos præter vnum Hieronymum (de quo, quid sentiat, postea differemus) D. Augustinus constantissimè vbiq; tenet, hanc epistolam esse canonicam. Nam & libro.2. de doctrina Cap. 8. Christi. in canonem sanctarum scripturarum refert, & tertio de Trinit. ita solidam Cap. 12. credit huius epistolæ auctoritatem, vt ab ea (sicut ne ab alijs quidẽ diuinis scripturis) aberrare non liceat. Cumq; post Augustini tẽpora omnes sancti, omnes Theologi, oẽs catholici, pro canonica eam epistolam habuerint, quid est, quòd Iuniores isti in meridianam lucem tenebras inferre conantur? Nisi volunt vniuersam Ecclesiã ab hinc mille annos in summo errore, inque magna huius quæstionis ignoratione versatam: cuius videlicet vsu cunctis gentibus nomine apostoli hæc epistola legitur.

Vide lib. 4 de baptismo contra Donatistas c. 24.

Quarta cõclusio, Hæreticum est epistolam Iacobi in canonicas nõ referre. Primò, quoniam Hieronymus in lib. de viris illustribus asserit hanc (licẽt aliquando fuerit dubitatum) paulatim tamen procedente tempore meruisse auctoritatem. Iam ergo vel D. Hieronymi ætate hãc epistolam ecclesia receperat.

Item quoniam Innocẽtius & Gelasius, conciliaque omnia, Carthaginense, Laodicense, Florentinum, Tridẽtinum, eam inter sacras reposuerunt. His adde sanctos antiquos, quos nominatim etiam postea commemorabimus, omnesq; iuniores, cũ veteribus Theologis scholasticis, breuiter oẽs catholicos. Vsu quippe ecclesiæ legitur vbiq; gentium pro sacra & apostolica. Abeat igitur Lutherus, & relictis grauissimis testimonijs, sibi soli fidem habeat, testi scilicet integro atq; incorrupto. Nos autẽ solido

solido fundamento innixi teneamus illam esse canonicam.

Atq; si super hoc ecclesiæ fundamentũ sanè ædificare volumus, secundam epistolam Petri, duas posteriores Ioannis, & illam aliam Iudæ in canonicis numeremus, huiusque contrarium dogma hæreticum censeamus. Causæ enim omninò subsunt eædem, quas dixi paulò antè.

Prima, Quòd huius sententiæ fuit Hieronymus in epistola ad Paulinum: Augustinus.2. de doct. Christ. c.8. Isidorus.6. lib. Etymologiarum. c.1. Damascenus.4. libr. ca.18. ne omnes commemorem antiquos. Equibus nullus ex his epistolis tanquàm diuinis testimonia non refert.

Altera, Quòd Innocentius, Gelasius, Concilium Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, illas communi cõsensu in canonicis supputant. Id quoniam constat inter omnes, fateamur opus est, has esse canonicas.

Postrema, Quòd diuersis anni temporibus has ecclesia vniuersalis nomine apostolorum proponit & legit. Qua in re (vt eundem locum frequentius vrgeam) si populus à sacerdotibus ludificaretur, nulla postea ratione posset adduci, vt suis pastoribus etiam in eandem sententiam concurrẽtibus fidem indubitatam haberet. Quo malo non aliud grauius in ecclesiam posset inuadere.

Quinta conclusio. Librum Apocalypsis à canonicis excipere hæreticum est. Patet in primis, quoniam D. Hieronymo auctore in lib. de viris illustribus, & in epistola ad Dardanum, & in epistola ad Paulinũ, & alijs quoq; locis, D. quoq; Augustino referente. 2. de doctri. Christi, ecclesia librũ Apocalypsis pro canonico habet.

Item Epiphanius hæresi. 51. quæ fuit Alogorum, tanquàm Hæreticos eos refellit, qui Ioannis siue euangelium siue Apocalypsim scripturam sacram esse negant. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædago. c. 12 inter scripturas Apocalypsim cẽset. Et Dionysius libro Eccle. Hierar. cap. 3. euangelistę Ioannis esse comprobat. & Orig. apud Eusebium. 6. lib. Eccle. hist. cap. 18. Ipse quoq; idem Euse. in Chronicis. Ac Diony. Alex. per Dei spiritum sine dubio Apocalypsim esse scriptam affirmat, Eusebio auctore. 7. lib. Eccle. histo. cap. 23. Et Iustinus martyr apud Euseb. lib. 4. Eccl. histo. c. 18. extat locus in dialog. cũ Trypho. Et Irenæus lib. 4. aduersum hæreses. Et Chrysost. Suida refert. Et Damas. 4. lib. c. 18. Nam recentiores prætereo, qui hunc etiam librum suis commentarijs illustrarunt, Bedam, Cassiodo. Rabbanum, Rupertum, Richar. à sancto Victore. &c.

Quamobrem verissimè Tertullianus. lib. 4. aduersus Marcionẽ astruit, ordinem episcoporum ab apostolis succedentium hunc eundem librum Ioanni Euangelistæ tribuere. Scriptura igitur sacra est, si ordini episcoporum ab apostolis succedentium credimus.

Præterea, Innocentius, Gelasius, Concilij Carthaginense, Florẽtinum, Tridentinum inter libros canonicos habẽdam esse Apocalypsim definierunt.

Præterea concilium Toletanum quartum, Apocalypsim, inquit, multorum conciliorum auctoritas & præsulum Romanorum synodica decreta inter diuinos libros recipiendã esse constituerunt. & quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, si quis deinceps non receperit, excommunicationis sententiam habebit. Hactenus concilium.

Tandem, cùm vsu Ecclesiastico nomine Ioannis Euangelistæ, hoc est, tanquam sacra populo legẽda proponatur: dubitare nõ licet, quin sit canonica. Quibus reb⁹ & apertissimè expositis & firmissimè corroboratis, satis docuisse videor id, quod secunda quæstionis huius parte ꝓmiseram, Quatuordecim illos libros veteris ac noui testamenti honore diuino cum sacris reliquis afficiẽdos, habendosq; post hac citra controuersiam pro canonicis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Cap. Decimum. Continet argumentationes aduersariorum contra ea, quæ capite superiore definita sunt.

NVnc tertia pars argumenta subijciet, quibus permoti esse videntur, qui aduersa dogmata, temerè & inconsultè tenuerunt. Nam, quòd Lutherus argumentatur, nullum librum veteris testamenti à Christiano recipiendum, quia si accipimus Moysen in vno mãdato, oportet Moysen totum accipere, circuncidi, & Sabbatum obseruare, nihil est cur solicitari debeamus: cùm & Tertullianus libris quinq; aduersus Marcionem, & Augustinus triginta tribus libris contra Faustum Manichæũ non hoc solum Lutheri argumentum, sed & multa alia copiosè docteq; refutauerint. Præter quàm quòd multas multorum obiectiones dedita etiam opera in hoc libro dissimulamus, partim q̃ friuolæ sint & nugatoriæ, docuit autem prudenter Aristoteles, quolibet stulto proferente cõtraria non decere solicitum esse sapientem. Partim, q̃ sint aut curiosæ aut inutiles, nec in opere, quod ego & grauissimum & vtilissimum fore cupio, expectãdum est, dum de remo inflexo & de collo columbę respondeam.

Primum itaq; argumẽtum primam conclusionẽ præfinitam labefactare conatur. Quòd Baruch libellũ illum nec Augustinus, nec Damascenus, nec Innocentius, nec Gelasius, nec concilium Laodicenum, nec Carthaginense in numero librorũ canonicorum supputarũt. Imò Augustinus, cùm totum canonem scripturarum diuinarum texere se profiteretur, libellũ Baruch in numeratione prætermisit. Et Innocentius cæteris præter hunc vnũ supputatis, reliquos asseruit esse damnandos.

Confirmat autem huius argumẽti vim procemiolũ in húc librum. Vbi quoniam in Hebræo canone nõ habetur, propter notitiam solùm legentiũ ascribi dicitur. Est autem desumptum ex procemio. D. Hieronymi in cõmentaria Hieremię. Ob quam etiã causam, cũ Hieronymus reliquos oẽs prophetas suis cõmentarijs illustrasset, in hunc nihil prorsus commentatus est.

Secundum verò argumentũ secundam conclusionem infirmare nititur. Quòd D. Hieronymus in prologo Galeato, qui præmittitur libris Regũ, & in epistola ad Chromatium & Heliodorum, quæ Prouerbiorum procemium est, sex illos libros veteris testamenti excipit à canone. Quos autem libros reijcit Hieronymus, Ecclesia reijcit: vt cap. sancta Romana. 15. dist. Gelasius tradit. Non igitur sunt canonici.

Confirmatur quoq; idem alia argumentatione non leui. Nam Cyprianus in expositione symboli eosdem sex libros patrum auctoritate, à quibus se accepisse ait, à numero sacrorum eximit. Quod idem fecit Melito. Qui quidem ad Oriẽtem huius rei scisitandæ causa perrexit, vbi scilicet prædicationis nostræ cœpit exordiũ. Cumq; diligenter de omnibus explorauerit, omni inuestigatione cõperit, hos libros esse à veteris instrumenti canone reijciendos, vt auctor est Eusebius. 4. Ecclesiasticæ historiæ libro. cap. 26. Origenes etiam in Psalmum primum hos sex libros cum Hebræis à canone reijcit, quod Eusebius refert lib. 6. ca. 18. Sed & idem Eusebius. lib. 6. cap. 11. hos libros à sacris videtur eximere. Nec ab hac sententia alienus est Damascenus. 4. lib. ca. 18. nec D. Thomas de Ecclesiastico certus est. sed ne D. quidem Augustinus in libro de cura pro mortuis gerẽda. Epipha. quoq; in libello de ponderibus & mẽsuris libros Sapientiæ & Ecclesiastici à canone reijcit. Eadem autem est ratio de alijs quinque. Non est igitur tam explorata ista conclusio, quàm volumus. 1. par. q. 68. art. 8. ad. 3.

Confirmatur deinde huius argumenti robur. Qm̃ in cõcilio Laodiceno ex veteri testamẽto ij solũ enumerãtur, quos Hieronymus

C. ultimo. nymus numerat. Nec vlla prorsus mentio de sex illis habetur.

Confirmatur præterea idem, quoniam à Trullana synodo probantur octoginta quinque capita canonum Apostolorum: At capite. 84. non numerantur inter canonicos nec Tobias, nec Iudith, nec Ecclesiasticus. Non ergo sunt canonici. Nam huiusmodi libros apostoli Ecclesiæ tradiderunt: nec alios sacros habemus, q̃ quos ab ipsis accepimus.

Confirmat autem id postremò, Quòd Synagoga in fide errare non poterat. Erat siquidem eadem tunc ecclesia, quæ in gentes deinceps propagata est. Quocirca, eodem diuino spiritu continebatur, eundéq; Deum assistentem & gubernatorem habebat, sed Hebræi omnes sex illos libros à canone reiecerunt. Vt constantissimè non Hieronymus modò & Iosephus, verum etiam Origenes in primum psalmum, & auctores reliqui perhibent. Non igitur illi sex libri sunt canonici.

Iosephus li. 2. aduersus Apionem, vbi quæ nomina apud Hebræos in auctoritate habeantur secũdum maiorum traditionem docet. vt auctor est Eusebius lib. 3. Histo. Euang. cap. 9. & 10.

Tertium autem argumentum contra ambas conclusiones insistit, si enim esset erroneum libros illos veteris instrumenti à canone reijcere, profectò viri pij iuxtà ac docti post pontificum conciliorumq; definitiones in damnatum errorem neutiquam incidissent. Nec enim verisimile est, eiusmodi viros latuisse, quid de hac re Summi Pontifices & concilia præscripserint. Constat autem, plurimos eosdemq; doctissimos in contrariam sententiam ijsse: qui tamẽ semper in ecclesia catholici sunt habiti. Nam glossa in procemium Hieronymi super omnes diuinæ scripturæ libros, Ioannes item Driedonis primo libr. de Ecclesiasticis dogmatibus, negant Baruch esse canonicum. At Nicolaus Lyranus super Esdram. cap. 1. & super Tobiam, Abulensis super Matthæum. ca. 1. D. Antoninus. 3. par. tit. 18. Caietanus cum alijs locis, tum maximè in fine commentariorum super libros historicos veteris testamenti, alios etiam sex sacros esse inficiantur. Quos omnes si daremus à fidei definitione exorbitasse, non ipsos modò, verum in reliquos etiã fideles essemus contumeliosi: vt in quibus zelus Christi ita obdormierit, vt nullus contra præscriptos auctores proclamauerit. Quod certè, vt nullum esset aliud, satis magnum argumentum est, cur eos libros non esse canonicos confiteamur. 1. par. q. 1. art. 8. ad. 3.

Porrò quartum argumentum peculiare est, vt Machabæorum libri è numero canonicorum expungantur. Nam Gelasius Papa reiecit secũdum librũ vbi supra commemorauimus. D. autem Gregorius libr. moraliũ. 19. reijcit ambos. reijcit Eusebius C. 17. in libro de Temporibus. & Ricardus lib. 2. exceptionum. cap. 9. & Ocham. 4. parte dialogorum tractatu primo libr. 3. cap. 16. Ac D. Augustinus contra secundam Gaudentij epistolam. cap. 23. docet, ab ecclesia quidem esse receptos, sed non certa fide.

Nec deest hoc loco copia rationũ, quibus idem suaderi possit.

Prima est, quòd priori libro dicitur Antiochus illustris regnasse anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorũ. Quẽ tri anno centesimo quinquagesimo tertio regnum tenuisse compertum est, tum ex annalibus Græcorum, tum ex Eusebio in sua Chronographia. Item eodem libro & capite abominationem desolationis, quę prędicta est à Daniele, ad idolum Antiochi detorsit auctor libri eius. Qua in re falsus est, vt Caietanus in capit. Matthæi. 24. ostendit. C. 1.

Secũda ratio est, Quòd in. 2. lib. auctor culpam à lectoribus deprecatur: quod alienum est à diuina auctoritate. Certè qui scripta sua indigere venia fatetur, is spiritus sancti oracula non esse clamat, vt etiam Caluinus. c. 9. institutionis argumentatur. C. ultimo.

Tertia ratio est, Quòd eodem libro statim à principio in epistola, quæ priori loco ponitur, fit mentio de altera, quæ euestigiò subditur: dicitur autem scripta anno centesimo sexagesimonono: cùm tamen scripta fuerit anno centesimo octogesimo C. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

octauo, quemadmodum in eiusdem epistolæ initio videre licet.

Quarta ratio, Quòd in ea, quæ secundo loco ponitur, cuius videlicet in superiori commemoratio fit, Iudas refertur esse viuus. Qui tamen non solùm anno centesimo octogesimo octauo, verùetiam anno centesimo sexagesimonono iam erat
Cap.9. vita functus: vt primo Machabæorum libro cernere est.

Cap.1. Quinta ratio, Quòd eodem libro secundo dicitur Antiochus membratim diuisus: At postea mors eius longè diuersa
Cap. 9. describitur.

Sexta ratio, Quòd eodem libro secundo quædam apocrypha referuntur de arca domini, probanturque ea ex descriptionibus Hieremiæ: quæ tamen ne per somnium quidem Hieremias adumbrauit. Quin etiam contraria scripsisse videtur. c.3 suæ prophetiæ, inquiens, Non dicent vltra arcam Domini. &c.

Postrema ratio, Quòd vtroque libro referuntur Machabæi duces fuisse super Iudam, & Hierusalem. Quos tamen de Tribu Iuda non fuisse, sed de Tribu Leui notius est, quàm vt à me sit in præsentia confirmãdum. Philo siquidem libro. 2. de tem
An Philonis liber hic sit incertum est. Euse. certè. li. Eccles. hist. 2. c. 18. cùm indicem librorũ Philonis diligẽtissimè scripserit, huius libelli non meminit, ita à plerisque reiicitur. poribus, ob eam causam inquit inimicitias & simultates ortas id temporis fuisse, quod Machabæi ducatum à domo Da uid surripuerint. id autem manifestè pugnat cum illa Iacob prophetia, Nõ auferetur sceptrum de Iuda nec dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus est. Quæ singulæ rationes si non mouent, at simul omnes mouere possunt, non solùm indoctos, sed etiam doctos, vt libros Machabæorum non esse arbitrentur in canone. Atque hæ rationes vniuersæ quarti argumenti appendices sunt, vt secunda conclusio labefactetur.

Nam quintum præcipuum argumentum cum cõclusionibus quidem non pugnat: rationem tamen eam quæ à nobis affertur, non satis firmam esse contendit. Nam concilium Carthaginense & Innocentius numerant quinque libros Salomonis, Prouerbia, Ecclesiasten, Cantica, Sapientiã, Ecclesiasticũ. At hos duos posteriores nõ esse Salomonis inter doctissimos quosque ferè conuenit: vt Augustinus etiam tradit de ciuitate Dei. 17. libro. cap. 20. Erranit igitur Innocentius, errauit quoque concilium. Quocirca nolebant quicquam de fide pronunciare, sed ex opinione loquebantur. Ita nullum aut ex Pontificibus, aut concilijs, certum argumentum sumitur ad id quod volumus confirmandum.

Sextum etiam argumentum inuehitur in eas rationes, quæ duabus istis conclusionibus confirmandis constitutæ sunt. Nam canonicus liber Latinè dicitur regularis. Id verò bifariam esse potest. Vel enim regularis intelligitur ad firmandam fidem, vel ad instruendos mores. Ergo licèt illi libri à Pontificibus & concilijs definiantur esse canonici, non cogimur protinus credere, canonicos esse ad fidei dogmata confirmanda: sed sat est, si canonicos posteriori significatione fateamur. Sancti quoque auctores eadem religione testimonia, ex quarto libro Esdræ referunt, qua ex his septem qui à nobis approbantur: vt patet apud Ambrosium, libr. de bono mortis. capit. 10. & super Lucam, capite primo. At, quartum Esdræ librum certum est non esse canonicum. Non igitur ex eo quòd sancti ex huiusce modi libris testimonia tanquàm sacra referant, satis ostenditur eos esse diuinos.

Septimum argumentum cõtra tertiam conclusionem est, Quòd D. Hieronymus ambigit, an epistola illa ad Hebræos sit canonica: imò asserit Latinos eam non recipere, vt patet ex libr. de viris illust. in Caio: & ex commẽtarijs super Esaiam: Eusebius *C.6.&8* item, lib. 6. cap. 16. Gaius, inquit, vir disertissimus Pauli apostoli tredecim esse epistolas asserit, eam quæ ad Hebræos scripta est non commemorans, quæ & nunc apud Latinos

Latinos putatur non esse Pauli apostoli. Non igitur certum est eã esse canonicam. Dubitat etiam idem Hieronymus de auctoritate huius epistolæ in lib. de viris illustribus in Paulo: & in epistola ad Paulinũ:
Cap. 31. & in commentarijs Hieremiæ.

Ac ne omnia ad D. Hieronymi auctoritatem reuocẽtur, ratio hoc idem ipsa suadet. Prima Lutheri est in prologis dicentis. Ad Hebræos epistola, nec Pauli est, nec vllius apostoli. Nam durum habet nodum, quòd in. 6. & in. 10. capite simpliciter denegat pœnitentiam peccatoribus post baptismum: & duodecimo capite ait Esau non inuenisse pœnitentiæ locum, quanq; cum lachrymis inquisiuerit eam. Quod est contra omnia euangelia & epistolas Pauli. hæc Lutherus.

Alteram quoq; rationem adijciunt viri quidam haud mediocriter in ecclesia catholica celebres: Quòd si Pauli hæc epistola fuisset, proculdubio, ad Hebræos ab Hebræo sermone fuisset Hebraico conscripta: At non esse multis argumentis suadẽt. Tum quoniã auctor huius epistolæ, Melchisedech inquit interpretatur rex iustitiæ. Quòd si Hebraica lingua diceret, absurdum esset non aliter ac si dixisset, Mel*C.8,9.et.10* chisedech, interpretatur, Melchisedech. Tũ quoniam idem auctor Hebraica testimonia citat, non iuxta veritatem Hebraicam, sed iuxta translationem septuaginta. Non erat igitur Hebræus Hebræa lingua scribens ad Hebræos. Tum quoniam epistola Hebraica nusquam gentium reperitur. Non est autem probabile ex omnibus epistolis apostolicis hanc vnam perijsse. Nam reliquæ in idiomate, quo ab apostolo sunt scriptæ, apud nos seruantur.

Tertia insuper ratione suadent auctorem huius epistolæ non fuisse Paulum. Quoniam ad probandum Hebræis Christum esse filium Dei, illo testimonio vtitur,
Cap.1. ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem. Quod tamen in germano literæ sensu de Salomone intelligitur. Vt patet in. 2.
Cap.7. lib. Regum. & in. 1. lib. Paralipomenon. De
Cap.28. decet autẽ tantum apostolum in tanta re, idque in principio epistolæ Hebræis pertinacibus loquentem argumento imbecillo vti.

Quartam adhuc rationẽ addunt: Quo
Cap.2. niam auctor huius epistolæ asserit, se in doctrina euangelica ab his, qui dominum audiere, confirmatum. At Paulus ad Gala
Cap.1. tas clamat, se non didicisse euangelium ab homine, sed sine homine per reuelationem Iesu Christi.

Quintam rursum apponunt, quòd hu-
Cap. 9. ius epistolæ auctor loquens propriè de testamẽto, qua ratione à pacto distinguitur probat vetus quoq; testamentum morte ac sanguine confirmatum: probatq; Exodi
Cap.24. testimonio, vbi tamen Moyses non de testameto proprie, sed de pacto loquebatur. Non est igitur ille Paulus, vt q minus aptè referat sacrarum testimonia literarum.

Postrema ratio est, quoniam eiusdem epistolæ auctor astruit in arca fuisse vnam mannæ, virgam Aaron, & tabulas: cùm tamen tertio lib. Regum expressè dicatur in
Cap.9. arca non nisi tabulas fuisse. Nec igitur Pau
Cap.8. li est, nec epistola canonica, vtpote quæ cum libro canonico euidentissimè pugnet. Ecce quibus rationibus Erasmus Roterodamus, & hunc secutus Caietanus tertiam conclusionem moliuntur euertere.

Quartam verò conclusionem infirmare conantur argumentis eiusmodi.

Salutatio epistolæ quæ Iacobi inscribi- 2. Argum.
tur, nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ pacis ve sonat: sed profano more salutẽ dicit. Non ergo sapit apostolicum vsum et auctoritatem. Quare non videtur Iacobus auctor eius epistolæ: atq; adeò ne alius quidem apostolus. Cuius rei alia cõiectura est apud Euseb. lib. 2. hist. Eccle. c. 23. de hac epistola differentem his verbis. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorũ meminerit eius. Nam quod Lutherus pingui Minerua

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumentatur, hanc epistolam nullius apostoli esse, quia contra Paulum tribuit operibus iustificationem, & à viris doctis prorsus contemnendum est, & à nobis dissimulandum, ne de fide & operibus, πρόφασιν dissideramus,

Nonum argumentum, aduersus eandem conclusionem intenditur. Quòd stylus epistolæ secundæ, quæ Petro tribuitur, longè alius sit ab stylo primæ: ac proinde non sint ab eodem auctore cõscriptæ. Certum est autem auctorem primæ fuisse Petrum Apostolum. Non igitur secunda à Petro Apostolo scripta fuit. Ob hoc enim argumentum de illa secũda epistola in epistola ad Cyprianũ Hieronymus dubitat. Atq; Euseb. lib. 3. cap. 3. de secunda Petri multis inquit, incertum est. &c. cap. 25.

Cap. 25. Decimum argumentum in eandẽ conclusionem est, Quòd Eusebi. 3. libr. Eccles. histo. eorũ sententiæ subscribit, qui asserũt duas posteriores Ioannis epistolas non esse Euangelistæ, sed cuiusdam Ioannis cognométo presbyteri. Vnde & salutatio harum epistolarum huiusmodi est: Senior Caio, Senior electæ. Est autem idem senior qui presbyter. Sed etiam Hieronymum in hac Eusebij opinionem liquet descendisse in libro de viris illustribus, cùm & Ioannis Euangelistæ & Papiæ vitam operaq; texeret.

Vndecimum eandem item conclusionem labefactare contendit. Quòd epistola Iudæ testimonium refert ex libro Enoch apocrypho. Quamobrem multi eam meritò reiecerunt. Nam plerosq; reiecisse Hieronymus auctor est. Euseb. item, 3. Eccles. Cap. 25. histo. libro.

Postremum argumentum cõtra quintam conclusionem multis coniecturis nititur, quas omnes congessit Erasmus in annotationibus in Apocalypsim. Igitur quãtum complector animo, nouem causas reperit, cur Apocalypsis non esse Ioannis Apostoli & Euangelistæ videatur. Vnam q̃ Cap. 39. Eusebius. lib. 3. hist. Eccles. asserit Apocalypsim non esse Ioannis Euangelistæ. Alteram quòd Dionysius Alexãdrinus, grauis imprimis auctor, et qui cãdidissimè de hoc libro iudicauit, suspicatur opus ab alio quopiam Ioanne conscriptum. Tertiam q̃ Dorotheus Tyri episcopus ac martyr prodidit Ioannem euangelium suum scripsisse in insula Patmo: de Apocalypsi autem nullam omnino facit mẽtionem. Quartam q̃ Caius, vir sanè orthodoxus apertè negat, Apocalypsim esse Ioannis Euangelistæ, apud Eusebium. libr. 7. cap. 21. Quintam q̃ Anastasius in suo catalogo, vbi sine cõtrouersia de huiusce modi rebus accuratissimè disputauit, non audet affirmare, hoc opus esse Ioannis Euangelistę. Sextam quòd Ioannes Euangelista nomen suum per modestiam in euangelio tacet, auctor verò Apocalypseos suum contrà nomen frequenter inculcat. Septimam q̃ Græci hunc librum non receperunt, vt auctor est Hieronymus ad Dardanum. imò multi eruditissimi viri totum librum ceu fictum infectati sunt, quasi nihil haberet Apostolicæ grauitatis, nec in sententijs quicquam esset, quod Apostolica maiestate dignum videretur. Octauam q̃ stylus euangelij & huius libri magnoperè discrepant. Nonam q̃ in Græcis codicibus non erat titulus Ioannis Euangelistæ, sed Ioãnis Theologi, qui aliàs presbyter cognominatus est. His coniecturis Erasmus vtitur vt hunc librum Ioanni Euangelistę adimat. At Lutherus nec apostolicam, nec propheticam existimat, quòd beatos dicat eos, qui seruant, quæ in ea scripta sunt, cùm tamẽ nemo sciat an fœlix sit, an non sit: & præterea cùm humana intelligentia scripturam illam penitus non assequatur, tantundem (inquit) est, ac si eã non haberemus. Quippe diuini libri, quoniam ad populi vtilitatem accommodantur, ab humana intelligẽtia non sunt prorsus remoti. En argumenta, quibus fidei veritas impugnari quidem ab hominibus potest, vinci certè aut superari non potest. Qđ parte huius quæstionis vltima palàm fiet.

Euse. lib. 3 cap. 23.

Vide etiã eundẽ libr. cap. 25.

Vbi

Vbi eorum argumẽtorum quantũ quodque valeat, quantumq; idoneum sit vnum quodq; videbimus.

¶ Cap. Vndecimum. Vbi confutantur argumẽta capite nũc proximo posita.

NOn ego catholica dogmata crassis istorum circũfunderem tenebris, nisi lumen possem accẽdere, quo quasi sole exoriente fugarẽtur. Alioqui in hæreticorum argumẽtationibus recitãdis digitos ad fontes solùm intendere, ne videlicet lutulentæ illorum aquæ in nostra scripta deriuentur: Consilium est amicorũ quidem, sed (nisi me fallit amor) timẽtium vbi nõ est timor. Existimarent namq; imperiti argumenta esse maiora quàm vt à nobis refelli possent, si aut summatim & breuiter perstringeremus, aut certè omnino dissimularemus. Mucronem itaq; aduersariorum ipsi, qui acumus, retundemus.

Nam ad primum argumẽtum tametsi respondere possumus, non omnes libros canonicos esse simul ab vniuersa ecclesia receptos, quo fieri potuisse, vt quem priora concilia minimè recepissent, eũ posteriora confirmarent: Respondemus tamẽ (idq; verius) Baruch prophetiam tanq̃ partem quãdam Hieremiæ fuisse à veteribus cõputatã. Quod (ne nostrum videatur esse commẽtum) testimonijs antiquitatis roborandum est. Augustinus in primis tradit hoc Cap. 33. Baruch. 3. 18. de ciuitate Dei libro hæc in verba, Prophetãs aũt de Christo Hieremias, hic Deus meus (inquit) & non æstimabitur alter ad eum: Post hac in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Atq; euestigio Augustinus hoc testimoniũ (ait) quidã non Hieremiæ, sed Baruch scribę eius attribuũt: sed Hieremiæ celebratiùs habetur. Et auctor libri. q. ve. & no. testa. q. 102. siue Augustinus siue quicũq; tandẽ alius is fuerit. Cap. 10. etiam in Psalm. 81. Chrysostomus quoq; idẽ testimoniũ nomine Hieremiæ citat in homilia quadã de Trinitate. Sexta etiam Synodus sess. 8. refert ex eiusdẽ Chrysostomo altera homilia, cuius initium est, Profundam sectionẽ nomine Hieremiæ illud idẽ testimoniũ. Clemẽs itẽ Alex. lib. 1. Pædago. cap. 10. illud, Audi Israel mandata vitæ. &c. quod Baruch. 3. nos habemus, Hieremiæ assignauit: & lib. 2. cap. 3. referens illud, vbi sunt. &c. diuinam scripturã vocat. & Basilius. 4. libr. cõtra Eunomium super illud, vt cognoscant te solum verum Deum. Ambrosius item lib. 1. de pœnitentia. cap. 8. & lib. 3. Exameron cap. 14. & lib. 1. de fide. cap. 2. ex eodem libro sub nomine Hieremiæ testimonia referunt. His adde Sixtum Papam in epistola sua prima ad omnes Christi fideles. Fœlicem in epistola ad Petrum episcopum Antiochenum in. 5. Syno. condemnatum. Pelagium denique in epistola ad Vigilium. Ecce qui libellus Baruch nomine nunc legitur, eum olim antiqui Hieremiæ tribuebant. Essetque difficile credere, nisi testes huius rei certissimos haberemus, quorum auctoritate primum illud argumẽtum, difficulter quidem, sed abundè tamen elusimus.

Ad confirmationem autem faciliùs responderi potest. Fateor enim tempore. D. Hieronymi, quod nũc tenemus, id nõ fuisse adeò certum. Sed queadmodum ante tempora Hieronymi licèt quidam asseuerint epistolam Iacobi ab alio sub nomine eius editam, tamen paulatim (vt idem ait) procedente tempore obtinuit auctoritatẽ, & epistola Iudæ, quam à plerisq; Hieronymus astruit fuisse reiectam, auctoritatem vsu meruit: ita & liber iste Baruch quanquàm olim à quibusdam non fuerit receptus, modò tamen dignus est habitus, qui ab ecclesia & concilijs vniuersalibus reciperetur.

Secundum quoq; argumentum facilè diluitur. Nec. n. verum est, in libris canonicis decernẽdis ecclesiæ regulã esse Hieronymũ: quod Caietanus perperã ne dicã pernicioſè

Universidad de Deusto
Biblioteca

In principio epi. ad Hebræ. & in respõsione ad.16. arti. Parisijs dãnatos artic.4.

niciosè existimauit. Hieronymus quippe (vt Ioannes Cocleus verè dixit) in enumeratione canonicorum librorum veteris testamenti, Iosephũ secutus est: qui in.1.libr. aduersus Apionem ex maiorum suorũ traditione, vt inquit.22.libros enumerat. Auctor est Euse.lib.3.cap.9.&.10. At Augustinus non Iudæos, sed Christianos in ea re sequitur, & rectè hic quidem: Nam ecclesia gentium columna est & firmamẽtum veritatis. Probatur verò à Gelasio sententia Hieronymi non in canone sanctarum scripturarum constituendo, sed in his auctoribus condemnandis, quos Hieronymus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Atq; ad secundum argumentum hæc satis dicta sint.

Cap. 14.

Nam ad primam eius confirmationẽ respondeo (id quod doctiores ferè credunt) librum illum non esse Cypriani, sed Ruffini. Certè D. Cyprianus in epistola ad Rogatianum, Ecclesiasticum, & in libro de habitu virginum, Sapientiam, vt diuinos libros citat. Quòd verò Ruffinus asserit, ex patrum traditione eos libros à canone reijciendos (pace lectoris dictum sit) patrum traditiões ignorauit. Tertium namq; Carthaginẽnse concilium, quod hos inter canonicos numerauit, dicit se à patribus accepisse. & Augustinus lib.1. de prædest. Sanctorum, proximos apostolorum affirmat librum Sapientiæ tanquã diuinum citauisse. Atq; Dionysius ex eodem libro magno præfationis honore testimonium allegat,

4. cap. De diuinis nomi.

inquiens, In primis scripturarum institutionibus quendam de diuina sapientia dixisse comperies, Amator factus sum formæ illius. Quid omnes commemorem? Hieronymus in primum caput Hieremiæ vt librum prophetæ citat: Ambrosius autem

Cap. 4. Cap.1.

1.libr. de fide, Gregorius. 18. moralium. & concil. Sardicense in epistola ad omnes episcopos vt diuinum librum Sapientiæ referunt. Concilium demum Toletanum vndecimum in confessione fidei sanctam esse pturam asseuerat.

Quid Ecclesiasticum? Vt diuinum citat Clemens Alex. 7. lib. Strom. Ambros. serm. 31. & lib. 4. de fide. Euaristus papa in epistola prima ad episcopos Aphricanos: Sixtus secundus in epistola ad Gratũ episcopum. Vtrumq; autem librum diuinam scripturam esse tãquam rem certam in fide tradit Epiphanius hæresi. 76. Anomœorum. Non igitur patrum traditione eos libros Ruffinus, sed suo potiùs sensu refutauit. At eo tempore quo res nondum erat definita. Qua etiam ratiõe & reliquos excusamus. Nam quòd D. Thomas in eã sententiã aduocatur, id ferendum nullo modo est: vt ex.1.parte.q.1.art.3. colligere licet. & ex commentarijs in quartum caput de diuinis nominibus. Sed in illa quæstione. 89. nihil de suo dixit: quin ad verbum retulit Augustinum. Qui tamen quàm haberet cõstantem firmamq; sententiam, lib.2. de doctrina Christiana. cap.8. & libr. 17. de Ciuitate Dei. c.8. & ad Honoratum contra Priscilianistas. capit.11. imò eo ipso libro de cura pro mortuis gerenda. cap.17. manifestè declarauit.

Cap. 4.

Secunda autem confirmatio, quę ab auctoritate concilij Laodiceni sumitur, imbecilla est. Non enim concilium negat esse canonicos: licèt inter canonicos noluerit annumerare: quòd nondum ea res satis erat explorata. Videlicet (quod sæpè iam diximus) non omnes simul libri canonici ab ecclesia sunt communi consensu recepti.

Ad tertiã verò confirmationem (Quoniam nihil in præsentia de auctoritate canonum, qui dicuntur apostolorum, disputare volumus; nam hęc quæstio ab ea, quæ nunc in manibus est, separatur) dupliciter respondemus. Priùs, ne quis eiusmodi argumẽto nos velit vrgere, intelligat eodem cap.84. tres Machabæorum libros inter canonicos supputari. Quòd si apostolorum hos octogintaquinque canones recipere cogimur, respondeant hi ipsi nobis qui Machabeorum libros reijciunt. si autem (ne confiteantur hos esse canonicos) testimonium

monium huius capituli contemnunt: iam profectò non est cur pondere illius nos velint obruere. Sed hanc disputationem (vt diximus) in aliud tempus reseruantes, quod ad præsentem locum satis est, alteram responsionem subijcimus: Clementem qui eos canones dispersos in vnum volumen congregasse dicitur, non omnes libros canonicos collegisse, quos apostoli verbo tenus ecclesiæ tradiderunt. Non enim aliunde, vel concilia, vel patres apostolorum proximi, hos esse sacros, quàm ab apostolis didicerunt. Ait tamen Irenæ. lib.3.c.3. referturque ab Euseb. libr. 5. cap. 6. Clementem, quoniam cum Apostolis vitã semper egerit, atque ab apostolis institutus fuerit, recentem gessisse traditionis eorum memoriam, & eorum formam semper in oculis habuisse. Ita si hæc responsio non placet, detur alia, non omnes illos canones à Clemente editos, sed nonnullos à Græcis adiectos esse.

Cap.11.

Ad postremam denique confirmationem, huiusmodi habeto responsum. Vt cũ ijs liberaliter agamus, donemusque eis Synagogã in fide errare non posse (quod tamen nõ perinde vt de ecclesia catholica certum est) negamus hos libros à Synagoga esse reiectos. Aliud est enim non recipere, aliud verò reijcere. Iudæi ergo intra suum canonem hos quidem libros publica auctoritate minimè receperunt: tametsi nonnulli etiam ex eis diuinos & sacros esse crediderunt. Qua de re vide Coclæum in libello de canonicæ scripturæ & catholicæ ecclesiæ auctoritate. De secundo igitur argumento hactenus.

Ad tertium autem præcipuum argumentum respondetur, Ante id temporis necrem fuisse tam expeditam, nec concilicorum lectionem tan assiduam, nec hæretiorum impudentiam tam procacem in libris canonicis, vel infirmandis, vel etiam reijciendis. Quocirca, non fuerunt perinde soliciti fideles de huiusmodi quæstione: cuius definitionem sine iactura pietatis poterant ignorare. Quòd si argumentum idem contorquere in aduersarios volumus, nihil est quod faciliùs efficere possimus. Nam (vt ex concilio primo Toletano didicimus) si qs dixerit, vel crediderit alias scripturas, præter eas quas ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas esse, vel venerandas, anathema est. Cùm ergo plerique (quod retrò nos ostendimus) hos libros tanquam diuinos venerentur, certè si ecclesia non reciperet, in anathema concilij Toletani pariter omnes incurrerent. Ne igitur hos audaciæ & temeritatis condemnemus, illos potiùs ignorantia laborasse concedamus. Imò cùm perniciosius ecclesiæ sit libros recipere pro sacris, qui re vera non sunt, quàm librum reijcere, qui aliàs verè sacer est (vt Diuus Thomas prima part. quæstione sexagesimaoctaua. articulo primo. & de potentia quæstione quarta. articulo primo. latiùs explicat) cùm concilij Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, Innocentius, Gelasius, ac ferè sancti hos libros tanquam sacros ecclesiæ tradiderint, profectò, si ij non essent, perniciosissimè falleremur. De tertio igitur argumento satis dictum est.

6. Etymolog.c.1.

Ad quartum verò argumentum primò dicitur, quòd Gelasius forsitan vnius libri nomine ambos complectitur: quod etiam in Esdra non ipse modò fecit, sed & Isidorus & Hieronymus qui Esdrã interprætatus, vnicum edidit, sequens Hebræorum consuetudinem, qua Esdræ primus & secundus liber in vno est, vt Origen. in primum psalm. docet, & Eusebius libro sexto. capitulo decimooctauo. Hanc autem mentem fuisse Gelasij, vel illud abundè magnum argumentum est, quòd idem ipse probat lectionem scripturarum, quæ per anni circulum distribuuntur, librum aũt Machabæorum pro dominicis Octobris: in quibus ambos ecclesia legit. Deinde respondetur, Gelasium de secũdo libro ambiguã fortè sententiã tenuisse: eoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.36. Cap.1.

se: eoque consilio in enumeratione eum librum prætermisisse. At Augustinus. 18. de ciuitate Dei. & Isidor. 6. Etymologiarum, vtrumque Machabæorum ab ecclesia recipi asseuerant. Quod & in proœmio horum librorum asseritur. Nec id modò in dubium vocare licet, quod D. Gregorio, Eusebio, atq; reliquis licuit aliquando dubitare.

Iam ad primam rationem, quæ in huius quarti argumenti confirmationem affertur, Ioannes Annius in commentarijs super secundum librum Philonis de temporibus tradit, libros Machabæorũ, qui absq; temporibus scripti erant, Iosephum adiectione temporum apocryphos reddidisse. Ostendit verò id argumento, quo nos vsi sumus: quo eodem Ioannes quoq; Lucidus permotus est. 4. suæ chronographiæ libro. Vnde autem Annius noster acceperit aut sine temporibus Machabæorum olim libros haberi, aut Iosephum adiecisse tempora (ingenuè fateor) me præterit. Sed si id verum est, quemadmodum mẽdum, quod in numeris facillimum est, non auctoribus sed librarijs imputatur: ita menda, quę Iosephi per incuriam inducta sunt, non auctori libri Machabæorum, sed Iosepho tribuemus. Nec ob id libros hos apocryphos existimabimus. Tametsi Iosephũ germanam veramque catholicorum lectionem vitiasse viris ecclesiasticis omnibus dissimulantibus atque adeò conniuentibus, mihi quidem non fit verisimile. Nisi volumus mille quingẽtos annos & eò amplius ecclesia in vtramq; aurem dormitante inimicum hominem zizania superseminasse. Quamobrẽ, multò melius Eusebius Cæsariensis licèt hos libros non crediderit in sacrorum numerum referendos, asserit tamen auctorem illorum non supputare Græcorum regnum ab Alexandro, sed à Seleuco Nicanore, qui regnauit in Syria anno à morte Alexandri exacto vndecimo. Cui numero si addas quinque annos, quibus Alexander tanquam monarcha impe-

Annius hos libros Philonj. tribuit at docti negant.

Quinq; annos inte-

rauit Græcis, conficitur numerus annorum exactus sexdecim. Quibus minor erat supputatio monarchiæ Græcorum iuxta rationem Hebraicam. Nam Græci ab Alexandro supputabãt. Igitur quod iuxta annalia Græca Antiochus regnasse dicitur anno centesimo quinquagesimotertio, & iuxta primum Machabæorum anno centesimo trigesimoseptimo, verborum, non rerum dissensio est. Quippè, si centesimo trigesimoseptimo sexdecim adijcias, numerus cẽtesimus quinquagesimustertius conficietur. Ioannes verò Lucidus in eo discrepat ab Eusebio, quòd scribit Alexandrum post adeptam monarchiam annos septem regnasse, Seleucum verò anno octauo post mortem Alexandri iam exacto. Sed quod ad præsentem attinet quæstionem, non admodum refert, vtrũ ex his verum sit: cùm supputatio præcipua, de qua hîc agimus, minimè varietur.

In huius verò confirmatione argumenti Ambrosius Catharinus Caietanum affirmat tot peccata admisisse, quot verba penè effudit. Sic enim ille loquitur. Nec adiuerit homo ad carpendum promptulus, se quoque in reprehendendo Caietano sæpè ac multùm errasse. Hoc certè loco ter errauit. Sed istius errores coarguere nec mẽsi est, nec huius temporis. Quid ergo? Nonne hîc peccauit Caietanus? Peccauit sanè. Primùm in eo qp temerè & inconsideratè, ne superbè dicam & arroganter, auctorem libri Machabæorum ait in intelligentia Danielis esse deceptum: quem cõstat Spiritus sancti afflatu eum librum scripsisse. Deinde falsò existimat Caietanus, si auctor libri Machabæorum verba Danielis vsurpat, id circò Danielem interpretari. Quasi non licuerit Bernardo verbis scripturarum passim vti: quas si quis arguat ab ipso malè intelligi, quòd verba nó in eum afferat sensum qui scripturarum erat germanus & proprius, is stultus esse videatur. Certè poëtæ recentiores veterum versus etiam integros vsurparunt elegantissimè: nec tamen

gro: gnauit terea liquot sci.

priorum

Lib.4.

priorum illi versus à posterioribus in eandem sentẽtiam capiũtur. Fallitur præterea Caietanus in eo quod putat, Danielis prophetiam nõ potuisse ad idolum Antiochi referri: quia dominus ad futura tempora referẽdam declarauit. Eadem quippè scriptura & ad Luciferum pertinet & ad Nabuchodonosor, & ad Antichristũ. Vanissimũ ergo fuit auctorẽ libri Machabęorũ reprehẽdere qp in idolo, abominatione & desolatione Antiochi ad verba Danielis alluserit, vel ea certè in simili causa vsurparit. Nam & si in illũ sensum Danielem adduxisset, id fecisset egregiè, quod & Paulus & apostoli cæteri sæpè fecerunt.

At secunda ratio duobus modis refelli tur. Priùs em̃ nihil impedit vt Spiritus sanctus scriptori astsistat, qui in quibusdam tamẽ humano more ex modestia loquitur. Sic enim Paulus ait, & si imperitus sermone, non tamen scientia. Et rursum, vt minus sapiens dico plus ego. Et iterum, donate mihi hanc iniuriam.

2. ad. Cor. 11.

2. ad Cor. 12

Posterius aliud est loqui de ipsius historiæ veritate, aliud de interpretatione in aliã lnguam. Interpres ergo veniam petit, non fallitatus, quæ nulla erat: sed elocutionis, quæ ab homine erat. Secunda igitur illa ratio hac duplici responsione conuellitur.

Sed & tertia bis quoq; cõfutari potest: & qanó est opus cõfiteri, epistolam, cuius in priori fit mẽtio, eam esse, quæ euestigiò subditur: & qp si esse qs contẽdat, habet in prõptu quid dicat: pũcta librariorũ incuria esse malè distincta. Illa enim verba, Anno centesimo octogesimooctauo, non sunt initium epistolæ sequẽtis, sed finis antecedẽtis. Vt subsequẽs epistola hoc principium habeat, Populus qui est Hierosolymis. Cuius rei illud est argumentum, quòd dié annumuè, quo scribitur epistola, nõ ab initio statim, sed à fine ponere solemus: salutationem verò statim à principio. Tametsi vtrumq; Constantinus & in epistola ad Donũ papam, & in epistola ad Georgiũ Cõstan. Patriarchã, coniunxerit.

Quæ igitur secũdo loco ponitur, hęc scripta est anno cẽtesimo sexagesimonono, vt in priori epistola dicitur. Quæ verò ordine quidé scripturæ antecedit, sed reipsa tamen posteriùs missa est, ea scripta fuit anno centesimo octogesimooctauo.

Ita ad quartã rationem facilè dici poterat (quod antè monuimus) illã epistolam non esse cuius prior meminit. Quare nec necesse est fateri, eam esse scriptã anno centesimo sexagesimonono. Quin cõpilator illius secũdi libri, siue is fuerit Iosephus, vt Annio placet, siue quisq; alius, quascũq; epistolas inuenire potuit à Iudęis scriptas, nullo seruato ordine, in initio libri forsitan collocauit.

Quòd si secũdam illã esse admittimus, quam cõmemorat prima, dicere oportet, numerũ non secũdùm Hebraicam computationẽ haberi, sed secũdùm Græcam. Potuit enim (nec id incommodè) fieri, vt qui eas literas dederint, ij Græcam monarchiæ supputationẽ fuerint secuti: quam tamen is qui librum illum dicitur in cõpendiũ redegisse, noluit immutare: sed exscribere numerũ, vt scriptũ reperit. In alijs verò secutus est semper supputationem Hebraicã. Iudas itaq; mortuus est iuxta Hebræorum rationem anno cẽtesimo quinquagesimosecũdo expleto: hoc est, anno cẽtesimo quinquagesimotertio. Quibus si apponas sedecim annos Græcæ supputationis, cõstat numerus centesimus sexagesimus nonus: qui idé est cum priori. Nã, quo anno Iudas mortuus est, scripsit epistolã. Ita non est necesse cũ Ruperto libro de victoria verbi, aliũ à Machabæo Iudã diuinare, qui eam epistolam dederit.

Libr.10. de Vict. uerb. cap.15.

Ad quintam non desunt qui existimẽt non Antiochũ mẽbratim diuisum, sed ducem ab eo missum: sic enim videtur. 1. cap. significari. Illum verò fuga elapsum morbo pestiléti interijsse, vt cap. 9. dicitur. Sũt etiam qui contẽdunt in cap. illo. 1. particulam, &, adrectam esse librariorum vitio: lectionem autem veram hanc esse, Percusse

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt ducem,& eos qui cum ipso erant diuiserunt mẽbratim,&c. Scio autẽ verbum percutere interdũ significare id, quod occidere. Vt eo loco Percussit Philistęũ,&c. Et ibi Percussit Saul mille,&c. Sed non cogimur hic vocabuli propria significatiõe deserta ad dictionẽ confugere figuratam, præsertim cùm Danielis.11.cap. de Antiocho scriptum sit, Et veniẽt super eum Romani & percutietur. Quo loco Hieronymus. Percussus ait, dicitur esse, non quod interierit &c. Et.2.Reg.2. Serui Dauid percusserũt de Beniamin.360. qui & mortui sunt. Sed ne illud quidẽ huic expositioni repugnat, qđ Lyranus obijcit, Antiochũ (vt hic dicitur) cecidisse. Nõ enim semper eo verbo mors significatur: sed q victus
Iosue.7. est cecidisse verè asseritur. Ceciderunt (inquit) per prona fugiẽtes. Sed ne illud quidẽ obstat qđ ibi legitur, Cũ ingressus esset intra ambitũ fani, clauserũt tẽplum: Cùm autem intrasset Antiochus,&c. Vbi videtur designari Antiocho concluso nullum fuisse locũ fugiẽdi reliquũ. Non enim intelligendũ est tẽplũ clausum post ingressũ ducis: sed cùm milites essent intra fani ambitum, vt si exẽpli causa dicamus, in atrijs, sacerdotes clauserũt ianuas tẽpli. At cõtrà, cùm milites Antiochi aditũ tẽpli occultũ aperuissent, vt cognita res est, lapidibus sunt à Iudæis obruti. Potuit ergo dux ipse percussus, si ducis nomine Antiochus intelligitur, quo aditu aperto intrauerat, exire atq; fugere. Ob quam fugã. c.9. dicitur, inhoneste ac turpiter de Perside redijsse. Sed ne rimulas quęrere ad elabendũ videamur, illa respõsio & planior & verior est, cui historicorũ grauiũ cõsentit auctoritas nõ eundem esse Antiochũ de quo primo capite & de quo capite nono perhibetur. Sed ibi Antiochi magni mortem scribi, hîc verò Antiochi Epiphanis. Cuius etiã finis.1.libr.cap.6.texitur. Nam illum Strabo libro.16. ait templum Beli expoliare conatum finitimos Barbaros interemisse.

Ad sextam, licèt Rupertus omnia ea figuratè velit intelligi de arca noui testamenti, id est, humanitate Iesu Christi: ad literam tamen miraculum illud vel iam factum est, cùm expulsis gentibus à Iudæa Hebræi ex diuersis locis, vbi erant dispersi, conuenerunt: vel fortè etiam in conuersione Iudæorum ante diem iudicij futura fiet.

Nec nostris cõiecturis diuina promissio debilitanda est. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

Postrema demum ratione soluenda variè torquentur auctores. Alij nanque fingunt, Machabæos per matrem à tribu Iuda originem ducere: eaque ratione defendunt, sceptrum de Iuda non esse translatum. Alij sequẽtes traditiones Talmud astruunt, Machabæis quoq; existentibus ducibus, fuisse iudices quosdam ex tribu Iuda, penes quos summa decernẽdi atq; imperandi potestas resideret. Qui Hebraicè סַנְהֶדְרִים, Latinè senatus vt apud Roma nos appellabatur. Vnde illud est, Populus qui est Hierosolymis, senatusq; & Iudas, &c. Hos itaq; cùm Herodes qui primus ex alienigenarum genere ortus regnum Iudaicæ gentis obtinuit, in odium Dauidici regni de medio sustulit, tum verè sceptrum de tribu Iuda dicitur abstulisse. Alij hunc nodum soluunt: affirmantes illam Iacob prophetiã promissionem fuisse ad legem comminationum intelligendam: quæ scilicet mutatis moribus commutetur. Et quemadmodum sentẽtia aduersus Niniuitas post pœnitentiam translata est, ita quoque hæc diuina promissio, filijs Iuda peccantibus fuerit commutata. Quam quidem normam in explicandis tùm comminationibus, tùm promissionibus ex Ezechiele desumunt: apud quem Dei & comminatio & pollicitatio pro conuersis, aut auersis hominum moribus transferuntur. Nos verò, quibus consilium est alienas expositiones nõ inimicè, aut insectari, aut repellere, faciliùs hunc locum expediemus, si ex

Zanchius

Ezech. 18. uide.& gũ.7. Reg. 9. promissio throni uidi fallit

primo

primo Machabæorum libro intelligimus populum Iudæorũ ducatum Machabæis tradidisse, non tãquam propriũ & hæreditarium, sed ad legẽ depositi conseruãdum: vt videlicet Israeliticam plebẽ interea tuerentur, donec surgeret propheta fidelis, vel qui eos instrueret, vel quem de tribu Iuda venturum expectabãt. Qua ex re sceptrum de tribu Iuda non auferebatur: eo præsertim, quòd ipsa quoque tribus in hoc populi conditum sententiamq; à principio saltem creditur consensisse. Quartum ergo argumentum cum suis cõfirmationibus hoc modo fuerit confutatum. Nam quòd argumentum Caietanus in Matthæi.24. ponit auctorem libri Machabæorum errasse in interpretatione prophetiæ Danielis, quã ad Antiochum ille refert, cùm Lucas ad exercitum Romanorum perspicuè retulerit, id nullius momenti est. Eadem quippè litera & ad Nabuchodonosorũ & ad Antichristum spectare potest. Sic eadem & ad Antiochum, & ad Idolum Romanorum & ad Antichristum pertinet. Quæ omninò res, quoniam nihil obscura est, nostra explicatione non eget.

At quintum argumentum refellimus. Non modò concilium Carthaginẽse, & Innocentius, sed pleriq; alij Sapiẽtiam & Ecclesiasticũ Salomoni assignauerunt. Nam, librũ quidem Sapiẽtiæ nomine Salomonis citat Tertullianus de præscriptionibus hæreticorũ: Origenes super epistolã ad Romanos libr. octauo: Cyprianus sermone quarto de immortalitate: Basilius libr. 5. contra Eunomiũ: Ambrosius sermone octauo in psalmum, Beati immaculati: & lib.3. Examer on.c.15.&.4.lib.de fide.c.6. & Eusebius.11. lib. præparationis Euangelicæ.c.5. Quin Eusebi⁹ ipse lib.4. Ecclesiasticæ histo.c.22. asserit, Egesippum, Irenæum, & oẽs antiquos librũ Sapientiæ Salomoni tribuisse. Tribuerũt certè Euaristus in epistola ad episcopos Aphricanos, Felix primus ad oẽs episcopos Galliæ, Felix secũdus ad Athanasiũ & cæteros episcopos Aegyptũ, Epiphanius hæresi

Hilar. in psalm.128. Cassiodo. in psal.88. & 89.& 91. Et.5.lib. histo.ecclesiæ c.8.

76. Anomæorũ. Damascenus quarto suæ Theologię libro: vbi Iodoc⁹ Clichtoueus multis argumentis contẽdit, librum illum non fuisse Philonis, sed Salomonis. In quibus illud maximũ est, q verba quę auctor capite nono eiusdem libri de se dicit, non alij quàm Salomoni congruere possunt. *Cap.18.*

Ecclesiasticum quoq; auctores nobilissimi Salomonis nomine retulerũt: Clemẽs Alexã.lib.7.stro. Gregorius Nazanzenus oratione octaua, Basilius quarto libr. cõtra Eunomium, Chrysostomus, siue quis alius fuerit, homilia.3. imperfecti operis in Matthęũ, Ambros. super.7. caput prioris ad Corin. Hieronymus in cap.10. Ecclesiastes, Cyprianus ad Rogatianũ, & tertio lib. ad Quirinum, & primo sermone de eleemosyna, Cassiodo. in psal.55.&.66. &.93. Gregorius 10.lib.Moraliũ. &.1.q.1. c. non est putãda, *Cap.19.* *Cap.14.* Sixtus primus in prima epistola ad oẽs fratres, Marcellinus ad Salomonẽ episcopum, Fabianus in epistola ad oẽs Orientales episcopos, Sixtus secũdus ad Gratũ, Damasus ad episcopos Italię, Ioãnes papa ad Valeriũ episcopum. Quòd si post tot tanq; graues auctores libros illos Salomonis esse affeueremus, nihil erit, pfectò cur timere debeam⁹.

Deinde librũ esse huius aut illius scriptoris nõ admodũ interest catholicæ fidei, dũmodò Spiritus sanct⁹ auctor esse credatur. Quod Gregorius in procœmio super Iob capite primo eruditè & tradit & explicat. Nec enim refert, qua penna rex epistolam scripserit, si verè scripsit. Vnde, nihil obstaret, vt in ea re, quę ad fidem non pertinet, Innocentius & concilium Carthaginense cõmunem antiquorũ opinionẽ sequerentur. Nec proinde tamen in libris canonicis enumerandis errare potuere, quippe quòd ad fidem attinere certum sit. *Vide ea quæ in confutatione.7. argumenti ex Hieronymo reseruntur.*

Deniq; vt has duas responsiones prętermitteremus, habemus aliam multò potiorem: quam ex Eusebio.lib.11. prępar. euãgelicę Ioãnes Driedonis expressit. Cùm enim Salomon, iuxta scripturam, locutus fuerit tria millia parabolarũ, & carminum *Cap. 5.* *3. Reg. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinq; millia, quę non sunt in vnum aliquod volumẽ à Salomone coacta: fuerunt alij atq; alij qui sententias Salomonis sparsas collegerunt: vt patet prouerbiorũ. ca. 25. Ita Augustinus Eugubin⁹ secutus rabbi Moysen & Talmudistas, credidit Esaiam libros Salomonis scripsisse. Quod equidem incertũ habeo: illud verò exploratum, sententias librorũ, qui sapiẽtiales vulgo nuncupãtur, à Salomone quidẽ fuisse primùm exceptas, sed non ab eodem auctore collectas. Vnde & Iesus Sirach in Ecclesiastico, non ait se protulisse, sed renouasse sapiẽtiam de corde suo. Huius ergo rei Innocẽtius & concilũ Carthaginense non ignari, optima ratione hos oẽs libros Salomoni dederunt. Ac de quinto argumento hęc dixerimus.

In Cõmentar. super Genes.

Cap. 10.

Sextum verò argumẽtum Caietani est in fine commentariorum super libros historicos veteris testamenti. Pudet autem virum alioqui ingeniosum & doctũ, virum pium ac nostrę familię columen, vano distinctionis nouę commento argumẽtum firmissimum eludere voluisse: atq; vt leuiorem plagã repelleret, grauiorẽ accepisse. Cũ enim nomẽ libri canonici apud scriptores oẽs, vno excepto Caietano, pro sacro atque diuino sumatur, non modò comprehendi animo, sed ne suspicione quidem potest attingi, pontifices & concilia omnia aliter vocabulum vsurpasse, q̃ erat in vsu vniuersorum. Deinde, concilium Carthaginense, ne quis aliter inuerteret, quid nomine scripturarum canonicarum intelligeret, declarauit: inquiens, Præter scripturas canonicas, nihil in ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canonicæ scripturę. &c. Et Innocentius, hi libri (ait) recipiuntur in canonem sanctarũ scripturarum. Et in concilio Florentino eodem spiritu inspirãte illi oẽs libri quos suscipit, & veneratur ecclesia, & de quibus prętens disputatio instituitur, scripti à sacris auctoribus asseruntur. Prętera, cùm sub eodẽ contextu omnes illi libri nullo facto discrimine definiantur esse canonici, ridiculum est vt partim in vna significatiõe, partim in alia, libros canonicos habeamus. Ac si hanc sẽmel distinctionem admittimus, auctoritate conciliorũ atq; pontificum nullus liber sacer constare poterit. Nam, pari causatione, si id quidem lubitũ esset, hæretici dicerent, vnumquemlibet de cæteris non esse canonicum ad firmãdam fidem, sed ad instruendos mores. Id quoniam absurdum omninò est, retineamus potiùs eã rationẽ oportet, quam Caietanus voluit euertere: vir (vt sæpè iã dixi) cum primis eruditus & pius: sed qui in libris sacris constituendis Erasmi nouitates ingeniũq; secutus, dum alienis vestigijs voluit insistere, propriã gloriã maculauit. Ac de sexto argu. hactenus.

Ad confirmationem autem facilius respõderi potest, Non Ambrosiũ modò, sed & Cyprianũ ad Põpeianum, & August. 18. de Ciuitate Dei, referre ex. 3. & 4. lib. Esdræ testimonia: sed non tanquam ex spiritu diuino edita, quib⁹ scilicet nefas sit refragari.

Cap. 16

In septimo principali argumẽto molestè fero non alienos modò, verũetiam nostrates (bona venia legetur) in tã nouã, ne dicã leuem sentẽtiam incidisse, vt epistolam ad Hebræos apostoli Pauli esse negauerint. Sed id multò molestius, vt si Pauli non sit, protinus non sit canonica. Nam, auctore incerto poterit epistola certò esse canonica. Siue enim Lucas, seu Barnabas (quod quidam sunt opinati) eam epistolam scripserint, canonica erit. Nam, & per Lucam & Barnabã Spiritus sanctus loquebatur. Sed ad rem. Cùm hæreticum sit hanc epistolam à sacris scripturis excludere, certè temerarium est (ne quid amplius dicam) de huius epistolæ auctore dubitare. Quem Paulum fuisse certissimis testimonijs cõfirmatur. Origenes in primis libro primo cõmentariorum super Matthæũ, & refertur ab Eusebio lib. 6. ecclesiasticę historiæ, Ego dico (ait) q̃ ipsa manifestissimè est Pauli apostoli, & semper oẽs antiqui maiores nostri eã vt Pauli Apostoli susceperũt: & opinio vsq; ad nos peruenit, q̃ sermo eius est

Arius negauit hanc epistolã esse Pauli. auctor est Epiphan. hær. 69.

Cap. 18.

Græco

Græco sermone compositus, vel per Clementem Romanæ vrbis episcopum, vel per Lucam.

Cap. 11.

Clemens item Alexandrinus apud Eusebium. 6. Ecclesiasticæ historiæ libro: Manifestè (inquit) est Pauli, scripta quidẽ Hebræo sermone tãquam Hebræis: sed à Luca in Græcum interpretata.

Cap. 37.

Eusebius quoq; in eandem sententiam init. 3. lib. historiæ ecclesiasticæ. Vbi cùm dixisset Clemẽtem Romanũ Episcopum in epistola ad Corinthios nomine Pauli testimonijs huius epistolæ vsum, continuò subijcit. Vnde constat q̃ apostolus hanc epistolã tanquam Hebræis mittẽdam patrio eã sermone conscripserit: & (vt quidã tradunt) Lucã Euangelistã, alij aũt Clemẽtem interpretatũ esse: quod & magis verũ est. Quia & stylus ipse epistolæ Clemẽtis cũ hac cõcordat, & sensus nimirũ vtriusq; scripturæ plurimã similitudinẽ ferunt. Hactenus Eusebius. Et cap. 3. eiusdẽ libri. Pauli manifestè. 14. sunt epistolæ. Dies me deficiet, si velim enumerare auctores Græcos, qui hanc epistolã Paulo tribuerunt. Nec minus si commemorem etiam Latinos. Quid enim referam Athanasium in epistola ad episcopos Aphricanos, & lib. 11. de fide Trinitatis? Quid Cyrillum duo decimo libro Thesau? Quid Chrysostomum infinitis propè locis? Quid Ignatiũ, quid Irenæum, quid Damascenum? Quid Anacletum in epistola de ordinatione episcoporum? Quid Iginium in epistola ad omnes Christi fideles? Quid conciliũ Laodicenum? Quid tandem concilium Ephesinum? Cùm omnes Græci scriptores (vt auctor est Hieronymus ad Dardanum) hanc epistolam apostoli Pauli esse vna voce fateantur. Theophilactus certè miratur eorum impudentiam, qui hanc epistolã Pauli esse inficiantur. Affirmatq; eos nõ secùs peccare, quàm si à Paulo abesse Christum negarent. Quid Latini? Nempè fatẽtur etiam. Fatetur Ambrosius super psalmũ, Beati immaculati. & libro de his qui mysterijs initiãtur ca. 8. Augustinus insup 2. lib. de doctr. Christiana. c. 8. & sæpe aliàs: Item Gregorius quinto libro moraliũ. c. 3. Gelasius cũ concilio septuaginta episcoporum: Innocentius papa: concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum. Quid moror? mille quingẽtos ab hinc annos ecclesia legit hanc nomine Pauli apostoli: & audemus nos in dubium vertere, quod omnes catholici tot retro sæculis sine ambiguitate tenuerunt? Omitto quod Petrus, nisi me valdè opinio fallit, testatur Paulum Hebræis epistolam scripsisse. Nã primam Petri Hebræis scriptã esse salutatio ipsa adeò apertè docet, vt ne Caietanus ipse quidem negare potuerit. At secunda Petri eisdẽ quoq; scripta est. Ait enim, Ecce iam vobis hanc secũdam scribo epistolam. In huius verò fine sic Petrus inquit, Sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis. &c. Vobis scilicet Hebræis, ad quos scribebat Petrus. Vnde facta distinctione subiũgit, Sicut & in omnibus epistolis: vt non obscurè intelligeres, quòd Paulus Hebræis de longanimitate & salute Christi, idem & in alijs epistolis scripsisse. Nõ est ergo cur de auctore huius epistolæ quisquàm dubitet.

Cap. 9.

Concilium Ephesinũ expressè docet apostoli testimonio p bari, q. Christus est factus põtifex & apostolus cõfessionis nostræ Cõcilium Ephesinũ dixi, quia illa

epistola licèt Cyrilli sit, præsidebat in synodo, ex est à synodo approbata. Cassiodo. in psal. 109. Adrian. in epistola ad Constan. et Irenem.

At, Hieronymus dubitat. Certè, vt dubitasset, non proinde nostram hanc certã indubitatamq; fidẽ, ambiguã efficere potuisset. Sed, negamus Hieronymum ancipitẽ hoc loco (quod illi falsissimè impingitur) habere sententiam. Nam, vt innumera loca silentio prætereamus, quibus refert Hieronymus ex hac epistola nomine Pauli testimonia vt illud etiam dissimulemus, quòd de viris illustribus in Paulo, cũ quorundam contrarium sensum expressisset, eorum argumẽta refellit: ille profectò locus Hieronymianæ sententię clarissimus testis est, qui habetur in epistola ad Dardanũ de terra promissionis, in hæc verba: Vas electionis loquitur ad Hebræos, fide qui vocatur Abrahã. &c. Nec me fugit quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfidia Iudæorum hæc teſtimonia nō ſuſcepit. Illud noſtris dicendum eſt, hāc epiſtolā, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab eccleſijs Orientis, ſed ab omnibus retro Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli apoſtoli ſuſcipi: & nihil intereſſe cuius ſit, cū Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidiè eccleſiarū lectione celebretur. Quòd ſi eā Latinorū conſuetudo nō recipit inter ſcripturas canonicas, nec Græcorum eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadē libertate ſuſcipiunt: & tamen nos vtraq; ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinē, ſed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui vtriuſq; teſtimonijs vtuntur, non vt interdum de apocryphis facere ſolent, ſed quaſi canonicis & eccleſiaſticis. Hactenus Hieronymus. & in epiſtolā ad Titū, lege (inquit) ad Hebræos epiſtolam Pauli apoſtoli, ſiue cuiuſcunque alterius eam eſſe putas, quia iam inter eccleſiaſticas eſt recepta.

Cap. 2.

Ad primam igitur rationem, quoniam in relectione de pœnitentia accuratè ſanè ac diligenter illa apoſtoli loca explicata ſunt, nō eſt neceſſe modò reſpondere.

Ad ſecundam reſpōdere neceſſe eſt, & quidem eo ordine, quo aduerſum conſtitutam veritatem obiectionis ſingulæ particulæ fuere propoſitæ. Nam, quod prima particula obijciebatur, facilè diluitur: cùm contingere potuerit, vt interpres reliquerit quidem in textu verba Hebraica, ſed in margine (quod fieri ſolet) addita fuerit interpretatio, quam librarius textui deinceps inſeruerit. Quod etiam idem in Matthæo vſu fortaſſe venit in verbis illis Eli Eli. &c. Quòd autem quæ expoſitor fortaſſe quiſpiam in margine apposuerit, ea ſcriptorum vitio textui nonnunquam inſerantur, Nicolaus Liranus rectè 2. Regum. 8. animaduertit. Illa enim verba, de quo fecit Salomon omnia vaſa aurea in templo & mare Aeneum, & columnas & altare, in hunc modum & adiecta & inſerta eſſe conſtat.

Cap. 27.

Potuit & alia ex cauſa proficiſci: vt Apoſtolus, vel Euāgeliſta Hebraicè ſcribēs, quorundam vocabulorum interpretationem adiecerit, q̄ apud Iudæos erant verba quædam vel Chaldaica, vel Syriaca, quæ potuerūt commodè in linguam Hebraicam verti: vt Golgotha, & epheta. Ecce duas cauſas, quibus interim argumētum illud Caietani poſſet eludi. Quo ne librum quidē Geneſeos Hebraico ſermone ſcriptum ſibi Caietanus ſuaderet. Nam ibi legitur, Rachel vocaſſe filij ſui nomen Benoni, id eſt, filium doloris mei: nomen verò ei à patre inditum Beniamin, id eſt, filium dextræ. & in Exodo, eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus domini. Reſpondeant nobis iſti, qui ſimili argutia negotium nobis exhibere volunt: & ſi non valuerint, tertiā cauſam nos reddemus. Videlicet, ſunt nomina cōpoſita ex multis ſimplicibus, quæ nonnunquam integra in compoſitione manent, interdum corrupta. ea ſi alijs verbis eadem etiam lingua, explicare voluero, nihil abſurdū orietur, vt ſi verbi cauſa dicā Deicola, interpretatur, Dei cultor: paterfamilias, hoc eſt, domus gubernator & parens. Quod idem in nominibus Benoni, & Melchiſedech, euenire potuit.

Ioan. 6. uidetur ſtruere cē Hebr eſſe. quia Chaldæ rāt Hebr is quæ pria, Euāgel dixit, braicè tem Gr tha, q admodū ego dic Hiſtoria tem Lu Quam cem Pa eā eſſe ſi iū eſt, apro ſpania patam. Cap. 31. Exod. 12.

Sed ne ad hæc tanquam in aram confugiamus, illa cauſa & pręſtātiſsima & veriſsima eſt, Interpretem id iure ſuo facere potuiſſe: cùm videlicet neceſſum fuit Hebraica verba manere. Si enim interpres tranſtuliſſet, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me: non fuiſſet à Latinis perceptum, quorſum aſtantes dixerint, Heliam vocat iſte. Quare verba Hebraica retinere coactus, eorum interpretationē appoſuit, quod facere æquè poterat verbis Hebraicis nō retentis. Certè Geneſeos. 35. & Exodi. 12. in Hebræo nominum interpretatio non habetur: ſed interpres adiecit de ſuo.

Quòd ſi obijcias, illam particulam non eſſe ſacram ſcripturam, ſi hoc verū eſt: vt quæ ab officina interpretis prodierit, Primùm, cōceditur concluſio: nec ego video cur

cur perhorreſcere debeam?. Deinde, negatur illa collectio. Si ab interprete proficiſcitur, extra ſacras literas eſt. Nam, particula quæ ad ſeruandam, vel congruitatem, vel intelligentiam in ſacrarū literarum interpretatione additur, non cenſetur à ſacris literis aliena. Vnde Hieronymus in commentarijs epiſtolæ ad Galatas, hanc conſuetudinem, inquit in pluribus locis ſcriptura conſeruat, vt Hebraicum verbum cū interpretatione ſua ponat: Bartimeus filius Timei, Aſer, diuitiæ, Tabita, Dorcas, & Meſech, vernaculus. Ecce ſcripturam Hieronymus vocat etiam eā particulam, quam interpretē addidiſſe compertū eſt. Atque id in epiſtola ad Hebręos vel maximè locū habet: cuius interpres fuit, vel Lucas, vel Clemens: quod apoſtolo & viuēte & vidēte factū eſſe, ad veritatis ſimilitudinem videtur eſſe propēſius. Verū eſſe aſſeueratē, niſi academiæ tēperamentū in cauſa coniecturali placeret. Nihil ergo prima illa cauſa mouere nos debet, vt credamus hāc epiſtolā Hebraicè ſcriptā nō fuiſſe. Sed ne ſecūda quidē cauſa mouet. eadē enim in apoſtolū torqueretur, q̄ in Actorū libro Iudæis loquēs citat ſcripturā vetere iuxta trāſlationē ſeptuaginta. Itaq; interpres aut Lucas, aut Clemēs, licèt Hebręos Hebraicè Paul⁹ fuerit allocutus, verſionē tamē ſeptuaginta interpretū magis reddere voluit, ne Græci literæ nouitate turbarētur. Quā etiā ob rē apoſtolus Romanis ſcribēs, abutitur teſtimonio Abacuch iuxta trāſlationē ſeptuagintā: ne Romanis auribꝰ inſuetā oronē afferret: vt Hieronymꝰ auctor eſt in cōmētarijs ſuꝑ Abacuch.

Cap. 4. in illud, abba pater.

Actor. 13.

Cap. 1.

Cap. 2.

Iam verò, tertia illa cauſa, quæ in poſtrema huius rationis parte nobis opponitur nulla eſt. Audiui equidē ab Hebræo, cui Hebręi Carpētoratēſes primas ex ſuis hominibus deferebāt, epiſtolā hāc Hebraicā hodie etiā, Matthæiq; Euangeliū extare. Sed vt Iudæus ille nos irridere voluerit, aut etiā ex alicuius Hebræi verſione illi habēat nūc Hebraicā epiſtolā Pauli euāgeliū

Ante paucos ānos Sebaſtianus Munſterus dedit Euāgeliū Matth.

Hebraicū, & eius in Latinā linguam uerſionem.

Ad tertiā rationē, qua etiā id agitur vt Paulus actor huius epiſtolæ nō credatur, priùs reſpōdetur, teſtimoniū illud in ſenſu literali ad Chriſtū referri. Nec obſtat, ſenſum etiā literalē ad Salomonē etiā pertinere: cùm eadē litera plura ſimul literalia ſenſa cōtineat: vt D. Th. & ante hūc D. Auguſtinus tradidere. Quēadmodū igitur nomine Dauid Chriſtus interdū ad literā ſignificatur, vt Ezechiel. 34. ſuſcitabo ſuper ea paſtorē vnū, ſeruū meū Dauid: & Hiere. 30. ſeruiēt dño Deo ſuo & Dauid regi ſuo &c. Sic & per nomē Salomonis Chriſtū dñm eo loco ſcriptura ſignauit. Id ne nos præteriret, adiecit, ſtabilitā thronū eiꝰ vſq; in ſempiternū. Quod apud Lucā Angelū ad Chriſtū retuliſſe, notius eſt, q̄ vt explicādum ſit. filius (inquit) altiſſimi vocabitur, & ſuꝑ domū Dauid ſedebit. Auguſtinus porrò auctor eſt. pſal. 71. licèt in Salomonē inſcribatur, Iudæos tñ de Chriſto eſſe prophetiā inuictiſsimè defendere, q̄a nōnulla ibi ita dicta ſunt, vt in Salomonē cōuenire non poſſint. Quę eadē ꝓfectò cauſa, vt de pſalm. 44. idē ſentiam⁹, cogit.

1. par. q. 1. arti. 10, 3. de doctri. Chriſt. c. 27 et. 12. cōfeſ. c. 26. 31. & 32.

Cap. 1.

De unita. eccle. c. 8.

Poſterius, vt in ſenſu allegorico hoc teſtimonio Paulus abuteretur, nihil à ſuo more faceret alienum: qui cùm ſępè aliàs, tum maximè in priori ad Corinth. epiſtola, ex ſenſu allegorico argumētatur. Aliud eſt enim ex ſenſu ſpirituali certū & efficax argumētū trahi, quod Auguſtinus, Dionyſius, Hieronymusq; negarūt. Aliud verò argumentū inde probabile duci, id quod nemo ſanè doctus negare poteſt. Quòd enim Rhetores argumēta veroſimilia certis & exploratis adiungunt, id Apoſtolus quoq; facit. Potuit aūt hoc loco multò & cōmodiùs & vehementiùs facere, vbi Hebræi intelligebāt ea, quæ Dauidi in Salomone Deꝰ promiſerat, in Chriſto eſſe cōplenda. Intelligebāt autem, eiſdem ſacris

Cap. 9.

Auguſti. ad Vincē. Donatiſtā epiſtola. 48. Dionyſi. in epiſtola ad Titum. Hieronymus in 13. Matthæi caput.

Universidad de Deusto
Biblioteca

literis ſæpè admoniti. vt Micheæ.4. Danielis.7.patet.

Ad quartam rationem non oporteret reſpõdere,ſi oratio Pauli colo & comate aptiùs diſtingueretur. Itaq; lectio in hunc modum habere debet. Quę cùm initium accepiſſet enarrari per dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt. vt illa verba, ab eis qui audierunt, non ad participium ſequens, ſed ad infinitiuũ antecedens referãtur. Sed cui hæc diſplicent, is tale habeat reſpõſum. Quod Paulus ait, in nos confirmata eſt, non ad ſe peculiariter refert, ſed ad Iudæos generaliter, vt Gloſſa interlinearis admonuit. Præterquã q̃ Paulus nõ ait ſe accepiſſe doctrinã ab eis qui audierunt, ſed ſalutis confirmationẽ: accepit enim & ſacramenta ab illis & doctrinæ confirmationẽ, tũ quia Ananias dixit illi, quid oporteret eũ facere. Tũ quia aſcendit ad anteceſſores apoſtolos, ne forte in vanum curreret. &c.

Ad quintam verò reſpondere oportet in hunc modum, nomen teſtaméti apud Latinos interdũ ſignificare pactũ, & promiſsionẽ: vt Hiero. in Hiere. 31. ca. & in Mala. 2. cap. ſcripſit, & Innocentius in capite. cùm Marthæ. de celebratione miſſa. eruditè poſtea docuit. In quam ſignificationẽ illud tradidit accipiendum, quod in canone dicitur, Hic eſt calix noui & æterni teſtaméti, id eſt, nouę ac æternæ promiſsionis. & illud etiam ad Hebręos, Noui teſtamenti mediator eſt, vt repromiſsionẽ accipiãt qui vocati ſunt, hæreditatis æternæ. Illud etiam exploratũ eſt, apud Græcos nomẽ, διαθήκη, interdum propriè teſtamẽtum, nonnunquam pactũ, fœdus, & pollicitationem ſignificare. vt ex actorũ apoſtolicorum capite tertio Budæus in commentarijs probat. In qua etiã poſteriori ſignificatione & Geneſeos nono, & pſalmo. 54. &. 88. &. 105. nomẽ διαθήκης legitur.

Vocabulũ quoq; Hebraicum בְּרִית quod Exodi. 24. & Hieremiæ. 31. habetur, licèt frequenter pactum fœdusq; ſignificet, quandoq; tamen ad teſtamenti ſignificationem flectitur. Nam, & Hieronymus Zachariæ nono, & pſalmorum interpres Pſalmo. 44. nomen Berith, in teſtamẽtum vertit. Imò licèt Aquila nomen illud ſemper pactum interpretetur, at. 70. tamẽ ferè teſtamentum, vt Hiero. in. 2. cap. Mala. teſtatur. In nomine igitur Hebraico Paulus ludere potuit Rhetorũ more, & vocẽ à ꝓprio ad improprium ſignificatũ flectere: quod idẽ ſi aut Græcè, aut Latinè loqueretur, facere potuiſſet. Idq; eò magis, quòd inſtrumentum à ſanis obſignatum, teſtamẽtum dicitur: quanuis codicillo poſteà, vel mutẽtur aliquia, & aliqua inducantur, vel etiam totum omnino quod teſtamento ſemel cautũ erat; antiquetur. Quocirca, & vetus illud legatum, teſtamentũ quidem erat ſignatũ à viuo: ſed apertum moriente Chriſto, vt velum ſciſſum oſtendit: ac per euangelicam legem velut per codicillum abolitum. Id quod Lactãtius deuera ſapientia videtur mihi intellexiſſe. Nihil igitur obſtat, quo minùs Exodũ loquẽtem de veteri fœdere, loquẽs etiã propriè de teſtamento Paulus adducat. Quinimò conſentaneum argumentum eſt, vt perfectum teſtamentum, ſcilicet nouũ, ſanguine confirmatum ſit & morte teſtatoris. Quãdoquidem imperfectum illud vetus non ſine ſanguine firmatum eſt: vt figura figurato congrueret. Atq; hæc quidem reſponſio argumẽto Caietani ſatisfacit: etiã ſi nomen Hebraicum non teſtamentum propriè, ſed fœdus ſolũ ſignificet. Quod & Hiero. in. 31. cap. Hiere. & Hebræi docti contendunt.

Ad poſtremam verò rationem is ipſe, qui poſuit, reſpondet: Illa tria quidẽ in arca fuiſſe omnia, vt Paulus dicit: ſed vrnã & virgam foris pendentes à latere: tabulas verò intus: vt. 3. lib. Regum habetur. Rurſum etiam fortè poſt illa Salomonis tẽpora, ſacerdotes cupiẽtes virgam & mãna in ſecretiori tutioriq; eſſe cuſtodia, intra arcã cum tabulis poſuerunt. Cuius rei Paulus non

Cap.9.

Berith.

Cap.10.

Cap.8.

non erat inſcius: nos ſumus, qui Hebræorũ traditiones ignoramus. Theophi. in epiſtolam ad Hebræos. c. 9. aſſerit Paulũ optimè inſtitutũ in reb⁹ iudaicis à Gamaliele ex traditione hoc habuiſſe, hodieq; Phariſæorũ ſectã aſsẽtiri réita ſe habere. Admonuerat ſerè idẽ prior Chryſoſt. homi. 18. De ſeptimo itaq; argumẽto & huic adiũctis rationibus ſatis eſt dictũ. Nã q̃ ex illis verbis, Celeriùs aũt videbo vos, Caietan⁹ argumẽtatur, alienũ à rõe videri, vt poſtquã appellauerit Cæſarẽ, ſpõderat ſe Paulus daturũ Iudæis: adeò leue eſt, vt referre pigeat, nedum refellere.

In octauo verò principali argumento, quo quarta concluſio coarguitur, Caietanus quidem non negat epiſtolam Iacobi eſſe canonicam: ſed auctorem aſſerit incertum eſſe. Eraſmus addit eam non ſapere apoſtolicam auctoritatem. At, cùm Hieronymus de viris illuſtri. Vrbanus papa in epiſtola de communi vita, Alexãder Quintus à Petro, in epiſtola ad oẽs epiſcopos, Anacletus in epiſtola de oppreſsione epiſcoporũ, Marcellus papa ad epiſcopos Antiochenæ ꝓuincię, Gelaſius cũ cõcilio ſeptuaginta, Innocẽtius primus, cõcilium Mileuitanũ capite ſeptimo, cõciliũ Laodicenum, Carthaginẽſe, Florentinũ, Tridentinũ, hãc epiſtolã Iacobi apoſtoli, Iacobi, inquam, apoſtoli eſſe affirmauerint, idq; eccleſiæ vniuerſalis vſu confirmãte, temerarium eſt, ne dicam erroneum, huius epiſtolæ certitudinem velle aut ex incerto auctore, aut ex ſtylo ſalutationis infirmare: idq; argumẽto leuiori, quàm cui reſpondere debeamus.

Origen. 2. ho. in Leui.

Ad nonum argumentum ſic reſpondeo. Erroneum eſt, ne dicam hæreticum, ſecundam illam epiſtolam Petri apoſtoli eſſe, negare. Aduerſatur enim imprimis omnibus ſanctis: Deinde Innocentio & Gelaſio. Præterea, concilijs Laodiceno, Carthaginenſi, Florentino, Tridẽtino: Deniq; vſui catholicę Eccleſię, quæ legit eã in feſto transfigurationis nomine Petri apoſtoli.

Contineret etiam aliquid falſi, ſi Petrus apoſtolus eius auctor non fuiſſet. Nam, licèt argumentum ex ſalutatione ipſius epiſtolæ forſitan eluderetur, q̃ à fallario quopiãm eſſet adiecta: at, quod capite primo illius epiſtolæ legitur, eludi nulla ratione poteſt. Hanc vocẽ (ait) nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus in monte ſancto cum ipſo. Quòd ſi Petrus non ſcripſit epiſtolam, Ioanni aũt Iacobóue tribuere ſtultitiæ manifeſtariæ eſt, falſum epiſtola cõtinet. Quod eſt hæreticum. Argumẽtum verò illud, quod Eraſmũ mouit, imò pleroſq; olim ante Hieronymum (vt refert idem de viris illuſtribus in Petro) infirmũ eſt: cùm eundem auctorem ſæpè cõtingat, non aliã modò, verùm eandẽ quoq; ſententiam ſtylo ſcribere differẽti. Quod (vt reliquos prætereamus) in D. Gregorio videre licet. Cuius epiſtolas ſi cum alijs eiuſdem operibus conferas, iudicium q̃ feras ex diuerſo dicendi charactere, ab alio auctore ſcriptas eſſe iudicaueris. Hieronymus tamen ad Hedibiam. q. 11. aliter reſpondet, inquiens, Duæ epiſtolæ quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepãt, ſtructuraq; verborum: ex quo intelligimus Petrum pro neceſsitate rerũ diuerſis fuiſſe vſum interpretibus. En Hieronymus ex diſsimili ſtylo nõ diuerſos auctores colligit, ſed interpretes differentes. Apoſtoli enim in aliena lingua malebant per interpretem ſcribere, q̃ dono linguarum abuti: quod non ad elegantiã & luxum, ſed ad vſus neceſſarios acceperãt. Nec me fugit, q̃ Eraſmus hunc locũ Hieronymi detorquet: ſed more ſuo facit, vt pro ſua libidine interturbet omnia.

Clemẽs Alex. 7. libro Stro. Glauciam tradit fuiſſe Petri interpretẽ.

Super epiſtolã ad Cyprianum et ſuper epiſtolã ad Hedibiam.

Propter decimum argumentum Eraſmus & Caietanus duas illas poſteriores epiſtolas negãt eſſe Ioannis Euangeliſtæ. Quã ego ſentẽtiam non temerariam modò, ſed etiam erroneã eſſe crediderim. Quoniam ſi Ioannis cognomẽto ſenioris aſſeruntur, non ſunt profectò canonicæ. Nec. n. quiſquàm Ioannem presbyterum auctorem ſacrũ exiſtimauit. Sũt aũt ſine dubio, vt antè à nobis demonſtratum eſt, epiſtolæ canonicæ: non ergo ſunt Ioannis presbyteri, ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſed Euangeliſtę. Quòd Origenes in. 1. pſal. apud Euſebium. 6. lib. Eccleſiaſticæ hiſt. ca. 18. Clemens lib. 2. ſtro. Damaſcenus. 4. libr. Iſidorus ſexto etymolog. Auguſt. 2. de doctrina Chriſti, Hieronymus ad Euagrium, Innocentius primus, Gelaſius, concilium Laodicenum, Carthaginéſe, Florentinum, Tridentinumq; teſtantur. Sed & tempore paſchali vniuerſalis eccleſia duas has epiſtolas nomine Ioannis apoſtoli populo legit. Eccleſiæ autem, cócilijs, & ſanctis antiquis tutiùs nos committemus, quàm nouitijs iſtis auctoribus. Quorum argumentum cùm imbecillum ſit, alia confutatione non eget.

Cap. 18. Cap. 1. Cap. 8.

93. diſt. c. legimus.

Vndecimum verò argumentum indignum eſſet, quod in aliorum numero cenſeretur, niſi ob illud Caietanus aſſeruiſſet, hanc epiſtolam minoris eſſe auctoritatis q̃ alias, quæ ſunt certò ſcripturæ ſacræ. Nam, huius epiſtolæ auctoritatem expreſsè negare non audet, nequid inuidiæ ſubeat, aut criminis. Cùm autem Hieronymus aſſerat, auctoritatem iam vetuſtate & vſu meruiſſe, & inter canonicas computari: miror equidem cur Caietanus aliorum opinionem ſub Hieronymi cenſuram non redegerit: quem pro certa regula ſacrorum librorum habendum exiſtimauit. Caietani igitur aſſertio hoc loco periculoſa eſt, ſi vis comparatiui teneatur. Minoris (inquit) auctoritatis eſt ijs, quæ ſunt certò ſcriptura ſacra. Non eſt igitur certò ſcriptura ſacra: qđ eſt erroneũ. At quidam ante Hieronymũ hanc epiſtolam non probarunt. Fateor, ſed fuerunt nonnulla ante Hieronymum in controuerſia, quæ modò in dubium vertere hæreticum eſt. At, citat librum apocryphum. forſitan apocryphus apud Hebræos nó erat. Quòd ſi eſſet, vt & Hieronymo & pleriſq; alijs placet, nihil mirũ ſi ab apoſtolo Iuda referatur: cùm teſtimonia referat Paulus ex Arato, Menandro, Epimenide, æthnicis prophanisq; poëtis. Vide Hieronymum in epiſt. ad Eph. capit. 5. & ad Titum. 1. At coarguit hoc reſponſum Caietanus. Non abs re, inquit, hæc epiſtola à multis refutata eſt. Quoniam etſi citare apocrypha multò magis licet q̃ poëtas: auctoritati tamen ſacræ ſcripturæ derogat, vt apocrypha prophetia, vt ſimpliciter & abſolutè pphetia inducatur. Hæc ille. Verùm aliud eſt, totum librum apocryphum eſſe, quod Hieronymus ait: quia ſcilicet quædam in eo libro continerẽtur, quæ eſſent ambigua. Aliud, particulam illam, quam Iudas excitauit apocrypham eſſe, quòd nec Hieronymus, nec alius ex catholicis dixit. Nam licèt ex alio loco non haberemus eã eſſe prophetiam: at auctoritas Iudæ ſatis eſt, vt illã veriſsimè à Spiritu ſancto extitiſſe ſentiamus. Sicut credimus illa verba, Beatius eſt magis dare quàm accipere Ieſu Chriſti eſſe, quia Paulus dixit. Sed ſtultus ego ſum, qui huiuſmodi argumenta conor refellere.

Actorũ. 17 1. ad Cor. 15 ad Titum. 1

Ad poſtremum argumẽtum, Vbi Eraſmi Lutheriq; cõiecturę ponũtur vt Apocalypſeos auctoritas infirmetur, poſt ea quę diximus non fuerit opus reſpondere: tantùm ſatis fuerit admonere diſcipulos. Manifeſta. n. percurrimus, vt in obſcurioribus immoremur. Atque Franciſcus Titelmanus in hac cauſa accuratiſsimè elaborauit, ediditq; peculiarem controuerſiam, vnde lector petere ea poterit, quæ huic reſpõſioni noſtræ deeſſe videbũtur. Nam ratio poſtulat, vt ſecundæ huius controuerſiæ finem aliquando faciamus.

¶ *Cap. Duodecimum, Vbi eorum argumenta ponuntur, qui ſuadere volunt in ſacrarum intelligẽtia ſcripturarũ ad fontes Hebraicũ & Græcũ recurrendum.*

IN tertia verò quæſtione magna diſſenſio eſt (eaq; niſi diiudicetur, in ſummo errore

1. Contro. uerſia.

errore neceſſe eſt nos atq; in maximarum rerum ignoratione verſari. An in ſacrarum literarum intelligentia ad Hebraicum Græcũq; fontem ſit recurrendum, An potiùs editio ipſa Latina tam magnæ ſit auctoritatis & ponderis, vt nec ab originali ſcriptura pendeat, nec per eam aut corrigi oporteat aut limari.

Prior autẽ huius controuerſiæ pars ſuadetur ante omnia. D. Hieronymi teſtimonio. qui in libro aduerſus Eluidium huius aſſertionis primus auctor eſſe creditur: ea ratione vel maximè, ꝙ multò purior credẽda ſit manare fontis vnda q̃ riui. Idem etiã in epiſtola ad Marcellam, cuius initium, poſt priorem, cùm fateretur aliqua ſeſe in vulgata editione euangeliorum Latinorũ emendaſſe, atq; ad Græcam originem reuocaſſe Latina, obtrectatores ſuos contẽnens. Si diſplicet (inquit) fontis vnda puriſsimi, cœnoſos riuulos bibant, & diligentiam, qua auium ſyluas, & concharũ gurgites norunt, in ſcripturis legẽdis abiiciãt. Idẽ confirmat in epiſtola ad Damaſũ de verbo Oſanna, cuius initium eſt, Multi: & in commentarijs ſuper Zachariam dicẽs, Cogimur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis quàm de riuulis quęrere. Nempè, vt Cicero de oratore etiam ait, tardi ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerum non videre. Et in epiſtola ad Vitalem docet, ſe ad Hebraicam veritatem tanquam in præſidium & arcẽ ſolitum eſſe confugere. Hûc adde Auguſtini teſtimonium ex. 2. de doctri. Chri. ca. 15. & 18. de ciuita. Dei. Quibus locis Hieronymi ſententiæ ſubſcribit.

Poſtrema. 2. tomi epiſtola.

5. Tomo.

Cap. 8.

Diſt. 9. c. ut uetcrum.

Præterea, Damaſus coëgit Hieronymũ vt nouũ teſtamentũ ad Græcam reduceret veritatem: quẽadmodum Hieronymus idẽ in præfatione ſuper quatuor euãgelia teſtatur. Id vero Damaſus non iuſſiſſet, niſi intelligeret noui teſtamenti veritatem è Græco fonte petendam.

Hieronymus quoque ipſe in commentarijs veterem interpretem ſæpè vellicat, vt qui interpretando frequenter errarit. Non igitur veteri editioni Latinæ fidẽ habere neceſſum eſt: niſi Hieronymũ aut maleuolentiæ velimus arguere, ſi dedita opera, aut imperitiæ, ſi ignorans ea quę bene conuerſa erant, reprehendit. Aliunde igitur quàm ab editione Latina quærenda eſt ſacrarum literarum firma intelligẽtia. Quid? quòd Laurentius, Faber, Eraſmus, Eugubinus, alijque nonnulli iuniores veteris interpretis nunc oſcitantiam, nunc negligentiam, nunc imperitiam, nũc ſuperſtitionem coarguere idoneis cauſis rationibuſq; videntur? Nec animus eſt, tamen, omnia eorum argumenta referre, qui Latinam editionem, qua eccleſia vtitur, ſolẽt reprehendere. His enim argumentis refutandis aliud & tẽporis & operis dandum eſt. Illas ſolùm reprehẽſiones afferemus, quibus veterem editionem falſitatis accuſant. Primùm autem nume. vltim. c. Latinum aiunt interpretem ſenſum reddidiſſe non hebraicæ modò veritati, verùm etiam ſacris omnino literis repugnantem. Illius enim editio præceptum non obſcurum habet, vt nullus vir fœminam ducat niſi de tribu & familia ſua: nec vlla fœmina viro nubat alterius tribus & familiæ. Id autem tantum abeſt à ſcripturæ fide, vt nihil illi magis poſsit eſſe contrarium. Moyſes quippè primus hoc neglexit: nec vſque de ſua ille tribu duxit vxorem. Aaron vxorem accepit Eliſabeth de tribu Iuda. Exodi ſexto. Soror regis Iudæ nupſit Ioiadæ pontifici. ſecundi Para. viceſimo ſecundo. & quarti regu. vndecimo. Eliſabeth, cùm eſſet de filiabus Aaron cognata erat Beatæ Mariæ, quæ ſine dubio erat è tribu Iuda. Dauid Michol duxit filiam Saulis de tribu Beniamin. Vndecim tribus non legem, ſed iuramentum prætexũt, quo minus filias ſuas Beniaminitis collocent, cùm interim tamen eos qui non iurarant, nulla lege prohiberi apertiſsimè pręſe ferant. Iudi. 21. Subditiuũ ergo

eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

est adulterinum & falsum, quod interpretis solú auctoritate redditum est. Deinde Micheę. 5. latina vetus editio hunc in modú habet. Et tu Bethleē Ephrata paruulus es in millibus Iudæ, ex te mihi egredietur, &c. At Matthæus contrario penitus sensu verba eadem allegauit, inquiens, & tu Bethleem nequaquam minima es. Præterea psal. 7. vers. 12. nostra editio habet. Nunquid irascitur per singulos dies? vbi Hebraica veritas contrarium sensum habet, cui Hieronymus omnino consentit. Contēdit etiam Caluinus locum illum, Ecclesiastes. 9. Nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit, mendosè esse ab interprete redditum, falsamq; esse sententiam interpretis, cùm plerique sciant se odio dignos esse, & nonnulli scierint se fuisse amore dignos. Ac sunt qui credant interpretem Matth. 24. falsam reddidisse lectionem, dum profulgore reddidit fulgur. Quod vtiq; non pertingit ab oriente in occidentem, sed solis fulgor est qui pertingit. Atq; illud quoq; vrgent, quòd Ionæ. 4. vertit interpres, dominum hederā præparasse vt esset vmbra super caput Ionæ, &c. cùm ipso quoq; Hieronymo auctore יקיון nec hedera sit, nec cucurbita, sed quoddā genus fruticis latinis & Græcis incognitum, quod Syris familiare est. Non ergo dominus hederam præparauit, nec Ionas sub vmbra hederę requieuit, qđ interpres falsò trāstulit.

Ad hæc, si veteris latini interpretis editioni addicti esse debemus, compellemur adeò historiam Susannæ recipere: atq; etiā Beldraconis narrationē: quam qm̄ Hebraica veritas non habet, Hieronymus fabulā vocat, non eā sacris libris additurus, nisi apud iperitos (vt ipse ait) videretur magnā partē voluminis detruncasse. Itē cogemur etiā Marci postremum caput accipere, qđ Hiero. ad Hedib. quæst. 3. non credit esse necessarium, cú in raris feratur Euangelijs, & omnibus penè Græciæ libris hoc capitulú non habeatur. Necessariū quoq; erit historiam adulteræ mulieris venerari, quæ Ioannis. 8. c. nunc habetur. Cū eam tamen nec Eusebius cognoscat nisi in euangelio secundú Hebræos, nec Hieronymus eam prorsus agnoscit, sed ne Chrysostomus q̄dem eam interpretatione sua dignatus est, quāuis illius aliàs fecerit mentionē. Atq; Euthimius licèt eandē enarret, paulò tamē superius ait in exactioribus exemplaribus non haberi, eo quòd illegitima videatur.

Rursum si Latini interpretis sequenda esset editio, fateri oporteret, omnes esse resurrecturos, ac proinde morituros, iuxta id quod in priore ad Corinthios epistola dicitur: Omnes quidem resurgemus, sed nō oēs immutabimur. At, huic sententiæ stare non cogimur. vt D. etiā Tho. in commē tarijs super eundem locum astruit. Quin probabilissima opinio est, homines, qui reperientur in die iudicij viui, nulla interueniente morte viuos esse iudicādos. Quod Apostolus certè videtur asserere in priore ad Thessaloni. epistola. Adde hûc, quòd interpres non erat Propheta, auctorè sacer: sed humano spiritu, & intelligētia, sacras literas ex aliena lingua in propriā trāsferebat. Errare igitur falliq; interpretando potuit. Quāobrem interpretis sensum nō tenemur amplecti: sed ipsum textū, quēad modú ab auctore sacro, vel Hebraicè, vel Græcè traditus est. Aliud quippè fuerit (vt Hieronymus ait) vatem esse, aliud interpretem, ibi enim spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia quæ intelligit transfert.

Præterea, si non licet ab interpretis Latini trāslatione discedere, damnamus iuniorum omnium invertendis sacris literis diligentiam, linguarumque peritiam tanquam videlicet otiosam ad sacras literas intelligendas. Nimirum, etiam si alium sensum habeant verba vel Hebraica, vel Græca, hic scilicet contemnendus est: ille verò omni ratione tenendus, quē Latina vetus litera præferat. Nec his argumentis satisfieri ea responsione potest, q̄ Hieronymus, huius editionis auctor, multò fuerit lin-

Daniel. 13.

Daniel. 14.

In præfationibus super Daniel. & Abacuch.

In prologo ne super tacui.

linguarū peritior quàm alius quisquam: ac proinde illius auctoritas, ingenium, & eruditio, maiora sunt quàm cuiusquam alterius interpretis iunioris. Hæc (inquā) responsio non facit satis. Primùm, quoniā præstat oculis tuis videre, quàm alienis. Satiùs igitur erit, vt quisq; linguas ipsas calleat, & videat ipse, potiùs quàm credat interpreti. Deinde etiam, quoniam cùm septuaginta interpretes, viri doctissimi, atq; Hebraicæ Græcæq; linguę peritissimi interdum lapsi interpretando fuerint: nō est cur existimemus, vnum Hieronymum nusquam à vero dum interpretaretur, errasse. Vt illud prætereamus, quòd editio hæc vet⁹ an Hieronymi sit an alterius, summę virorum doctissimorum dissensione certatur. Nouū certè testamentum (vt de veteri taceam) aut Hieronymus nō vertit, aut si vertit, eius versio non extat. Quòd si extaret, manet semper integrum argumentum, quod modò posuimus: Hieronymi vtiq; sensum, vt qui sacer auctor non fuerit, non oportere semper amplecti.

Hieronym⁹ in epistola ad Augusti. cui⁹ initiū, tres simul. & de viris illustribus, in fine emendationem agnoscit non interpretationem.

Præterea, in Clementina prima, titulo de magistris, Vienense concilium statuit, in vniuersitatibus Bononiensi, Parisiensi, Salmanticensi, parādos esse trium linguarum doctores, qui earum peritiam studiosa institutione in alios transfundāt. Id qđ nisi esset ad sacras literas intelligendas magnoperè necessarium, nulla ratione synodus statuisset.

Insuper nō videtur hoc diuinæ scripturæ negandū, quod humanis scripturis omnibus concedere necesse est: vt, cùm de aliqua scriptura scilicet ambigitur, ad archetypum, vnde translata est, recurratur.

His argumentis, & ijs quidē nō leuibus, sed (vt plerique iudicant) sanè firmis, nouarū rerū studiosi sibi primū persuaserūt, ad veritatem noui ac veteris testamēti cognoscendā, duarum linguarum Græcæ & Hebraicæ peritiam esse necessariam. Inde rursus in eam opinionem descenderunt, vt non se existimēt sacras literas exponere, si interpretationē Latinam vulgarem sequā tur. Id enim (inquiunt) est, non auctorē scripturæ sacræ, sed eius interpretem explicare. Deniq; & eò progressi sunt, vt asserāt non oportere Latini interpretis auctoritatem amplecti: sed ipsius textus Hebraïin veteri testamēto, Græci aūt in nouo. Quo fieri, vt Latina editio nostra per exēplaria Hebraica & Græca sit omnino limanda ac corrigenda.

Hanc verò persuasionē Lector optime, si forsitan induisti, exue rogo tantisper, dū tibi quæ sunt veriora certiōraq; proponimus. Nos siquidem hanc sententiā à plerisq; receptā refellere tētabimus. Refellemus autē (vt spero) illo ferente opem, cuius tueri causam cupimus, aduersum impugnatores veritatis. Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi ad hanc potissimùm disputationem me applicui, non modò stultitiam meā: sed etiā mores & ingenium cōdemnādum puto. Nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calūnia coërcetur. Ego ne, de maximis & quæ ad ecclesiæ vnitatē cōtinendā magnoperè ptineāt, aut certare cū alijs pugnaciter, aut illustrari cú alios tum etiā me ipsum velim? Causa igitur veri reperiē di disputare cupiētes, cōtrouersiā hāc quatuor cōclusionib⁹ breuissimè definiemus.

¶ *Caput tertiūdecimum, in quo veteris vulgatæ editionis auctoritas demonstratur. & quòd non est nunc ad Hebræos Græcos vè recurrendum.*

PRima conclusio, quæ maximè rē causamq; continet, nam cæteræ sunt quasi consectarię, editionē hanc veterē atq; vulgatam, quā post tempora. D. Hieronymi Latina ecclesia vsurpauit, fidelibus esse tinendā in his omnibus quę ad fidē & mores spectabunt.

Secunda, si qua morum & fidei quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtio inter catholicos exoriatur, eam defini ri oportere per Latinam hanc veterẽ editionẽ: cuius videlicet ſi aliquod teſtimonium alteram quæſtionis partem confirmauerit, ea ſit catholicis amplectenda: ſin contrà reprobauerit, reiicienda.

Tertia. In fidei ac morum diſputatione non eſſe nunc temporis ad Hebraica Græca vè exemplaria prouocandũ, nec ex ijs certã controuerſiarũ fidem eſſe faciendã.

Quarta. In his quæ ad fidem & mores pertinent, non eſſe Latina exemplaria per Hebraica vel Græca corrigenda.

Primum ſiue axioma ſiue pronunciatũ ſeu propoſitionem ſcholaſtico more vocare velis, Concilium Tridentinũ ſeſſione. 4. in hæc verba definit. Sacra ſynodus conſiderans non parũ vtilitatis accedere poſſe eccleſiæ dei, ſi ex multis Latinis editionibus quæ circunferuntur ſacrorũ librorum, quænã pro authẽtica habenda ſit innoteſcat, ſtatuit & decreuit, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ lõgo tot ſæculorũ vſu in eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, aut expoſitionibus pro authẽtica habeatur: & quòd eã nemo reijcere quouis prętextu audeat, vel præſumat. Hactenus Concilium.

Ne autẽ Concilij ſolùm auctoritate aduerſarios obruamus, cauſas cur id definierit ſubiiciemus: nec em̃ ſynodo rationes deeſſe potuerunt, quibus ita iudicauerit.

Primùm enim, vel in hac ſcriptura Latina aliquod falſum continetur, quod ad fidem moreſq; pertineat: vel e contrariò verũ eſt qđ nobis vbiq; tradit. Si verũ eſt, id confirmare nitimur: ſin falſum, iam eccleſia Romana atq; Latina, in qua vel ſola nunc temporis fides catholica perſeuerat, circa ea quę fidei ſunt grauiter aberraret. Falſam enim aliquam ſcripturam tanquã ab ſpiritu ſancto reuelatã nomine vel prophetę, vel apoſtoli, vel euãgeliſtę proponeret. Qua vna re auctoritatẽ ſibi adimeret in reliquis, pponẽdis. Quo nihil aut abſurdius aut incõmodius poſſet accidere.

Deinde, vt exempli cauſa ponatur aliquid quod latiùs pateat, ſi fortè modò vocetur in dubium, an hiſtoria mulieris adulteræ vera ſit, neget autem quiſpiam verã eſſe, tunc aut hic error ſatis exploditur ex codicum Latinorum vnanimi conſenſione, & id profectò eſt quod quærimus: aut non ſatis exploditur, impuneq; licet eã hiſtoriam conẽnere, quæ Latinorũ omniũ cõſenſu celebratur, quæq; nomine Ioãnis Euãgeliſtę quotannis in eccleſia legitur, & iã Romanę Latinæq; ac catholicę eccleſię fides & auctoritas infringitur, violatur, eneruatur: dũ errare in cæteris poſſe ſimili ratione exiſtimabitur. Quod, qm̃ abſurdum penitus erat, iure idem Conciliũ Tridentinũ eadẽ ſeſsione decernit, vt ſi quis libros ipſos canonicos integros cũ omnibus ſuis partibus prout in eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris nõ ſuſceperit, anathema ſit. Conficitur itaq; editionem Latinã tot annorum centenarijs vſu eccleſię comprobatam, in his quæ ad fidem & mores attinent, eſſe inconcuſſè tenendam.

Præterea, Cũ ſcholaſtici auctores ab hinc ferè quadringentos annos in dogmatis theologicis cõfirmãdis, aut etiã in hæreſibus refellendis, ſolam Latinã editionẽ tenuerint id peto, An quicquam in ſuis diſputationibus confecerint, necne? Quòd ſi nihil certi confectum eſt, ô miſeros homines, qui tercentum annos, atq; eo amplius, & oleũ & operã perdiderunt. Quippè linguæ Græcæ atq; Hebraicæ non habuerunt peritiam: ſed ſolo interprete Latino contenti, ſcholæ quidem dogmata confirmabant: reiiciebant autem vniuerſa quæ illis aduerſarentur, Romana atque adeò Latina eccleſia tacente, vidente, probante. Sin verò confectum eſt à Theologis ſcholaſticis quippiam, credendum eſt certè, ſuis ſtabiliendis concluſionibus tutos ſeſe Latinæ editioni commiſiſſe. Ea igitur editio eſt à fidelibus retinenda.

Poſtremò, Hæreticæ prauitatis inquiſitores in refutãdis hæreticis atq; puniendis, rogo, an hanc editionem Latinam ſedulò tenere debeant, an potiùs neceſſe eſt illis, ad Græcam & Hæbraicam, quam minimè nouerunt, recurrere veritatem. Quòd ſi indignum eſt, à re prorſus incognita grauiſsimi tribunalis pendere iudicium, ſi abſurdum à noſtratibus ad alienos, id eſt, Hebræos & Græcos appellare, ſi impium, ad Iudæorum & ſchiſmaticorum ſenatum referre catholicæ fidei conſultationẽ, haud equidẽ intelligo quorſũ Theologus huic errori conſentiat, vt non exiſtimet, editioni Latinæ certam fidem habendam. Intelligo autem noſtra hæc dilemmata verſutos homines & impudẽtes cum plauſu etiam eluſuros. Nam & irrident ſcholæ vniuerſos auctores, & totum negotium cognitionis fidei cauillantur. Sed nos his argumentis ſanè nolumus hæreticos petulantes tãquam aduerſarios conuincere, ſed Theologis modeſtis veritatem ſuadere.

Enimuerò, qui hanc noſtrã editionem infirmare cupiunt, videtur mihi nihil aliud moliri, niſi quoddam occultum hæreticorum patrocinium. Nempe, inquiſitores deſpicient, qui ſcripturam Latinam tanquam certam regulã teneant, cùm veritatis Græcæ atq; Hebraicæ ignorãtia teneãtur. Scholaſticos auctores deſpicient, qui vulgari Latino interpreti fidem ſuam alligarint, cuius tamen (vt aiunt) intelligentiam ſequi non cogimur. Deſpicient ſanctos etiam priſcos, qui Hebraicę linguæ peritia caruere. Nam, ex Græcis Dorotheum, Origenem & Euſebium Hebraicas literas legimus calluiſſe, ex Latinis autem, præter Clemẽtem & Hieronymum, vix alius quiſquam Hebræas literas nouit. Quocirca, ferè ſanctos in veteri teſtamento hallucinari neceſſe erat, imò adeò eiuſdem inſtrumenti ſacramenta omnia cæcis oculis attrectare. Ea ſi Chriſtianæ aures mentò perhorreſcunt, conſentia-

Lutherani de peritia linguarum ſuperbientes, mox ueteres Theologos contempſere. Quòd ſi quis nouitatibus eorum contradiceret, prætendebant ſtatim lectionem Græcã uel Hebraicãet

mus prorſus Latinam vulgatam editionem à fidelibus eſſe tenendam. Sanè (quod frater Franciſcus Titelmanus, vir literis & eruditione præcipuus, moribus & pietate inſignis, præclariſsimè dixit) dum prouidam Dei diſpenſationem aduertimus, faciè videmus quemadmodum cum fidei rectitudine connexa ſemper fuerit ſcripturæ veritas, & cum illa ſolita fuerit emigrare. Donec enim apud Iudæos ſolos firmitas perſtitit rectæ fidei, apud eos quoque ſolos ſcripturarum ſoliditatem cognoſcimus latitaſſe. Poſtea verò quàm veritas à Iudæis repulſa, à gentibus ſuſcepta eſt, digna eccleſia gentiũ eſt habita, quæ proprio ſuo idiomate, id eſt, Græco, quod & vulgatiſsimũ erat inter eos qui ex gentibus crediderant, & latiſsimè cognitum, ſcripturam noui teſtamenti acciperet, in ſtabilimentum fidei ſalutaris. Porrò autem, cùm ad Latinos deuolui iam fidei veritas cœpit, Græcis maxima ex parte vel ob innatam leuitatem, vel ob contentionis ſtudium ab eccleſiæ corpore diſiunctis, certè dignam aliquam, diuino munere, ſcripturæ ſtabilitatem Latinos accepiſſe conſequens fuit. Nec quoquam pacto illud fieri veriſimile poteſt, Latinam eccleſiam, apud quam iam inde à multis annis Chriſtianæ fidei veritas fuit, nullam adhuc ſcripturã Latinam habuiſſe cui ſuis ſtabiliendis dogmatis tutò inniti, ſuæq; fidei aduerſarios condigna poſſet auctoritate reuincere.

continuò in Græcarum & Hebraã literarum ignaros plenis cõuitiorum plauſtris inuehebantur Cochlæus auctor eſt.

Aliud quoque grauiſsimum incommodum in eccleſiam mihi videntur inferre qui, Latina editione poſtpoſita, aliunde cenſent puram firmamq́ue veritatem hauriendam: Quòd Latini fideles, Græcas videlicet Hebraicasq́ue literas ignorantes, cùm ſcripturam ſacram in ſuo idiomate Latino legerint, ſemper ancipiti ſententia pendebunt. Siquidem neſciunt, num quæ Latinè legunt, ſic an aliter apud Græcos & Hebræos habeantur. Vacillabit itaq́ue omni loco legentium fides, nec poterit alicubi firma conſiſtere. Quo quid perniciosiùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

niciosius esse potest? Latinam igitur vulgatam editionem tutam esse legentium fidelium anchoram, sine dubio teneamus: eisdemq; argumentis etiam secundâ cõclusionẽ: quæ (vt antè diximus) huius primæ, quam modò cõfirmauimus, corollaria est.

Tertiam verò primùm ostendimus, ex eo quòd plures scripturæ particulæ nobis subtrahentur, quæ scilicet in Græcis aut Hebraicis huius temporis exemplaribus non leguntur: vt historia puerorum & Susannæ apud Danielem: & historia mulieris adulteræ apud Ioannem: Imò & illud egregium de Trinitate testimonium, tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus. &c. ex Græcorum mendis ante aliquot annos nobis fuerat detractum: vt & Marci extremam coronidem, atq; alia itẽ multa ex Latino exẽplari nouisti interpretes expunxerunt. Non igitur in Græca, vel Hebraica exemplaria fidei cõtrouersia resoluẽda est: alioqui, eas scripturæ partes reijciamus oportet, quas concilium Tridentinum atq; adeò ecclesia vna voce & consensu recipit.

Dan. 3. & 13.

Ioan. 8.

1. Ioann. 5.

Hierony. ad Hedibiã q. 3. asserit hoc caput in variis exẽplaribus haberi.

Deinde tertia illa conclusio hoc etiam argumento monstratur, q; si est ad Græca exemplaria veritas expẽdenda, in psalm. 13. octo versus nos habemus, quos Hebraicus textus minimè habet. Ita, meritò à nobis expũgerentur: cùm eos tamen auctoritate apostoli nos habeamus.

Ad Rom. 3

Huic verò argumẽto nec Origené, nec Hieronymũ fecisse satis ecclesia demõstrauit. Quæ vsq; ad hoc temporis octo illos versus in psalmo. 13. seruãdos credidit: non seruatura, si (quod illi asserunt) errore ignorantium fuissent inserti.

In cõment. super epistolam ad Ro. In proœm. super. 16. li. cõment. in Esaiam.

Item, Hebræorũ doctores, nostri videlicet inimici, multo studio contẽderunt textum Hebraicum corrumpere, vt vetus testamentũ nostris exẽplaribus facerent esse contrarium, vt Euse. lib. 4. eccle. histo. c. 18. refert. Græci quoq; eadẽ contentione multis locis, vt scripturã ad suum sensum trahe rent, nouum testamentũ violarunt: vt Tertullianus. 5. lib. aduersus Marcionẽ testatur, & Euse. lib. 5. eccle. histo. cap. vlt. & Irenæus aduersus Hære. lib. 1. c. 29. & Basilius libr. 2. contra Eunomium. D. quoq; Ambrosius in cõmentarijs super epistolam ad Roma. & in procemio primi libri super Lucam. & Hieronymus in procemio super epistolam ad Philemonem, & Origenes in cõmentarijs super epistolã ad Romanos. Nã in plerisq; Græcis exemplaribus deest tota illa clausula, Ei autẽ qui potẽs est. &c. Quam ne Theophylactus quidem habuit. Nec in sacris literis solùm, sed in sanctorum codicibus fecere idem. Nam & in sexto concilio Cõstãtinopolitano Macharius eiusq; discipuli conuicti sunt, quòd in confirmationẽ sui erroris sanctorum testimonia aut truncarint, aut deprauarint. & in. 7. Syno. acti. 4. ostẽditur, Iconomachos ex testimonio Beati Nili deprauato nonnullis imposuisse. et actio. 5. ostẽsi sunt synodo libri qui dã ab hęreticis deprauati. Quin sub nomine Vigilij Romani Põtificis duos libellos productos & epistolam nomine Menæ ad eundem Vigiliũ scriptam, titulos emẽtitos & supposititios habuisse eodem cõcilio palàm factũ est. Et Leo in epistola quadam ad Palestinos queritur epistolã, quam ad Flauianum scripserat, à Græcis deprauatam. Atq; hunc Græcorum morem fuisse Nicolaus in epistola ad Micha. Imperatorem testatur. Existimat Gregorius epistola. 14. 5. lib. Chalcedonen. Synodũ sicut & Ephesinam esse à Græcis deprauatã. Vnde monet Narsum, vt nõ nouis codicibus passim credat. Romanos aũt codices veriores esse affirmat quàm Græcos. Dionys. quoque Corinthien. Episcopus apud Euseb. libro. 4. cap. 23. quid autem mirum, inquit, si dominica verba sanctæ scripturæ falsare conati sunt, q; vilia hæc, quę nos scripsimus, corruperũt? Hęc Dionys. cum quereretur suas epistolas esse ab hęreticis adulterinis detractionibus additionibusq; corruptas. Extat epistola Cyrilli ad Successum Diocesarien. episcopum, vbi refert se scisitatum à Budo

Caietanus in illũ psal. homo, ut solet, ad scribendi licentiam liberos oẽs tanquàm ignorantes etiã

fidentes mutat.

Actum.

Emesenæ

Emesenæ ciuitatis episcopo an consentiret epistolæ Athanasij ad Epictetũ Corinthiorum episcopum, respondisse. Si hæc apud vos scripta nõ sunt adulterata, nam plura ex his ab hostibus ecclesiæ deprehendũtur esse deprauata. Et cùm contulissent epistolam cum antiquis exemplaribus, deprauatam inuenerunt. &c. Quo loco admonendi sunt omnes boni vt à Caluini, Philippi, ac cæterorum similium fraude cauendum intelligant, quoties sanctorum veterũ sententias ad causam suam accommodabunt. Id verò tum magis, cùm nec librum, nec locum annotauerint, ibi enim eorum fides in veterum sententijs proferendis suspectior est. Proferrem autem multa huiusmodi loca, nisi esset lectori molestum, nec nũc alias res nos ageremus. Non igitur ad Hebraica & Græca exemplaria, vt quæ deprauata sint, est recurrẽdum. At Hieronymus in Esa. 6. cap. non credit esse verosimile, vt Hebræi scripturã suam deprauarint. Quid Hieronymi ætate fuerit, ego non disputo: quanuis Iustinus Triphonem euicerit, q; à Iudæis multa Prophetarum loca detruncata fuissent. Illudq; inter cætera refert, Dicite in nationibus, quia dominus regnauit à ligno. E quo versu illa verba, à ligno, detracta fuisse contendit. Post ea certè tempora à Iudæis scripturas contaminatas Hieronymus, si viueret, non negaret. Præterea, qui Hebraicis exemplaribus adhæresciunt, necesse est eos sequi Rabbinorum expositiones, & non catholicorum. Nam catholici vel septuaginta interpretũ vel Latinam editionem exposuere. Indignum autem est, vt nunc denuò ab Hebræis nostræ fidei oracula petantur. Christiana quippe veritas ab ecclesiæ viris quærenda est: non à Rabbinis Synagogæ.

Ad hęc, vt ex multis vnum aut alterum exemplum in medium proferatur, Geneseos octauo capite nostra editio Latina habet, quòd coruus à Noë dimissus egrediebatur & non reuertebatur. Sic Hieronymus habet in dialogo cõtra Lucifer ianos, & in epistola ad Oceanum. Sic Cyprianus in epistola ad Nouatianum hæreticum, quòd lapsis non est spes veniæ deneganda: Sic Ambrosius de Noë & Arca, cap. 17. Sic Augustinus tractatu sexto in Ioannem: sic Isidorus & Chrysostomus in commentarijs super Genesim: sic Euse. in chroni. sic breuiter omnes doctores catholici tã Græci quàm Latini, tum vetusti, tum iuniores ex. 70. interpretibus habuere. contrà nunc Iudæi legunt, Coruum egredi & reuerti. Quos sequuntur noui interpretes Lutherani Pelicanus & Mũsterus. Quibus ergo putas potiùs credẽdum esse? Num Iudæis hostibus Christi? Num Hæreticis inimicis ecclesiæ? Nonne magis septuaginta interpretibus? Nõne magis Hieronymo? Nonne magis sanctis antiquis, viris ecclesiasticis? Qui omnes inter se concinentes eadem asserere nullo modo possent, nisi vno diuino spiritu continerentur. Symachi, Theodotionis, Aquilæ translationes, quòd vel Iudaismo infecti, vel hæreseos notà essent infames, parum auctoritatis habere Hieronymus non semel testatur. Irenæus etiam apud Euseb. lib. 5. Eccle. hist. cap. 8. hoc argumento Theodotionis & Aquilæ translationẽ infirmat, quòd Iudæi essent ambo & Proselyti, cosq; Hebionitæ sequerẽtur. Et nos Iudæos, atq; hæreticos Iudæorũ interpretes & in errore socios admittemus? Ita ne omnia exemplaria nostra tam Græca quàm Latina, tam antiqua quàm noua à librarijs corrupta sunt, sicque mille annis permanserunt? minimè verò gentiũ. Quòd si recentiores aliud sentiunt quàm veteres Hebræi, quis non malit veterum sententiæ subscribere, quàm horum magis adhærere, præsertim cùm tot exilijs agitati, tantaq; cæcitate sint percussi, vt amissa suæ linguæ & omnium bonarum disciplinarum cognitione, nullam in Deũ fidem, hominum verò vix communem sensum obtineant. Quo loco mirari satis non possum Augustinum Eugubinum virum alioqui egregiè doctum & pium maluisse Iudæis & hę

In præfatione sup Iob. & in prologo Esdr.

Pagninus quoq; Iudæos nouos se quutus est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reticis quàm catholicis cõsentire. Nam Caietanus eisdem semper vestigijs inhærẽdo, per omnia in veteri testaméto Hebraicos, in nouo Græcos codices prorsus amplecti tur: vix vlla Latini interpretis habita ratione. Non est autem vel à seipso admonitus, qui, cũ in Lucę. 3. c. scriberet, cõsentaneum rationi esse dixit, vt potiùs noui textus Hebręi manci & corrupti sint, quã vt. 70. interpretes viri boni & insignes studuerint cõmento & mẽdacio fingẽdo. Hęc nimirũ apud viros doctos vehemẽs idoneaq; ratio est. Nã quas illi ratiũculas addũt ad cõpurgandam incredibilem nouitatem, non est quidem diei lociq; huius refutare. Satis enim modò est aduersarios suis quoq; argumẽtis refellere. Quoniam his de gradu deiectis, abundè sententiæ nostrę veritas cõprobatur. Vt igitur eò, vnde digressa est, recurrat oratio, si vocetur in quæstionem, an coruus reuersus fuerit ad arcã, rogo an impunè libereq; à catholico negari possit, etiam si in Hebraicis omnibus exemplaribus (quod isti dicunt) contrarium habeatur. Si negari potest, profectò euicimus Hebraica exemplaria nec firma, nec apta esse ad catholicas controuersias finiendas. Si non potest, iam dicito, si ita libet, nec Hiero. nec Ambro. nec Cypria. nec Augusti. nec Chrysost. nec reliquos huius ordinis viros catholicos esse, nos verò hæreticos etiã dicito, coruũ nanq; ad arcã reuersum, inficiamur. Hoc dicere, quoniã insolẽtissimæ vesaniæ est, illud dicamus potiùs, Hebræorum noua ista exemplaria in Theologiæ quæstionibus nihil virium habere ad faciendam fidem.

Præterea. Magna est dissensio sæpenumerò Græcorũ codicũ, qui nũc habẽtur in manibus. Vnde, & qui nostris tẽporibus ad Græca dicunt se expẽdere Latina, haud rarò inter se dissident, non in verbis modò, sed in sententijs quoq;. Quid, q̃ interim eadem exemplaria noui isti interpretes non eodem sensu interpretantur? Nam, versum quartũ Psal. 109. aliter Lutherus, aliter Pomeranus, aliter Pelicanus, aliter Buzerus, aliter Mũsterus, aliter Zuinglius, aliter Fœlix, aliter Pagninus traduxerũt, vt iam mihi videantur Theodotionis, Symachi, Aquilæ, quinta, itẽ sexta, & septima editio, ac vulgata quoq; septuaginta numero pauciss imę, si ad horũ innumeras cõferamus. Quid, q̃ Erasmo cũ seipso non cõuenit? Extat enim quinta, extaret & sexta editio, nisi vel incõstantiæ notã sibi inurendam metuisset, vel morte fuisset interceptus. Ac certè hæc varietas versionũ, semper fuit hæreticis quasi gẽtilis & propria. Id enim Acte monitis olim à viris Ecclesiasticis obiectum est, q̃ ne ipsa quidem exẽplaria sibi ipsis concordarent, si priora cũ posterioribus cõferrẽt: Sẽper, inquit, emẽdant, quibus semper displicet quod emẽdant, & noua queq; perquirũt, cum eis, quæ in vsu sunt, videbũtur aduersa. Et Lutherus primùm quidem, noui testaméti veterẽ editionem, germanica sua versione mutauit, quò persuaderet populo scilicet maiores nostros vsq; ad id tẽporis verũ euangelij textum nõ habuisse. Ipse tũ idẽ non post multos annos suam editionẽ ita correxit, vt ex solo Matthæi euangelio annotauerint viri docti triginta & eo amplius locos immutatos. Itaq; homines leues non tã ex fontibus sacras literas vertũt, q̃ circa fontes ipsi vertũtur: doctrinisq; varijs & peregrinis adducti, paruuli fluctuãt, & circũferuntur omni vẽto doctrinę. Et re vera, cũ nouitas quælibet quasi nouus ventus ebullit, statim cernitur frumentorũ grauitas & leuitas palearũ, tuncq; sine magno molimine id excutitur ab area: quod nullo pondere intra aream tenebatur. Quorsum hæc (inquies) tam lõgo repetita principio? Nempè, vt intelligamus, nouitios istos interpretes vel exẽplariũ, vel interpretationũ discrepãtia, varietatem in ecclesiam inducere magnoperè suspectã, & pijs omnino mẽtibus formidãdam. Ac nouitas ipsa quidẽ primùm timenda est, quæ sine reip. perturbatione esse non potest. ob eã enim causam Hebræis regẽ petẽtibus, si Gregorio credimus,

mus, dominus succẽsuit: q̃ oẽm in repub. nouitatẽ habeat exosam. Metuẽda quoq; rerum mutatio est, nam & parua momẽta tãtum valẽt ad cõmunem statũ ciuiũ perturbãdum, vt mutatis, quod Plato ait, musicæ modis, & reip. morũq; necesse sit mutationẽ fieri. Quãobrem, qui grauissimos legis diuinæ modos, nouis alijs acutis illis fortasse quidẽ, sed leuibus tũ cõmutare pergunt, videant illi nũ religionis cęremonias, sacramenta, sacerdotium, versionũ prætextu simul inuertant, Adeò hęc enim inter se connexa copulataq; sunt, vt ex his nullum à cęteris nec diuelli nec distrahi possit. Ita qui vnũ horum quodlibet versant, reliqua etiã vertet oportet. Id quod Lutheranorũ exẽplo didicimus, qui nouis inuentis vniuersa illa pariter mutauerũt. Porrò aũt varietatẽ, vt antè dixi, ac multò etiã magis respuere ac formidare debemus, quæ nimirũ constãtię atq; vnitatis inimica est. Quas ecclesia virtutes habere nequit, si scripturæ non est vnitas eadẽ & cõsensus. Qua in parte fœliciora nostra secula sunt, q̃ antiqua. Nam, olim tot penè vulgabãtur exẽplaria, quot codices. At verò nunc Sancti spiritus sine dubio peculiari prouidẽtia, Damasi solicitudine, Hieronymi summis laboribus, ecclesia sancta cõcordem scripturarũ vnitatem accepit, omnisq; sublata de medio varietas est, vnica Latina editione omniũ consensione recepta. Quapropter qui ad Græca exẽplaria nos reuocãt, eandẽ varietatem inferre volunt, à qua olim Hieronymus libros nostros asseruit: imò eandẽ falsitatem, à qua ille codices nostros expurgauit. Nã varietas codicũ, facilis deprauationis occasio esse solet. Atque vt nulla deprauatio sit, ipsa tamen varietas noxia est. Nec enim potest vnquã verũ asseri, quod diuersum est: vt Hiero. ad Donationẽ, & Rogatianũ scripsit. & ad Damasum verũ, inquit, non esse quod variat, etiam maledicorũ testimonio comprobatur. Si. n. Latinis ait, exẽplaribus fides est adhibẽda, respõdeant ij, quibus tot sunt exẽplaria, penè quot codices. Varietas

Cicero. 2. de legibus.

Euse. lib. Eccles. hist. cap.

igitur exẽplariũ Latinorũ, quę tunc erat, fidẽ eiusmodi exẽplaribus derogabat. Atq; huius quidẽ argumenti tãta vis & efficacia fuit, vt vel refractariã illam Lutheri procacitatẽ retuderit. Is siquidẽ (referẽte Coclęo in libro d̃ Canonicę scripturę auctoritate) sic ait. Si diutiùs steterit mũdus, iterũ erit necessariũ, vt propter diuersas scripturę interpretatiões quæ nũc sunt, ad cõseruandã fidei vnitatẽ cõcilij decreta recipiamus. Pro uidẽtissimè igitur à sacra synodo Tridẽtina cõstitutum est, vt ex multis Latinis editionibus sacrorũ librorũ, vna vetus & vulgata editio, lõgo tot sæculorũ vsu recepta, in publicis disputationibus pro authẽtica habeatur. Non est itaq; nũc tẽporis in fidei ac morũ disceptatione ad Hebraica Græcáue exẽplaria prouocãdum. Quippe cũ fidei dogmata per discrepãtes aut Hebręorũ, aut Græcorũ codices malè cõfirmari possint; aut ecclesię vnitas cõtineri. Atq; eisdẽ ferè argumẽtis quarta illa postremaq; cõclusio persuaderi põt. Nec. n. sunt Hebræorũ aut Græcorũ codices modò emẽdatiores, q̃ Latini: imò plerũq; aliter habẽt, q̃ ratio ipsa et veritas postulãt: quẽadmodum Frater Frãciscus Titelmanus & in collationibus sup epistolã ad Romanos, & in apologia pro veteri interprete, doctissimè copiosissimeq; disseruit. Vnde duo solũ ex innumeris loca desumere placuit, vt in his Theologi discant, quàm parum nouis istis interpretibus sit fidendum.

Vnus locus est ad Romanos. 12. Vbi enim nostra editio habet, dño seruiẽtes, noui ferè interpretes reddũt, tẽpori seruientes, & tamẽ nostra litera præferẽda est. Quã & olim Græci emendati codices habuere. Chrysostomus siquidẽ & Theophylactus non legunt τῷ καιρῷ δουλεύοντες, sed τῷ κυρίῳ. Quam etiam lectionem habuit Origenes: Atq; adeò Hieronym⁹ in epistola ad Marcellã, cuius initium est, Post priorem epistolam, cùm lectionem aliam reprehendisset, asseruit, secũdùm Græcam veritatem legendum esse, Domino seruientes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alter habetur prioris ad Corinthios septimo. Nam, vbi nos legimus, Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est, isti ex Græco (vt aiunt) fonte, sic vertunt. Qui cum vxore est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, diuisa est vxor & virgo. Quam posteriorem lectionem D. Hieronymus in priori aduersus Iouinianum libro, docet non esse apostolicæ veritatis. Quodq; fatetur se aliquãdo illum locum in eum sensum disseruisse. &c. Sic igitur quædam exẽplaria, tùm Hebraica, tùm Græca olim Hieronymus nactus est, multò emendatiora quàm ea, quibus Iumores interpretes & expositores fidem suam alligarunt. Cumq; nobis opponunt codices quosdam ante annos sexcentos aureis literis descriptos (hos enim fontes appellant) quiens, Habeant qui volũt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argẽtoq; descriptos, vel vncialibus (vt vulgo aiunt) literis, onera magis exarata, quàm codices: dummodò mihi meisq; permittant pauperes habere schedulas, & non tã pulchros codices, quàm emendatos. Quamobrem hominibus his, qui nouandis rebus studẽt, illud sæpè accidit, vt dum codicum, vel Hebraicorum, vel Græcorum, quos penes se habent, exempla sequuntur, nihil aliud agant, quàm ex non correctis emendata corrigere.

In præfatione super Iob.

Quo quidem in loco Isidorus Clarius ferendus non est, cuius emẽdatio nihil est aliud, quàm interpretis veteris reprehẽsio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam: postea verò quàm pollicitatione hac depellit inuidiam nouitatis, multa inserit, adijcit quędam, nonnulla mutat: vt lector non aliud posit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris interpretis errorem, aut veterum codicum deprauatiõnẽ. Quàm bellum erat potiùs nouam editionem confiteri, quàm veterem emendatã: ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur. Nota sunt eiusmodi plurima loca apud Isidorum Clarium & in veteri & in nouo testamento: proferrem q; illa nisi ad alia properaret oratio. Illud tã tũ admoneo, huiusmodi vel mutationes, vel detractiones, vel additiones, quæ curiosos homines sæpe delectant, parentibus nostris, si nunc viuerent, futuras esse molestissimas. Id qđ ex primo libro historiæ, quam vocant tripartitam, colligere licet. Cũ enim (vt ibi dicitur) multi episcopi cõuenissent, & quidam eorum rogatus esset vt faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio & sapiẽtia præditus, ille locus venit in medium, Tolle lectum tuum, & ambula: vbi pro lecto, cubile dixit. Tunc Spiridion Cypriorũ episcopus, vir sanctissimus, indignatus in eum, & exiliens de cathedra sacerdotali, tu melior es (inquit) eo qui lectum dixit, quia eius verbis vti cõfunderis? Hoc autẽ fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum qui eloquij supercilio prætumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum, cùm esset venerandus, & operibus glorioſus, simulq; presbyter æuo atque sacerdotis officio. Quid hic faceret, si Isidori Clarij, Quid si Erasmi, Quid si Caietani, Quid si reliquorũ tam varias & multas versiones & inuersiones audiret? Quo putas animo ferret, cum in alijs libris, tum maximè in Dauidicis psalmis, Caietani lectionem & textum vsqueadeò à nostro dissẽpãtem, vt vix possis agnoscere, an idem liber sacer, an alius sit? Quid Hieronymus? Psalmos ne ad verbum translatos pateretur? Qui in libro de ratione interpretandi Horatianum præceptum illud, Nec verbũ verbo curabit reddere fidus interpres, etiam in sacris literis interpretandis magno perè commendat? Et in epistola ad Augu. asserit, Hiero. sensuum potiùs veritatem, q; verborum se ordinem conseruasse. Et ad Suniam & Fretellam boni interpretis regulam ponit, vt non verba verbis quasi paria & demensa respondeant, sed sensus sensui. Quid, quòd Cicero in libr. 3. de finibus ait, verbum

verbum, è verbo exprimere indisertos interpretes solere? Fallitur ergo præ cæteris Caietanus, qui huius præcepti immemor, psalmorum versionem dum fidam voluit reddere, reddidit ad ecclesiæ quidẽ vsum prorsus inutilem.

¶ *Cap. Quartumdecimum, In quo argumenta capitis duo decimi refutantur.*

A C primùm quidem, cùm Hieronymi auctoritas nobis obijcitur, haud difficile erit respondere. Duabus enim ex causis tunc erat ad fontes recurrendum. Vna, q; non tam turbidi fontes erant, nec primarię scripturarum scaturigines conturbatæ. Altera, q; tunc varietas Latinorum codicum & dissonantia magna erat. Nec tolli cõmodè poterat, nisi ad exemplaria Græca atque Hebraica Latina referrẽtur. Has verò causas fuisse Hieronymo vt in eã sententiã induceretur, manifestè patet ex procemio super quatuor euangelia ad Damasum, & ex epistola ad Suniam & Fretelam. At modò cùm exemplarium Latinorum vna apud omnes cõcordia sit, potiùs Græca varietia per nostram Latinam editionem sunt limanda, atque in pristinam vnitatem reducenda. Saniorisq; consilij est, limpidam aquam è lacunulis defæcatis, quàm ex turbato fonte liquorem obscœnum bibere. Porrò, vt ab scholastica disputatione interim excurrere annuente lectore liceat, nos qui Abraham secundùm promissionem filij sumus, puteos fodimus in aliena Palestinorum regione. At verò Palestini alienæ fœlicitati inuidentes, puteos inuentos conantur obstruere. Quos tamen Isaac multa diligentia refodit, ac repurgauit: donec aqua viua reperta est. Ibi pastores Geraræ cum pastoribus iurgantur Isaac, dicentes, Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei Isaac, ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Profectus inde fodit alium puteum: pro quo non contenderunt: itaq; vocauit nomẽ eius Latitudo. Fodit in hũc omninò modum ecclesia Romana atque Latina puteos aquarum viuentium: hoc est, sacrarum literarum: inuenit aũt aquam sapientiæ salutaris: venas vitæ (inquam) inuenit: sed in aliena veluti regione Iudæorum & Græcorum. At, illi puteos oblimare, obstruereq; nituntur. Quinetiam iurgantur contra nos, & inquiunt, Nostra est aqua: fons noster est. Qui Hebraicus Græcusq; non fuerit, in alieno solo fodere non debet. Nostro idiomate (aiunt) locutus est Christus, locuti prophetę, apostoli & euangelistæ. Vos Latini hospites estis: & has literas à nobis emendicare debetis: nostra opera, nostraq; castigatione restituendi sunt in genuinam veritatem vestri codices. Sic puteos nostros Iudæi, hæretici, curiosi nouarum rerũ amatores humo opplere contendunt, certantq; nobiscum: sed mera calumnia est. Qui enim sunt alieni à corpore, quo pacto illustrabunt ipsum? Qui sensum Christi non habent, quomodo sensa Christi interpretabuntur? Qui aduersum nos pugnant, num arma nostra sunt instructuri? Nequaquã. Fodiamus igitur alium puteũ, quem latitudinem nũcupemus: ecclesiam scilicet longè lateq; dispersam, pro quo nulla controuersia excitetur. Est enim *1. Timo. 3.* ecclesia columna & firmamentum veritatis: est ciuitas Dei, quam fluminis impetus *Psalm. 45* lętificat. Hęc potauit filios suos mille ab hinc annis huius fluminis aqua. Hanc nos aquam & probare & tenere debemus, nec alios fontes veritatis exquirere. Sed prima argumenta vidimus, iam reliqua videamus. Nam, quòd Augustini ac Damasi auctoritas obijcitur, post ea, quę dicta sunt, nihil ponderis habet. Siue enim Augustinum seu Damasum nobis opponas, de suo tempore ambo loquuntur. Inno. verò. 20. dist. cap. de quibus. quem nonnulli etiam nobis aduersum esse volunt, quid sibi velit, equidem non intelligo, nisi locus depraua*tus* sit. Existimo. n. non Greca sed

Genesis 20.

canonica

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib.5.c.5. 9.3. canonica esse legendum. De qua re alio libro fortasse latiùs. Nam illud quidē, quod Erasmus grauissimè vrgere existimauit, leuissimum est. Multa siquidem, quæ Hieronymus primùm & in noui testamenti editione veteri & translatione. 70. errata esse crediderat, ea pòst maiori diligentia perpendens, aut etiam vel ab amicis vel certè ab inimicis admonitus, comperit, non esse corrigenda, id quod Fráciscus Titelmanus in Apologia declarauit. Certè Hieronymus in Hebraicis quæstionibus. 70. interpretes notat, ꝙ contra Hebraicam veritatem, pro amico opilionem verterint. Et ipse tamen postea. 70. secutus est. Nec me præterit Augustini Eugubini sententia. Sed eā esse commentitiam patet. Quid enim ineptius dici potest, quàm. 70. interpretum errorē, vitio librariorum in Hieronymi editionē irrepsisse? Quid rursum improbabilius, quàm. 70. interpretes viros clarissimos in re apertissima, quæ vel vulgo facilis erat, fuisse hallucinatos? Iam verò quàm indignè à Laurētio, Fabro, Erasmo, vetus editio passim reprehendatur, in vna epistola ad Romanos Frāciscus Titelmanus liquidò ostendit. Ex qua re satis intelligitur, quā tum fidei Aristarchis istis sit habendum.

At illud primum, quo falsitatis nostra vetus editio insimulatur, Osiandri est in armonia Euang. argumentū. Atque eandem ante notam veteri interpreti inusserant Nico. Liranus Iudicum. 10. & Burgen. nu. 36. Sed Hieronymus secutus est. 70. Quibus consentiunt Damasce. libr. 4. cap. 15. Euseb. lib. 1. eccle. histo. capit. 6. Epipha. Hæres. 78. Ambrosius libro. 3. comm. in Lucam. Nicephorus lib. 1. cap. 11. Beda lib. 1. in Lucam. c. 10. Quorum libētiùs ego ęmulor negligentiam, quàm istorum obscuram diligētiam. Igitur, cùm in lege ratio finis habeatur, lex intelligenda est de fœminis illis, quæ ex defectu masculorum paternam hęreditatem sortiuntur. Quæ causa fuit Diuo Thomæ. 1. 2. quæst. 105. art. 2. ad secundum. &. 4. Sent. tent. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. q. 3. ad quartū. vt filiabus Aaron liberum matrimonium concederet: in quibus scilicet ratio huius legis deerat. Et Leui. 21. iubetur pontifex ducere vxorem virginem de populo suo: non de familia aut tribu sua. Et Iudicum. 10. cōstat, Tholaa & Abimelech cōsanguineos fuisse, quorum alter fuit ex tribu Isachar, alter ex tribu Manasses. Et vir Leuites de sorte Ephraim vxorem duxit de tribu Iudā. Iud. 19. Iosephus. lib. 5. an. c. 6. Non ergo falsa est editio nostra, sed est tamen litera sanè interpretanda. Quid ergo (nam hoc dicet aliquis) pertinet ad dominum generationis ordo deductus vsque ad Iosephī? Certè pertinet multùm. Nam quando Euangelista scribebat, Iudæis erat exploratū, Iosephum ex eadem tribu esse, ideo enim ambo in Bethleem cēsentur, vt de vna videlicet stirpe generati. Ac beatā virginem nullos fratres habuisse, historiæ omnes consentiunt. Itaq; viro contribuli nupserat. Quod ergo populo tūc Iudaico notū, erat nō erat opus vt Euangelista scriberet, id docuit, Iosephum à Dauid descendisse. Qua vna re & seruauit consuetudinem scripturarum, qua mulierum in generationibus ordo non texitur. & verè docuit, id de quo poterat esse controuersia. Nam, quòd Maria ex eadem familia esset, vt quod eo tēpore plebi notissimum erat, non putauit Euangelista admonendum.

Argumentum etiam alterum eiusdem Osiandri est in Armo. Euāg. vbi tradit Hebręos in dictionū inflexionibus neutrum genus non habere. Ex quo effici, vt voce masculina vel fœminina pro neutra abutā tur. Vt vbi nos dicimus, nō est bonum hominem esse solum, imperitus interpres redderet, non est bonus esse Adam solus. Adeundem quoque modum, loco eius quod Hieronymus vertit, Paruulus es, perspicuè & verè conuertēdum est, Parum est, vt sis inter Chiliarchos seu principes Iudę. Cuius axiomatis causa aptissimè redditur. Ex te enim. &c. Quæ ratio ineptissima est, si ad præcedens pronunciatum iuxta Hieronymi ver-

mi versionē accōmodetur. Quòd autem posterius membrum prioris ratio sit, sermonis natura prodit, sensus cōmunis iudicat, & Spiritus sanctus per os Euangelistæ testatur. Hactenus Osiandri verba retulimus. Sed miranda est hæretici insolētis impudētia. Chaldæa paraphrasis, recentiores Iudæi oēs. 70. interpretes cū Hieronymo consentiūt, & hic vnus sibi solus sapit. Sed cùm Hebraicus textus coniunctionem non habeat, potest quidem sic tota oratio accipi, vt secūdum mēbrum causa sit primi. Quem sensum pontifices & scribæ habuerunt, quorū verba fide, qua oportuit, Matthæus retulit. Potest autē sic etiam accipi, vt posterior pars quasi aduersatiuè intelligatur, quo sensu accepit Hieronymꝰ, vt patet ex cōmentarijs in Michęam. Ac si rem ipsam diligētiùs animaduertas, parū certè interest, vtro modo accipiatur oratio. Quocirca ridiculus est Osiander, qui in re nihili tantas tragœdias excitet.

Illud est facile, quod. 3. loco additur. Nā codices. 70. interpretū interrogādi notam habuere: ita cōuerterunt, nūquid nascetur per singulos dies? Et Augustinus quidem, licèt sine interrogatione legerit, nostrum tamē sensum expressit, inquiens. longanimis & non iram adducens per singulos dies. Itaq;. 70. interpretes optimè sensum illius versiculi videtur expressisse, si antecedētia cōsequētibus hærere debeāt. Quod verò Caluinus. c. 5. institut. obijcit, frigidū id languidūq; est. Tum qm̄, vt quibusdā placet, de amore & odio prædestinationis & reprobationis loqtur Solomō: idq; sua deri putāt ex eo qđ subiungitur, sed oīa in futurū seruātur incerta. Tum qm̄ secūdū cōem legem loquitur, atq; ad cōem etiam loquēdi formam orationē accommodat, qua, cùm ignorat homo an amore dignus sit, verè dicit nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit. Tum, qm̄, vt aliàs in eo libro sæpè, argumētantis locū assumit atq; personā, nō definiētis. Itaq; eo capite argumētatur à principio statim, multa mala cō sequi ex eo ꝙ oīa æquè eueniant iustis & impijs in hoc mūdo. Vnū aūt ex absurdis quæ proponit, est, ꝙ sint in domo dñi seruti differētes, alij boni, alij praui, & tamen dñs non declaret, quē amet, quē odio prosequatur: sed ita benignè se erga impiū vt erga piū gerere videatur, nec minùs gratus & seuerus sit erga bonos seruos q̄ erga improbos. Omnia enim bona malaq; huius vitæ vtriq;, sunt cōia. Nihil ergo falsi nostra editio cōtinet, siue primū siue secū dū siue tertiū hunc sensum amplectamur.

Nam quòd suspicātur quidā Matthęi 24. interpretē falsò pro fulgore fulgur reddidisse, ideo ꝙ non fulgur exit ab oriēte & protēditur vsq; in occidētem, sed fulgor: ꝙ ridiculū argumētū est. Primū em̄, si qs hoc in loco error inest, hūc nō interpretis, sed librariorū fuisse, ad veritatis similitudinē videbatur esse propēsius. Voces quippè illæ fulgur & fulgor vsque adeò similes sūt, vt procliue sit vnā pro altera substituere. Quare parū æquè ea in interpretē culpa reijcitur, quā librarijs assignare ęquius erat. Deinde interpretis peccatum hic nullum oīno esse potuit: vbi Græca oīa exēplaria & vetera & noua consentiūt, nec aliud q̄ ἀστραπὴ legunt: quæ vtiq; vox non fulgorē sed fulgur sonat. Sed ne de fulgore quidē accipi potest, etiam si Græca vox vtrūq; sonaret. Sol nanq; paulatim oritur, eiusq; aduentus diu præsentitur antequam appareat. Illius itaq; fulgor non inexpectatus aduenit. Dñs autem sine dubio significat, aduentum suum subitum & inopinatum fore. Id quod fulguris similitudine aptissimè exprimitur, quod priusquā expectes, iam emicuit & abijt. Et quāquam fulgur nō pertingit ab oriēte vsq; in occidētem, si d Philosophiæ rationē expēdas, sed ad ex primendū subitū & inexpectatū quidem sed cōspicuū omnū oculis aduentū Christi, satis est accōmodare id, qđ oculis nostris apparet. Alioqui arguatur. D. Thom. quasi perspectiuę facultatis indoct⁹, q. explicaturus quemadmodum res diuinæ in humanis

Origenes à fulgure, de quo primū locutus est, ad fulgorē deinde labitur. At nec Græcum nomē idē utrūq; significat nec uoces, quæ Græcis fulgur fulgoremq; designant, similes eogna tæq; sunt, sed ualde diuersæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanis eluceant, exemplum ponit ſpeculi, in quo, vt ait, rei imago conſpicitur. Quod licèt re vera ita nō ſit, nobis tamen ita videtur. Quin etiam arguatur Moyſes tāquam Aſtronomiæ imperitus, qui duo luminaria magna poſuit, cū ſint alia multò maiora. Sed ſenſui noſtro illa duo maxima apparēt. Nec alienum eſt à ſacris ſcripturæ auctoribus ſeſe populo rudi attēperare, loquiq; vt vulgus ſolet. Hiſce verò rebus exēpla plura ego adiūgerē, niſi de hoc argumēto ſatis ſuperq; eſſet dictū. Heliu certè iuxta hāc rationem illud dixit, Ab interioribꝰ egredietur tēpeſtas, & ab arcturo frigus. Iob. 37. Ad eūdem modū propheta ait, Qui fundauit terrā ſuper aquas: quaſi aquæ inferiores ſint, cùm tamen emineāt. vt. 13. lib. oſtēdemus. Simili quoq; lege tres angeli, qui Patriarchę apparuērūt comediſſe dicūtur. Non q̄ re vera comederint, ſed q̄ comedere viſi ſunt. Quāquam Iuſtinus figuratè accipit perinde vt ignis deuorare & exedere dicitur, quia cōſumit. Eſt autē locus in dialo. cum Tryphone. Iam verò illa non lōgam orationē deſiderāt, quamobrem exiſtimarint interpretes, non oportere ſemper eaſdē omninò res, quæ in Hebræo ſunt ſignificatæ ſermone, in Græcū Latinūq; transferri: ſed ſatis eſſe quādoq;, ſi proximę atq; ſimillimę ponerētur. Illud enim in ſacris etiā literis cōuertendis præ ſe tulerunt, quod de lege interpretādi eſt à Cicerone dictū, verba non numerāda eſſe ſed pōderanda: ſenſumq; ſenſui ita reddendū, vt, quoad fieri poſſet & liceret, verborum quoq; interdū neglecta cura lectoris intelligētia iuuaretur. Id verò tum vel maximè licere ſibi arbitrati ſunt, cùm Hebręi auctores ſimilitudine vnaqualibet aut animalis, aut arboris, aut fruticis, aut herbæ, aut rei deniq; alius vſi eſsēt, quę eſſet Græcis ac Latinis incognita. Vt Eſa. 1. vbi Latina editio habet, cū fueritis velut quercus defluētibus folijs, Hebraicè habetur, Ela, quæ vox, ſi. 70. interpretibus ac Hieronymo etiā ipſi in cōmentarijs credimus, Terebinthum magis q̄ Quercum ſonat. At quia Terebinthus arbor eſt peregrina & incognita ſoloq; apud Latinos nomine celebrata: non incongruè Terebinthi loco Quercus poſita eſt, arbor omnibus & linguis & gētibus manifeſta. Pſal. itē. 101. pro pelecano in Hebræo habetur קָאַת, ꝙ Nictycorace aūt כָּיָת Illud alij monedulā, alij Onocrotalū, alij Pelecanum: hoc, partim Bubonē, partim cuculū, partim noctuā reddiderūt. Ac. 70. interptes quidē vocē Hebræā, quā Hieronymus in Onocrotalū perpetuò vertit, nūc in pelecanū, nūc in auē, nūc etiā in Leonē trāſtulerūt. Nec verò ita id factū eſt ab illis, ꝙ voces eſſent multiplices & ambiguę: ſed ꝙ cū apud Hebræos animātium præſertim plārum q; vocabula penitus ignorata ſint: nihil referre exiſtimarūt, vnāquālibet ex rebus ſimilibus poni, ſi idem omnino ſenſus rēmaneret. Solitudo eīm ibi queritur, in qua res oēs illæ conueniūt, nō alia quæuis propria ſpecialisq; natura. Quēadmodum etiā cùm apud Latinos prouerbialiter dicitur, in præſepio canis: ſi Hiſpanē quiſpiā verteret, el perro del ortelano, holitoris canis, optimè profectò interpretaretur. Quoniam ſub re & voce diuerſa vnus idēq; ſenſus eſſet lectori inſinuatus. Quāobrem illa Caietani religio nimia fuit, qui Eſaiæ. 1. vocē, Ela, nō luit in Latino exēplari mutari: quaſi periculū eſſet, ſi aut Quercū aut Terebinthū, aut aliā quāuis ſimilem arborē legeremus. Ex eadē quoq; re illorum error coarguitur, qui, quoniā vbi Hieronymus Onocrotalum reddit, vbi ferè. 70. reddūt Pelecanū, eandem eſſe auem exiſtimarūt. In quo errore auctor etiā commētariorū fuit, quæ Hieronymi titulo in pſalmos circūferūtur. Ea verò D. Hieronymo tribuere manifeſtariæ ignorantiæ eſſe vel ex hoc vno loco apertè conuincitur. Ait enim hic auctor Pelecanū Latinè dici Onocrotalum. Ecqua autē ignoratio maior eſſe poteſt, q̄ vocē Onocrotali Latinā exiſtimare? Sed de his hactenus. Nūc illud etiā atq;

atq; etiam aſſerimus, in huiuſmodi cōparationibus transferēdis, nihil omninò intereſſe, an res eadem in eaſdem an in ſimiles & proximas conuertantur: ſi ſenſus non diuerſus, ſed idem eſt.

Quid? Quòd cū Latinis res ipſa Hebræa & nomenclatura deeſt: ſi interpres ex re agnata & vicina rē nobis aliàs incognitā nominauit: nihil prorſus abſurdi fecit? Quin rem tētauit interpretibus vniuerſis aut ex auctoritate, aut ex vicinitate conceſſam: vt aut nomē Latinū ad ſignificādum imponeret, aut certè ad rē ſimilē vel proximā inſinuandā trāsferret. Cùm itaq;, Ionæ. c. 4. alij cucurbitā alij hederā conuerterūt, vſi ſunt illi quidem iure ſuo, nec verborum religione aſtricti debuērūt cōmittere, vt illo in loco nullā omnino rē nec Græci intelligerent nec Latini. Non eſt aūt huic illud diſſimile, q̄d Danielis prophetiæ obiecit Porphyrius: cōfictam eſſe ſcilicet, nec haberi apud Hebræos, ſed Græci ſermonis eſſe cōmentū: qa in Suſannæ hiſtoria cōuincatur. ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι ꝙ ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι. Quā etymologiā Græco magis ſermoni cōuenire q̄ Hebręo. Cui qm̄ id quod Euſebius, Appollinaris atq; Hieronymus reſpondērūt, ab eccleſia reprobatū eſt: multo nos verius reſpōdemus, hoc interpretē Gręcū facere potuiſſe, ac iure potuiſſe quidē, quod Latinus interpres reformidauit. Non. n. neceſſe erat, eaſdē arbores eo loco reddi, quas lingua haberet Hebręa, qm̄ ſi eædē redderētur, non ſolū etymologia ſeruari non poterat, ſed nec ꝓphetię fel tiuitas nec ratio ſententię. Alias ergo vel ſimiles, vel proximas vertit, in quibus, iudicij prophetici & acumen ſeruaretur & cauſa: Prętereā, ꝙ arbores illæ, à propheta Chaldęo ſunt nominatę ſermone: nec opus eſt, ſolicitos nos eſſe, ſi in Hebręo nec illę, nec ſimiles habeantur.

Argumētus igitur, quibus editionis noſtrę veritas impugnari ſolet, abūdè, ni fallor, reſpōſum eſt. Quāquam nōnulla de induſtria prętermiſi, quę. ſ. facliora viſa ſunt, q̄ quibus refellēdis deberēt aut oleū, aut operā ſumere. Quale illud eſt, ꝙ Faber Stapulēſis ait, Eccleſiā interpretis errore verſatā impiè pro Deo angelos legere. Nam lectionē illā impiā credit, Minuiſti eū paulominus ab angelis. Qua in re q̄ indoctè & incōſultè, q̄ temerè & inſipiēter errauit: nō eſſet difficile oſtendere, niſi ante nos Eraſmus magna argumētorum vi eādem cauſam euicīſſet. Certè interpres epiſtolę ad Hebręos, vel Clemēs, vel Lucas fuit, quē admodū auctores grauiſsimi prodidere. Horū vtrumlibet impietatis inſimulare, piaculū erit. Eccleſiā quoq; accuſare, quę eā probarit epiſtolā, in qua error impius eſt, an ſine impietate fieri poſsit, ignoro. Sed de his ſatis. Iam reliqua perſequamur. Enimuerò cùm hiſtoriā Suſannæ poſt ea tępora Eccleſiaſticus vſus approbarit, & Danielis prophetę nomine populo legerit, cumq; Tridentinū cōcilium ſua quoq; id diffinitiōe firmauerit, ea certè hiſtoria nūc à fidelibus recipiēda eſt. Aphricanus quidē Origeni obiecit, quòd hiſtoria Suſannæ ficta videatur, & aliena à ſcriptura prophetica, vt Euſe. teſtis eſt libr. 6. c. 23. At illi tū, vt idē Euſebius ait, Origenes manifeſtiſsimè reſcribēs aſſerit, nequaquā Iudæorū cōmentis & fraudibus auſcultandū, ſed hoc ſolū pro vero habēdum in ſcripturis diuinis, q̄d. 70. interpretes trāſtuliſſent. Nā id eſſe ſolū, q̄d auctoritate Apoſtolica cōfirmatū ſit. hęc Euſeb. Idē verò refert Hieronymus in catalogo de Iulio hoc Aphricano loquēs. & Hieronymus ipſe lib. 1 Apolog. aduerſus Ruffi. quæ in prefationibus dixerat, ea purgat, inquiens. Quòd aūt refero, quid aduerſus Suſannæ hiſtoriā, & hymnū trium puerorū, & Belis draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi ſolēant dicere, qui me criminatur ſtultū, ſe ſycophantam probat. nō eīm quid ipſe ſentirē, ſed quid illi cōtra nos dicerent explicaui. hactenus Hieronymus.

Ad aliud aūt argumentum, qm̄ nolumus eſſe longi in ſingulis explicādis, breuiter reſpōdetur, eū locū ex priori epiſtola ad Corinthios bifariā apud Græcos legi: & vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vulgata habet editio & in hunc modũ,oẽs quidem non dormiemus, sed oẽs immutabimur. Cuius rei auctor est Didym⁹,& Hieronymus in epistola ad Mineriũ & Alexandrum. Neutra aũt lectio à viris ecclesiæ reprobata est. Quin admonuere sem plectionem dubiam & variã esse: nec alterutrã ex eis vt certã & exploratã amplexi sunt. Neutrã igitur lectionẽ recipere cogimur: qa neutrã partẽ doctores ecclesiæ tãquam explo ratã & catholicã asseruere. Quod idem in alia particula qualibet Latinæ editionis fieret, si idẽ penitus cõtigisset. At vbi doctores catholici vnã & eãdem lectionẽ sine varietate tenuerũt, nec ancipitẽ assertionis librauere sentẽtiam, nobis non licet Latinã editionẽ in quæstionẽ vertere. Sed ne in hoc quidẽ loco, Erasmi, Fabri, & Caietani sentẽtia, ꝓbari potest: qui in re vbi nihil intererat vtro modo diceretur, eã lectionẽ deligere maluerũt, quã nouitatis ratio redderet plausibiliorẽ. Id quod gẽtile his est, q curiosa sectari volũt, magis q̃ solida. Nos aũt Origenem, Didymũ, Athanasiũ, Augustinũ, Cyprianũ, Tertullianũ, cõemq; Latinorũ consensum sequi malumus. Nam, & Acatius Cæsareę ciuitatis episcopus apud Hieronymum, in pluribus Græcis exemplaribus lectionẽ nostrã haberi dicit, aliã verò in paucioribus. Nec me tamẽ illud præterit, quod Chrysostomus & Theophylactus in commentarijs, Hieronymus quoq; in epistola quadã ad Marcellã scripsere. Sed, quod antè dixi, me malè habet, in rebus quæ in vtrã q; partem controuertũtur, noua delectare Theologos, magis q̃ vetera, eaq; vsu parentũ nostrorũ cõprobata. Ac de .5. argu. satis.

Lib. 20. de ciui. Dei. c. 20.

Ad Mineri, & Alex.

Initium epistolæ est, Magnis nos prouocas.

Ad id verò, quod sequitur hoc habeto responsum. Magnus error eorum est, qui sine Spiritus sancti peculiari dono scripturã sacram existimant se posse, vel intelligere, vel interpretari. Quod vtiq; donum, quanto magis sacris literis intelligendis atq; interpretandis opus est: tantò rariùs difficiliusq; contingit. Nam, eruditionem, verborum copiam, multarum linguarum peritiam, hominum diligentia præstat: At si spiritus quidam peculiaris, non tam ob ipsius qui percipit, quàm ob ecclesiæ vtilitatem, gratuita Dei miseratione donatus, sacrorũ librorum interpreti desit, ieiuna erũt & frigida omnia, quàmlibet elaborata, & diu antè excogitata & inuẽta fuerint. Imò falsa erũt in interpretatione pleraq; humano sensu intelligẽtiaq; tradũcta. Nõ interpretationem scripturæ prophetiam & inspirationẽ Dei credit Clemens Alex. libr. 1. Stroma. & Apostolus in priori ad Corinthios epistola inter reliqua Spiritus sancti dona cõmemorat: nec philosophiã, sed prophetiã vocat. Videlicet, ꝙ sacris literis explicãdis eodẽ spiritu opus sit, quo ipsæ sunt cõditæ, diuino vtiq; atq; prophetico. Id qđ Petrus posteriori sua epistola cõfirmat, inquiẽs, habemus firmiorẽ propheticũ sermonẽ, cui bene facitis attẽdentes tãquam lucernæ lucẽti in caliginoso loco: hoc primũ intelligentes, ꝙ oĩs prophetia scripturæ, propria interpretatione nõ fit. non enim volũtate humana allata est aliquando prophetia, sed Spũ sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Hoc aũt, quẽadmodum ante nos viri clarissimi intellexerũt, eum habet sensum: bene quidẽ facitis prophetis attẽdentes: sed id primùm intelligite, diuinas ꝓphetias humana & propria interpretatione non intelligi. Spiritu. n. sancto locuti sunt sancti Dei homines, & animalis homo nõ percipit ea quę sunt spiritus Dei. Quis enim cognouit sensum dñi? Atq; id ipsum Esaias significauit inquiẽs, Dominus dedit mihi linguam eruditã, vt sciã sustẽtare eum qui lapsus est, verbo. Erigit manè, manè erigit mihi aurẽ, vt audiam quasi magistrum. Et apud Lucam, aperuit dominus discipulis sensum, vt intelligerent scripturas. Quo testimonio probat Hilarius in psalm. 115. scripturarum intelligẽtiam donum Dei esse. Quòd si scripturarum intelligentia donum Dei est, scripturas autem interpretari nemo, nisi qui intelligit, potest: conficitur vtique sacrarum literarũ in aliam linguam versionem

Iamblichos Pythagoræ doctrinam ait, quoniã diuinit⁹ tradita fuerit, nõ nisi quopiam Deorum inter-

nem sine Dei peculiari gratia nemini posse contingere. Alioqui. si D. Hieronymus sufficere existimat verborum copiam, eloquentiam secularem, trium linguarum peritiam, rerum multiugam cognitionem, cùm his omnibus abũdè se nouerit instructũ, cur in epistola ad Desiderium deprecatur alienarum orationum adiutorium, vt eodem spiritu, quo scripti sunt libri, in Latinum eos possit transferre sermonem? Cur item in epistola ad Paulinũ scripturas sanctas interpretaturus, reuela inquit, oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua? Lex enim spiritualis est, & reuelatiõe opus est, vt intelligatur. & rursum. Quãti, inquit, hodie putant se nosse literas, & tenẽt signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid. Et in illud ad Galat. 1. sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt cõuertere euangeliũ Christi. omnis ait, qui euangelium alio interpretatur spiritu, quàm scriptum est, credentes turbat, & conuertit euangelium Christi, vt id quod in facie est, post tergum faciat, & ea quæ post tergũ sunt, vertat in faciem. Siquis tantùm literam sequitur, posteriora ponit in faciem: Siquis ludæorum interpretationibus acquiescit, post tergum mittit ea, quæ ex natura sua in faciem constituta sunt. & posterius eodem quoq; capite in illud, notum vobis facio euangelium, quia non est secũdum hominem. &c. Marcion & Basilides, aut, & cæteræ hæreticorum pestes, non habẽt Dei euangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo, humanum fit euãgelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse euangeliũ, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Hactenus Hieronymus. Qui si vera dicit, cogit nos profectò credere, aut veterem interpretem Spiritus sancti peculiari dono sacras literas conuertisse, aut ecclesiam Latinam multis retro sæculis non Dei habuisse euangeliũ, sed hominis. Cùm igitur obijcis, interpretem non fuisse prophetam: Sanè verò propheta non fuit. habuit tamen (vt Titelmanus rectè asseuerat) spiritum quẽdam prophetico vicinum & proximum: qualem necessarium esse ostendimus sacris literis interpretandis. Imò qualis erat necessarius, vt ecclesia Latina editionem sacrorũ librorum haberet, quam tutò in fide & moribus sequeretur.

Hieron. in epist. ad Sophronium.

t. q. 1. Marcion.

Iam ad postremum argumentum facilè respondemus. Quòd si Latinorum ad Græca Hebraicaq; collatio à nobis negligeretur, exemplo D. Ambrosij tueri nos vtcunq; possemus. Qui cùm Græcè sciret, & commentarios in sacras literas ederet, sæpe tamen non est dignatus Græca consulere, etiam vbi diuersitatem aliquam lectionis esse cõstabat. Videre hoc est in cõmentarijs super caput duodecimum epistolæ ad Romanos. Quòd si interpretum etiam magis varietate turbaremur, quàm iuuaremur, Sophronij nos excusaret exemplum, qui id de se apud Hieronymũ fatebatur. Nos verò nec versiones nouorũ interpretum, nec linguarum peritiam, nec ad Græca & Hebraica exemplaria, Latinorum collationem damnare volumus: quin potiùs magnoperè commendamus. Nam, si Augustinus de doctri. Christ. libr. 2. cap. 11. vulgarium etiã & parum doctorum interpretum versiones plus adiuuare inquit intelligentiam quàm impedire, ego varias doctissimorum hominum editiones iure reprehendere nec possum, nec debeo. Atque, vt inuidiam eorum deprecer, qui nos aut miseros & barbaros, bonarumque literarum expertes, aut etiam laborum alienorum inuidos reprehẽsores calumniari possunt. Ego in linguarũ cognitione plura etiam cõmoda ad sacras literas intelligendas esse fateor, & id quidẽ peringenuè, tantũ abest, vt linguarum peritiam insecter.

¶ Cap. Quintumdecimum, de linguarum Hebraicæ & Græcæ vtilitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRincipio enim, sunt linguæ vtilissimæ, vbi disseritur cum infidelibus: vel etiã vbi infideles alienæ linguæ ad fidem instituuntur. Quæ causa, vel sola redditur in illa Clemẽtina. 1. de Magistris. propter quam linguæ sunt in academijs perdiscẽdę. Alioqui, quorsum attinebat Arabica lingua, quæ ibi doceri præcipitur? Qua de re, leuiter motus videtur Erasmus, vt Clementinę huius argumento assereret, ad sacras literas intelligendas Hebraicã Græcãq; linguam esse necessarias. Altera linguarum cõmoditas est, in his dictionibus explicandis, quæ magnã emphasim habent, aut aliquã inna tam proprietatem apud Hebræos & Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet. Huiusmodi dictiones multas cùm in Hebraicis quæstionibus tum in cõmentarijs annotauit Hieronymus. Nos vnã aut alterã exẽpli causa ponemus. Vt Marci. 6. interpres reddidit, & cũ dimisisset eos, vbi verbum tamẽ Græcũm ἀποτάσσεσθαι non significat simpliciter dimittere, sed dimittere benignè ac gratiosè, quẽadmodum amicis celebrato conuiuio beneuolè valedicimus. Qua in re euãgelista Græcè scribens Iesũ Christi etiã erga rusticos summã comitatem & gratiam cõmendauit. Id quod Latina voce exprimi vix potest. Et in epistola ad Ephesios, pro eo quod nostra editio habet, A cõstitutione mundi, Græcè habetur καταβολῆς. Cuius vocis emphasim Hieronymus in cõmentarijs explicare volẽs, nõ id ipsum (inquit) μεταβολῆς, quod cõstitutio sonat: vnde & nos propter paupertatem linguæ & rerũ nouitatem, & (sicut quidã ait) quod sit Græcorũ sermo latior, & lingua fœlicior, conabimur non tã verbum transferre è verbo (quod impossibile est) q̃ vim verbi quodam explicare circuitu. Καταβολὴ, propriè dicitur, cùm quid deorsum iacitur, vel cùm aliqua res sumit exordium. Vnde & hi qui ædium futurarum iaciunt fundamenta, καταβάλλειν dicuntur. volens itaq; Paulus ostẽdere, q̃ Deus vniuersa sit machinatus ex nihilo, non cõditionem, non creaturam atq; facturã, sed καταβολὴν, id est initium fundamenti ad eum retulit. hactenus Hieronymus. Et. 1. lib. aduersus Iouinia. tractãs illum locũ. 1. Cor. 7. non vt laqueũ vobis injiciam, sed & proprietatem, ait, Græcã Latinus sermo non explicat. Quibus enim verbis, qs possit dicere. &c. vnde, & in Latinis codicibus ob trãslationis difficultatem hoc penitus nõ inuenitur. Cuiusmodi sunt & alia exẽpla plurima, quæ nos causa breuitatis omittimus. Legat multa qui volet apud Hilariũ in expositione psalmorũ pluribus in locis asserẽtem Latinũ sermonẽ plenam Græcę literæ intelligẽtiam non reddere. Ambrosius quoq; in explanatione Psal. 118. Latinos ait, non posse in omnibus vim Græci sermonis exprimere. Quòd in Græco pleriq; maior sit vis & põpa sermonis. Qua in re plurimùm Theologos iuuare possent Erasmi in nouum testamentum annotationes: nisi eas tam multis erroribus aspersisset.

In præfatione sup Laurentij annotationes

Est alia quoq; vtilitas, ad accipiẽdos plures sensus catholicos ex eadẽ scriptura, præsertim cũ apud Græcos & Hebræos est æq uoca. Sic. n. dictiones polysemas & ambiguas dialectici nostri vocare solẽt. Nam, interpres vnã solã vocabuli significationem reddere potuit. Vt Eccle. 2. vbi nostra editio habet, cogitaui abstrahere à vino carnẽ meã, alij vertũt, trahere in vinũ carnẽ meã, alij, attrahere in vino carné meam. Cuius quidem cõtrariæ omnino versionis cõtrarius verbi Hebraici significatus causa fuit. Quod & Hieronymus ipse in cõmentarijs admonuit. Atq;. 1. libr. Apologiæ aduersus Rufinũ tractãs illud. 2. psal. apprehẽdite disciplinã: pro quo ipse interpretatus est, adorate filiũ, vel etiã adorate purè, Nisi (inquit) & prolixũ esset & redoleret gloriolam, iam núc tibi ostẽderẽ, quid vtilitatis habeat magistrorum limina terere, & artem ab artificibus discere: & videres quanta sylua sit apud Hebræos ambiguorũ nominum atq; verborum. Quæ res diuersæ interpretãtioni materiam præbuit, dũ vnusquisq; interdubia

dubia quod sibi consequẽtius videtur, hoc trãsfert. Hactenus Hieronymus. Ambrosium item vide, in psalmum secundum de verbo, Beresith. Ambiguitas etiã in aliena lingua festiuum quandoq; vocis vsum lusumq; præbet, qui in nostra nõ solùm conseruari nequit, sed ne sensus quidẽ germanus sine magna licẽtia reddi. Vt Hieremiæ primo pro eo quod nos habemus, vigilantem, in Hebræo est vocabulũ, Soced, quod ambiguum est, nucemq;. & vigilias significat. Vt Hieronymus ibidem & in Ecclesiastes. 12. vltim. disserit. Cùm itaq; Prophetæ in visione virga nũcea seu amygdalina fuisset ostẽsa, rogatus à domino quid videret, שָׁקֵד Hebræa lingua virgam Soced, se videre respondit. Tunc ergo dominus sermonis occasione ludens, bene inquit, vidisti: quia vigilabo ego. &c. Ita quanquam Hieremias in vna significatione nomen acceperit, at Dominus ad alteram flectens, fecit ex sermonis ambiguitate concentum sententiæ elegantissimum. vt si sydus quoddam cæleste videns, Canem se videre diceret, scitè illi diceretur, bene vidisti, Canis enim lacerabitte. &c. Iam verò si interpres Latinus, Soced, in nuceam transtulisset, quod. 70. fecerant, absurdè sanè subiungeretur, bene vidisti quia vigilabo. &c. vnde coactus fuit noua quadam insolitaq; interpretãdi licentia virgam vigilantem Latinis auribus reddere. Quæ ego asserere non auderem, nisi auctor grauissimus Hieronymus astruxisset.

In pſalm. 118. cõſentiũt nerũ. illum. mandatorum currit. Latabi mecũ. illum. me ſtis. tuum.

In. 12. cap. eccle. & in 21. c. Hiere.

Quarta vtilitas in linguarum eruditione est ad cognoscenda idiomata, phrases & prouerbia linguę alienæ: vt sunt illa, ne respicias post tergum. & neminem salutaueris in via: Quibus maxima quædam itineris celeritas quasi prouerbialiter & figuratè significatur. Illud etiam q̃ prouerbialẽ figuram apud Hebræos atq; Hispanos dicitur, omni habẽti dabitur, ab eo autem qui nõ habet, & quod habet auferetur ab eo. Sic apud Ecclesiasticum de consiliario infido & traditore dicitur, A cõsiliario serua animam tuam, ne fortè mittat sudem in terra, & dicat tibi, bona est via tua. sic Hebræa phrasi, filij excussorum robusti & expediti dicuntur. Qua de re Hieronymum lege in epistola ad Marcellam, cuius initium, Beatus Pamphilus, Sic filiæ carminis, Ecclesiastes. 12. aures intelligunt ur. Sic Saul filius vnius anni dicitur, cùm regnare cœpisset, id est innocens. Nisi, quod Eucherio visum est, ita intelligas: Saũlem electum à Samuele vno anno domi tacuisse, & expleto anno cœpisse regnare. Sed de hoc exemplo alàs. Nam vitio scribentium fortè per. 21. anni vnius anni inducitur. Sic Nemrot robustus venator corã domino, id est, sub cælo. quasi robustissimus omnium hominum, qui sub cælo erant. Scio quosdam ita interpretari, vt venator coram domino dictus sit, quasi Dei venator: quo significaretur ciuilem vnius monarchię potestatem vindictã esse à Deo approbatam, vt quæ Dei administra sit. Sed id quod priùs dixi, Hebræorum doctissimis placet. Vel certè venator coram Deo vocatur, id est sub dio. Homines enim ferarum more palantes in agris ad ciuilem societatem coẽgit.

Genes. 19. Luc. 8. 10. Hispanè, No seas oydo ni uisto. i. nullã moram faciat. Al rico todos le dan. &c. al pobre aun lo que tiene le quitan. Cap. 37: Habla con uos, y coge piedras cõ los pies.

Sic pluisse dominum à domino Hebraismum esse quidam existimant: id est, desuper. sed filium à patre intelligunt, Euseb. libr. 1. Ecclesia. hist. cap. 1. Hieronymus Oseæ. 1. Irenæus lib. 3. cap. 6. Basilius libr. 5. contra Eunomi. Marcellinus ad Salomonem episcopum, cõci. Syrmiẽsi. Cano. 15. Ac certè, vt alios libros veteris testamenti prætermittamus, Salomonis prouerbia, nisi habita ratione Hebraicę cõsuetudinis & sermonis, vix vllo pacto explicari queunt. Nam quod apud Hebræos prouerbiali figura dicitur, id apud Latinos nullum quandoq; prouerbium est. quod plerique ignorantes in prouerbiorum expositione aut ad allegorias confugiunt, aut varia etiam deliramenta confingunt: multoq; melius fuerat, simpliciter inscitiam confiteri, quàm imperitiæ suæ alios hæredes facere. Horum ego Latinorum errata facilè commemorarem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi aliud huius temporis ratio postularet. & nos aut reuerentiæ, aut beneuolentiæ causa neminem hîc certo nomine volumus lacerare. Illud constat Parabolas aliud in medulla, aliud in superficie polliceri, neq; hoc sonare quod scriptum est. Ex quo, vt Hieronymus in Ecclesiastes. c. vltimum ait, manifestum fit, Prouerbiorum librum non, vt simplices arbitrantur, patentia habere præcepta: sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis diuinũ sensum altiùs perscrutandum. Id quod sine Hebrææ linguæ peritia difficulter, ne quid amplius dicam, faciemus. Iuuaret autem Hieronymus vehementer Latinam intelligentiam, si cõmentarios in libros Prouerbiorũ edidisset. Nã, qui circumferuntur, quanquam Hieronymo in Decretali. tit. de cõsti. tribuũtur, Hieronymi tñ non esse liquidò deprehẽditur.

Quinta commoditas est ad menda ea corrigenda, quæ ex incuria videlicet typographorum aut eorum, qui ex scripsere, imperitia obrepserũt. Vt Iosue. 11. c. Non fuit ciuitas, quæ se non traderet: vbi secunda negatio superfluit, vt ex consequẽtibus manifestè colligitur. Sed quia fortasse. 70. interpretes negationem illam in exemplari habuerunt, coacti sunt, verbum, Tradidit, ad suppositũ aliud referre, & pronomẽ, se, vel expungere, vel omittere. Item psal. 26. vt videam voluntatem domini, pro voluptatẽ. Græcè τερπνότητα. Et in titulo psal. 62. Idumææ pro Iudææ, vt Græca omnia Hebræaq; exemplaria demonstrant. Et psal. 65. Et exultaui sub lingua mea, pro exaltaui, id quod tam ex Græcis quàm ex Hebræis manifestum est. Sunt qui putent, etiam subesse mendum psalm. 19. ipsi obligati sunt & ceciderunt, pro, obliquati sunt: sic enim Hieronymus vertit, incuruati sũt, & consentiunt cæteri interpretes. Ac psalm. rursum. 124. Declinantes autem in obligationes, pro, obliquationes, Hieronymus reddidit prauitates, Felix peruersa, alij iniquitates. Consentit hîc Titelmanus. Verùm hæc duo loca incorrupta sunt. In priore siquidem Græcè habetur συνεπόδισεν. συμπεδίζω autem est, obligo, nexu impedio & implico. In posteriore verò Græcè legimus τεταγγαλεύει, quæ vox Latinis est, obligatio, nodus & nexus implicatus. Quemadmodum & Nazanzenus in orat. vsurpauit. Ac Hieronymus in Isaiæ caput. 58. obligationes nobiscum legit. Vnde & nodus gutturis & locus strangulationis τεταγγάλη. Græcis dicitur. & τεταγγαλίσω strangulo, suffoco. Illud sanè corruptum est in psalm. 206. Effusa est contentio super principes, pro contemptio, Græcè ἐξουδένωσις. Quam eandem vocem, psalm. 122. in despectionem vertit interpres. Ruffinus autem libro. 8. histo. eccle. cap. 1. illud ita conuertit, effusa est contumelia super principes. & Iob. 19. vel celte sculpantur in silice, pro certè. & Lucæ. 10. suspiciens, pro suscipiens ὑποληφθῇ, Tametsi auctor libelli de vera & falsa pœnitentia, qui nomine Augustini circũfertur, communem errorem secutus est. Et Lucæ decimoquinto. euertit, pro euerrit, σαροῖ. & primæ ad Corinthios. 2. spiritualiter examinatur, pro examinantur ἀνακρίνεται. & capitulo. 10. omnes qui de vno pane, pro omnes quidem. & cap. 15. quotidie morior propter gloriam vestram, pro per gloriam. Iurat quippe ibidem Apostolus, & particula νη. aduerbiũ iurantis est apud Græcos. Et ad Hebræos cap. 5. interpretabilis sermo, pro ininterpretabilis, hoc est ineffabilis explicatuque difficillimus, quemadmodum ex Hieronymo in epistola ad Euagrium liquet. Atque idem Hieronymus in quæst. Hebra. Gene. 3. legendum ait, Ipse conteret caput tuum, non ipsa. Cùm enim apud Hebræos neutro genere ad semen referatur, interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit, ipse. Quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt, ipsa. Vt illa prætereamus quę Augustinus Eugubinus commemorat sicut cernus desiderat vmbram, pro seruus. & solis ardore, pro salis. & sitiuit anima mea ad Deum fontẽ, pro fortem. Et interfecta est terra à sanguinibus, pro infecta. Nam & psal. 10. pro eo quod nos habemus, qui diligit iniquitatem odit animam suam, D. Hieronymus legendum credit anima sua, hoc est, ipsius, refertur enim anima sua ad Deum, non ad peccatorem. Sensus aũt mirificè conuenit, vt Deus scilicet intelligatur, vtrunq; quidem interrogare & iustum & impium, sed impium tamen reprobare, odium enim Dei reprobatio est. Nos autem Græca. 70. interpretum exemplaria, quæ nũc quidem extant, seq; possumus, Non. n. illa habẽt τὸν ψυχήν. sed, τὴν ψυχήν. Atq; fortasis hinc illud apud Tobiam acceptum est, qui autem faciunt iniquitatem hostes sunt animæ suæ. Similiter, & in epistola ad Sunią & Fretellã, pro eo quod in psalmo. 5. legitur, dirige in conspectu tuo viam meam. legendum contendit. dirige in conspectu meo vitam tuam. Sic enim ipse verterat, dirigẽ ante faciem meam viam tuam. At in hoc etiam nos Græcorum exemplaria sequimur: & vulgatam lectionem, cùm fieri sanè potest, approbamus. Simile illud est ad Philippẽn. 3. qui spiritu Deo seruimus, vbi spiritui legendum esse credit Ambrosius libro. 2. de Spiritu sancto. cap. 6. Nec solùm in Latina lingua huiusmodi errores accidunt: sed eos etiam in Hebraica & Græca deprehendimus. Deprehendit Caieta. ac verè ille meo iudicio quidem. 2. Regum. 21. vocem Michol, falsò ab Hebræis pro Merob fuisse substitutam: vt patet. 1. Regum. 12. Deprehẽdit quoque Hieronymus in psal. 131. septuaginta interpretes non χήραν, id est, viduã, sed τέκνα, id est, venationem transtulisse, sed propter vocum similitudinem pro τέκνα, id est, venatione χήραν, id est, viduam esse suppositam, maximè quia in sequenti versiculo pauperes sequẽbantur. Nisi fortè Latinus interpres victum aut venationem reddidit & error obtinuit, vt vidua legeretur. Nam vox Hebraica nullo modo viduam, sed venationem, victum viaticumque significat. Huiusmodi menda graui ratione prudentique consilio corrigi possunt. Nam illos quis ferat, qui, sicut est apud Quintilianum, dum librariorum infectantur inscitiam, produnt suam? Et dum libros sacros mendis, vt aiunt, scatentes purgare volunt, contaminant. Fateor siquidem procliue fuisse & facile indocto & negligenti librario præsertim in verborum & rerum nonnulla similitudine, ea, quæ recta erant, explodere, & quæ erant deprauata, substituere. Fateor etiam, tantã fuisse olim in sacras literas reuerentiam, vt quæ menda quamlibet dilucida semel irrepserant, religio fuerit attingere. Sed video quoque huius temporis improbam temeritatem, quæ adeò nihil non audet sacris codicibus corrigendis: vt Manichæi olim parum in hac re immodesti fuisse videantur, quos Augustinus ad Hieronymũ scribit, multa diuinarũ scripturarũ loca vitiata esse contẽdere solitos non ab scribentib⁹ apostolis, sed à quibusdã, nescio quos, codicum deprauatoribus. Verùm hęc hactenus. Illud tamen non est prętereũdum, quod Diuus Hieronymus in. 40. cap. Ezechielis scribit. Omnia propè verba Hebraica & nomina, quę in Latina translatione sunt posita, nimia esse vetustate corrupta, scriptorumque vitio deprauata. Vt igitur hæc emendentur, Hebraicę linguę cognitio necessaria est. Nam etsi nomina adhuc integra & illibata manerent omnia, sed ipsę tamẽ nominum interpretationes, quibus multa scripturę sacrę mysteria aperiuntur, sine huius linguę peritia non habentur. Vt Augusti. 2. de doct. Christ. cap. 16. auctor est. Quo etiam loco illud agnoscit, non parùm beneficij eos Latinis hominibus contulisse, qui Hebraica nomina separatim interpretati sunt.

Sexta vtilitas fuerit ad intelligenda quędam loca, scilicet quę vel apertiùs ab interprete reddi poterant, vel etiam

Iob. 7. Deut. 29. Psalm. 41.

Cap. 12.

Augusti. 2. de doctrina Christ. c. 13

Vide Aug. lib. de bono perse. c. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ſine linguarum cognitione nequeunt explicari. Vt apud Ioannem. Erat quidam Cap.4. regulus, pro quo Græcè βασιλικός, hoc eſt de aula regia, ſeu Palatinus, vt Hieronymus in Iſaiã annotauit. Videtur interpres Græcè legiſſe βασιλίσκον. Græca verò exemplaria Cap.65. habent omnia βασιλικόν, id eſt, regalis ſeu regius. Qua ex re cõiectura fit, interpretem regalem vertiſſe, ſed à ſciolo regulum eſſe ſuppoſitum. Et Ioannis primo, Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quod euidentiùs verteretur, mihi præpoſitus, ſeu ante latus eſt. vt Auguſtinus ſuper Numeros.q.51.& ſuper Ioannem Homilia.3. ſubnotauit.& Act. 27. cùm non eſſet tuta natigatio, eo q; ieiunium iam præteriſſet, pro eo q; vltra tempus ſuſtinuiſſent inediam. & ad Rom.12. non vos metipſos defendentes, pro vlciſcentes. Nã numerũ beſtiæ, qui Apocalypſeos.c.13. ſcribitur, ſine alphabeti Græci ſecundùm ordinem arithmeticum intelligentia, aut vix, aut certè nullo modo exponere poſſumus. De qua re.13. libro fuſiùs diſſeremus.

Septima vtilitas, ad euitandum errorem ex Latini ſermonis amphibologia. Vt, filius hominis in Euangelio dicitur Chriſtus: Vbi cũ genitiuus apud Latinos communis generis ſit, apud Græcos articulo maſculino definitur: vt non filius virginis, ſed filius Adam intelligatur. Filius ſiquidem hominis iuxta Hebraicã phraſim dicitur, vt filius terræ, homo obſcurus & contemptibilis, qua vtique nomenclatura Dei filius identidé in Euangelio gloriatur. Tanta fuit verbi incarnati modeſtia. Quanquã, vt Auguſtinus ait, commẽdat Chriſtus frequenter nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis. Huiuſmodi etiam exemplum eſt ad Romanos vltimo: ſalutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſæ eccleſiæ. Vbi, vniuerſæ eccleſiæ, caſus gignendi eſt, nõ nominãdi, vt Caius intelligatur, non Paulũ modò, verum etiam totã eccleſiam hoſpitio excipere. Et Lucæ.11. q̃d ſupereſt date eleemoſynã. Vbi Latinus ſermo anceps eſt. Poteſt.n. intelligi, q̃d ſupereſt, pro eo quod vnum illud vobis reſtat, ſeu reliquum eſt, vel quod ſupereſt, id eſt, quod ſuperfluum eſt. Quam vtranq; intelligentiam Latinus quidẽ ſermo recipit: Græcus tamen excludit. Habetur enim τὰ ἐνόντα, id eſt, quæ inſunt, ſeu quę habetis. vt & Theophylactus, & Cyrillus libr.2. in Leuiticum, & Auguſtinus ſuper pſalm.125. & Chryſoſtomus homi.33. ad populum, & ſuper epiſtolã ad Hebræos homi.9, exponunt. Nam hunc poſtremum ſenſum Græca lectio habet, primum & ſecundum non videtur habere: tametſi ſecundus ille. D. Thomæ placuerit: qui quidem in ea re & Bedam ſequitur ſuper Lucam, & Gregorium in epiſtola ad Auguſtinum Anglorũ epiſcopum: refertur q;. 12. q. 1. cap. quia tua.

Alia deniq; vtilitas eſt, ad quædam vocabula, vel Hebraica, vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remãſerunt, vel propter ſanctiorẽ antiquitatis ſeruandam auctoritatem, vel quia in linguam alienam transferri commodè non potuerũt, quod Auguſt. lib.18. de ciuitate Dei.c.11. tradit. vt Matthæi.11. Pauperes euangelizãtur: id eſt, bonum accipiunt nũcium. Cùm enim in humano principatu regum myſteria ſecreta ad pauperes per diuites deriuentur, in Chriſti regno ecõtrario nuncia cæleſtia ad diuites per pauperes ſunt delata. &.1. ad Corin. vltimo. anathema marana atha. Quorum illud prius Græcũ, hoc poſterius non tam Hebræum, quam Syrum eſt. Qua de re Hieronymus diſſerit in epiſtola quadam ad Marcellam, cuius initium eſt, Nuper. & in epiſtola ad Damaſum de verbo Oſanna. In qua Hilarium notat, quòd ob linguæ Hebraicæ imperitiam, verbum illud malè fuerit interpretatus. Sũt & aliæ forſitan imperitiæ linguarum vtilitates. Nec enim ego omnes enumerare potui: ſed quæ ſatis erãt, ne huius rei inuidia labefactaretur diſputatio mea. Iſthęc autem meliùs ab alijs copioſiusq; tradentur, qui linguarum patrocinium fortè ſuſceperint. Qua in cauſa quę volent

volent omnia poterunt dicere, ac nos quidem libenter audiemus, ſi intra præſcriptos modo religionis modeſtiæq; terminos ſe contineant: nec aut veras linguarum vtilitates fallaci vanitate, aut etiam veterem Latini interpretis editionẽ nouis alijs quaſi elegantioribus melioribusq; permutent. Sunt enim nõnulli, quibus, quoniam noui teſtamenti antiqua verſio parum elegans & culta eſt, placeret maximè vt illa ſũmota, in illius locum Latinior alia ſuccederet. Scilicet artis coloribus Dei volunt ſapientiam pingere, & quaſi puellam rhetorũ floſculis exornare. At illa modeſta cùm ſit, non ambit ornatum: cùm ſit grauis, fucum ignorat: cùm virilis, mundo muliebri non capitur. Sine phaleris eſt, ait quidã, omne q̃d dictat affectio. Amor itaq; phaleras neſcit. Dicendi ornamenta, alius inquit, non ſunt negotij ſed otij, nec militiæ ſunt picta verba ſed quietis. Igitur, quæ bellicũ canit, quæ exaltat quaſi tuba vocem ſuam, quæ irruentes hoſtes, mortem præſentem intonat, ea horridum neſcio quid & Barbaricum ſonat, non tanquam lyra citharáue carmen muſicum ſuaui dulciq; ſono ca-
Euſeb. de præp. Euã. lib.8.c.1. nit. Quid Theopompo acciderit in ſcriptu-
1. Cor. 2. ra ſacra rhetorum more ludenti memoriæ proditum eſt. Sed dimittamus externa, ad noſtra veniamus. Non in perſuaſibilibus,
1. Timo. 6. ait, humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Et rurſum O Timothee deuita, inquit, prophanas vocum nouitates. Si ergo vitanda eſt vocum etiam nouitas, tenenda eſt antiquitas, & ſi prophana nouitas eſt, vetuſtas ſacrata eſt: quẽadmodum Vincentius Lirineñ. dixit. Item, Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum. Scilicet ab ſpiritu puro & ſimplici pura ſimplexq; oratio expectanda erat. Nec fœminam grauem, honeſtam, ſeniorem decebat niſi caſtus ornatus. Vide Auguſt. lib. de doctr. Chriſt. 4. cap. 6. Quamobrem, ingenuè dicam, ne illos quidem probare vnquam potui, qui paraphraſes quamlibet Latinas & elegantes in ſacras literas ediderũt. Cùm enim perſonam Chriſti Pauliue loquentis aſſumunt, quò elegantiùs nitidiusq; eloquuntur, eò minùs illorum ſpiritum & maieſtatem ſeruant, atque adeò rei quodammodo fiunt læſi ſpiritus & maieſtatis. Certè, quod olim puer magno aſſenſu virorum ſapientium dixi, ſi aut Chriſtus aut Paulus iſtorum mihi lingua loquerentur, nec Chriſtus mihi nec Paulus eſſent. Non eſt nitidulus Chriſtus, mihi crede, non eſt comptulus, non elaboratè ornatus. Paulus verò non ſcientia ille quidem, ſed ſermone imperitus eſt tamen. Permitte Chriſto igitur linguã ſuam, linguam ſuam permitte Paulo: vtraque enim calamus eſt ſcribæ velociter ſcribentis, non ad ſingula verba & apices elaborantis. Noui ergo teſtamenti vetus editio, id nanque agebamus, quanuis ſimplex & inculta ſit, non eſt propter hoc minoris facienda. De tertia igitur quæſtione ſatis dictum eſt.

¶ *Cap. Sextumdecimum, Vbi ponuntur argumenta eorum qui ſunt opinati, ſacros Auctores in libris Canonicis, non ſemper diuino ſpiritu fuiſſe locutos.*

QVarta conſequens fit. An auctores ſacri in libris Canonicis ſpiritu interdum humano ſine diuina & ſupernaturali reuelatione loquantur. Fuerunt enim viri Eccleſiaſtici nonnulli (vt Hieronymus in prooemio ſuper epiſtolam ad Philemonem teſtatus eſt) qui crederent, non ſemper auctores ſacros ſpiritum in ſe loquẽtem habuiſſe. Quia nec humana imbecillitas vnũ tenorẽ Sancti ſpiritus tan lõgo orationis decurſu ferre potuiſſet: Nec dignum *Controuerſia quarta.* *1. Argum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignum est(inquiunt) vt ad huius corpusculi naturales & euidentes necessitates Spiritus sancti maiestatem sine causa deducamus. Adhibent verò huius rei exempla ex epistola ad Timotheum. 2. penulam, quã reliqui Troade apud Carpum, veniens afser tecum. Et illud, Lucas est mecum solus: & Trophimum reliqui infirmum. & alia eiusmodi, quæ passim in epistolis Pauli humanitus scripta inueniũtur. Nõ igitur scriptores sacri Spiritum sanctum semper manentẽ & in ipsis loquẽtem habuere. Nam, & hoc Christo domino peculiare fuit, vt Ioannis. 1. cap. dicitur: super quem videris (inquit) spiritum descendentem, & manentem super eũ. &c. Cõfirmatur autem idem hoc argumento, maximè quòd sicut Deus non deficit in necessarijs, ita non redundat in superfluis, quemadmodum Aristot. demõstrauit. Ad ea verò quæ naturali lumine nota erant, non erat supernaturalis reuelatio necessaria. Quæ igitur scriptores sacri viderant, & manibus attrectauerãt, non diuino lumine infuso, sed humano locuti sunt.

2. Argum. Deinde, Apostolus in priori ad Corinthios epistola quædã ponit, de quibus asserit, quòd domini sunt mandata. Præcipio (inquit) non ego, sed dominus. Mox verò subdit, Cæteris ego dico, non dominus. Quòd si Paulus ex interna reuelatione Spiritus sancti omnia scriberet, profectò non diceret, ego dico, non dominus. Quoniam eiusmodi consilia, quæ Deo reuelante dantur, domini sunt: Quemadmodum quæ à prophetis per reuelationẽ dicebantur, Dei verba erant. Non enim Propheta asseruisset, hoc ego dico, non dominus.

Hanc verò argumentationem non leuiter, sed haud scio an grauissimè Basilius confirmat lib. 5. contra Eunomium capite penultimo, in hæc verba: Quæcunque spiritus loquitur, Dei verba sunt: & propterea omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis est, quam locutus est spiritus. Nam verè id monstrat, spiritum non esse creaturam: Quoniam omnis rationalis creatura, est quando ea quæ Dei sunt loquitur: vt cùm dicit Paulus, De virginibus autem præceptum non habeo: consilium autẽ do tanquàm misericordiam consecutus: his autem, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, non ego, sed dominus. Et propheta, O domine, iudicia loquar ad te: Quid quoniam impij prosperãtur? & rursus, heu me mater, vt quid me peperisti? Nonnũquam autem dicit, hæc dicit dominus. Et nõnunquam Moses, ego sum tenuis voce, & tardæ linguæ. Aliquando verò is ipse, hæc dicit dñs, emittas populũ meũ, vt mihi sacrificet. Spiritus aũt non sic. Non. n. aliquando sua, aliquando quæ Dei sunt loquitur: id nanq; creaturæ est: verùm omnia spiritus verba, Dei verba sunt. Hactenus Basilius. Sed & Origenes homilia. 16. super numeros, sermo (ait) qui apud Ionam scriptus est, & non est factus, à Iona potiùs quàm à Deo prolatus esse videtur. Non enim semper ea, quæ per prophetam dicuntur, quasi à Deo dicta suscipiantur oportet. Nam, per Moysen multa quidem locutus est Deus, aliquanta tamen & Moyses propria auctoritate mandauit. Quod dominus in euangelijs euidẽtissima distinctiõe secernit: cùm dicit de repudio mulieris interrogatus, ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere vxores vestras: ab initio autẽ non fuit sic. &c. ostendit hæc & Paulus in literis suis, cùm dicit de quibusdam, dominus dicit, & non ego: & de alijs, hæc autem ego dico, non dominus. Et iterum in alijs, Præceptum domini non habeo: consilium autem do. Et iterum, Quæ loquor, non loquor secundum Deum. Vnde similiter etiã in cæteris prophetis aliqua quidem dominus locutus est, & non prophetæ, alia vero prophetæ, & non dominus. Hactenus Origenes. Qui eandem quoq; sententiam in procœmio cõmentariorum in Ioannem amplexus est. Et Ambro. lib. 8. in Lucam. c. 69. explicans illud, Ad duritiam cordis vestri. &c. ostendit, ait, locus hic, quæ propter fragi-

Nititur Origenes libro Deut. testimonio, in nomine dñi probare quicq; præterea dixerit & non cauerit, hoc dicit non esse locutus. Matth. 19.

1. ad Cor. 7

2. ad Cor. 11

fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo scripta. Vnde & Apostolus: Denũcio, inquit, non ego sed dominus vxorem à viro non discedere. Et infra: Cæteris, inquit, ego dico, non dominus: Si quis. &c. Hic Apostolus negauit legis esse diuinæ, vt cõiugiũ qualecũq; soluatur. Tantũ Ambrosius. Cùm igitur Basilius Ambrosius & Origenes viri clarissimi, nõ in ea modò sententia fuerint, verumetiã scripturæ sacræ testimonijs cõfirmauerint, nihil erit absurdi, si nos etiam asseramus, non oĩa, quæ sacri auctores scripsere, Spiritus sancti afflatu scripta fuisse. Adde q̃ Apostolus in posteriore ad Corin. epistola, affectum se pœnitentia dicit, q̃ illos prioris epistolæ reprehensione vexarit. Rei autem semel scriptæ, nõ alium pœnitere potest, nisi eum, qui scribẽdo crediderit se errasse. Non igitur Paulus quæcunq; ad Corinthios scripsit, diuino ea spiritu se scripsisse existimauit. Adde rursum, quòd in hac etiam epistola posteriore, in quo quis audet, inquit, in insipientia dico, audeo & ego. Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego. At blasphemũ est, verba Spiritus sancti in insipientia dicta affirmare, spiritu igitur hominis Paulus ibidem locutus est. Adde etiam quòd in eadem epistola, cùm dixisset Apostolus se plus omnibus laborasse, correctione mox adhibita, docet parùm se cautè fuisse locutum. Nõ autem ego, inquit, sed gratia Dei mecũ. Præterea si quæcunq; Apostoli præscripserunt, ex diuina auctoritate ac reuelatione exist ũt omnia, certè illud Pauli præceptũ, quo iuber, vt Episcopus sit vnius vxoris vir, diuinũ esset, non humanum. Ita fieret, vt Summus Pontifex in eo dispensare non posset. Nam vt Augustinus ad Ianuarium ait, quæ Christus præscripsisset, ea nemo auderet variare. At, vt q̃ bigamus fuisset, is fieret episcopus, Summus Pontifex orbe etiam probãte aliquando fecit: Nõ ergo Apostoli decreta omnia Spiritu sancto auctore præscripta sunt. Matthæus insuper memoria lapsus est, nam pro Zacharia Hic remiã posuit, & Marcus item, cùm in Esaia scriptum affirmet, quod in Malachia scriptum est. Et cùm rursum hora tertia narret dominũ crucifixum, qui hora ferè sexta à Pilato iudicatus est, vt Ioãnis. c. 19. dicitur. Qua ex re fit, vt non semper in omnibus Euangelistę scribẽti Spiritus sanctus affuerit. Præterea Lucas capite Euangelij tertio dicit Cainam filiũ fuisse Arphaxad, Salec autem filium Cainam. Constat verò Genes. ca. 11. Salec non Arphaxad nepotem fuisse, sed filium, nullamq; inter hos mediam generationem intercessisse. Superflua igitur est in Genealogia Christi vna generatio, atq; adeò non est instinctu Sancti spiritus apposita. Lucas denique idem Acto. 7. multa refert, quæ spiritu afflante referri non poterant. Vt est illud primum, quòd Ioseph accersiuit omnem cognationem suam in animabus. 75. At bene. 46. & Exod. 1. 70. solùm animæ enumerantur. Nec verò dici potest, Stephanum Iosephi eos etiam filios supputare, qui nati sunt postea. Et per anticipationem aut prolepsim hos cum illis simul. 75. dicere. Eos enim Iosephus accersire non potuit. Dicit autem Lucas Ioseph. 75. animas accersisse. Illud gratius est, quod deinde subijcitur, Iacob & patriarchas translatos fuisse in Sichem. Cùm Iosephus. 2. anti. lib. capitul. 8. fratres Ioseph affirmet conditos esse in Hebron, qua in re non aliud scribere credendus est, quàm quod à maioribus per manus traditum vulgo etiam tenebatur. Præterquam quòd Lucas hîc apertè dicit Patriarchas sepultos esse in sepulchro qd̃ emit Abrahã. Atqui certũ est, Abraham in Hebrõ emisse sepulchrum. Genes. 23. Tertium verò multò difficilius est, quod rursum addit, Abraham sepulchrum emisse à filijs Emor filij Sichem. Iacob siquidem à filijs Emor agri partem emit, vt Genes. cap. 33. scribitur. Abraham autem non à filijs Emor, sed ab Ephron filio Sohar, speluncam emit duplicem, quod Genes. cap. vigesimotertio non obscurè traditum est. Quid? q̃ Emor

Mar. 1.

6. Argum.

7. Argum.

3. Argum. Cap. 7.

4. Argum.

Epist. 118.

5. Argum. Matth. 27.

Lucas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lucas dicit filium fuisse Sichem, cùm Genes. 33. contrà dicatur Emor patrē Sichem fuisse non filium. Frustra ergo, vt videtur, asserimus nihil in sacris esse libris, quod nō idem spiritus afflatu scriptum sit. Verùm à contraria parte illud facit, quod si in libris Canonicis aliqua humano more & spiritu, vel scripta, vel cōmemorata fuisset, nihil obstare videretur, quominus in ijs aliquod mendacium esset. Iam si errorem aliquem in scripturis sacris agnoscimus, earum auctorē Spiritum sanctum esse quis credet?

¶ Cap. Decimum septimum, Vbi ostenditur, singulas particulas librorum canonicorum, Spiritu sancto assistente scriptas fuisse.

IN hac quæstione & controuersia non defuisse, qui priorem illam partem amplecterentur, auctor est. D. Hieronymus non in eo solùm loco, quem paulò antè retulimus, sed in commentarijs etiam super 5. Micheæ caput. Cuius erroris nota Erasmo quoq;, vt alios dissimulem, inusta est. Is autē error quàm sit impius, illo primùm argumento demōstro: quòd sacrarum scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas, si hæc opinio vera est. Nam, vt Augustinus ait, si in sacro quouis libro vnaquælibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit. Quo vno argumento Augustinus de consen. Euang. lib. 2. cap. 12. satis ostensum ac patefactum esse credit, Prophetarum & Apostolorū scripta nullam omninò habere falsitatem, nō solùm eam, quæ mentiendo promitur, sed ne eam quidem, quæ obliuiscendo. Leuibus, inquiūt, in rebus & nihil ad salutem nostram pertinentibus, auctores sacri & falluntur & fallūt. Ea igitur in dubium vocare possumus, quæ maxima & grauissima sunt. Non eadem, aiūt, causa est. Quoniam si ecclesiam, cuius erudiēdæ gratia spiritum sacri auctores habuere, spiritus ipse in paruis destituit, non mox destituit in magnis. Consentiunt enim Theologi grauissimi ecclesiam errare in minimis posse, in maximis non posse. Quid igitur obstat, inquiunt, cur non ad eundem quoq; modum asseramus, Apostolos & Euangelistas in rebus parui momenti interdum lapsos, cùm in rebus necessarijs lapsi non fuerint? Nam, si superis placet, huiusmodi errores in Apostolis maximè & euangelijs agnoscunt. Quòd si dicimus, spiritus suggessit Apostolis & Euangelistis omnia. Aiunt, non omnia simpliciter: sed quæcūq; Christus dixisset illis. Hęc autem erant maxima. Si addimus, docuit spiritus eos omnem veritatem. Respondēt, non absolutè omnē quidem, sed quæ esset ad salutem necessaria. Sic elabi conātur isti. Sed frustra conātur tamē. Principio enim ecquid rogo isti facturi sunt, si cum homine disserant, qui multa Euangeliorum miracula cōmentitia esse, Euangelistasq; Herodoti, Xenophontis ac Platonis exemplo confictis narrationibus abusos dicat, aut Christi illustrandi gratia, aut fidelium in Christum affectus excitandi? Nempè hoc facere, vt homines, sine Dei spiritu potuere.

In anno. in c. 2. Matth. et c. 1. Mar. Et rursum in cap. 27. Matth. Epist. 8. & 19. ad Hieron. Dist. 9. ca. Si ad scripturas. & ca. Ego solis.

Deinde quàm facilè erit cuiq; res vel graues, vel leues pro suo arbitratu ingenioque æstimare? Iam hic dicet tibi, tres vnius substantiæ prædicari personas leuiculum esse, nec ad salutem nostram pertinere. Iam contendet alius, duas in Christo & operationes & volūtates è rebus esse non grauibus. Nam & spiritus à patre & filio procedentis vnicum esse principium, tanquam rem leuem quidam contemnendam arbitratur. Quin, quòd tertia die an quarta Christus resurrexerit, cùm non valde ad salutem attineat, pro nihilo quispiā habebit. In hisitaq; Euangelistas, Apostolos, Prophetas, errare, labi, hallucinari potuisse. Porrò, vt reliquas scripturæ partes prætereamus, in sacris historijs

storijs distingui discerniq; nō posset, quid ex Deo, quid ex homine sit: quid auctor ex reuelatione diuina, quid cōtrà ex spiritu humano & ingenio proferat. Quocirca fluctuaret passim & legētiū & audiētiū fides, dum ignorarent, quónam spiritu, hominis an Dei vnaquælibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta. Quis est autē tam perfrictæ frontis, vt pro Euangelistis nonnihil humano more loquamur, vt si quid in publicū scribere velit de rebus, quarum memoria sit recētissima, quasq; lectores ferè suis non auribus audierint, sed cōspexerint oculis: ea spōte inferat, quæ cùm ad rem nihil faciant, tum narrationem totam falsam & incertā efficiāt? Adeóne stulti erant Euangelistæ, vt ea, quæ omittere sine periculo poterant, aut affingerent, aut etiam pro certis assererent, cum manifesto discrimine causæ, quam persuadēdam accēperant? Quòd si tales fuissent, certè Iudæi, quibus tanto erant opere inuisi, omni vi & arte contēderent atq; adeò efficerent, vt huiusmodi, vel figmenta, vel errata deprehenderentur. Sed humana loquimur. Nam si in subitis cōcionibus Spiritus sanctus Apostolorū linguas attēperabat, qd in scriptis, quæ futura erāt æterna? Et si noui testamēti idonei administri Apostoli & Euāgelistę facti sunt, illorū profectò sufficiētia non ex illis, sed ex Deo est: illorū proinde error Dei est, nō illorū. Nos enim ab Apostolis, Christi testamētum accepimus: & cùm illos audimus, Christū audimus, cū eorum Euāgeliū legim⁹, Christi legimus Euāgeliū. Ac cū lex Moysis, qđ est ministeriū mortis, tā exacta diligētia scripta sit, vt iota vnū aut vn⁹ apex ex ea prætereri non posset, multò certè magis Euangelīū Christi, qđ est ministeriū spiritus ac vitæ, scriptū erit tāta cura & Dei assistētis afflatu, vt nō modò verbū, sed ne apex quidē vllus sit, quod nō sit ab spiritu diuino suppeditatus. Quid? ꝙ Apostolus officiosum mēdacium, quodq; ad Dei laudem maximè pertinere videretur, penitus horret inquiens, Si aūt Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra: inanis est & fides vestra. Inuenimur aūt & falsi testes Dei, qm̄ testimonium diximus aduersus Deū, ꝙ suscitauerit Christū, quem nō suscitauit, si mortui non resurgūt. Quòd si falsitas hæc, quæ cùm Dei potētiam cōmendaret, tum populum in officio cōtineret, à sacris auctoribus excluditur, certè quęcunq; alia ac multò etiam magis reiicietur. Nulla enī in sacris literis leuis sed grauis esset, per quam scripturæ auctoritas eleuaretur. Iam si in huius rei confirmationem arcanārum literarum nos testimonia referre velimus, verendum sanè est, ne qui oppositum errorem tueri cupiunt, illa se ratione tueantur, ꝙ auctor scripturæ sacrę eo etiam loco, qui à nobis afferetur, non de spiritu diuino, sed de suo fuerit locutus. Ita fieret, vt vix vllum è sacris literis testimonium aduersum hæreticos firmum esset. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone remoueamus, qui erronea sententia omnem scripturæ & vim minuunt & eleuant auctoritatem. Ipsi verò fateamur, singula quęq; siue magna, seu parua à sacris auctoribus Spiritu sancto dictante esse edita. Id à patribus accepimus, id fidelium animis inditum & quasi insculptū est, id itaq; nos ecclesia præsertim ipsa magistra & duce retinere debemus.

¶ Caput, Decimumoctauum, vbi refelluntur argumenta capitis sextidecimi.

CONfirmanda atque tuenda veritate earationum ac testimoniorum præsidia satis sint, quæ capite superiore sunt posita. Nunc verò argumenta ea cōfutanda sunt, quibus aduersarij contrà pugnarunt. Atq; à primo quidem argumento, quo veritas impugnabatur, facilis est & expedita defensio. Fateor enim, nō singulas scripturæ particulas, vt à sacris auctoribus scriberentur, propria & expressa reuelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritusſancti inſtinctu afflatuq; verè & iure contendo. Ille, Chriſtus ait, vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Aliàs etiam oblita ſuggeret, aliàs etiam veſtris auribus audita ſuggeret, quæ aliàs natura ſponteq; ſua in mentem venire poterant, ea quoque ſuggeret. Non ſupernaturalia modò, ſed & naturalia ſuggeret, & quæ aliàs humano more ſcriberentur. Omnia, inquit, quæcunq; dixi vobis. Atque Apoſtolus nos, ait, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Spiritualis enim iudicat omnia, ſicut ſcriptum eſt, Quis cognouit ſenſum domini? Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Ecce Apoſtoli, in quorũ nomine Paulus loquitur, ad doctrinã ſpiritus edendam ſpiritũ accepere, per quem in Chriſti ſenſu omnia iudicabant. Nimirum animalia illa oculis vndiq; plena ad expreſsionem quatuor Euangeliſtarum poſita per ſcriptores omnes ſacros transferre meritò & optimo iure poſſumus. Nihil ergo auctores ſacri cæcis oculis ſcribebant: ſed ſcribẽtium calamum ſpiritus ipſe attemperabat, ne ſcribendo laberentur. Inde enim, cũ in ſecunda ad Corinthios epiſtola quædam dixiſſet Apoſtolus, quæ humano more ab eccleſiæ præfecto dici poſſent, ſubiecit protinus, an experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Spiritu igitur ſancto inſpirati quaſuis ſcripturę partes ſcripſere ſancti Dei homines. Nolite, inquit, cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quod idẽ profectò ſacris auctoribus præceptũ erat, vt non cogitarent ſcilicet quomodo aut quid ſcriberent: dabatur enim illis illa hora quid ſcriberent. Hoc vero Spiritus ſancti donum toto vitæ decurſu non habebant: ſed tantiſper dum lingua eorũ calamus erat ſcribę velociter ſcribentis. At Chriſtus nullum vnq; verbum locutus eſt, quod non idem ab Spiritu ſancto extiterit. Erat enim, vt ſcholæ verbis vtar, Chriſti Ieſu ſacratiſſima lingua perpetuũ diuinitatis inſtrumentũ. Et hinc apparet eius argumẽti certa ruina, quo deinde cõtrariam partem cõfirmabamus. Non enim aſſerimus, per immediatam Spiritus ſancti reuelationem, quæ quidem propriè reuelatio dicenda ſit, quãlibet ſcripturæ ſacræ partẽ fuiſſe editã. Quin Lucas quę ab Apoſtolis accepit, ea ſcripto ipſe mãdauit, vt in euangelij ſui procemio teſtatur. Et Marcũ quæ à Petro didicerat, rogatum à diſcipulis ſcripſiſſe: auctores ſunt Clemens in. 6. diſpoſitionũ libro apud Euſebiũ lib. 2. eccle. hiſto. ca. 15. & Papias apud eundem. eo. lib. & c. & lib. 3. c. vlt. & Origenes. 1. lib. Cõment. in Matth. eodẽ Euſebio referẽte libr. 6. c. 18. & Euſebius quoque ipſe lib. 3. c. 4. & Hieronymus de viris illuſtribꝰ in Marco, & Irenæus lib. 3. aduerſum hæreſes. c. 1. Siue ergo Matthæus & Ioãnes, ſiue Marcus & Lucas, quãuis illi viſa, hi audita referrent, non egebant quidem noua Spiritus ſancti reuelatione, egebant tñ peculiari Spiritus ſancti directione. Primæ igitur argumentationi hoc modo ſatisfecerimus.

Secundæ verò ſic reſponſum eſto. Paulum domini ſeu præceptum ſeu conſilium eo ſanè loco vocare, quod Chriſtus dominus ore proprio, vel præcepit in Euangelio, vel conſuluit. Nam, cꝫ conſilium ſuũ Paulus Spiritus ſancti conſilium exiſtimaret, ſatis ipſe indicat: dicens, beatior erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium: puto autem cꝫ & ego ſpiritũ Dei habeam. Huius verò argumenti confirmatio ex ijs maximè eliditur, quę primæ ſunt argumentationi reſpõſa. Etenim, quæ ſacri auctores ſcripſere, hęc in duplici ſunt differẽtia. Quędam, quę ſupernaturali ſolùm reuelatione cognoſcebãt: & ea Baſilius tradit à Spiritu ſancto eſſe. Alia verò naturali cognitione tenebãt, quę ſcilicet, aut oculis viderãt, aut manibus etiam attrectauerant. Atque hæc quidem, vt paulò antè diximus ſupernaturali

rali lumine & expreſſa reuelatione, vt ſcriberentur, non egebant: ſed egebant tamen Spiritus ſancti præſentia & auxilio peculiari, vt licèt humana eſſent & naturæ ratione cognita, diuinitus tamen ſine vllo errore ſcriberentur. Hæc verò illa ſunt, quæ iuxta Baſilium Paulus & Prophetæ de ſuo loquebantur. Solẽt etiam nonnulli veterum Origenis non ſententias modò, ſed verba referre: non aliter certè accipienda, quàm Origenes ipſe acceperit. At Origenes eam rem ſignificauit potiùs quàm aſſeruit. Nec eſt in ea ſententia perſiſtur. Sed & Ambroſius in priorẽ epiſtolã ad Corinthios, vbi locus, vt prius erat, nobiſcũ apertiſsimè ſenſit.

Ad illud verò, quod tertio loco obiectũ eſt, breuis & non difficilis eſt reſponſio. Non enim ibi pœnitere, reſipiſcere eſt: ſed triſtari. Triſtatur autem pater, cũ filios dolentes videt: ſed lętatur, cùm dolorem ad ſalutem fuiſſe intellexit. Nam quod additur, id facillimum etiam eſt. Quo enim modo Paulus ſit intelligendus, Paulus ipſe explicat, inquiens: quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia. Et paulò antè, iterum dico, ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me. Et capite eiuſdem epiſtolę duodecimo, ſi voluero gloriari non ero inſipiens: veritatẽ enim dicam. Et paulò pòſt, factus ſum inſipiẽs, vos me coëgiſtis. Quid ergo, ſapiens & inſipiens? Nempè ſapiens re vera, ſed quaſi inſipiens: qui tanquam inſipientis perſonam aſſumere & ſeipſum iactare videretur. Laudare quippè ſe inſipientis hominis nota eſt. Verùm hæc, quæ ſtultitia eſſe videbatur, Dei erat ſapientia, vt Apoſtolus non ſponte, ſed coactus: non ex vanitate, ſed ex charitate gloriaretur. Ab Spiritu igitur ſancto erat huiuſmodi quaſi ſtulta gloriatio. Sed ne illud quidem eſt difficile, quod deinde ſubijcitur. Non enim, quod ait quidam, incautè Paulus fuerat locutus. Sed nequis in ea laude aut arrogantiam aut vanitatem aliquam ſubeſſe interpretaretur, docet ſe non in ſe, ſed in domino gloriari. Non ego, inquit, ſed gratia Dei mecum. Simile ferè illud eſt, cꝫ cùm dominus doctrinam Euangelij ſuam appellaſſet: ſubiecit protinus, mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris. Hũc igitur in modũ, cũ Paulus verè dixiſſet ſe plus oĩbus laboraſſe, addit, & verè etiam addit, ſe non plus omnibus laboraſſe. &c.

Ad quartũ verò argumentum ſunt qui reſpondeant, eccleſię auctoritatẽ tantã eſſe, vt quędam etiã de ſcripturis ſacris immutarit. Huius generis exẽpla ponunt, Sabbatũ, eſum ſuffocati et ſanguinis, Baptiſma in nomine Ieſu, & cꝫ Chriſtus cœnatis dedit Euchariſtiã, eccleſia ieiunis; Chriſtus ſub ambabus ſpeciebus, eccleſia laicis ſub vna; cꝫ Paulus deniq; permiſit diſpares in fide coniuges, eccleſia improbauit. Ita quãuis lex ſcripturæ ſit, vt is nõ ordinetur epiſcopus, qui duas habuerit vxores: eccleſia tñ eam legem poterit vel ex parte ſoluere, vel etiã omninò abrogare. Hoc autem reſponſum hanc quidem habet viam, quæ deducit ad conueniẽtiam conſeruationemq; eccleſiaſticæ auctoritatis, quam ſi ſequemur, nunquã aberrabimus, ſequemurq; & id quod certum & tutũ eſt, & id quod ad fidelium conſociationẽ accõmodatum, & id quod vehemẽs atq; forte. Sed cauẽdum ſanè eſt, nè ſi in argumẽtorum confutatione ad eccleſiam tanquam in aram confugimus, ruſtici potiùs q̃ Theologi eſſe videamur. Mihi itaq; aliud reſponſum multò & doctius videtur & verius, quod duplici partitione ſubnixum eſt. Vna eſt huiuſmodi. Scripturæ pręcepta quæda temporaria erant, ideſt, ad tẽpus ex loci, tẽporis, perſonarũ aliarũve rerum & cauſarum ratione ſeruanda. Atq; huiuſmodi ipſa ex ſe in præfinito tempore antiquabantur, nulla etiã eccleſiæ interueniente auctoritate. Quod enim pro neceſsitate tẽporis ſtatutum eſt, ceſſante neceſsitate, debet ceſſare pariter quod vrgebat. 1. q. 1. Quod cꝫ neceſsitate. Eius generis fuit Sabbatiſmus, & reliqua oĩa, quæ propriè ad legem veterem pertinebant. Talis etiam lex

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa fuit de immolatis, sanguine & suffocato. Talis quoq; vsus Apostolicus de baptismo in nomine Iesu. Alia verò præcepta æterna sunt, quorũ seruandorum ratio non breuis & tẽporalis, sed perpetua & sempiterna est. Sempiternũ aũt scripturæ more voco, quod semper erit, nó quod semper fuit. In hoc genere sunt oĩa naturæ præcepta, quæ tam in veteri q̃ in nouo testaméto cõtinẽtur. In hoc etiam lex illa, nisi quis renatus fuerit. &c. & altera similis de pœnitentiæ sacraméto. Præcepta rursum Apostolorũ, quæ in sacris literis scripta sunt, quædã à Christo ipsi acceperũt gentibus euulgãda, iuxta illud, Baptizate oẽs gentes, docentes eos seruare oĩa, quæcũq; mãdaui vobis. Alтera verò non fuerũt quidẽ à Christo Apostolis iniũcta: sed ipsi post Christũ in cælos assumptũ ea populis tradiderũt. Quæ tamẽ Christi Deiq; præcepta dicũtur, non ob eã modò causam, q̃ per acceptã à dño potestatem lata sunt: verũetiam quia Dei Spiritu peculiariter suggerente edita fuere. Visum est, inquiũt, Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere. &c. Quæ verba Basilius. 5. libro cõtra Eunomiũ referẽs, spiritui, ait, visum est quidẽ, à quo vt dño ecclesiæ leges datæ sunt: Apostolis verò tanq̃ ministris, per quos decreta sunt edita. Quòd aũt præcepta hæc Christi quoq; dici possint, Christus ipse docet inquiẽs, q̃ vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Inter hæc aũt scripturæ mãdata nó leue discrimẽ est, quod priora illa à dño Apostolis tradita, vt propria sunt legis nouæ præcepta: ita ea ecclesia nec soluere, nec remittere vlli potest, sicut ne legẽ naturæ quidẽ. Cuius rei causam nos in relectione de pœnitẽtia dedimus, q̃ legis auctor Euãgelicæ Christus dominus non alia præcepta per seipse edidit, q̃ quę essent summoperè ad salutẽ necessaria. At posteriora mãdata propriè quidem humana & ecclesiastica fuere: quæ videlicet ab Apostolis ecclesiã gubernantibus edita sunt non aliter atq; alia fuere postea à præfectis ecclesiæ subsequẽtibus: dispari tamen

Actor. 15.

Matth. ult.

auctoritate. Nam Apostolorũ nemo in præceptis suis errare poterat: sed ab Spiritu sancto peculiarissimè eorũ quisq; dirigebatur in ferendis ecclesię legibus. Posteriores verò antistites hanc peculiarẽ Spiritus sancti præsentiam non habent, nisi cùm in nomine Christi & ecclesię congregantur. Quod vtiq; fit in concilijs generalibus. Qua de re libro postea quinto fusiùs disseremus. His autem præceptis, licèt Apostolica fuerint, & in sacris etiam literis scripta, Summus Pontifex subditos suos liberare, vel ex parte, vel omninò potest. Qua etiam ratione, vt alia non esset, lex illa Apostolica de abstinendo à sanguine & suffocato per ecclesiæ potestatem abrogari potuit. Quanquam, vt diximus, eâ lege admonitę sunt gentes, ne sua libertate in fratrum offensiõnem abuterentur. Præscribunt autẽ Apostoli, quatenus pro tẽpore expediebat, quibus illæ rebus in fratrum offensionem possint incurrere. Quia igitur lex à fine suo æstimanda est, tunc hæc intelligitur abrogata, cùm ab illis offensiõibus ac dissidijs, quibus occurrere voluerũt apostoli, nihil amplius periculi fuit. Quibus positis facilè, vt opinor, quartum illud argumentum refelletur. Nam Pauli præceptum de non ordinando episcopo qui bigamus fuerit, secundi generis est, id est, humanum & ecclesiasticum: cuius proinde vinculum soluere ecclesia iure suo potest. Sed id tamen nisi semel aut iterum & graui etiam vrgente causa non fecit. Nec id nisi summo Pontifici permissum in ecclesia est, nã episcopis contra Apostolũ dispensare cum bigamis non licet: vt Lucius & Innocentius tradunt. Diuus verò Augustinus de legibus primi generis loquebatur, quas si Christus ipse tulerit, vt quæ verè & ꝓpriè diuinæ & euãgelicę sũt, nemo aut possit aut ausit immutare. Quarto igitur argumẽto diluendo satis dixisse mihi videor. At quintũ sic refellitur. Primùm, sunt qui velint, aut impiorũ malitia, aut librariorum errore pro Zacharia Hieremiam scriptum esse. Cuius sententiæ

d. th. in 4. d. 9. 66. art. 5. ad 5ed.

De Bigam. non ordin. super. cap. à nobis.

ad 5.

fuit

fuit Euse. lib. 10. demon. euan. demõstra. 4. Id quod nec Origeni displicuit, & Caietanus verosimile existimauit. Nec Hieronymus certè ab hac opinione alienus est. Quin in psal. 77. errore scriptoris dicit pro Zacharia Hieremiam esse suppositum. Sũt alij qui opinentur, eandem sententiam & apud Hieremiam olim scriptam reperiri: sed non omnia Hieremiæ vaticinia nũc extare. Opinatur quoq; Augustinus lib. de cons. Euan. 3. ca. 7. quòniam eodem spiritu Hieremias & Zacharias scripsere, nihil referre, si vnius sententiam alteri tribuas: imò peculiari Spiritus sancti consilio id factum esse, vt ab eodẽ auctore scripti libri omnes sacri credantur.

Illud verò, quod Marco Euãgelistæ obiectum est, friuolum his videri solet, qui Latinam editionem passim ad Græca exemplaria expendũt. In quibus quoniam non legitur, Sicut scriptum est in Esaia, sed sicut scriptum est in prophetis: argumentum esse infirmum aiunt, vt quod librorum deprauatione nititur. Huic verò sententiæ Theophilactum subscripsisse, facilè profectò suaderi potest. Non enim in Esaia, sed in prophetis legit. Atque Hieronymus in comment. super. 3. Matth. caput huic quoq; opinioni subscribit inquiens: Nos nomen Esaiæ putamus additum scriptorũ vitio, quod & in alijs locis probare possumus, aut certè de diuersis testimonijs scripturarum vnum corpus effectum. Existimat ergo Hieronymus, siue hoc, siue illud accipias, locum esse deprauatum. Id quod & de psalm. 13. credidit. At Erasmus, tametsi fatetur Græca exemplaria omnia, quæ videre quidem ipse potuit, ἐν περιφέρειᾳ habere: relectionẽ nostram probat tũ, Græcãq; asserit à Græcis fuisse immutatã. Hieronymũ etiam ipse in epistola ad Pammach. de opt. ge. in. solam hanc, quam habemus, lectionem, probat: alterius autem eo loco ne meminit quidem. Et Porphyrius. 14. libr. Marcum euangelistam eo nomine accusat, q̃ homo imperitus & rudis, vel suas literas nesciat, idq; quasi ab vno eodẽq; propheta scriptum referat, quod non ab vno, sed à duobus scriptũ est. Cui calumniæ Chrysostomus respondens non causatur, aut codices mendosos esse, aut certè ab impio locum deprauatum: sed planè consentit, eo prorsus modo lectum iri, quo Porphyrius in obiectione legit. Qua ex re perspicuum fit, antè Chrysostomi & Hieronymi tempora in editionem nostram omnes & Græcos & Latinos codices consensisse. Vbi nõ possum nouitios istos interpretes nõ ridere, qui tanta facilitate & confidentia è prauis Græcis Latina emẽdant non praua. Nimirum enim patientur hîc, si de ipsis ludimus: quib⁹ in vsu est ludere de nobis. Imò patiẽtur potiùs, vt quod hoc loco eorum antesignanus Erasmus summo iure magnaq; ratione facit: idem nos alijs quòque locis faciamus, & Græcis exẽplaribus posthabitis, Latinam editionẽ veneremur. Sed vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio, cùm argumentum illud non sit tam facile, quàm istis est visum: maiore omninò vi & arte refellendum est. Illa igitur verba, Sicut scriptum est in Esaia, non referuntur ad omnia ea, quæ sequũntur: sed ad id tantùm, vox clamãtis in deserto. &c. Illa verò, Ecce ego mitto angelum meum. &c. tanquàm de suo Euangelista addidit, quod facere iure potuit, quãuis eadem in alio propheta reperiantur. Non enim, si Aristotelem rẽfero, opus est, sequẽtia verba omnia Aristotelis esse. Quin licet mihi nonnulla de meo adijcere, præsertim si ad explicationem Aristotelis conducunt maximè. Sic quoniam Euangelistæ illa verba, Ecce ego mitto angelum meum. &c. verborũ Esaiæ erant expositio quædam: nihil Marci derogat fidei, si Esaiæ testimonium verbis eiusmodi adiectis & expositum & ornauit. Nisi infidelis seruus est, qui appositio verborum ornatu heri sui munus amplificat. Hoc respondet Chrysostomus. Hieronymus autem Euangelistas fuisse ait non de verbis, sed de sensu solicitos: omnia verò illa, quæ

In homi. de initijs euan ge. secund. Marc.

De opt. ge. inter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Marco sequũtur, ab Esaia scripta non secundùm verba quidem, sed secundùm sensum esse. Qui enim vocem clamãtem. &c. apertè dixit, Is angelum eundem esse sensit, qui viam domino præpararet. Atque hæc responsio à Beda vel maximè probatur in comment. super Marcum. Iam, quòd falsitatis etiam Marcus arguitur, qui Christum scripserit hora tertia crucifixum: de hac re quatuor video sentẽtias ferri, quarum nulla est, in qua non maior adhuc probabilitas desideretur. Prima eorum est, qui animaduertunt, Ioannem non scribere, Pilatum hora fermè diei sexta pro tribunali sedisse: sed parasceues hora ferè sexta. Aliunde verò diem, aliunde parasceuen initium sumere. Nam Iudæos ante diei principiũ, hoc est, ante solis ortũ præparationi paschali operam dare solitos, rationi consentaneum est. Si enim Christiani in huiusmodi festorum vigilijs multò ante diluculum incipiunt quædam necessaria præparare: Iudæi ac multò etiam magis idem fecisse credendi sunt, qui non modò azyma in multos dies, verùm complura quoq; alia erant paratum, non solùm ad festum diem, sed ad vesperam etiam paschæ. Sunt & alij, qui Augustinum secuti putant, Marcum non de crucifixione militum locutum esse: sed de crucifixione Iudæorum. Hi enim vel maximè Christum crucifixerunt: quemadmodum Actorum. c. 4. illis Petrus edixit. Vt ergo ostenderet euangelista dominum Iesum nõ tam à militibus, qui simplex ministerium præsidi præbuere, quàm à Iudeis crucifixum: posteaquàm militum ministerium expressit inquiens, Et crucifigentes eum diuiserunt. &c. tùm verò ad vocẽ, quæ sanguinem iusti petijt, auctoresq; flagitij crucẽ domini reuocauit in hæc verba, Erat autem hora tertia & crucifixerũt eum. Horam quippe crucifixionis militum, vt quæ vulgo nota erat, non credidit exprimendã. Alij credunt hunc se absurditati satis occurrere, si dicant, Christum intra horã tertiam & sextam crucifixũ: & ab vtroq; extremo, quemadmodum media solẽt, horam mortis Christi esse nominatam: ab vno videlicet tertiam, ab altero sextã. Sed hæc responsio patentem habet scrupulum. Quòd em hora quinta fiat hoc, si quis vel quarta, vel sexta fieri ab vtroq; extremo dicat: quãuis impropriè id quidẽ dicat, sed ferri tñ vtiq; potest. At quod in quinta hora fit, hoc in tertia vel secunda fieri, nec vsus profectò nec ratio fert. Ponunt igitur alij, q̃ quemmodum nox in quatuor vigilias, ita dies in quatuor stationes & partes diuisus à Iudæis est. Quarum prima incipiebat à diluculo, & durabat vsque ad horam diei tertiam: vocaturq; prima, eo quòd ab hora prima initium sumeret. Secunda autem incipiebat ab hora tertia & durabat vsque ad horam sextam: vocaturq; hora tertia, quòd ab hora tertia, principium haberet. Tertia verò diei pars incipiebat ab hora sexta, & durabat vsque ad horam nonam: appellabaturq; similiter ab hora vnde principium acceperat, hora sexta. Quarta demum statio parsq; diei incipiebat ab hora nona, & durabat vsque ad occasum solis, vocabaturq; vel hora nona, vel vespera. Quæ si vera sunt, iam pulchrè consentient Euangelistæ. Nam in secunda statione, quæ hora tertia dicebatur, circa finem Christus crucifixus est, hora scilicet illa nondum elapsa. Aliquantò verò prius, in eadem hora tamẽ stationeq; diei, Pilatus pro tribunali sedit: nempè hora quasi sexta. Verè siquidem tertia erat, sed erat proxima sexta. Quæ nimirum opinio longè erit probabilissima, si probetur ad eum modũ diem à Iudæis diuidi solitũ. Atque in historia passionis quidem nominatim diluculi, tertiæ, sextæ & nonæ horarum mentio fit: de reliquis autẽ interfluentibus omnino tacetur. At parabola de patrefamiliãs operarios in vineam suam conducente, quam isti etiam afferunt in huius rei confirmationem, non solùm nihil iuuat, sed etiam officit. Quoniam ibi dominus non tantùm primæ, tertiæ, sextæ & nonæ,

næ, sed vndecimæ meminit. Id quod absurdum esset, si quarta diei pars, hoc est, hora vna reliquum omne eiusdem diei tempus complecteretur. Ac re vera, vt breuiter simpliciterq; dicatur, qui vndecimæ horæ, quæ inter nonam & duodecimam interfluxit, expressam mentionem fecit, cum certo certius constat, diem nõ ad eum modum in stationes & horas quatuor: sed vt moris est nostri in partes & horas duodecim diuisisse. Verùm vt hæc cunque habeant, huic nos responsioni libentissimè subscribemus, si illa diei in stationes quatuor partitio, illæq; rursum ab initijs denominationes quatuor aut idoneo testimonio, aut probabili ratione cõstitãt. Nec enim desunt, qui existiment, hæc à recentioribus Iudæis esse conficta omnia. Nam secunda diei statio, cùm tres solùm horas complecteretur, quartam, quintam & sextam, non hora tertia à fine scilicet stationis proximè elapsa, sed hora quarta ab initio stationis eiusdem nominanda erat. Equis autem ferre posit stationẽ, quæ à decima vsq; ad duodecimæ finem proteriditur, nonam horam appellari? Certè sicut prima hora, si verum est quod isti dicunt, à principio suo nomen accipit, sic & stationes cæteræ à suis proprijs principijs nominarentur. Mihi simplicissima ratio huius loci explicandi esse apparet, si cum Theoph. & Caieta. dixerimus Marcum ita scripsisse, ἦν δὲ ὥρα ἕκτη, id est, erat autem hora sexta. Sed indoctos oscitantesue librarios notã illam senarij. ς'. in. y. quæ est nota ternarij mutasse. Quod & hoc loco obnonnullã literarum similitudinem factu procliue fuit, & in his auctoribus, quorum libri huiusce modi numeros & notas habent, sæpè fieri notius est, quàm vt indicandũ sit. Nec Theophi. solùm & Caieta. auctoritas, sed ratio quoque me, vt ita tenerem, impulit. Nam sexta hora dominum verè ac propriè crucifixum, vt omittam quod & vulgo Christianorum persuasum est, & passim in crucis officio ac precibus celebratur, certè ex Ioannis Euangelio colligitur. Tradit enim Pilatum hora fermè sexta pro tribunali sedisse. Erat igitur propemodum elapsa quinta. Alioqui falsò hora ferè sexta diceretur. Incredibile autem est id quod reliquum erat horæ quintæ, cùm esset breue & perexiguum, in sententia ferenda, in suscipiendo Iesu & educendo, in cruce vsque ad Caluariæ locum baiulanda, nõ esse insumptum. Etenim nec locorũ intercapedo parua erat, nec tãtum fuit celeritatis in via, vt non potuerint interea & Simon angariari Cyrinensis, & à Christo oratio haud momentanea ad mulieres haberi. Itaq; sine dubio si verè & propriè Marcus loqui voluit, cur autem noluerit nulla est causa, non scripsit hora tertia, sed sexta dominum crucifixum. Id quod Hieronymus, si is tamen horũ commentariorum est auctor, in psal. 77. apertè docet. Sed quisquis illum psalmum exposuit, si nõ fuit Hieronymus, certè eruditus fuit. Atq; Erasmus in annotationibus super hunc Marci locum nomine Hieronymi hoc commentarium refert. Accedit, q̃ non alia ferè scribit Marcus quàm Matthæus, idq; maximè in historia passionis Christi. Itaque dum considero, Marcum in historia passionis non solùm eadem eodem ordine cũ Matthæo, sed eisdem etiam penè verbis scripsisse: facilè adducor, vt sentiam ipsum non notam ternarij sed senarij, vt est apud Matthæum, posuisse. Quòd autem huic sententiæ obijcit auctor cõmentariorum in Marcũ, quæ Hieronymi titulo circũferuntur, hoc facillimè refellitur. Si sexta, inquit, hora dñs fuit crucifixus, cũ à sexta vsq; ad nonam tenebræ suffuderint terrã, non potuissent præteruntes in eum mouere capita, quẽ per tenebras oĩnò non cernerẽt. Cui ego respondeo breuissimè, Christũ in sextæ horæ principio crucifixũ. Hora autẽ eadem labẽte conuicia in eum iactata sunt. Sed circa eiusdem horæ finem tenebræ orbem circumfuderunt. Quod Marcus apposituissimè significare videtur his verbis. Et facta hora sexta. Quid enim

Refertur à D. Tho. in Catena Ioan. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

expeditius est,quàm factam intelligere, nõ incipientem sed expletã? Id quippe factum & vulgo & Philosophis verè dicitur, non quod inchoatum sed quod consummatũ est. Qua ex re,velit nolit Osiander,satis planè intelligitur,oĩa euãgelistę dicta cohærere: si legamus, Erat autem hora sexta,& crucifixerunt eum. Qua hora interfluente quoniam ea gesta sunt, quæ euãgelista subijcit,idcirco ait tandẽ,Et facta hora sexta tenebræ, &c.vt expleta iã hora,nisi valde esse mus tardi,tenebras factas acciperemus.Ac de quinta obiectione satis abundanter, vt arbitror,disputatum est. Eam verò obiectionẽ, quæ sexto loco posita est, qua via Caietanus noster repellere tentauerit: inuitus quidẽ facio,vt dicã,sed dicã tñ,ne euangelij veritate tuenda nostris videar pepercisse.Significat certè ille primùm,nam deinde in ea opinione non perstat,Lucam euangelistam. 70. interpretum errorem in hac parte,sine proprio tamen errore secutum. Id quod ego non solùm intelligere,sed ne cogitatione quidem informare possum. Si enim euangelista imprudens. 70. interpretes errantes in historia euangelij sequitur,licèt imprudens,sed errat tamen. Sin autem videns prudensq́; ,vt dicitur, fictam à.70. narrationẽ suo euangelio inserit,errat quoque,& eò magis, quò dedita opera euangelij synceritatem fabula commentitia contaminat. Breuiter, si Cainam non fuit filius Arphaxad,nec Salec filius Cainam,falsa est profectò euangelica historia, in qua non obscurè dicitur Cainam filius Arphaxad fuisse,Salec verò filius Cainam. Quod autem Lucas auctores habuerit grauissimos, quos in errore sequeretur, id Euangelistã culpa liberare fortasse poterit, euangelium certè errore non poterit.Quo magis Eugubinũ reprehẽdendũ censeo,qui apertè,constãter,& sine vllo aut modestiæ aut reuerẽtiæ tẽperamẽto asserit, errasse.70. cosq́; Lucã in errore secutũ.Iam ,qđ Hieronymus aduersus Heluidium ait,Euangelistas opinionem vulgi quãdoque exprimere, quæ, vt inquit,vera historiæ lex est:id rectè dicitur,si ad voces spectes.Non solùm enim historici,sed omnes omninò sapientes,vt Aristoteles monuit, licèt aliter ac vulgus sentiant, cum vulgo sæpè loquuntur: nec loquuntur falsò tamẽ.Sic scriptura eos fratres appellat, qui iuxta Philosophiæ regulas propriè & verè fratres non sunt, sed qui vulgo, ac sine falsitate id quidẽ, fratres vocantur. Sic etiam Euangelistæ Ioseph patrem domini vocauerunt, nec re tamen ipsa falsam opinionem vulgi secuti sunt, quanuis sint locuti cum vulgo.Pater nãq; Christi Ioseph sine mẽdacio dicebatur, & quia nutritius erat, & quia vir matris Christi erat, vtrique enim patres vocari solent. Quid ergo facturi sumus qui,vt in prouerbio est, Lupum vtraque aure tenemus? Si enim veteris instrumenti versionem, qua ecclesia vtitur, asserere & vindicare nitimur:arguimus non solùm. 70. interpretes commenti frigidissimi, sed apertissimi etiã erroris Euangelistam.Sin Lucam defendere tueriq́ue volumus: versionem scripturæ sacræ ecclesiæ vsu decretoque probatã improbamus.Incidit in scyllam cupiens vitare Carybdin. Nobis autem illud in primis vitãdum est, ne Lucam euangelistam atq; adeò Christi euangelium sua,hoc est,diuina auctoritate fraudemus. Tueamur itaq; illam in genealogia Christi generationem, quam Lucas ex. 70. interpretum editione posuit.Etenim hanc quoque editionem ecclesia suo vsu probauit.Græci certè scriptores omnes hanc generationem cum.70. interpretibus agnoscunt.Et Augustinus. 16. de ciuit.Dei.cap.10. Nec quoquam pacto fit verosimile. 70.interpretes viros probos vanè frigideq́; generationem illam vnam confinxisse. Quid?quod vt Origenes ait, hoc pro vero habendum in scripturis diuinis est,quod.70.interpretes transtulerunt. Nam id esse quod auctoritate Apostolica confirmatum sit. Nostra igitur testamenti veteris editio imminuta est. Exemplaria verò,quæ Hieronymus nactus est,non fuerunt integra. Itaq; sine culpa & errore potuit vnam generationem omittere. Nam & Euangelista Matthæus plures omisit & sine errore omisit, quum Christi genealogiam texeret. Alioqui nostram nos editionem à falsitate quidem omni, sed nõ ab omni imperfectione vendicamus. Nec me illud latet qđ ab Hertmanno, Ioãne Nauclero & Lucido dictũ est: Lucæ euangeliũ esse deprauatum,ac prò verbo,fuit,particulam,&,substituendam hoc modo.Qui fuit Sale,qui & Cainam. Vt Sale binomius intelligatur. Sed hi non videntur editionem 70.legisse: vnde Cainam nomen ab Euangelista acceptũ est. In editione quippè. 70. interpretum eũdem fuisse Sale & Cainam ne fingi quidem potest.Sed & aliter ac fortasse melius hæc controuersia dirimitur, si dicamus: exemplaria Hebraica vera & emendata non habere quidem generationem illam Cainam:sed à septuaginta interpretibus fuisse adiectam . Nec adiecta est falsò tamen . Quin vel ex maiorum traditione, vel ex historijs fide dignis habitum est, Arphaxad genuisse Cainam, Cainam verò genuisse Sale. Septuaginta igitur interpretes non verè solùm, sed fortè etiam prudenter illam vnam generationem posuere: id videlicet metuentes, ne Ethnici aut Hebræorũ antiquas traditiones, aut sacras certè literas falsitatis arguerẽt: si in his legerẽt, Arphaxad genuisse Sale: ex illis acciperent, non Arphaxad,sed Cainam Sale genuisse. Spiritus autem Dei occulta nobis ratione Moysis mentem manumq́; permouit, vt in ea patrum serie vnam illam generationẽ præteriret. Quemadmodum diuino consilio Matthæus plures etiã in Christi genealogia prętermisit.Eandem verò causam Moysi Matthæoq́; fuisse non absurdè hac coniectura assequemur. Matthæus vbi primùm Christi maiores recensuit,omnes,inquit, generationes ab Abraham vsque ad Dauid.&c. vt ne qs suspicaretur,aliquẽ ex maioribus memoriæ lapsu & non potiùs de industria fuisse silentio præteritum. Et quanuis multas rei huius fortasse causas Euãgelista posset reddere: eam magis tamẽ in epilogo videtur præ se ferre,quæ tessaradecadis cõmendationẽ habet.Ob id quippè tres generationũ ordines numero æquales esse voluit,vt numerus.14. ter etiã in domini stémate cõsecraretur. Quod Moyses vt fecerit,subest omnino causa eadem. Ab Adam enim ad Noe decẽ generationes attexuit. A Noe aũt ad Abrahã decem item alteras:vt in denario numero, in quẽ maiorum vtrãq́; seriem redegerat, mysteriũ aliqđ subesse intelligeremus. Cur aũt numerus quartusdecimus ad legẽ euangelicã, de cimus verò ad naturæ legem referatur: nõ est huius diei lociq́; disserere. Vbi id tãtùm dicim⁹,nec sine causa septuaginta interpretes Cainam generationẽ addidisse, nec sine mysterio eandem Moysem prętermisisse. Vtrũq́; verè,vtrunq; prudẽter factum esse. Alterum & verè & prudẽter Lucã esse secutũ. Nec verò quis tragœdias nobis excitare debet,q⁹ editionẽ nostram imperfectã esse in quibusdam locis dixerimus. Possũt enim verba Hebraica nõnulla in medium adduci , quæ Hieronymus ipse in commentarijs fatetur significantiùs & meliùs potuisse transferri.Quin etiam in Isaiæ caput. 19. In eo, inquit, quod nos transtulimus incuruantem & refrẽnantem: possumus dicere incuruum & lasciuiẽtem. Nos autem verbum Hebraicum עָרִיץ dum celeriter quæ scripta sunt vertimus, ambiguitate decepti refrẽnantẽ diximus. Quod significantiùs Aquila trãstulit ἐγκρατῆ, ideſt,qui nihil rectè agit: sed omne peruersum.Hactenus Hieronymus.Qui & cap.9 eiusdẽ prophetæ vocabulũ idẽ in deprauatẽ verterat. Ac certè nec sensus, nec verba Hebraica patiũtur, vt refrẽnãtẽ admittam⁹, qđ alio loco explicãdũ erit. Nã de sexto argumẽto dictũ est satis,vt arbitror,diligẽter.

Ad illud verò, quod septimo demũ loco sequitur,multa quidem & varia sunt virorum doctissimorum responsa,sed adeò tñ improbabilia,vt nec doctis nec pijs faciãt satis.

Id verosimilius esse credit Caiet,in 3.Luce.c.a. Atq; Hieronymus in cõm. ad Gala.3. non censet esse absurdum, si dicatur aut libros Hebraicos aliter aũ passionẽ Christi habuisse aut Hebræos post passionem aliqua uel detraxisse, uel addidisse.

Euseb.lib.6.eccles.hist.c.25.

In Zachariæ.11.c. Explaste, Hieronymus ait, atq; flore statuariũ olim interpretatus sum uerbi ambiguitate cõpulsus.Cũ melius certè si gullũ trãstulisset,quẽad modũ apud Matth. 27. interpres uerè cõuertit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis. Nam primam obiectionis particulam Augustinus Eugubinus ita repellit, vt in editione. 70. interpretum. & Genes. 46. & Exo. 1. librariorum vitio dicat pro. 70. animabus scriptum esse. 75. Eandem quoque corruptelam à librarijs Acto. 7. accidisse. Vel etiam Lucam, vt qui Hebraicè nescierit, locum, vt se haberet ea tempestate, corruptum citasse, aut certè si. 70. interpretes ita conuerterint, Euangelistam eorum editionem, quæ vbiq; erat receptissima, fuisse secutum. At Hieronymus in quæstionibus Hebraicis librariorum negligentiæ nihil imputat: sed docet reclamare quidem Hebræam veritatem. 70. autem interpretes per prolepsim. 75. animas posuisse. Lucam verò non debere contrarium aliquid scribere aduersus eam scripturam, quæ iam fuerat gentibus diuulgata. Maioris enim opinionis illo duntaxat tempore. 70. interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus ducebatur: licèt pleriq;, inquit, tradant Lucam Euangelistam, vt proselytum Hebræas literas ignorasse. Tantum Hieronymus. Principiò autem, vt à capite exordiamur, omnia exemplaria tum noua tum vetera Græcaq́ue & Latina tribus simul locis fuisse corrupta, vix credibile est. Nullum verò auctorem ante Eugubinũ, quum & in ea loca & in hãc quæstionem incurrissent plurimi, rem apertissimam animaduertere potuisse, mihi quidem non fit verosimile. Atque si huiusmodi soluendis nodis librariorum iniuria pro libidine abutimur, verendum sanè illud est, ne dum alienam prodere conamur insciam, prodamus nostrã. Alioqui si ita placet, omnes ambiguas quæstiones & quæ in scriptura sacra videtur esse pugnantia, ad istum modum explicemus. Id quod passim Eugubinus facit. Nã & postrema obiectionis parte pellenda affirmat, scribentium vitio pro Iacob positum esse Abraham. & patris positũ esse pro filij. Certè si Diuus Hieronymus, quum ipsi. 70. interpretum obijceretur auctoritas, hac se defensione tueri posset, ea libentissimè abuteretur. Sed quum videret exemplaria vniuersa mirificè consentire, expositoresq; omnes vnum idemq; sonare: non mendosos codices causatus est, sed confessus est planè. 70. interpretes ita vertisse, quos Lucas Euangelista sequeretur. At enim Lucam Euãgelistam locum ex veteri testamento, vt ea erat ætate deprauatum citasse: multò absurdius inuenio, cùm ad veritatẽ coepi reuocare rationem. Aut enim ignorantem facimus Euangelistam, si eum latebat deprauatio, aut timidũ facimus, si diuina auctoritate pollens non est ausus deprauata restituere, quod sine vlla auctoritate Eugubinus est ausus. Impiũ est autem quod Spiritus sancti consilio scripsit Lucas, id Hebraicarũ literarum ignorationi tribuere. Cùm ergo singulas scripturæ particulas diuina inspiratione & afflatu scriptas esse causis necessarijs addixerimus, nulla earum profectò potest à linguarum ignorantia proficisci: nisi Spiritus sanctus, qui Euãgelistæ regebat & mentem & manum, Hebraicas literas ignorarit. Dicamus igitur, id quod præsenti loco satis est. 70. interpretes. 75. animas Genẽ. 46. & Exo. 1 posuisse. Id quod ex cõtextu manifestè colligitur. Cùm enim Genes. 46. filios Manasses & Ephrain, hoc est, Machir, Galaad, Sutalaam, Taam, Edem, interpretes. 70. annumerauerint, necesse fuit vt numerus. 75. cõflaretur. An verò Hebraica exẽplaria, quæ 70. interpretes cõuerterũt, nepotes illos Ioseph in illa genealogia supputarint, an potiùs ipsi. 70. interpretes p̃ anticipationẽ addiderint: incertum est. Illud certum, quæ detraxerint, bona fide hæc & prudenti fortasse consilio detraxisse: quæ adiecerint, ea sine dolo adiecisse. Constat enim eos nonnullis locis magis paraphrasim quàm interpretationem edere. Lucas verò ac cæteri Apostoli & Euangelistæ. 70. interpretum editione vsi sunt, quoniam eo tempore illa erat præstantissima. Nec alienum sequuntur errorem, quod nonnulli imprudenter affirmant,

affirmãt, sed in eo, quo illi verè locuti sunt, eorum testimonijs vtuntur. Nec me illud terret, quod quidam obijciũt, historiæ huius veritatem nõ nisi per figuratam dictionem defendi posse. Nam & editio nostra eadem defensione eget. Quum enim. 70. animæ ingressæ in Aegyptum dicũtur, necesse est quoq; Ephraim & Manassem ad explendum numerũ supputari, qui tamen ipsi in Aegyptũ nõ sunt ingressi. Nec mirũ est, si in. 70. interpretum editione anticipatio sit. Cùm etiam in nostra admittamus post positionem. Geneseos siquidem. c. 12. post mortem Thare præceptum domini scribitur, quo iubet Abraham exire de terra ac cognatione sua. At acto. 7. Stephanus nõ obscurè docet, præceptum illud datum esse in Chaldæa priùs quàm Thare moreretur & veniret in Charran. Id qđ & D. Augustinus acutè vidit. 16. lib. de ciuit. Dei. Et ratio quoque ipsa demonstrat. Cùm enim iubeatur Abrahã exire de terra & cognatione sua, Chaldæam cogimur intelligere. Quæ propria erat terra Abrahã, vbi etiam habebat cognationem suam. Si autem de Charran iuberetur exire, certè, nec de terra sua exiret, nec de cognatione. Nam licèt Charran pars Mesopotamiæ esset, nõ erat tamen Chaldææ pars, quod quidã parum doctè asseruerunt. Nec clam me est Hieronymũ in Ezech. 30. ca. scripsisse: in libris historicis præposterã narrationem nullam reperiri, sed in psalmis & propheus. Quod mirari magis æquidẽ quã refellere debeo, cùm in euangelijs constet anticipationes vsurpari. Qua de re alio loco diligentiùs. Sed ne illud quidem mouet, q̃ Ioseph dicitur. 75. animas accersisse, eadẽ. n. difficultas esset, si. 70. solùm animas posuisset. Cùm Ephraim & Manassem nusquã omnino accersierit. Nõ igitur, vt Hieronymus ad Pãma. de op. ge. in. rectè dixit, in scripturis verba sunt consideranda, sed sensus. De prima ergo. 6. argumenti particula hactenus.

Iam secunda, licèt difficilior esse videatur, faciliùs tamen refelletur. Nam. 12. Patriarchas sepultos esse non in Hebron, sed in Sychem non solùm ex Stephani narratione, sed etiam ex Hieronymi testimonio cognoscimus. In epitaphio nanq; Paulę ad Eustochiũ, quum Paulæ peregrinationem scriberet, sic ait. Transiuit Sychem, & circa puteum Iacob extructam intrauit ecclesiam. Atque inde diuertens, vidit. 12. Patriarcharũ sepulchra. Ad Pamma. autem de op. ge. in. 12. inquit, Patriarchæ non sunt sepulti in Arboch, sed in Sychem. Quam eãdem sententiam Beda sequitur alijq́ue viri ecclesiastici. Quantùm verò fidei Iosepho sit in historia habendum, vndecimo posteà loco demonstrabimus. Atq; de. 2. argu. 6. parte tantum dictum sit.

Tertia verò eademq́; postrema indissolubilem videtur habere quęstionem. Nam quod Augustinus Eugubinus & huncsecutus Aloisius Lippomanus dicũt, locum esse deprauatum & pro Abraham legendum esse Iacob, pro filij esse substituẽdum patris: consistere hoc nullo modo potest. Tum quoniam omnia exemplaria Græca atque Latina iam inde ab Apostolorum ætate fuisse corrupta non verosimile quidem est. Tum quoniam non est probabile Hieronymum, Rabbanũ, Bedam, aliosq́ue item ecclesiæ auctores, qui in hunc locum & quæstionem incidere, huiusmodi defensionis præsidium neglecturos: si vel tantillum probabilitatis in ea inesse existimassent. Nec viri prudentes & graues difficillimam quæstionẽ esse dixissent, quæ minimo quidem negocio, vt iunioribus istis visum est, explicaretur. Quid, q̃ in vocibus adeò dissimilibus nulla deprauationis occasio erat? Si enim librarij pro euerrit scribant euertit, pro fortem fontem, vocum scilicet magna similitudine fallentur. At pro Iacob Abrahã, pro patris scribere filij: in tãta nimirum nominum discrepãtia nullæ deprauationis causæ fingi possunt, nisi librariorum aut ebrietas aut amẽtia. Quid, q̃ in exẽplari Græco nec filij nec patris expressum est, sed post vocẽ Emòr, sol⁹ genitiuus

Hieron. de opt. gen. int. proponit, & non soluit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

τὸ ὄνομα scriptus legitur? Vbi Latinus interpres, quoniam propensius id erat, filiũ subintellexit, non patrem. Ad quem omnino modũ Sanctus quoq; Pagninus interpretatur. Nec me fugit, in epistola ad Pãma. de opt.ge.in.patris legi, non filij. Sed Erasmi fortasse lectio illa est, non Hieronymi. Verùm de voce patris nihil moror. Nam si Græca phrasis permittit, quod permittit certè, vt vel filij vel patris nomen subintelligatur, Stephanus, qui Græcè locutus est, nihil patietur in hac parte calũniæ. At in voce Abraham locum non habet Eugubini respõsum, pro qua si Lucas Iacob scripsisse dicitur, nihilo secius accusabitur. Iacob enim non pretio argenti sepulchrũ emit, sed centum nouellis ouibus: vt Iosue. cap. vlti. scriptum est. Scio autem, quæ nouitij interpretes hoc loco differant: sed scriptura, quam ecclesia probat, editio quoq; .70. centũ nouellas oues habent, non nummos argẽteos centum. Maneat igitur exemplaria non esse corrupta. Et quoniam eadem facilitate reliquæ aliorum responsiones coargui possunt, nihil video esse causæ cur eis refellendis immoremur. Sed ne libenter quidem aliorum sententias reprehẽdimus. Hoc igitur loco mihi Bedæ opinio placet, cui & Rabbanus assensus est. Verba illius in hũc modum habent. Beatus Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes coniungens, non tam ordinem circunstantis historię, quàm causam de qua agebatur intendit. &c. Eadem ferè Rabbanus. Quibus verbis verecundè quidem ac modestè significarunt, Stephano, id quod vulgò ferè solet, accidisse: vt in longa videlicet narratione eademq; præsertim subita confuderit nonnulla & miscuerit, in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, in his duntaxat, quæ ad rem parum, aut nihil omninò attinerent. Nam causæ, de qua potissimùm agebatur, erat intentus. Lucas verò historię veritatem retinere volens, ne iota quidem immutauit, sed rem, vt à Stephano narrata erat, exposuit. Nos aũt non Stephanum ab omni lapsu sed Euangelistam vindicare debemus. Solis quippè Apostolis, prophetis & euangelistis hunc honorem deferre catholica fide docente didicimus, vt nullum eorũ, vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis, nec in paruis errasse. At Stephanus plenus erat Spiritusancto. fateor. At spiritus loquebatur in eo. Et id equidem fateor. Sed aliter in Christo spiritus loquitur, aliter in prophetis & Apostolis, aliter in Stephano & Ambrosio. Ac certè per hos omnes loquebatur. Per conciliũ generale Deus ecclesiæ loquitur, per ecclesiæ pastores Deus ecclesiæ loquitur, per veteres sanctos Deus ecclesiæ loquitur. Et hi omnes tamen in paruis labi possunt, memoria præsertim, vbi lapsus facilior est. Scriptorum ergo sacrorum hoc priuilegiũ est, vt eorum nullus in scribendo erret. Apostolorum priuilegium est, vt nullus eorum in docendo erret. Stephano priuilegiũ hoc nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec verò ab sacris auctoribus alienum est, errantium quoque verba referre. Sic enim Iepte Iudi. 11. trecẽtos annos possessionis prætendit, cùm reuera trecenti non fuissent. Et sacer tamen historicus trecentos retulit. Sic etiam Matthæus, si Hieronymo credimus, prophetiam Michææ nõ vt à Michęa scripta erat, sed vt à scribis erat enũtiata retulit. Scribere autem quàm vanis & friuolis argumentis hanc Hieronymi sententiã Erasmus reprehenderit, non est huius, aut loci, aut temporis. Illud dicendum est, Hieronymi & Augustini verba in eũ torquere sensum, vt credantur asserere, Euangelistas esse aliquando lapsos, nisi parum pudenter fieri non posse. Cùm enim Hieronymus in epistola illa de opt.gen.int. quædam loca è sacris auctoribus retulisset, quę lapsui memorię assignari possent, subdit. Hęc replico, nõ vt Euangelistas arguã falsitatis. Hoc quippè impiorum est, Celsi, Porphyrij, Iuliani. Id tamen ita Erasmus accipit, vt falsitatis crimen abominetur in Euãgelistis Hieronymus:

Vide Eugubinum in recogn. Genes.

Matth. 2. Mich. 5.

In anno. 2. Matth.

In anno. 2. c. Matth.

ronymus: memorię lapsum non itẽ. Quasi falsum non sit, nisi quod mendacio de industria cõficto scriptum est. Certè siue memoria seu ignorãtia lapsi Euangelistæ à veritate discesserint, iure falsitatis arguentur. Cumq; etiam Augustinus lib. de cons. euãge. 3. c. 7. non lapsui memorię, non errori tribuerit, quòd Euangelista Matthæus. ca. 27. nomine id Hieremię citauerit, quod apud Zachariã reperitur: sed tribuerit Spiritus sancti cõsilio, directioni, constitutioni, præcepto, quamobrem contenderit illud sine falsitate esse factum. At Erasmus errorem & lapsum Euangelistę, ex Augusti. sententia interpretatur. Ea quàm falsò viris sanctissimis impingantur, facillimè iudicari poterit, cùm ex ijs ipsis locis diligenter euolutis, tum ex alijs eorundem auctorum testimonijs, quæ nos capite superiore citauimus. Nam quartæ controuersiæ iam tempus est, vt finem faciamus. Hic aũt primus etiam locus cõcludetur, non paucis ille quidem (nã id fieri nõ poterat, q̃ amplissimus esset, & iusti voluminis copiosam materiã suppeditaret) sed quàm paucissimis fieri licuit, vt loci firmissimi auctoritas eo statu esset, quẽ neq; humani ingenij temeritas, neq; Hæreticorum labefactaret iniuria.

In anno. 27 Matth. cap.

Secundi libri finis.

DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS, QVAE SECVNdo loco positæ sunt, Liber Tertius.

¶ Caput Primum. Vbi eorum argumenta referuntur, qui Apostolicas traditiones impugnarunt.

BEne habet. Scripturæ diuinæ auctoritatem primo iam loco constituimus. Ad secundum deinceps aggrediamur: Apostolicarumque traditionum quanta sit & vis, & auctoritas, via & ratione explicemus. Et quidem hunc locum Lutherani imbecilliorem esse credunt, quàm vt ductis inde argumentis dogmata fidei confirmentur. Nam, quòd ecclesię traditiones à Christo & Apostolis descenderint, existimant probari posse nullo modo. Nec enim adeò sunt stupidi, vt verba Christi, quæ modò Christi esse constaret, infirmare pergant, quòd non fuerint ab euangelistis scripta. Sed quoniam quid Christus, quidue Apostoli fuerint locuti, eos solũ nosse putãt, qui Christum & Apostolos audiere: colligũt, apud nos nunc ne vnum quidem dogma posse traditione probari. Quin oportere omnes fidei & religionis controuersias sacrarum literarum testimonijs componere: finire verò nihil, nisi quod sacris literis sit expressum. Erasmus etiã cùm sæpè alibi, tum in epistola nuncupatoria operum Hilarij hoc demum asserit eruditionis verè Theologicæ esse, nihil vltra q̃ sacris libris proditum est definire: cætera omnia esse problemata in illud reijciẽda tempus, quum sublato speculo videbimus Deum de facie. Nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

hi tamen aut primi, aut soli pestem huic loco afferre tentarũt. Tentauerat idem prior Vuitcleffus, vt Thomas Vualden. scribit lib. doct. fi. anti. 2. c. 19. Tentarant hoc alijs antè seculis hæretici quidam, quos Bernar. homi. 66. in canti. commemorat. Sed & Arianis hãc hæresim tribuit Augustinus in conflictu cõtra Maximinũ, Thom. Vual. referente lib. de Sacramental. doct. 2. Ariani certè, qui in synodum Seleucianam conuenerunt, non obscurè testati sunt, se in fidei quæstione præter diuinas scripturas nihil omninò recepturos, vt auctor est Epiphanius hæresi. 73. Qui & ipse Aerianis hũc errorem assignat hæresi. 75. Basilius Eunomium dicit in eodem errore versatum. Tertullianus libr. de præscrip. hære. & Irenæus 3. lib. aduersus hæreses. cap. 2. his adiungunt Valentinum ac Marcionem. Basilius verò quidam Anciranus episcopus in confessione, quam exhibuit. 7. Synodo Anathematismo. 7. non solùm Iconomachorum, sed Arij, Nestorij, Eutychis, Dioscori, sententiã hanc communem fuisse confitetur. Quanquàm autem error hic communis fuit hæreticis penè omnibus, Lutherani tñ quasi proprium vsurparunt, quantaq; maxima potuere vi astruere nisi sunt, nihil præter scripturas sacras apostolicam habere auctoritatem. Infidelis, inquiunt, est & incerta illa per manus traditio, quòd is qui accipit, vel non satis accuratè auscultat, vel morbi, ætatis, naturæq; iniuria nonnũquam obliuiscitur, vel certè interdum moritur, ante quàm tradat accepta. Ea etiam, quæ de aure in aurem transeunt, aut in dies maiora fiunt, aut nõ eadem profectò perseuerant, sed mutatis auribus permutãtur. Quin etiã pereunt, nisi ea literarum monimenta conseruent. Pythagoræ quàm pauca extant? Druidarum ecquid est reliqui? Nempè traditionibus illi confisi, nihil ad memoriæ æternitatem literis prodiderunt. Quamobrem, quæ Christus dominus ad salutem fidelium vidit esse necessaria, & quæ in ecclesia certa esse voluit atq; perpetua, ea literis consecrari vel iussit, vel suggessit. Augustinus ité testis est, multa quidem dominũ & fecisse & dixisse, quæ scripta nõ sunt: electa verò esse quæ scriberẽtur, quæ credentium saluti sufficerent. Augustinus etiam idẽ docuit, quòd vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. Et mox, illud credo, inquit, quòd diuinorum eloquiorum etiam hinc clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. Nihil ergo creditu necessarium extra sacras literas est. Paulus quoque scripturam idoneam esse docet, vt per eã perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Si igitur quæ erant satis vt fideles essent ad omne opus bonũ instructi, ea scripta sunt omnia, quorsum istæ non scriptæ traditiones mo nibus formandis necessariæ finguntur? Quid? quòd non iubemur credere quæcunque nos docuerint sacerdotes, sed quæ docuerint iuxta legẽ domini? Si ergo quicquam illi præter legem docent, fidem eis habere non est necesse. Cùm enim ex ipsis veris ecclesijs frequẽter exeant seductores, quod auctor imperfecti argutè dixit, ne doctoribus quidem credendum est ecclesiarum traditionem quãlibet præferentibus, nisi ea dicant, quæ scripturarum congruãt veritati. Nam et Papias mille illos suos post resurrectionem futuros annos tanquam Apostolis tradentibus inferens Irenæum aliosque multos ecclesiæ viros non tam veritate disputationis quàm apostolicæ traditionis auctoritate commouit. Et Ireneus quoque ipse Ioannis Euangelistæ aliorũq; Apostolorum traditione docet, Christum dominum, quo die mortuus est, annos. 40 fuisse natum. Quod tantum abest à veritate, vt nihil veritati magis possit esse contrarium. Ita Theophilus Alexan. scripsit, dæmoniaci spiritus esse, aliquid extra scripturarum auctoritatem putare diuinum.

In Ioan. tra. 49.

Lib. 2. de pecca. mer. & remi. ult.

Idem in epist. ad Oceanũ de anim.

Euseb. lib. 3. eccle. histo. c. ulti.

Lib. 1. cap. 40.

Deut. 17.

Homi. 40. in Matth.

Lib. Pasch.

Et Hie-

In Aggeũ cap. 1. Et Hieronymus dogmata condemnauit, quæ absq; auctoritate & testimonijs scripturarũ ex traditione apostolica præferuntur. Et rursum, sine auctoritate, ait, scripturarum garrulitas nõ habet fidem. Et iterũ, eorum sententiam, qui traditione veteris

In epist. ad Tit. c. 1.

In Matt. c. 23. Basi. de huma. Christi gene. et Origẽ. ho. 26. in Mat. historiæ tenuerunt, Zachariam illum, qui occisus fuit inter tẽplum & altare, patrem fuisse Ioannis Baptistæ, ea solùm ratione reprobat, quòd de scripturis non habet auctoritatem. Vnde eadem facilitate contemni, qua probatur. Atque Origenes necesse est, inquit, nobis scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippè nostri & enarratiões sine his testibus non habẽt fidem. Confirmat autem hoc maximè oratio illa, qua in Nicæna synodo vsum fuisse Constantinum, refert Theodoritus. In

In Hie. homi. 1.

Lib. 1. hist. suæ Eccles. cap. 7. disputationibus, inquit, rerum diuinarum habetur Sanctispiritus doctrina præscripta. Euangelici enim & Apostolici libri, cum prophetarum antiquorum oraculis plenè nobis ostendunt sensum numinis. Proinde sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum. Cui orationi, Calui nus ait, nemo tunc fuit qui refragaretur. Quod silentium perfidia non carebat, si verũ est, præter scripturas sacras Euãgelistarũ, Apostolorum & prophetarũ traditiones esse tenendas in fidei ambiguis quæstionibus. Cùm igitur Theodoritus scribat, episcopos libẽter amplexos esse id, qđ dixit Imperator: cõstat nouũ esse traditionũ dogma illisque sæculis omninò incognitũ. Traditiones igitur istæ seniorum parum valẽt ad dogmata fidei comprobanda. Quin, cùm humanæ sint non diuinæ, non sunt nobis magnifaciendæ: ne quod Pharisæis, idem nobis obijciatur, sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Matth. 15. Esa. 29. Cypri. libr. 2. epis. 2. dist. 8. c. si solus.

Quid? Quòd hæreticis semper gentile fuit, mysterijs & traditionibus suos discipulos imbuere? Id quod à Christi doctrina alienum est, qui palàm locutus est mundo, & in occulto locutus est nihil. Ac si quid in tenebris dixit, profectò iussit Apostolis,

Ioann. 18.

Matt. 10.

vt dicerẽt ipsi in lumine, & quod in aurem audierunt, vt prædicarent super tecta. Non ergo habemus Christiani occultas mysteriorum traditiones. Quòd si veterum traditionibus fidem & religionẽ nostram asse rimus, id Pagani, id Iudæi, id Sarraceni faciunt: eoq; præsertim nomine sectas suas retinẽt, qp quemadmodũ nos, ita ipsi quoq; maiorum institutis inhærent: eaq; longissimi temporis possessione tuentur, iustumq; pro illis bellũ suscipiunt. Non est autẽ disciplina nostra Pythagorica, vt traditionibus quasi vestigijs insistamus, literis est Christi doctrina prodita, illas in omni fidei & religionis quæstione amplecti debemus. Hæc Lutherani argumentantur.

Irenæ. lib. 2 c. 23. scribit hæretico rum præceptũ esse, nõ oportere mysteriaco rum effari sed in abscõdito con tineri. Iudicũ. 11.

¶ Superuacaneam videri cum Lutheranis non de hoc solum loco, sed de quibusq; alijs disputationem. Cap. secundum.

EGo verò cum Lutheranis quotiescũq; me cõparo ad differendum, repentè à me auertitur oratio mea, & omnis statim mihi disputãdi ratio tollitur. Quo namq; cõsilio aduersum hos disputare aut debeã, aut possim, qui cùm omnia Theologiæ principia tollunt, tum vna ferè sola asseuerandi audacia vtuntur, quæ illis perpetua est pro locis dialecticis theologicisq; omnibus? Quid ego cõtra hos scribam, qui nullam in ecclesia legem esse volũt, per quam scripturæ sensa finiantur? Sed suo cuiq; ingenio esse vtendum, nec id sentire oportere, quod alij senserint, sed quod ratio propria præscripserit. Quid autem stultius, q̃ cum eo disputare, q nihil admittit nisi scripturę verba, sed huius interpretationem sibi vni reseruans, reliquos omneis existimat miris modis, hallucinari? Machumet⁹, ne si res esset via & ratione explorata, in malè suscepta causa cedere cogeretur, omnẽ disputationis aditum lege suis edita præclusit. Et Lutherus differendi principia suis vniuersa

Universidad de Deusto
Biblioteca

tollens,si disputationem instituat, nec aditum nec exitum poterit reperire. Perinde enim est,scripturas solas sine lege & pro cuiusque interpretatas arbitrio accipere: ac si nullum fixum certumque dijudicandi principium acceperis. Quapropter miseri Lutherani,haud secùs atq; Saraceni, nec suas nec magistri possunt ineptias deprehendere:nec nos cum ijs disserendo aliud possumus,quàm tempus & operam ludere.Qui tamen haberent ius suum disputãdi,si principiorũ aliquem delectum reliquissent, vt ad veritatis inuentionem aditus esset. Núc autem nulla principia relinquũt. Vana igitur cum eis erit & futilis disputatio.Omninò enim meminisse debemus, id quod ab scholasticis sæpissimè vsurpatũ iam quasi in prouerbij consuetudinem venit, contra negantem principia, quoniã frustra id fiat, non esse disputandum.

Accedit eodem, quòd paradoxa cum communi sensu pugnantia afferunt, quæ si vis argumentando refellere, res minimè dubias argumentando dubias facis. Cùm enim illa,quæ in syllogismo antecedunt,vt fidem aliquam faciant, certiora notioráque esse oporteat his, quæ ex antecedentibus consequuntur,verendũ sanè est,quando Lutheranorum placita coarguimus,ne res maximè absurdas minore euidentia refellentes peccatum hoc ratiocinationis vitiosæ ineptæque peccemus.

Nec verò huius rei explicandæ gratia longè exempla petenda sunt, cùm habeamus in manibus. Etenim, vt hanc, quam modò dixi, opinationem Lutherani tueantur, ponunt primò sacras literas non habere plures sensus. Falsò autem illud ponunt, sed demus hoc eis liberaliter. Assumunt deinde, in scripturis sensum illum vnum certissimè familiarissimeque doceri. Nec esse eas velut cæreum quendam nasum in sensum omnem flexibiles: sed potiùs esse per se expositas & in prõptu cuiq; sine magistro & docente patere.Quibus egregiè sciteq; positis,iam facilè conficiunt, sacris libris intelligendis, nec veterum traditionem,nec ecclesiæ iudicium expectandum. Quæ omnia, cùm & per se sint falsa perspicuè & scripturis ipsis vehementer repugnantia, si contendam ego ex aduerso refellere,aqua mihi,vt dicitur,hęrebit.Qui scilicet intelligam,quàm sit ridiculum confutare velle vanas commentitiasque sententias, portenta non differentium Theologorum sed hominum somniantium, q̃ stultum cuilibet opponenti contraria respondere, quàm inutile faces in meridianam solis lucem inferre , quàm denique ociosum in re manifesta periclitari. Petrus ait, in Paulinis epistolis esse quædam difficilia intellectu , quæ indocti homines & instabiles deprauant ad suam ipsorum perditionem. Hi verò contrà aiunt, omnes Pauli epistolas esse intellectu facillimas. Paulus perfectis sapientiam loquitur in mysterio absconditam , paruulis autem lac potum dat, quoniam ferre aliud non possunt. Isti sine discrimine omnes , ac si Deo placet inter pocula, vniuersa scripturæ sacramenta deuorant , & solidum etiam cibum struthionum more concoquunt. Sapientibus & prudentibus quædã pater abscondit,istis omnia reuelauit. Filius discipulis suis aliquãdo in parabolis est locutus,his palàm semper loquitur,& prouerbiũ nullũ dicit. Liber in Apocalypsi septẽ sigillis signatus ostenditur, quem cùm dederis homini scienti literas vt legat, respondebit tibi, non possum : signatus est enim. Et his librum agnus aperuit,aperuit item oculos, vt videant quæ nos miseri & cæci videre nó possumus.Imò quę Origenes, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Ambrosius,Hieronymus,Augustinus,Hilarius,non viderunt. Eunuchus ille actorum apostolicorũ tam religiosus, vt relicta aula regia de extremis mundi finibus veniret ad templum , tam diuinæ legis amator, vt etiam in vehiculo sacras literas legeret: non poterat Esaiam intelligere nisi aliquis eum doceret, & ab istis prophetæ oẽs sine magistro

Vide Hieronymũ ad Paulinũ & Augustinum in prohemio libri de doctr. Christ.

magistro & interprete intelliguntur. Breuiter,vt Hieronymus ait,nulla ars sine præceptore percipi potest , sola scripturarũ scientia est, quam hi passim sibi omnes vendicent,præsumant,doceant antequam discãt. Sunt in libris sacris loca plurima,in quibus tanta difficultas & obscuritas inest, vt post veterum omnium interpretũ vigilias , studia,operas,adhuc vix à doctissimis & optimis quibusque intelligi posse videantur:Et multitudo imperita, in qua nec ratio inest, nec iudicium , vniuersos scripturæ locos facilè expediet atq; interpretabitur? Itáne facile est expedire,vt reliqua taceam , Hebręi sermonis ambiguitatem , tropos vel vetustate obscurissimos,phrases alienas ab hisce linguis,quibus assueuimus, nostris inaudita prouerbia,parabolas peregrinas,translationes interdum etiam longissimè petitas? Expone mihi facilè , si potes,prouerbia Salomonis & cantica:Ezechielis, Danielis, Esaię,Hieremię,prophetias: Dauidicos psalmos expone:& si exposueris , tum verò libri sacri , nec sunt difficiles neque obscuri. Quis sapiens,ait Oseas,& intelliget ista: intelligens,& sciet hęc? Et Solomon.Quis talis vt sapiens est?Et quis cognouit solutionem verbi? Atqui sapiẽtes sunt omnes isti, & summa facilitate difficillimas scripturę quæstiones soluunt. Quòd si scripturę in variũ sensum torqueri flectiq; non quęũt, quomodo hæreses omnes ex praua intelligentia scripturarum ortę sunt? At hoc non solùm tradentibus Hilario.2.libr.de Trini. Hiero.ad Gala.1.Irenęo.libr.1. aduer. hære. c.1.Augustino in Ioãnem tract.18. Vincentio Lirinen.contra propha. noua , septima synodo.Act.6. sed manifesto etiam experimẽto cognouimus. Vnde verò inter ipsos quoq; Lutheranos de rebus maximis controuersiæ, si scripturæ in varios sensus non flectuntur? Nam illa verba, hoc est enim corpus meum, alij propriè,alij per tropum accipiunt. Quæ cũ ita sint,alia ratione atq; isti dicunt scripturæ diuinæ inuestiganda tenendaq; intelligentia est. Si enim ad priuatam hæc regulam dirigatur,vnde euincetur Eluidius de perpetua Mariæ virginitate? Vnde Arius de vera Dei in Christo natura? Imò verò vnde constabit huius ne ari illius intelligẽtia vera sit, si scripturas cuiq; liceat pro suo ingenio interpretari? Cùm enim variæ erunt,vt fit,de eodem scripturarum loco sentẽtiæ,quæ certa sit,eam nemo præstabit.Si enim omnes,qui inter se dissentient,pari ratione suum quisq; sensum tuebuntur.Hoc enim morbi ferè innatum est hominum ingenijs,vt cedere nesciãt simul atq; res in contentionem vocata est. Quæ postquàm incaluit, hoc cuiq; videtur verissimum, quod temerè etiam tuendum susceperit. Aut igitur sensum quisque suum certum habet , & redibit insania veterum, quam Aristo.4.Metaphy.lib.manifestis argumentis explosit: Aut nullius sententia certa erit,& præterquam q̃ dissidiorũ nullus erit finis,nullum habebimus certum fidei Christianæ iudicium, sed ex sua opinione quisque suam sibi fidem affinget. Ita fides catholica nulla erit. Acre vera ridiculi Lutherani sunt, qui postulent, vt ipsis sacras literas interpretantibus, ac nouo quidem mirabiliq; more interpretantibus, certa fides habeatur. Non est creditum Apostolis, vt falsè ridet Erasmus , donec multa magnaq; miracula fidem adstruxissent doctrinæ, & nunc quilibet sibi postulat credi,quòd affirmet se habere spiritum intelligentiæ,cùm nullus eorũ tamen nec equum quidem claudum sanare potuerit. Multa prætereunda sunt,ne quid habeat iniucunditatis oratio:& tamen multa dicũtur,quę apertè horum insaniam refutent. Sanè nisi Coclæus in epistolis ad Germaniæ principes & ad Bernenses anteuertisset , exemplis positis periculum facerem , & in illis variè in vtrãq; partem luderem , vt vel hoc ipso periculo cõpertum esset omnibus, quàm non sit difficile vnumquodlibet thema è sacris literis aut probari , aut improbari , si pro suo eas quisque ingenio interpretetur. Quanquam,fateor,nonnulla sunt scriptu-

Tertul. de resur. car. Hereses , ait , esse nõ possunt , si nõ & perperam scripturæ intelligi possẽt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re loca, quæ in alium atque alium sensum trahi ne à contentiosis quidem possunt. Quis enim illud torqueat, quod Paulus ad
1. Corin. 12. Corinthios scripsit, alij per spiritum dari sermonem sapientiæ, alij sermonem scientiæ, alij interpretationé sermonum? At isti omnia ecclesiastici corporis munia cõfundũt, istis totum corpus est oculus. Omnes siquidem spiritu doctore intelligunt scripturæ vniuersa mysteria. Sed bene habet, quòd vel Lutherus ipse quædam in psalmis loca se non intelligere confitetur. Bene
Ephe. 4. habet, quòd doctores in ecclesia Christus dedit, non omnes, sed quosdam, ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij.
C. 6. 7. et. 8 Cap. 3. con clu. 5. & 6. Verùm de his & multa in secundo libro disserui, & plura adhuc in septimo differetur. Non quò aduersum Lutheranos pugnam inire velimus, qui clausis, vt dicitur, oculis more Andabatarum pugnant. Sed quò videant catholici cùm omnes locos ratione animoq; lustrauerint, nullum esse certiorem, nullum stabiliorem, nullum deniq; sacris literis exponendis magis necessarium, quàm is, quo ecclesiæ traditio continetur. Quò est detestabilior Lutheranorum impudentia, qui hunc locum labefactare ac funditus delere nitũtur. Sed vt hęc omnis quæstio semel hîc, vbi propriùs est locus, constituatur, aliquot fundamenta iaciẽda sunt, quæ Theologiæ fideiq; simul neruos ac vires continent.

¶ *Caput Tertium. In quo quatuor fundamẽta ponuntur ad traditiones Christi & Apostolorum constituendas.*

Primum fundamentum.

ECclesiam esse antiquiorem scriptura, fidemq; proinde ac religionem sine scriIosephus. c. 4. lib. 1. an. ptura cõstare. Nam vetustissimi illi primorum sæculorum patres, qui in lege naturæ ante Moysen veri Dei cultores sunt habiti, sacrificiorum ritum veramq; de rebus diuinis sententiam non scriptis legibus, sed more & instituto maiorum seruauere. Circuncisionem quoque à Deo primùm acceptã Abraham deinceps familiæ prodidit. Proles verò illa hominum Hæbræorum, eiusmodi sacramentum non aut membranis aut tabulis inscriptum, sed in animis consuetudine imbutis quasi impressum conseruauit: multosque annos in Aegypto citra vllam scriptam legem, vnius Dei veram fidẽ & religionem tenuit. Christus etiam dominus librum nullũ scripsit, imò, quantum legimus, ne præcepit quidem vt scriberetur. Euntes, non ait scribite, sed prædicate euangelium omni creaturæ. Mar. vlt. Et per Hieremiam. c. 30. dabo, inquit, legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et Apo. 2. Corin. 3. Epistola, ait, estis Christi, administrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Lex ergo Euãgelica, quę lex spiritus est, non literæ, non est à principio literis exarata, sed in animis fidelium insculpta. Nam & cæteri Apostoli priùs viua voce euangelium docuerunt, deinde mãdarunt literis, vt testes satis graues & idonei sunt Irenæus. 3. aduersus Valentinum libro, Euseb. cùm alijs locis non obscurè, tum luculentiùs in. 3. histo. Eccle. lib. cap. 24. Chryso. homi. 1. in Matth. Theoph. in initio commen. in Matth. Hierony. in catalogo scrip. eccle. in Matthæo & in Ioãne. breuiter, ne omnes singillatim enumerem, vniuersi ecclesiastici auctores. Nolo enim in apertis rebus multus lectori videri: eò maximè, q Lucas Euangelista huius rei certissimum testimonium præbet inquiens. Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerũt sermonis: visum est mihi assecuto omnia, à principio diligẽter ex ordine tibi scribere optime Theophile, vt

le, vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem. Cõstat igitur doctrinæ fidei iam vulgatæ scriptionem euangeliorum accessisse. Accessisse, inquam, nõ præcessisse. Constat item Christianam ecclesiam & religionem non literis primùm, sed traditione substitisse. Constat rursus, fidei doctrinam in ecclesia primitiua nõ ab scripturis habuisse auctoritatem, sed contrà scripturas à traditione. Sicut tradiderũt, ait, nobis, qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis. Constat denique aliquando in ecclesia Christi fuisse catholica dogmata, quæ sacris nullis literis con-
Lib. 3. c. 4. tinerentur. Quare permotus Irenæus ait, q etsi Apostoli nullas nobis scripturas reliquissent, tamen & oportebat nos sequi ordinem traditionis ecclesię, quam fideles sine scripto Euangelium sequebãtur.

Secundum fundamẽtum.

NOn omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, esse etiamnum in sacris literis expressa. Nam perpetuam Beatæ Mariæ virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum paruulorũ, conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, processionem Spiritus sancti ex filio, trium personarum in vna substantia æqualitatem, earundemq; per relatiuas proprietates distinctionem, non ita expressa in libris canonicis inuenies, sed adeò tamen certa in fide sunt, vt contrariorum dogmatum auctores ecclesia hæreticos iudicarit. Quemadmodum igitur articulus resurrectionis continebatur in illo, ego sum Deus Abraham & Isaac, quod postea Christus dominus minùs intelligentibus exposuit: ita nõnulla per spiritum veritatis explicuit ecclesia, quæ in sacris literis habentur obscura.

Tertium fundamentum.

MVlta pertinere ad Christianorum doctrinam & fidem, quæ nec apertè, nec obscurè in sacris literis continẽtur. Id primùm Innocentius probat de cele. miss. cap. cùm Marthæ. Verba enim, quibus in calicis consecratione vtimur, quibusq; Christum dominum vsum esse profitemur, scilicet, mysterium fidei & æterni testamenti, in Euangelistis non habẽtur. Ac ne illud quidem, eleuatis oculis ad Deum patrem suum. Sententiam quoq; illam, Beatius est multo dare quàm accipere, Christum dixisse nescire mus, nisi Paulus in actis docuisset. Quem-
Cap. 20. Ioan. ultim. admodum ergo nõ omnia gesta Iesu Euangelica scriptura complexa est, ita ne omnia verba quidem: sed quædam per traditionem accepta sunt. Rursum sanctorum martyrum auxilium precibus implorandum, eorumq; memorias celebrandas, imagines venerandas esse, in sacrificio Eucharistiæ simul cum corpore sanguinem sacerdotibus esse & conficiendum & sumendum, sacramenta confirmationis & ordinis non iteranda, sacræ literæ nusquam fortè traditerunt. At, eiusmodi atque alia pleraque id genus, ita firmiter ecclesia catholica retinet, vt si sacris codicibus fuissent inscripta. Quatuor demum euangelia, quæ nũc ecclesia recipit, quatuordecim epistolas Pauli, breuiter, vt in summa dicam, vtrũq; & vetus & nouum testamentum, firmissimè retinemus: nec tamen ea tenere possumus scripturæ auctoritate. Multa igitur sunt fidei catholicę dogmata, quæ sacris literis non habentur.

Quartum fundamentum.

APostolos maximis de causis alia quidem literis, alia autem viua voce prodidisse. Sed quæ illæ causæ sint, repetendum altiùs videtur. Morem porrò hũc tradendi quædã discipulis nõ scripto sed verbo, olim quoq; scimus à Philosophis obseruatũ. Pythagorã certè hũc in modũ discipulos instituisse, posteriorũ omniũ scripta testantur. Qui & ipse, vt. 1. strom. Clemens

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alexan. refert, circuncisus fuit, vt adyta ingrediens Aegyptiorum mysticam disceret philosophiam. Galenus lib. 2. de anato. admini. veteres Physicos ait, artes à maioribus quasi per manus traditas conseruasse. Cicero. libr. 1. de legi. ferendos in republica mores existimat, nec scriptis omnia sancienda. Et eodem rursum libro, sacra putat melius in rep. conseruari, si à patribus accepta deinceps familijs prodantur. Cæsar de bello Gallico. lib. 6. Druidas scribit disciplinæ præcepta nefas existimasse, vt literis mandarentur. Scribunt item non modò celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris Hilarius & Origenes Moysen non legem solũ, sed secretiorem legis enarrationem in monte diuinitus accepisse: præceptum autem ei à Deo, vt legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Iosue, hic deinceps succedentibus sacerdotum primoribus magna silentij religione reuelaret. Anatolius quoq; apud Euse. lib. 7. eccle. histo. c. 28. septuaginta interpretes refert Ptolæmeo regi percõtanti, multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atq; illud etiam auctor. 4. libri Esdræ. c. 14. non obscurè testatur. Enarraui, inquit, Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens, hæc in palàm facies verba, & hæc abscõdes. Quod idem præceptũ dominus Esdræ lege instaurandi dedit, inquiens. Quædam palàm facies, quædam sapientibus absconsè trades. Ad huiusmodi verò traditiones propheta videtur spectasse cùm ait: Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerunt nobis. Et rursum, quãta mandauit patribus nostris, nota ea facere filijs suis. Ad similes quoque veterum traditiones Moyses ipse reuocat, vbi dicit. Interroga patres tuos & dicent tibi, maiores tuos & annunciabunt tibi. Quædam igitur non scripto, sed verbo tradere, nõ philosophorum modò, verùm Moysis, imò Dei etiam consiliũ fuit. Huius ergo optimi consilij rationem Iesus Christus vitę magister habuit, habuerunt Apostoli. Multa enim à domino illis tradita scribere noluerunt. Quibus verò rebus adducti idipsum fecerint, breuiter explicãdum est. Cæsar de Bel. Galli. lib. 6. duabus de causis Druidas instituisse dicit, ne disciplinæ præcepta literis proderentur: q neq; in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos, qui discunt, literis confisos minùs memoriæ studere. Quod ferè plerisq; accidit, vt literarum prędidio diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Nimirum, vt Ioanni Pico in Apologia placet, prior illa causa Pythagorę ac Platoni præcipua fuit, vt mysteria quędam occulta verborum traditione discipulis commendarent. Nec enim aliter existimarunt Philosophię dignitatẽ se posse tueri. Aegyptios Clemens Alex. 5. strom. refert, non quibuslibet mysteria commisisse, nec rerum diuinarum cognitionem ad prophanos deferre solitos, sed ad eos solos qui erant ad regnum peruẽturi: & ex sacerdotibus ijs, qui iudicati fuerant probatissimi & educatione & doctrina & genere. Extat Lysidis Pythagorei epistola, in qua Hipparchum reprehendit, quòd publicè, contrà ac Magister instituit, philosopharetur. Nec enim fas esse, ea omnibus porrigere, quę paucis & ijs quidem disertis & laborantibus communicanda sunt. Qui autem Pythagorę prędepta passim vulgo traderent, ędquè eos impios haberi, vt qui prophanis hominibus Eleusinarum dearum arcana patefacerent. Eis etiam esse similes, qui in prędaltum puteum cœno plenũ aquam puram atq; nitẽtem effuderint. Quos nihil aliud q̃ cœnum turbare & aquam amittere. Nec solum à Lyside Hipparchus reprehensus est, sed accusatus à discipulis alijs, & expulsus è schola, & propter ipsum tanquam propter mortuum facta columna est: quemadmodum Clemens Alex. 5. strom. scripsit. Non licet, inquit quoq; Pindarus, apud omnes veterem aperire orationem, prętерquàm fidelissimis silẽtij vijs. Amat enim natura celari, vt Porphyrius scripsit, nec diuina Mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas.

Hila. super 2. psal. Orige. homi. 5. in Nu.

Psalm. 43.

Psalm. 77.

Deu. 32.

Lib. 7. hist. Trip. c.

pollutas. Aurũ & gemmas in altissimas terræ latebras natura cõdidit. Ita magno habẽtur in pretio, vilescerent, si essent exposita. Basilius in lib. de Spiri. sanct. c. 29. & Origenes hom. 5. in Numeros ob id asserũt Moysen non esse passum, vt omnia, quæ erant in templo, omnibus essent peruia, quòd sciret res vsu tritas expositas esse contemptui: quod verò sepositum est & rarũ, huic coniunctam esse summam admirationẽ & reuerentiam.

Plato scribens Dionysio de quibusdam sacris mysterijs monet, vt epistolam eue stigio concerpat, ne in manus indigni vulgi perueniat. Tantæ fuit olim, vel æthnicis curæ, disciplinarum mysteria & à contemptu & à prophano abusu defendere. Id verò maximè, si ad res sacras mysterium pertineret. Tarquinius rex Marcum Tullium duumuirum, quòd librum secreta sacrorum continentem huius fidei custodiæq; commissum Petronio Sabino scribendum dedisset, culleo insutum in mare abijci iussit. Quod supplicij genus multò pòst parricidis irrogatum est. Ac iustissimè id quidem, vt Valerius ait, quia pari vindicta parentũ ac Dei violatio expianda est. Quæ videlicet causa Apostolis fuit, vt secretò quædam ex animo in animum solo intercedente verbo transfunderent. Consentaneum enim erat, mysteria quædam præsertim sacra clam populo rudi habere perfectis & maioribus seorsum communicanda. Non iudicaui, inquit, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Et rursum, Formam, ait, habe sanorum verborum, quæ à me audisti, bonum depositum custodi, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erũt & alios docere. Quòd si Apostoli, quibus formis sacramẽta essent conficienda, quibúsue ritibus administranda aliaque id genus religionis secreta passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quàm aduersus Christi legem sanctum dare canibus, & inter porcos spargere margaritas? Imò verò quid esset aliud, quàm omnia mysteria Christianæ religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Hæc itaque prima ratio est, cur Apostoli quædam sine scripto traderent. Nempè ne aut ab æthnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum. Secunda est, quoniam habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortiùs sonat, quemadmodum Hieronymus ad Paulinum ait. Indignum ergo erat, vt tota Euangelij doctrina, quæ lex est spiritus & vitæ, mortuis vbique literis committeretur, nec vlla ex parte committeretur cordibus, cùm de ea peculiariter scriptum esset: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorũ scribam eam. Seruorum & rudiũ est, omnia ex præscripto agere. Iudæorũ ergo sit scripta hæc lex, qua vniuersa etiam minima præfinian tur. At filij perfecti iam viri & in libertatẽ gratię vocati, habeant legem insculptam in cordibus. Quamobrem, qui Euangelium omni ex parte in characteribus & membranis includũt nihil illius verbo, nihil cordibus relinquentes: hi Euangelio multùm adimunt & dignitatis & viriũ. Papias apud Eusebi. si quando, ait, aduenisset aliquis ex ijs, qui secuti sunt Apostolos, ab ipsis sedulò expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus, vel Thomas, quid verò Iacobus, Ioannes, Matthæus. Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum viuę vocis præsentisq; magisteriũ. Hactenus Papias. Vbi verò genium est verbũ, quod tantoperè Lutherani iactare solẽt? Nam scriptum verbũ, si verè ac propriè loqui volumus, nõ est verbũ. Apud nos aũt, qui Christi & Apostolorũ oraculavocesq; tuemur, verbũ dñi verè & ꝓpriè manet in æternũ. Verbũ, inquã, viuũ, qđ ex doctorũ ore in discipulorũ trãsfusum aures fortiùs resonet.

Vide Hiero. ad Gala. 4. in illud, uellẽ apud uos modò esse & mutare uocem meam.

Val. Max. de seruo. re li. lib. 1.

1. Cor. 2.

2. ad Tim. 1 & 2.

3. lib. Eccl. histo. c. 39.

Verba

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verba, inquit, mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui à modo & vsq; in sempiternum. Adde, quòd ad confutandos hæreticos maior vis in traditione quàm in scriptura est. Egesippus apud Eusebium refert, virginem, mundam & immaculatam ecclesiam permansisse, donec discipuli domini extiterunt, corruptoribus veritatis, si qui fortè fuerunt, in occultis terræ hiatibus delitescentibus. Vt verò omnis illa ætas, quæ à domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce discesserit, tum hæreticos nudato, vt aiunt, capite Apostolicam veritatē oppugnasse. Et Ignatius apud eundem ea maximè ratione docet, hæreticorū vitari contagia, si diligentiùs ac tenaciùs Apostolorum traditionibus inhæreatur. Tertullianus quoque adhuc apertiùs monet, vt aduersum hæreticos magis traditionibus quàm scripturis disseramus. Scripturæ enim in varios sensus facilè trahūtur, traditiones nō item. Nemo hæreticorum est, vt Hilarius ad Constantium Augustum tradit, qui se non secundùm scripturas prædicare ea, quibus blasphemat mentiatur. Omnes scripturas sine sensu loquuntur. Et Irenæus. 1. lib. c. 1. Hæretici, inquit, scripturis nituntur sua dogmata confirmare: ne sine teste esse videantur. Sed deformāt eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis, aut vrsi, figuram reddunt. Hactenus ille. Faciunt porrò hęretici, quod patrem suum fecisse vident, vt Vincentius Lirinēsis elegan ter ait, & auctoris sui callida machinamenta sectantur. Nam quid ille non faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominū maiestatis scripturarū testimonijs adpetiuit? Si filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim. &c. Ita, quodcūq; dogma hæreticus proferat, statim ait, scriptum est enim: & non vnum, sed mille testimonia, mille exempla parat de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo more interpretatis, sententiam suam adprobare conatur. Quorsum hæc tam longo sermone repetita? Nempè, vt intelligas nō modò aduersum hæreticos plus habere traditionem q̄ scripturam virium, sed etiam omnē fermè cum hæreticis disputationem ad traditiones à maioribus acceptas esse referendam. Nam cùm vtrique & Catholici & hæreretici pro sua sentētia quisq; sacras literas referant, in sensu & interpretatione discrimen est. Quis autem verus ac legitimus scripturæ sensus habendus sit, nisi ecclesiæ traditione cognosci certò nō potest. Quemadmodū & paulò antè docuimus &. 7. libro sumus multis magnisq; argumē tis demonstraturi. Atque hinc patet causa grauissima, cur traditiones Apostolicæ fuerint necessariæ. Sensus enim scripturarum Apostolicarum, non erat ab Apostolis scripturis alijs explicādus, nisi ipsi in opera sua ederent commentarios, quod à viris grauissimis semper alienum fuit. Intelligētiam ergo scripturæ sacræ, discipulis suis viua voce tradiderunt: vt illud Deus omni tempore in suis ecclesijs impleret, Dabo legem meam in visceribus eorum. Lex siquidem Euangelica, vt Hieronymus in commē. ad Gala. scripsit elegantissimè, non in scripturis est, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in verborum folijs, sed in radice rationis. Ex quo magis emergit, per huiuscemodi traditiones ecclesiasticos ordines suo quenque loco diuinitus contineri: dum & maiores, qui regni cœlorum claues habent, sacrosancta scripturæ sacræ mysteria quibus quoq; & tempore & loco dignum visum fuerit, aperiunt: & minores ab ecclesiæ magistris libri clausi sacramenta percipiunt. Alioqui nulli essent ecclesię doctores, sed quiuis quàmlibet plebeius & rudis earum per se rerum sine præceptore quęreret intelligentiam, quas Apostolorum interpretatione & literis obuias expositasq; haberet. Nunc autem traditiones Apostolicę non quibuslibet commendatę sunt, sed iuxta Paulum sapientibus & prudentibus, fidelibus quoq; ac religiosis depositi sacramenti custodibus, qui etiā idonei sint & alios docere. Qua de re Dionysius

3. lib. Eccl. hist. c. 32.

Montanus primus traditioni cōtraria noua quædam ingessisse dicitur histo. Eccle. libr. 5. cap. 16. 3. lib. Eccl. hist. ca. 36.

In lib. de præscr. hære.

C. 2. cōcil. 5. & 7. c.

Ad Gala. 1. 4. 5. & 6. tion.

nysius Timotheum diligentiùs admonet, ne sancta sanctorum efferat, ea passim rudibus exponens, sed sanctis solis sacrarum rerum intelligentias secretiùs pandat. Ob hanc.n. causam primos illos nostros duces necessariò summa & supersubstātialia partim scriptis, partim nō scriptis institutionibus, iuxta qđ sacrę definiūt leges, tradidisse. Quid? q; vt Cicero ait, suauiùs mores in rep. traditione seruntur? Ne si scripto sanciātur omnia, & molesta illa fiant, & legum ac doctrinæ codex sua mole & magnitudine terreat. Quid? quòd hac via, vel maximè ecclesiæ commēdatur auctoritas: quam, vt sponsæ charissimæ, Christus tātoperè commendauit. Cùm enim sponsi sui non verba modò, sed sensum etiam in corde seruat: verè, quod Apostolus dixit, columna est & firmamentum veritatis. Et æquum erat, vt aliquis quasi lydius lapis in manu ecclesiæ relinqueretur, quo falsas verasq; doctrinas exploraret: verumq; item scripturę sensum à falso discerneret. Sed de causis hactenus.

= Nunc fundamentum illud confirmādum est, ostendendumq; Apostolos Euangelij doctrinā partim scripto, partim etiam verbo tradidisse. Cuius rei primùm testes sunt Dionysius lib. de eccle. Hier. cap. 1. Clemēs Alex. in lib. de Pascha. apud Euse. libr. 6. eccles. histo. cap. 11. Et in libris strom. 1. & 5. Origenes homi. 5. in Nume. Papias apud Euse. lib. 3. eccle. hist. c. 39. Egesipp. cod. Euse. auctore. lib. 4. eccl. hist. c. 8. Ignatius, eo. Euse. referēte. lib. 3. c. 36. Irenæus libr. 3. c. 3. &. 4. Quem etiam Eusebius retulit libr. 4. eccle. histo. cap. 14. & lib. 5. cap. 6. &. 20. Tertullianus in lib. de corona militis, Cyprianus de ablutione pedum, Epiphanius de hæresibus cum aliàs sæpè, tum ibi maximè, vbi Arianorum & Apostolicorum dogmata coarguit, Hieronymus aduersum Luciferianos, Augustinus lib. 2. de Baptis. contra Donatist. cap. 7. & lib. 4. cap. 24. & lib. 5. ca. 23. &. 26. Damascenus libr. 4. cap. 13. &. 17. Basilius libr. de Spiri. sanct. cap. 27. &. 29. Refert autem ex his vnum & item alterum Gratia. 11. dist. c. ecclesiasticarum. &. 12. dist. c. illa autem. Potest igitur quicquā verum esse, quod sit huic talium virorum choro contrarium? Sed si tarita nubes testium hæreticorum corda non mouet, vel diuinis testimonijs moueātur. Quāquā, quod vno eodemq; consensu tot tantiq; viri testati sunt, id nō humanum, sed diuinum est. At suppetunt etiam scripturæ diuinæ pręclara testimonia. State, inquit Paulus, & tenete traditiones, quas accepistis siue per epistolas, siue per sermonem. Et rursum, laudo autem vos fratres, quòd, sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. & eo. cap. postea, Ego accepi à domino, quod & tradidi vobis. Et paulò pòst, cætera cùm venero disponam. Atque ad Timotheum, formam habe sanorum verborum, ait, quæ à me audisti, bonum depositū custodi. Et deinceps: quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Ac Ioannes in epistola. 2. plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui. Quid multa? Duas Petri epistolas habemus, & credimus mutum annis. 7. Antiochiæ sedisse, elinguem Romæ annis. 25? Num nihil aliud verbo docuit, quàm quod epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus nonne sine scriptura solo intercurrente verbo, ecclesias sibi destinatas & fundarunt in fide, & in religione continuerunt? Consentiamus igitur, quod negari non potest, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.

Iustinus martyr. q. 18. i gentibus posita.

Here. 76. & 61.

1. Thes. 2. 1. Corint. 11. 2. Tim. 1. 2. Tim. 2. 2. Tim. 3. & 2. De eccl. hier. c. 5.

¶ Cap. Quartum. Vbi sternuntur viæ ad traditiones Christi & Apostolorum inuestigandas.

His

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIs igitur cognitis, restat illud explicandum, vbi totius orationis cardo versatur, quónam modo Theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab Apostolis esse traditũ. Verbi causa ponamus aliqua, quæ pateant latiùs. Si in quęstionẽ veniat, num minores ordines, ieiunium quadragesimæ, baptisma paruulorum, imaginum veneration em, symbolum fidei ex traditione Apostolorum habemus: id nunc explanandum esse dicimus, án ne sit via aliqua plana & expedita, qua ad certam earũ rerũ intelligentiam valeat peruenìri. Non enim sumus ij, qui pharisæorum instar traditiones nostras velimus quasi diuinas & Apostolicas venditare: sed vbiq; gentium cupimus vt vera à falsis, ita ab humanis diuina secernere. Eo vero in loco maximè, vbi de dogmatis fidei catholicæ agitur. Quo in loco quidem rerum illiusmodi permixta cõfusio pernicioſissima est. Sunt igitur viæ quatuor apertæ, quas si sequemur, traditionibus Apostolorum vestigandis minimè aberrabimus.

Cap. 24. Prima via ab Augustino aperitur cùm alijs locis, tũ lib. 4. con. Donatis. in hæc verba. Quod vniuersa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Est autem ratio huius in promptu. Si enim consuetudinis cuiusquam diu in tota ecclesia obseruatæ, originem & principium nec ad Summos Pontifices, nec ad concilia episcoporum referre possumus: sed ea consuetudo ad Apostolorum vsq; tempora retro trahitur, conficitur planè illam ab Apostolis esse profectam. Vt si in dubium vocetur, an minores ordines, subdiaconatus, lectoratus, & cęteri ex Apostolorum traditione in ecclesia sint, hunc in modũ perueſtigabitur. Si horum ordinũ initium, vel à Damaso sit, vel à Symacho, vel ab vllo alio seu Pontifice seu concilio, certè Apostolorum traditio non fuit. Sin ante quemcunq; Pontificem, ante quodcunq; etiam concilium mentio huius rei apud priores habetur, donec ad Apostolorum tempora peruentum est: tũc demum intelligimus, minores ordines ex Apostolica traditione fuisse, vt & re vera fuerunt. Quoniam nõ posteriores modò, sed Ignatius epistola. 8. ad Antiochenos, Dionysius. 3. cap. Eccle. Hierar. Clemens in epistola ad vniuersos, Anacletus in decretis suis eius rei tanquam in ecclesia iam acceptæ meminerunt. Eadem quoq; ratione docebis Ieiunij legem traditionis Apostolicæ fuisse. Cuius videlicet mentionem fecisse constat August. ad Casulanum epist. 86. & ad Ianuarium epist. 118. &. 119. Hierony. ad Lætam de institutione filiæ. & lib. 2. aduer. Iouini. & in Esaiam. c. 58. Ambro. sermone. 25. &. 38. Chrysost. ad pop. Antio. homi. 3. &. 16. Basilium cùm in alijs concionibus, tum in eius initio, quam in ebriosos habuit, & in posteriore de ieiunio, Concil. Nicæ. refertur q; 18. dist. cap. habeatur, Cõcil. Laodi. multis capitibus. Sozomenũ histo. Tri. lib. 1. cap. 10. Origenem homi. 10. in Leui. Irenę. apud Euseb. eccl. hist. lib. 5. c. 24. Telesphorum in epistola ad vniuersos, qui ieiunij nostri auctor falsò à quibusdam existimatur. Quoniam Ignatius in epistola ad Philippenses eius rei prior meminit: atq; habemus etiam Canonem Aposto. 68. probatum etiam à Trulla. Syno. Canone. 9. & Canone. 20. Quãobrem verè aciure Theophilus Alexan. libro Paschali primo & tertio. non solùm legem ieiunij à maioribus traditam esse præscribit, sed affirmat fuisse euangelicam traditionem. Et Epiphanius hæresi. 80. vbi doctrinam ecclesiæ docet & fidem, quę traditione ecclesiastica seruatur, cũ meminit ieiunij quadragesimę, tũ dixit apertè apostolos tradidisse ieiunia. 40. &. 6. feriæ. Atq; Leo papa in cõcione de Pẽteco. cuius initium, Plenissimè, ieiuniũ quatuor temporũ Trinitatis ab Apostolis dicit esse institutum. Hieronymus autem ad Marcellam aduersus Montanum non obscurè tradit, quadragesimam nos secundùm traditionem Apostolorũ ieiunare. Quod verò in

hoc exẽplo fecimus, id facere per multa possumus: & hac eadem ratione paruulorum baptisma, cõsecrationem virginum, Monasticam professionẽ, lucernas in templis cereosq; lucẽtes, imaginum veneration em, & alia id genus multa ab Apostolis tradita cõprobare. Sanè quod in moribus diximus, idem in fidei dogmate seruãdum est, si vnumquodlibet nouum esse hæretici calumnientur. Cuius rei illustre exẽplum habes apud Eusebiũ libro eccl. hist. 5. c. vlti. Sed nos pergamus ad reliqua.

Secunda itaq; via huic proxima, & ea quidẽ expeditior est. Si quod fidei dogma patres ab initio secundùm suorum temporum succesſionem cõcordissimè tenuerũt, huiusq; contrarium vt hæreticũ refutarũt, quod tamen è sacris literis non habetur, id nimirum per Apostolicam traditionem habet ecclesia. Exempla sint, perpetua beatæ Mariæ virginitas, descensus Christi ad inferos, vt animã Adæ & reliquorum patrum, qui ibi tenebantur, erueret, certus euangeliorũ numerus, & cætera id genus, quæ, ne longum faciam, non sunt annumeranda. Omnia siquidẽ fidei dogmata ab Apostolis accepit ecclesia, vel scripto, vel verbo. Qm̃ ij ministri fuere sermonis, nec vllas in fide nouas reuelationes ecclesia habet: sed eas seruat, quas Apostoli per Spiritum sanctum fideli populo reliquerunt, quẽadmodum postea sumus demonstraturi.

Tertia via, si quicquam est nũc in ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessariò deriuatum est. Vt vota dissoluere & remittere iuramẽta, non erat humanæ potestatis: tum quia iure naturæ vota nuncupata Deo reddere & iuramenta seruare tenemur: humana verò facultas ea, quæ iuræ naturæ debita & cõstituta sunt, condonare ac tollere nõ potest: vt Gratia. 13. d. statum à principio docet. Tum etiam, quia in his, quæ superiori ex conuentione debentur, inferioris potestas nulla est. Eadẽq; est ratio d̃ matrimonij rati diręptione per monasticũ solenne votum. Cùm. n. matrimoniũ etiam non consummatum ante Euangelicã legem iure esset naturæ indissolubile, nec esset in rep. humana facultas vlla eiusmodi matrimonij dirimẽdi, consequés fit, hunc ecclesię morem ex Christi & Apostolorum instituto descendisse. Nec enim credi potest ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter vsurpasse in his, quæ ad ius naturæ pertinerent, nisi quam Christo & Apostolis tradentibus accepisset. Iã enim hic error esset grauis in moribus, in quibus ecclesiam errare nõ posse, suo loco ostẽdemus. Nec me clã est, q̃ Alex. 3. aliter in postremo illo exemplo docere videatur. Cùm enim illi esset obiectum, nõ posse per solẽne religionis votum matrimonium dirimi, quoniam scriptum esset, quod Deus coniunxit, homo non separet: respõdit, hoc scripturæ testimonium de matrimonio cõsummato esse interpretãdum. Quo videlicet responso significauit, matrimonium ratum, si consummatum non esset, licere humanitus separari. Verùm, vt omittã, quòd verba illa Adæ, hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, &c. è quibus dominus collegit, quod coniũxisset Deus, id hominẽ separare nec debere nec verò posse: eo tempore fuisse in paradiso dicta, quo nondum erat matrimonium consummatũ: vtq; illud etiam præterea, q̃ matrimonij ipse contractus adeò natura sua firmus ac perpetuus est, vt ne volũtate quidẽ contrahentium dissolui possit, quę tamen hominũ conuentionibus dirimẽdis, valere solet plurimum: Certè Theologis grauissimis semper absurdum visum est matrimoniũ vllum per hominem separari. Quantò gra uiùs Innocentius tertius, aliorsum quidem, sed ad hunc etiam locum appositè dixit, non hominem, sed Deum id soluere, quod Summus Pontifex non humana sed diuina auctoritate dissolueret. Nimirum quod Dominus Petro dixit, quodcunque solueris super terram, &c. quousq; & quatenus

De con. cõ. cap. ex publico.

De transl. epi. c. quãto

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenus, vel amplificandum esset, vel etiam constringẽdum, id ab Apostolis ecclesiam accepisse consentaneum est. Qui eiusmodi res ad ecclesiæ gubernationem necessarias sine dubio tradidere. Atque tradunt nonnulli, Ioannem Euãgelistam iubente Christo ab sponsa sua Euangelij gratia fuisse seiunctum. Hieronymus certè. 1. aduersus Iouinia. lib. Ioannẽ affirmat & virginem fuisse & maritum. Theclam quoque Epiphanius hære. 78. tradit à Paulo nuptijs exsolutam, cùm sponsum haberet primarium vrbis formosissimum: & virginẽ sanctam in contemptisse terrena, vt cælestium potens efficeretur. Sed contra Alexandrum dicimus. Nam hoc fortè dicet aliquis. Minimè verò gentium. Nec enim statim Pontificis contrarius est, qui argumento, quo catholici vrgentur, aliam responsionem parat. De tertia igitur via dictum est satis.

Procemium in Ioã. Euãgeliũ, quod Hieronymo nõnulli tribuunt.

Quarta via, eademque & mollior & tritior est huiusmodi. Si viri ecclesiastici aliquod dogma, vel vnamquamlibet consuetudinem vno ore testentur nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, vt ita esse credamus. Vt imagines ab Apostolis esse traditas patres in. 7. Syno. generali actione. 6. dixerunt. Et symbolum fidei, quo vulgus fidem suam profitetur, ecclesiam Apostolis tradentibus habuisse auctores sunt Rufinus in expositione symboli, Hieronymus ad Pãmachium de erroribus Ioan. Hierosol. Ambrosius in sermone. 38. de ieiunijs & quadragesima. Cassianus libro sexto ad Leonem Imperatorem, Isidorus libro sexto Etymo. capite decimooctauo. Leo papa in epistola octaua, & tertiadecima ad Augustam, Clemẽs in epistola prima ad Iacobum, si Clemens tamen illius epistolę auctor est. Sed de his hactenus. Nam plura exempla ponere longum esset, nec ad rem, quam instituimus, necessarium. Satis autem fuerit, quatuor vias demonstrasse, quibus traditionem aliquam esse Apostolicam, inuestigetur.

14. d. c. Canones.

¶ *Cap. Quintum, De varijs generibus traditionum Apostolicarum.*

AT verò, priusquàm huius loci auctoritatem cõfirmo, illud animaduertendum censeo, præcepta & instituta Apostolorum esse in duplici differentia. Quædam enim temporaria fuere, quorum ratio breuis & ad tempus fuit. Alia fuere perpetua, vtpotè quę causam habuere sempiternam, vt in ecclesia seruarẽtur. Illius generis exempla sunt, de baptismo in nomine Iesu, de abstinentia à sanguine, & suffocato: huius autem posterioris exemplum est de aqua permiscenda calici. Atque etiam alia diuisio est Apostolicæ traditionis. Nam alteras Apostoli à Christo domino acceperũt, vt matrimonium, confirmationem, extremam vnctionem esse sacramenta nouæ legis, quæ ipse quidem instituit Christus suorum sacramentorum primus idemq; solus auctor, sed Apostolis tradidit Christiano populo administranda. Alteras verò traditiones Apostoli ipsi Spiritu sancto suggerente ad Ecclesiæ vtilitatem ediderunt. Quas tamen eis Christus dominus, dum in terra degeret, nusquam edidit. Vt quadragesimæ ieiunium, quod licèt Hieronymus in secundum Ionæ cap. Ambro. concilio. 36. Chrys. homi. 1. in Gene. ad Christum auctorem referre videãtur, at re vera, vt equidem sentio, Apostolicum institutum fuit. Quod Christo tamen assignatur, vel quia ad Christi ieiunãtis exemplum ab Apostolis institutum est, vel quia Apostolica edicta Christi esse censentur: qui per Apostolos ecclesiæ loquebatur, atq; adeò per Spiritũ sanctum Apostolis: iuxta illud, quod Ioannis. 16. cap. scriptum est, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, quia de

de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Et
1. Cor. 7. 2. Cor. 13. Apostolus cùm quoddam de suo consiliũ dedisset, puto autem, ait, quòd & ego spiritum Dei habeam. Et rursum, An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? In his autem traditionum generibus illa eadem considerãda sunt quidem,
Cap. 18. in resp. ad. 4. argum. quæ in superiore libro de scripturæ etiam legibus admonuimus: sed discrimen illud maximè, quod de scripturarum præceptis ibi positum, transferri huc ad traditiones debet. Ex traditionum quippè vinculo, quas à Christo acceptas Apostoli fidelibus seruandas reliquere, ecclesia fideles eximere non potest, nec illas contraria aliqua consuetudine abolere. Si enim, exempli causa, materias & formas sacramentorum confirmationis, ordinis, extremæ vnctionis, à Christo Apostoli, nos ab Apostolis accepimus: si ad eundem quoq; modum matrimonia non consummata, per solennem castitatis professionem dirimi, consummata verò per conuersionem ad fidem coniuge infideli discedente, Christus dominus Apostolis, illi nobis edixerunt, in his tanquam in diuinis institutis ecclesia nihil habet potestatis. In quem sensum explicanda sunt duo illa capita. Sunt quidam. & Contra statuta. 25. q. 1. Nec huiusmodi traditiones possunt per contrariam cõsuetudinem antiquari: sed tali aduersæ consuetudini ita re obijciuntur. c. Veritate. & cap. Si consuetudinem. & cap. frustra. 8. dist. In alijs verò, quæ videlicet Apostoli constituerunt tanquàm ecclesiæ pastores, poterit quidẽ summus pontifex, vt in cæteris ecclesiæ legibus dispensare, sic enim schola loquitur, poteritque item contrarius populi mos instituta huius generis abrogare. Vt trina immersio, quam ex Apostolica traditione in baptismi sacramento ecclesiam habuisse, Ca-
De con. d. 4. c. Si quis presbyter. non Apostolorum. 49. ostẽdit. per contrariam consuetudinem abolita est. Eiusdem quoque ordinis est quadragesimę ieiunium: ac pœnæ rursum ab Apostolis pro criminibus præfinitæ, quæ. 82. distinct. cap. presbyter. ex concilio Gangrensi referuntur. Ad hoc genus illud refertur, quod ex Anacleti prima epistola hæretici vrgere solent, Peracta consecratione omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere limĩnibus, sic. n. Apostoli statuerunt. Quanquam de ministris, qui Episcopo sacrificanti in diebus solennioribus inseruiebant, Anacletus loqtur. Quare inde colligi nõ potest, omnes eos qui missæ intererant, oportere etiam tunc cõmunionem Eucharistiæ sumere in his præsertim diebus qui solénio res non essent. Sed vt antiquo more Apostolorumque instituto communio totius etiam populi à principio statim nascẽtis ecclesiæ exigeretur, ætate tamẽ Chrysostomi præceptum relaxatum esse constat, & communionem astãtium voluntati permissam, ad quam eos diaconus alta voce inuitabat non cogebat. Hæc enim & alia huiusmodi tametsi ab Apostolis tradita sunt, non sunt tamen ita fixa, vt moueri nõ queant. Cùm Christi ipsius præcepta & instituta, quemadmodum diximus, adeò stabilia rataque sint, vt conuelli nullius hominis auctoritate liceat. Cuius ratio loco superiore reddita frustra hìc à nobis resumetur. Atque illud de institutis ad gubernationem populi pertinẽtibus intelligi volo. Nam dogmata fidei siue Christus ipse per se Apostolis reuelarit, seu Spiritus sanctus post Christi Ascensionem in cælum, mutari non possunt: sed firma hęc in veritate manent perinde atque illa, quæ Christi sunt ore prodita.

¶ *Cap. Sextum, De firmitate & certitudine traditionum Apostolicarum.*

QVibus rebus expositis, non erit difficile ostendere, id quod in hac parte maximè quæritur, ex Christi & Apostolorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorum traditionibus certissima posse argumenta elici, & ad ecclesiæ consuetudines, & ad fidei dogmata comprobanda. Si enim Apostolus Paulus ecclesiæ consuetu-
1.ad Cor.11 dinẽ Corinthijs contentiosis opponit, cur nos itidem ecclesiæ morem ab Apostolis vsque receptum totque seculorum vsu ac gentium consensione probatum, non opponemus hæreticis, cum à nobis scripturam in cuiusque rei confirmationem eflagitant? Certè Paulus, cùm & per scripturas & per naturæ rationem satis dixisse videretur ad eius rei fidem faciendam, quã Corinthijs persuasam esse cupiebat, considerans tamen inter Corinthios fore quosdam, qui illiusmodi fortè & testimoniis & rationibus repugnarent: non aliud potius argumentum ad causam euincendam habuit, quàm si eos ad ecclesiæ morem reuocaret. Si quis, ait, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus nec ecclesiæ Dei. Quod dicit tale est. Si quis adeò est durus & pertinax, vt argumentis positis non adducatur, sed adhuc contendat, fœminam aperto capite orare oportere: hunc ego nó aliter refello, quàm quòd ecclesiæ Dei talem consuetudinem non habent. Tanta vis in traditione est, vt quos nec scripturæ nec naturæ ratio mouisset, eos Paulus existimarit ecclesiarũ more & instituto refellẽdos. In priore rursum
Cap. 6. ad Timotheũ epistola, si quis, ait, aliter docet & non acquiescit sanis sermonibus. Nõ
Cap.1. dicit scripturis. Et ad Gala. Si quis, inquit, vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Quibus ex locis rectè
His comm. caremus : sed refertur locus in Apologia Pãphili. Origenes in commentarijs epistolæ ad Titum definit hæreticum, eum qui se Christo credere profitetur, & aliud de veritate fidei Christianæ credit, quàm habeat traditio ecclesiastica. Et libr. 1. periar. Sicut multis, inquit, apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem desueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postquàm credidimus filium Dei esse Christum, & ab ipso hanc discendam esse persuasi sumus: ita cùm multi sint, qui se putant scirè quę Christi sunt, & non nulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesijs permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. Hactenus Origen. Ignatius quoque in epistola ad Heronem omnis, ait, qui dixerit præter ea, quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat. Si igitur anathema, hæreticus & lupus habendus est, qui ecclesiasticę traditioni repugnat, ex illa profectò certissima argumentatio promitur ad fidei dogmata & ecclesię mores comprobandum. Præterea auctores grauissimi apertè confirmant huiusmodi instituta etiam sine literis accepta eandem vim habere ac si scripta ab Apostolis fuissent, Irenęus libro. 3. aduersum hæreses. cap. 4. & libro. 4. cap. 43. Tertullianus item, quãuis ipse postea ab ecclesię traditione discesserit, in lib. trũ de corona militis eandẽ sentẽtiam habet. Cuius verba libet in præsentia referre: nec enim solùm quid sentiat tradit, sed cur etiam sentiat. Antiquas, inquit, obseruationes ecclesię, si nulla scriptura determinauit, certè cõsuetudo corroborauit, quę sine dubio de traditione manauit. Et statim, cùm quarundam traditionum meminisset, quarum in scripturis mentio nulla est, istarum, ait, & aliarum disciplinarum si expostulas legem, nulla tibi legis traditio prętendetur. Auctrix est consuetudo, confirmatrix est & fidei obseruatrix, idonea est testis traditionis veteris. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege susci pitur: nec differt, scriptura an ratione consistat. Hactenus Tertullianus. Ac præclarè ille quidẽ. Quoniam si legem ratio cõmendat: mos, qui ratione constet, non minùs q̃ lex habet commendari. Dist. 1. cap. consuetudo.

tudo. Basilius insuper in libro de Spiritu sancto. cap. 27. ac magno quidem argumẽto eandem rem confirmat, inquiens, Dogmata, quæ in ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio occulto recepimus. Quorũ vtraq; parem vim habent ad pietatem. Nec in his quisq̃ contradicit, qui sanè, vel tenuiter expertus est. Nam si cõsuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquàm non multum habentes momenti conemur reijcere, & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Hactenus Basilius. Cuius ratio, si auctoritas negligitur, certissimã rei huius faciet fidem. Cùm enim scripturas ipsas ecclesiæ auctoritate recipiamus, nec certiore argumento Euangelium Matthæi nomine inscriptũ ipsius verè esse probemus, quàm quòd sic à patribus accepimus, simili profectò ratione ex reliquis institutis, quæ videlicet ab Apostolis retinemus, firma argumẽta deriuabimus. Quòd si quis nouum librum sacrum ingerat, quẽ
Euse. 4. lib. eccl. hist. c. 8. patres nostri minimè receperunt, vt Basilides, qui prophetas sibi nuncupauit atque
Cap. 7. constituit, is non alio certiore argumento refelli potest, quàm traditione maiorum: vt secundo iam libro latiùs explicatum est. Sic quippe apud Euse. lib. 6. cap. 10. Euãgelium nomine Petri ab hæreticis prolatum Serapion grauissimè exclusit. Atq;, vt Basilius idem argumentatur, etiam in reip. iudicijs, vbi scripturæ deest instrumẽtum, testibus habetur fides. Et sicut in rebus humanis oculatos testes, ita in fide auritos accipimus, quia fides ex auditu est. Esset autem ridicula respublica, quę in iudicijs scripto omnia, nihil sine scripto probaret. Scripturas enim propter litigiosos facimus. Alioqui boni viri solo verbo in veritate & officio continentur. Prętera, multa ad Christianos mores & doctrinam pertinent, quæ è sacris literis non habentur, vt antè nobis constitutũ est, stultum ergo fuerit in omnibus scripturam postulare. Traditione itaque opus aliquando est ad fidei dogmata comprobanda. Rursus, cùm traditiones non scriptas Polycarpus, Tertullianus, Irenæus, Marcioni ac Valentino: Epiphanius Melchisedechianis, Apostolicis, Aerianis: Hieronymus Vigilantio: Augustinus Donatistis: deniq; (vt in summa dicam) omnes sancti aduersarijs Catholicæ fidei fidenter obiecerint, earumq́ue vi, perinde ac si fuissent scriptæ, hæreses sui quisque temporis deturbauerint: certè non minori efficacia per huiusmodi traditiones nos hæreticorum, qui aut nunc sunt, aut etiã sunt futuri, quęcunq; dogmata refellere ac deturbare poterimus. Absurdissimum quippè fuerit, vt Hieronymus aduersus Vigilantium colligit, vnum Lutherum aut Oecolãpadium in ecclesiæ angulo obloquẽtem audire, vniuersos autẽ maiores nostros vsque ab Apostolis conténere. Quorũ traditiones si negligamus, difficile dictu est, quantum religio detrimenti sit latura, quemadmodum dist. 11. cap. Ecclesiasticarum. dicitur. Qualis enim rerum omnium facies erit, qualis præsertim erga Deum pietas, cultus, cæremoniæ, non in ecclesia dico, cuius & mysteria & sacramenta maxima ex parte traditione constant, sed in vnaqualibet republica, vel mediocriter instituta, si mores illi, q à principio statim cum rep. adoleuerunt, contemnantur, labefactentur, euertantur? Longiores hoc loco sumus, quàm necesse est. Quis enim est, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à quibusdam commemorantur? Commemoratur ab his Augustinus in epistola ad Ianuarium, & in altera quoq; ad Casulanum, in quibus scripsit insolentissimæ insaniæ esse disputare, an eiusmodi consuetudines seruandæ sint nec minùs esse eos coërcẽdos, qui has con- *Dist. 11. ca. in his rebus*
tempserint, quanuis humanæ aliquæ illarum sint, quàm si diuinas leges præuaricarentur. Commemorare & alios auctores possumus, sed vtemur in re non dubia testibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

stibus non necessarijs. Paulus enim vnus abundè rei huius facit fidem in.2.ad Thes. epistola.c.2.inquiens, Tenete traditiones, quas accepistis siue per epistolã, siue per sermonem. Parem ergo vim habent Apostolica dogmata,pariterq; retinenda sunt,siue scripto seu verbo ad ecclesiã peruenerint, vt D.Basilius in lib.de Spi. sanct.cap. 29. ex hoc ipso apostoli testimonio argumentatur. Quin apostolus ipse ad Hebræos & ex scripturis & ex traditione argumentatus est,quemadmodum Chryso.hom. 18 in epist.ad Hebr.admonuit. Ex quibus omnibus multisq; alijs perspicuum est,qui traditiones contempserint, eos tanquã hæreticos iure ac merito ab ecclesia fuisse semper explosos. Ita enim hæretici illi sunt habiti, qui solênia quadragesimæ ieiunia ab Apostolis accepta pro nihilo habuere,vt apud Augustinum de hære.c. 53. & apud Cõci. Gangren. in epist.ad episcopos Armeniæ videre licet. Ita qui distinctionem episcopi & presbyteri negarunt, etiam hi hæreseos sunt damnati: vt apud August.eodem lib. & cap. & apud Epipha.libr.3.c. 75. & apud concil. Constãtiense reperies. Ita breuiter, siue Vuicleffistas,siue Lutheranos,siue alias quascunq; antiquiores pestes non minùs exhorruit ecclesia in eo quòd huiusmodi traditiones inficiati sunt,quàm in eo quòd scripta dogmata reiecerũt. Inde adeò venit, vt septima Synodus generalis acti.7.doctrinam nostræ orationi maximè consentaneam ediderit in hæc verba. Fatemur nos ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio. Catholicæ igitur ecclesiæ traditionem obseruantes, definimus sanctas imagines venerandas. Qui ergo ausi fuerint aliud sentire, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contaminare, si episcopi fuerint, deponuntor: si laici,communione priuantor. Et in fine eiusdem sessi. si quis, aiunt patres, traditiones ecclesiæ siue scripto,seu consuetudine valentes non curauerit, anathema. Et concil. Trident. sess.4. idem definit his verbis. Sacrosancta Trident. Synodus prospiciens veritatem Euãgelij salutarem & morum doctrinam contineri in libris scriptis,& sine scripto traditionibus ipsius Christi, quæ ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerũt: traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo,vel ab spiritu sancto dictatas, & continua successione in ecclesia catholica cõseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia cum libris sacris, suscipit ac veneratur. Et posterius, si quis autem traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit. Ne plura. Referri enim decet ad ea, quæ capite.3. posui fundamenta, ex quibus, vt nihil aliud adijceremus, id ipsum, qđ hoc nunc capite persequimur,satis exploratũ esset. Verũm vt singula persequi est operis infiniti: ita quædam explicare fusiùs, est necessariũ. Nec tamen quæ huic loco explicando dedimus,nimis multa videri debent. Quòd enim huic loco vis ab hæreticis maior infertur,eò nobis magis elaborandum erat, vt is quàm diligentissimè & explicaretur & muniretur. Atq;, quẽadmodum supra diximus,ex decẽ partibus,in quas loci Theologici naturam vimq; diuisimus: secunda hæc, quæ in traditione consistit, maximè Theologiam & fidem attingit. Et res tanta paucis absoluenda non erat. Sed iam argumenta ea tandem diluamus,quę capite primo aduersum traditiones opposuimus.

¶ *Cap. Postremum, In quo refelluntur argumenta Cap. primi.*

Ad primũ.

ILlud verò argumentũ, quod est à principio positum, non est difficile refutare. Ridiculũ est enim credere,Apostolicas traditiones

traditiones non eadẽ fide ac diligentia posse in fidelium cordibus asseruari, ac si in papyro scriberẽtur. Nã nec scriptura Spiritus Dei viui faciliùs quàm atramenti deletur, & sunt plerãq; traditiones, quas more & vsu facillimè videas retineri. Quòd si Christi prouidentia ecclesiæ Christianæ deest, tum verò nec traditiones asseruatas ego defendo, nec certam scripturæ auctoritatem. Vtraq; enim iuxtà res sine Dei procuratione non constat. Quam si tollas, neq; traditio, nec scriptura vindicatur. Sed si Christo curę ecclesia sua est,iam non erit ambiguũ, quin quemadmodum Euangelium illa in sensu potiùs quàm in litera custodit, ita & cæteras custodiat traditiones,quas,ei Apostoli tanto perè commendarunt. O Timothee, inquit Paulus, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ. Quem locum miror à Caietano de gregis commissi depositio,non de cõmissa doctrina esse intellectum: præsertim cùm alterum simillimum in posteriore ad Timotheum epistola non de grege, sed de doctrina interpretetur. Debuerat autem Caietanus admoneri Paulum de verbo dei fuisse locutũ ex ijs,que cucstigio subdidit,deuitans prophanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ. Vtraq; enim harum traditioni Apostolicæ aduersa est, & vocũ prophana nouitas,& falsi nominis scientia. Traditio quippè vetustate commendatur: & si quid audieris in ecclesia noui, tũ verò id scias esse,vt antiquitati, ita quoq; Apostolicę fidei contrarium. Cùm autem legis, voces esse vitandas, non tibi vocum sonus veniat in mentem,sed vocum significatus. Dogmata enim sententiasq; nouitias vitare iubet Apostolus,non verborum sonitus inanes aut nouos. Tametsi nouitia quoq; verba,quoad licebit,vitare in fidei morũq; disciplina debemus. Sciẽtiam verò falsi nominis,vel Sophisticen, vel artem Cabalisti cam intellige. Nam traditionibus Apostolicis occultæ illæ Cabalistarum traditiones non aliter opponuntur, ac fabulosa veris, sacris superstitiosa. Quanquam aduersus Gnosticos Apostolus differens, vt verè Theophilactus affirmat,falsam illorũ scientiam traducit, quam tamen illi rudi plebi magno pretio vẽdebant. Quòd si nihil est tam cõtra tradita ab Apostolis antiqua dogmata,q; opiniones in ecclesia tũ nouæ tũ prophanæ,vetera enim eademq; sacra mysteria fides Apostolica probat, aspernaturq; contraria,nihilq; tam est secundũ Apostolos,q; non recedere ab his, quæ olim accepimus, nimirum de verbi,non de gregis depositio Apostolus loquitur. Itemq;, si falsi nominis scientia,vel Sophistice intelligitur,vt quibusdam placet,vel Cabalistica,vt etiam Caietano est visum,vel illa Gnosticorum,vt Theopilacto mihiq; etiam probatum est, necesse est,cùm veræ falsa scientia aduersetur, contrariorum eundem esse sermonem. Quæ,quãquam ita sunt in promptu,vt res confirmatione non egeat,sunt tamen nobis Vincentij Lirinen.viri grauissimi auctoritate confirmanda. Depositum, inquit,id est, quod tibi creditum est,non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti,rem non ingenij,sed doctrinæ: non priuatæ vsurpationis, sed traditionis publicæ: rem ad te perductam,nõ à te prolatam: in qua non auctor esse debes,sed custos:non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias. Custodi, propter inimicos, propter fures. Custodi etiam diligenter, sedulò, fideliter, vt suo tempore cùm oportuerit quibusq; oportuerit reddas. Deuitans prophanas vocum nouitates, id est, sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contrariæ. Nulla quippè hæresis nisi sub certo nomine, certo loco,certo tempore, emersit. Nec quisquam hæresim instituit, nisi qui se priùs ab ecclesiæ catholicæ & antiquitatis consensione discreuerit. Hoc ergo apud omnes hæreses legitimum fuit atque solenne, vt prophanis

1.ad Tim.6

Καινοφωνίας. noster legit interpres, quem admodũ & Ambro. & Chrysost. legisse uidentur. Certè Latina ecclesia nouitates legit non inanitates, Sic etiã Basilius ubique legit, ut autor est Theop. 2. Tim.2.inilud propha na autẽ & uaniloquia deuita, et in hunc ipsum locũ. 1. Timo.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant. Contra verò catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum patrum & commissa seruare, damnareque prophanas nouitates. Ita enim in concilio Ephesino omnium patrũ vna fuit vox, vt quod erat antiquitus traditum teneretur: quod adin uentũ nuper explodereretur. hacten⁹ Vincẽ tius. Huius verò Apostolici testimonij tan ta vis aduersum Hæreticos fuit, vt Clemẽs Alexan. 2. strom. lib. scribat, Hęreticos, quo niam eo testimonio euincebantur, epistolas Pauli ad Timoth. explosisse. Vt eò igitur, vnde digressa est, se referat oratio: non fuerunt maiores nostri in re tam necessaria negligentes, sed quod Apostolus Timotheo & in illo magna cura commisit omnibus: id magna etiam illi cura seruarunt. Itaque in primo illo argumento Lutherani haud secùs ratiocinantur, ac si non diuinitus res ecclesiasticæ gererentur. Quòd si ita pergunt, pari ratione suadebunt, nec canonicos libros quidem eosdem mãsuros semper, sed, si placet, etiã perituros. Nam quot libri tineas pascunt blattasq; diserti? Quot auctorum monumenta hominum incuria intercidêrũt? Nimirũ enim Pythagoras quoq; ipse, vt Lysias Pythagoricus ad Hip parchum scribit, cómentariolos quosdam Damæ filiæ testaméto reliquit: qui tamen, ac multò etiam magis quàm traditiones, interiere. Quæ cùm ita sint, verendum non est, ne Apostolorum instituta, quæ digito Dei non in tabulis lapideis, sed in ecclesiæ visceribus scripta sunt, humana obliuione deleantur. Ac de primo quidem argumento satis multa diximus, vereor etiam ne nimis multa.

Ad secundum. At secundò ita respondeo. Non vult Augustinus, dicta factaq; Iesu ab Euangelistis scripta, ad salutem fidelium & doctrinam esse satis. Alioqui epistolę apostolicæ, Apostolorum acta, liber Apocalypsis, totum etiam legis veteris instrumentum superuacanea esse, non necessaria viderentur. Sed hoc vult, non fuisse opus ad fidelium salutem, vt ex dictis factisq; Iesu alia scriberentur, quàm quæ scripta sunt. Hæc enim scribere satis fuisse, reliqua ab Euangelistis sine culpa prætermissa. Nam quòd rursum nobis Augustinus obijcitur, facilis est & prompta defensio. Quæ enim vsu & more ecclesiæ tenemus, ea nõ modò non sunt obscura, sed adeò sunt aperta, vt de ijs disputare insolentissimæ insaniæ esse idem Aug. existimarit. Cũ ergo ait, vbi de re obscurissima disputatur. &c. satis indicat, se de his loqui nullo modo, quæ ecclesiæ instituto & traditione cõstant. Alioqui illud nobis aduersarij expediãt velim, quod Augustinus idẽ lib. con. Cresco primo. ca. 33. disertè tradit in hęc verba. Quanuis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exẽplum, earũdem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis teneretur veritas, cũ hoc facimus quod vniuersæ iam placuit ecclesię, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. Vt quoniã sancta scriptura falle re non potest, quisquis falli metuit, eãdem ecclesiam cõsulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.

In epist. Cæsilia.

Ad tertiũ. Iã verò Apostoli testimoniũ peruersè nobis opponitur. Nã hominẽ Dei ecclesię doctorem hîc Paulus appellat, qui per literas sacras ad omne ministerij sui opus instruitur. Quatuor quippè sunt res, quas verbi sacri administer præstare debet: nempè docere, arguere, corripere, erudire. Quę vtique omnia doctoribus Euangelij scriptura diuina suppeditat. Quòd si quisquam contendit, generaliter hunc locum intelligendum, huic non maximo equidem operę repugnauerim: concedat mihi modò, scripturas non singulatim & in specie semper de rebus vniuersis præcipere. Si enim specialiter scripta sunt omnia, quid illud est, cętera cùm venero disponã? Quid illud rursum, plura habens vobis scribere, nolui per charta & atramentum: spero enim me futurum apud vos & ore ad os loqui? Scriptura itaque diuina non de ijs solùm instruit, quę scripta sunt: sed de ijs etiam, quę non

2. Thess. 2. sunt scripta. Tenete inquit Paulus, traditiones quas accepistis, siue per epistolas, siue per sermones. Et in hoc ipso. 3. capite posterioris ad Timo. epistolæ, cuius nos testimonio impetimur, cùm dixisset Apostolus, tu autem assecutus es meam doctrinam & institutionem, quibus verbis vtrũq; genus disciplinæ cõplexus est, & quod scripto, & quod instituto cõtinetur, mox subiungit: tu verò permane in his quæ didicisti & credita sunt tibi. Didicerat enim sacras literas Timotheus, vt ibidem tradit Apostolus, & præterea mysteria Euãgelicæ doctrinæ concredita acceperat, vt cap. 2. dictum erat, & cap. 6. prioris ad eundem epistolæ. Non ergo eo loco traditiones excludit Apostolus, sed potiùs commendat.

Ad 4. Sanè verò quod argumentum ex Deu. 17. cap. Lutherus addit, hoc nullius prope modũ est momenti. Legem enim nos non in chartis solùm papyraceis scriptam accepimus, sed eam magis, quæ in visceribus inscripta est. Nec adeò rudes sumus, vt apud nos lex verbo tenus tradita legis nomẽ minùs habeat, quàm ea quæ literis editur. Fatemur ergo sacerdotes non esse audiendos nisi docuerint iuxta legẽ domini. Sed qui instituta Apostolica ecclesiæ tradunt, ij vel maximè docent nos iuxta legem domini. Qui verò contra ecclesiasticas traditiones pugnant, hos cum lege domini pugnare contendimus. Qua ex re Caluini calumnia facilè obteritur. Accusat enim ecclesiam, quasi traditiones contra sacras literas inuexerit. Dicitur enim Deut. 12. ne requiramus alias in colẽdo Deo cęremonias præter eas, quæ lege pręceptæ sunt, nec his quicquam vel addamus, vel minuamus. Et Salomon ne addas, inquit, quicquam verbis Dei, & arguaris inueniarisque mendax. At verò quanuis traditiones ecclesiæ quædã essent scripturæ sacræ additamenta, non tamen sunt illæ verbo Dei additæ. Quin potiùs diuina verba sunt, non aliter ac illa, quæ sacris libris scripta sunt. Non enim in præsenti de traditionibus differimus, quæ à posteris ecclesiæ præfectis prodierunt: quas alterius loci & temporis est defendere. Sed de Christi & Apostolorum traditionibus disputatio est: quas hîc nos, vt diuina oracula, iure vereq; tuemur. Nec traditiones etiã huiusmodi diuinarum scripturarum sunt additamenta: sed complementa sunt potiùs, & earum quasi commentaria. Alioqui accusentur prophetæ, q̃ legi Moysis quippiam addiecerint. Accusentur Apostoli, qui epistolas addiderint Euangelijs, asineq; & pulli simplicitatẽ suis appositè vestimentis ornarint. Accusa item, si placet, eosdẽ: qui decretum de idolothitis sanguine & suffocato sanxerint, ac canones quoque aliquot ediderint, qui in sacris libris scripti non sunt. At non sunt istæ, vt diximus, scripturæ additiones, sed interpretationes. Quemadmodum aduersus Græcos in conci. Floren. sess. 4. 5. 6. & 7. latiùs explicatũ est. Qua etiam ratione ecclesiasticas & doctrinam & leges instituta q; salutaria defendimus. Non enim ecclesia his edendis aut noua fundamenta iacit, aut nouas fabricas addit: sed superædificat super fundamentum Apostolorum & prophetarum aurum, argentum & lapides pretiosos: regniq; cœlorum semina reddit non alia, sed eadem auctiora, vt Euse. 3. libr. Eccles. histo. c. 37. dixit. Atq; nos itidem hãc eandem doctrinam lib. 7. c. postremo, si vita supersit, locupletabimus. Nunc de. 4. argumento dictum est satis. *Ad quintum.* Ad quintum respondeamus. Chrysostomus porrò, siue quis alius est auctor, non ait, scripturarum veritati, quod hæretici citare solent, sed nisi ea dixerint, quæ conuenientia sunt veritati. Quanquam, qui traditiones Apostolicas docent, ij re vera ea dicunt, quæ congruunt scripturarum etiam veritati. Quod verò de Papiæ traditione nobis opponitur, id ab Eusebio refellitur tertio libro Eccles. histo. cap. vltimo. Vbi ait Papiam, vt qui exigui sensus vir & minus capacis esset, spirituales & mysticas Apostolorũ traditiones corporaliter & secundùm literam suscepisse. Non ergo si vnus aut item alter tradi-

Pro. 30.

1. Cor. 13.

Ioan. in 2. epist.

Universidad de Deusto
Biblioteca

traditionum Apostolicarú prætexerit auctoritatem, fidem nos statim habere debemus. Nam & nonnulli sacras literas præferunt, quos iure ac meritò explodimus.

Quoniam sacrarum literarum testimonijs abutuntur. Eodem quoq; modo Irenæus potuit à Papia & alijs discipulis Ioannis discipi in ætate domini saluatoris, credidit eũ, nec discusit an vera dicentibus crediderit.

In.11. libr. Adó.7.ct.8 Sed de hac re disseremus postea diligẽtiùs.

Theophili autem, Hieronymi, Origenisq; testimonijs non est cur pluribus respondeamus. Nam aduersum eos loquuntur, qui vel humana commẽta sacris etiam literis aduersa, vel historias quasdam apocryphas tanquam res diuinas & certas posteris venditabant. Alioqui si Hieronymus (huius enim testimonium vrgentiùs præmunt) non existimabat quicquam esse credendum nisi quod sacris literis esset proditũ, qua fronte aduersus Luciferianos, Vigilantium, Eluidium, traditionum auctoritate argumentatur?

Caluini porrò confirmatio quàm friuola sit & planè ridicula, faciam vt nullo negotio intelligant ij, qui mecum eam paulum expendere volent. Equidẽ eum quoque hortaret, vt huc animum seriò aduerteret, si quid docendo proficere me apud illum posse confiderem. Sed quando Luthe ranis, omissa veritatis ratione, hoc vnum propositum est, quacũq; possunt via rem suam agere, pauca tantùm dicã, quibus sese boni ac veri Theologi ab eorum captionibus expedire queãt. Primùm autem Ioachimus Camerarius non, plenè, sed, planè, habuit in hũc modum. Euãgelia enim. &c. planè instruũt nos de sensu numinis. Deinde, vt quemin modum Caluinus citat, nos quoq; legeremus: nihil affertur tamen. Nã cùm scripturæ ipsæ & ecclesiæ magisteriũ & traditionum auctoritatẽ nõ obscurè cõmendent, profectò de sensu numinis plenè nos instruunt. Docent enim sensum numinis siue scripto seu verbo traditum iuxtà esse tenendum. Quid? Quòd concitatæ & ineruditæ cõcionis esset, statim in prooemio verba dicentis retundere, eius præsertim, qui bona fide loqueretur? An mox cieri turbas æquum esset, & id imprudenter anteuertere, quod erat in concilio magna vi & contentione transigendum? Illud enim Ariani præscripserant, vt capite primo ostensum est, sese in fidei quæstione præter scripturas nihil omninò recepturos. Consueuerũt autem synodi patres quæ obiter ab vnoquolibet dicuntur, qui non sit fidem facturus concilio, ea prudentissimè dissimulare: quò res, de qua potissimùm agendum est, suo & loco & tempore commodiùs agatur: quemadmodum nobis, libro posteà quinto explicandũ est. Nec Nicæni patres omnia ea quæ Constantinus dixerat, amplexi sunt: sed cùm monuisset, vt hostili posita discordia quæstiones explicarentur, & omnes cuperet confiteri Apostolicorum dogmatum vnitatem: his, inquit Theodoritus, assensus maximæ partis accessit, interq; se concordiam & sanitatem dogmatũ constituerunt. Pauci tamen. &c. Ex Constãtini igitur testimonio synodiq; silentio nihil omninò conficitur. Præterq; etsi literis sacris disputatio esset instituenda, sensum earum tamen non ex ipsis literis mortuis, sed ex viuę vocis traditione oporteret accipere: ita traditionis semper vsu & auctoritate indigeremus. De. 8. igitur argumento hactenus.

Traditiones autem Apostolorum, de *Ad. 9.* quibus agimus, humanæ non sunt, sed diuinæ. Itaq; qui eas docent, hi non docent doctrinas hominum. Quæ omnino doctrinæ, vel Dei præceptis contrariæ intelliguntur, iuxta illud, quod dominus Mar. 15 dixit, quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras, vel otiosæ quædam & vanę traditiones: qualis erat illa de manibus à prandio abluendis, quę ad manuum quidem purificationem vtilis esse fortasse poterat, ad Dei certè cultum non poterat. Quam ob causam rectè per Isaiam dominus dixerat, sine causa autem colunt me.

Ad. 10. Decimum verò argumẽtum instantiùs equidem presi, vt in hac responsione explicaretur, inter hæreticorum & catholicorum traditiones maximum esse discrimen. Hæretici enim mysteria sua mulierculis & idiotis homunculis produnt. At catholici mysticas & sacras ecclesiæ traditiones mulierc ularum homuncionumq; vulgo prodere, piaculi loco habent. Cuius rei causæ, quoniam capite tertio sunt redditæ; illinc lector assumet, quæ ad hũc locum pertinebunt. Hæretici rursum secretas illas traditiones suas à viris doctis præsertim ijs, qui ecclesijs catholicis præsunt, abscondere solet. Catholici contrà, iuxta quod Apostolus præcipit, Christianæ disciplinæ mysteria, ijs solùm committit, qui idonei sunt & alios docere. Quare doctrinæ depositum publicum est, vtpote quod reip. magistratibus

1. Tim. 6. commendatur. O Timothee, inquit, O episcope, qui ecclesiæ & præfectus & doctor

2. ad Tim. 2 es, depositum custodi. Et rursum, quæ audisti à me, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Atq; illud animaduertendum est diligentiùs, q non clam in angulo & priuatim hoc depositum Timotheo commissum est, sed coram multis testibus, vt res nõ priuatæ vsurpationis, non clandestinæ furtiuæq; doctrinæ: sed publicæ traditionis, disciplinæ manifestæ sineq; dolo intelligeretur. Quod qui parum perspiciunt, hi non satis expediunt, quemnam sensum locus ille habeat, ego in occulto locutus sum nihil. Doctrina quippe Christi, in qua nihil fucatum, nihil fictũ, nihil fraudulentum est, sed omnia syncera, vera, simplicia, nihil habet omninò tectũ, penetrale, tenebricosum. Hoc quoniam hęretici habẽt, eorum doctrina occulta rectè dicitur. Quemadmodum ciuis quisque tum quicquam reip. occulere dicendus est, quum quæ magistratibus reuelanda sunt, ea non illis planè, sed priuatis hominibus furtim prodit. Nam, qui quæ populo vulganda sunt, ea populo inuulgat, quæ contrà solis reip. magistratibus expedit aperiri, solis quidem magistratibus, sed apertè tamen manifestat, hic nihil prorsus occultè gerit. Non itaque nos hæreticorum more mysteria occultamus, sed Apostolorum instituto ea vulgo celamus, maioribus aperimus: quæ maiores scire decet, vulgus scire non decet. Quid igitur sibi vult, inquies, quæ in aure auditis, prædicatæ super tecta? Quod enim super tecta prædicatur, id in vulgus effertur. Enimuero quo tempore dominus hoc discipulis præceptum edidit, nondum eis aperuerat sensum, vt intelligerent scripturas: nondum per dies quadraginta locutus illis fuerat de regno Dei, id est, de reipublicæ Christianæ administratione, nondum spiritum miserat, qui doceret ea, quæ viuente Christo portare non poterant: eam partem Euangelicæ disciplinæ tradiderat, quæ ad omnes fideles pertineret: eas leges, quas vulgo etiam notas esse expediret. Huiusmodi igitur præceptum dominicum est. Quod audistis in mysterio, apertùs prædicate: quod dicebatur absconditè, publicè loquimini: quod vos erudiui, vel in monte, vel intra domũ, in vrbibus audacter dicite. Sed temporis rerumque ratio habenda est. Nam habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modò. Ea cùm vobis edixero, alia videlicet lex erit. Nolo illa prædicetis super tecta, nolo vulgo annuncietis. Eadem enim vobis celandi causa tunc erit, quæ mihi nunc est: quod vulgus portare non poterit. Scio Clemen. Alexand. 1. Strom. lib. de arcanis traditionibus, quæ in aurem editæ sunt, hunc locum intelligere. Quas exponit super tecta prædicandas, id est, excelsè & excellenter. Sed mihi id, quod dixi, multò probabilius apparet. Nam & nostrum hũc sensum illud habet, Ego semper docui in Synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. *Matth. 5. 6. & 7.*

Decimum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimum igitur argumentum cofutatum est satis.

Ad. 11. At vndecimum, quoniam tertiodecimo huius operis libro est nobis diligenter explicandum, non est animus in præsentia refellere. Tantùm sunt lectores admonendi id quod Lucianus martyr apud Euseb. 9 lib. Eccle. histo. cap. 6. fusè eruditeq; persequitur, nos Christianos non humanæ alicuius persuasionis errore constringi, nec indiscussa, vt alios, parentum traditione decipi: sed auctorem nobis institutionis & doctrinæ Deum esse, quo magistro iure ac verè gloriamur. Sed de his plurà aliàs. Nunc postremum argumentum diluendum est.

Ad postremum. Sed & eius argumẽti confutatio, vt quę ad tertiumdecimum quoque librum referenda est, breuissima hoc loco erit. Sanè Iulianus Apostata Christianis obiecit irrationalitatem & rusticitatem sapientiamq;, vbi nihil esset aliud præterquàm credere. Huic verò obiectioni Gregorius Nazã. respõdet in prima aduersus Iulianũ Stelitentica, non alienum esse, à suis philosophis, quos ille tantoperè admiratur, vt hac specie doctrinæ vtantur. Siquidem primum & maximum Pythagoræ præceptũ erat, vt si quis discipulos suos de dogmatibus interrogasset, aut eorum rationem aliquam exegisset, nihil aliud respõderent, quàm quòd ita visum fuisset Pythagoræ. Essetq; illa dogmatis ratio inculpabilis. Ita ergo, ac multò etiã magis, exigit ratio, ne fidẽ nos denegemus ijs, quæ à diuinis dicta sunt hominibus, habeaturq; pro rationis demõstratione fidẽ digna illorum relatio omni vi rationabili & irrationabili validior. hactenus Grego. Vbi certè non videtur Grego. horrere, id quod in argumento quasi absurdum refellitur, disciplinam nostram esse similem Pythagoricæ, aut hanc potiùs nostræ esse similem. Sed esto, diss imillima sit, cur magis argumentum illud contra doctrinam verbo traditam quàm aduersum eã pugnet?, quæ literis prodita est? Nimirum enim vtrãq; credimus, & vtriusque, si possumus, conabimur reddere rationem. Reddemus autem, si dominus vitam concesserit, multas maximas atque grauissimas quo sumus loco polliciti. Nam locus hic concludi iam potest. Ac de secundo quidem argumentorum fonte diximus. De octo autem reliquis latissimè patet disputãdi ratio: sed nos, quoad poterimus & licebit, in breues angustias contrahemus.

Tertij Libri finis.

DE ECCLESIAE CATHOLICAE AVCTORITATE, QVAE tertio loco continetur, Liber quartus.

¶ *Quibus argumentis Ecclesiæ auctoritas impugnetur. Cap. primum.*

TErtia huius operis pars perfecta est, quam Theologis cupio esse notissimam. In quarto nunc libro auctoritatem Ecclesię explicare ac tueri debemus: de qua ita copiosè à viris Ecclesiasticis disputatum est, vt vna hac de re magna etiam volumina ediderint. Quorum consilium quale fuerit, nihil sanè ad hoc tempus. Illud autem est huius institutæ scriptionis ac temporis, de ecclesiæ auctoritate in fidei iudicio disserere, atq; adeò id docere breuiter, an ex fidelium cõmuni sensu firma duci argumẽta possint ad dogmata Theologię comprobãda. Ac Montanus quidẽ discipulis suis primus suasit, vt nihil reuerẽtiæ deferrent ecclesiæ, quæ per orbẽ terræ est, quẽadmodum Apollinaris Eusebiusque testati sunt. Nestorius deinde totam ecclesiam errare affirmauit, quæ ignaros, sic eũ aiebat, erroneosq; doctores sequeretur, vt Vincentius Lirinẽsis retulit. Et Iconomachi pòst asseruere, ecclesiã adorãdis imaginibus diu ac multùm in turpi errore versata tam, quod synodus septima in actione sexta tradidit. Nã & Donatistas & Rogatianos ecclesiæ catholicæ auctoritatem non voce illos quidem, sed re ipsa tñ contẽpsisse: Augustinus scripsit cũ aliàs sæpè, tum in epistolis. 48. ad Vincẽtium. 50. ad Bonifaciũ. 161. ad Honoratum. Et, ne omnes cõmemorẽ, Lutherus demũ suum Vuicleff secutus est, ecclesiamq; cum in alijs tum in eo errare dixit, quòd sub vna specie contra Christi legem communionem tribuit laicis. Quin astruxit aliquando, si vera Coclæus perhibet, errasse illam mox ab initio, vt quæ Paulo repugnante senserit, legem & opera esse necessaria ad salutem. Breuiter hæreticis omnibus hoc gentile est, simulatq; sese ecclesiæ auctoritate vrgeri vident, aut illam spernere, aut ecclesiæ rem ad se nomenq; transferre, & eam in illis esse negare, in quibus re vera est. Vtrunque horum, quoniam ambo in vnum idemq; recidunt, plurimis argumentis hæretici persuadere conantur.

Illud Pa... nis in ... meo, ... non po... ut Deum ... filijs ... nos ... tur, ... absque ... existim... cant ... stratũ ... luc ... fert Cir... Alexa... Sirmon... Ac ... placuit ... detur ... gorius ... sentia ... degenera... se.

Actio. 15. Actio. 15. ubi præscriptũ est, abstinere à sanguine & suffocato necessariũ esse.

Primum est huiusmodi, Aarõ summus ipse sacerdos alijq; ex plebe siue maiores, siue minores vitulũ conflatilẽ adorarunt, eiq; obtulerunt hostias pacificas & holocausta: ecclesia ergo Christi ad eundem modum poterit sculptile & imagines adorare. Id si faciat vt facit, errabit sine dubio in fide ac religione turpissimè. 1. Argum. Exo. 32.

Rursum, ecclesia Isaiæ Hieremiæq; tẽporibus in vnius veri Dei cultu lapsa est, quid igitur prohibet, quò minus & nũc in Deo vno veroq; colẽdo erret? Eadẽ quippe ecclesia est, nec in hac re vllum reperietur populi noui veterisq; discrimẽ. Quod verò est huius argumẽtationis antecedẽs, id eorũdem prophetarum clarissimis testimonijs existimant se ostendere. Cognouit bos, prior ille inquit, possessorẽ suũ, & asinus præsepe dñi sui, Israel autem me non cognouit, &c. A planta pedis vsq; ad verticẽ capitis nõ est in eo sanitas. Et posterior, Confusi sunt, ait, domus Israel: ipsi & reges eorũ principes & sacerdotes & prophetæ dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuisti. Et paulò pòst, Quid vultis mecũ iudicio contẽdere? Oẽs dereliqui- 2. Argum. Isa. 1. Hiere. 2.

1. Libr. aduer. Cataphri.
3. Lib. Eccl. hist. c. 16.
In libr. de propha. nouã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hiere.5. stis me, dicit dominus. Item, Circumite vias Hierusalē & quærite, an inueniatis virū facientē iudiciū & quærentem fidem: & propitius ero ei. Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt & stulti, ignorātes viam domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, ipsi enim cognouerunt viam domini. Et ecce magis hi confregerunt iugum, &c. Totaigitur ecclesia eo tempore errabat.

3. Argum. Præterea ecclesiam non oportet digito demonstrari: quin nulla apparente forma consistere in occulto potest. Frustra autem eius iudicium expectes, quam, quæ sit, penitus ignores. Illud suadent, quoniam in populo Iudæorum sic sæpe ecclesia deformata est, vt nulla eius species extaret. Quam enim putamus formam eminuisse, cùm Helias solùm se relictum deploraret? Quam, cùm populus ille apud Babylonios, Persas, Aegyptiosque dispersus sine sacerdotio, sine templo, sine sceptro, gentibus ac dijs alienis in terra aliena seruiret? A Christi ergo aduentu deformis etiam latere ecclesia poterit: bellisque seditionibus & hæresibus ita opprimi, vt nulla parte refulgeat.

4. Argum. Et sanè suo tam seculo Hilarius latentem ecclesiam potiùs credebat, quàm cernebat. Adeò Ariana factio omnia miscue
Contra Auxentium. rat. Malè, inquit, vos parietum amor cepit: malè ecclesiam Dei in tectis ędificijsq; veneramini: malè sub his pacis nomen in-
2. Tes.2. geritis. An ne ambiguum est, in ijs Antichristum esse sessurum? Mōtes mihi & sylue & lacus & carceres & voragines sunt tutiores: in his enim prophetæ aut manentes aut demersi prophetabant. Quibus ille verbis modestè ac verecundè significat ecclesiam Christi non in episcopis, non in sacerdotibus, non in templis, non in populi
Hebr. 11. frequentia, sed in pijs esse quærendam: qui interdum prophetarum more, vel in agro locisq; desertis errant, vel in syluis abstrusi sunt, in speluncis & in cauernis terræ.

5. Argum. Quid, q̄ sub diuersis pontificibus diu schismate perdurante nulla interim ecclesiæ facies apparuit? Manifestam porrò ecclesiam si eius seculi fideles requisissent, nec aliam crederēt, q̄ quæ oculis cernerētur humanis, nullā profectò inuenissent. An verò tunc nulla fuit, qm occulta fuit?

6. Arg. Atq; vt antehàc ecclesia dilucidè clareq; resplēduisset, qui scimus tamē an post hàc veram semper genuinamq; formā sit habitura? Nimirum enim, si præteritis seculis ita dominus populi sui facinora vindicauit, vt eum & absurdissimis mendacijs ludi & altissimis tenebris offundi passus sit: cur non timeamus, ecclesiam Christi etiam num cæca nocte crassaque caligine adeò occultari & circūfundi posse, vt nulla eius vera facies effulgeat? Quasi verò iā nulla sint domini iudicia, vt eōdem pœnę genere mundum hodie puniat, quo populi veteris ingratitudinem aliquando vltus est. Nempè, vt pastores atq; oues stupore ac cæcitate percutiat, ecclesiæq; suæ exteriorē notitiam ab hominū aspectu auferat. Hic videlicet hæretici quasi re confecta insultāt, nosq; miris modis irridēt, qui gloriemur in verbis illis, Templum dñi, templū dñi est. Trāslata, inquiunt, Samaria est: Hiere. 7. & cùm Hierusalē externis laruis inhærēs templi, ceremonias, sacerdotium, sacramēta, scripturasq; iactaret: & ipsa quoq; trāslata est. Ita, quod ā orientali ecclesiæ accidit, idem occidentali poterit: vt forma eius, vel in fumos abeat, vel certè omninò delitescat. Ecquis aūt fidē fecit, aut peccata nostra q̄illorum esse leuiora, aut Deum in nos quēadmodū in illos non esse animaduersum? Præsertim cùm non obscurè vaticinetur Apostolus, vēturam in ecclesia defectionem: quæ vtiq; venire non potest, dū vera ecclesiæ forma & facies extiterit. 2. Thes.2. Qualis autem hæcillo erit tēpore, de quo dominus ait. Veruntamen, filius hominis veniens, putas, inueniet fidē in terra? Qualis, inquam, erit, cū deficiēt hostia & sacrificium? Qualis demum cùm, vt Ioānes scribit, putei fumus solē & aērem obscurabit?

Luc. 18. Dani. 9. Apoc. 9.

Qua

Qua ex re nihil sanè aliud intelligitur, q̄ ecclesiam vsqueadeò nostra hac ætate obscurandam: vt nisi in tenebris inueniri non queat. Quid autem externam ecclesiæ faciem fulgoremq; defendimus, cùm omnis
Psal. 44. gloria filiæ regis ab intus? Quòd si intuisa & occulta ecclesia est, inexploratū quoq; & incertum erit, quod sumetur ex eius auctoritate argumentum.

7. Argum. Præterea, ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur, soli autem Deo notus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus: ecclesia igitur nobis abdita omnino & incognita est. Prior illa propositio, in qua difficultas tota inest,
Lib.5. con. Donat.c.17 suadetur in primis Augustini testimonio disertis verbis asserentis ex numero solùm
Cant.4. prædestinatorum, qui in occulto sunt intus, constare hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ viuæ, paradisum cum pomorum fructibus. Nemo verò fidelium dubitat, ecclesiæ Christi hæc propriè esse attributa omnia. Sed ne ambigi quidem potest, quanuis non ita Augustinus exponeret, in horto concluso & fonte
2. Tim.2. signato non alios intelligi atque eos, de quibus scriptum est. Firmum fundamentum Dei stat, habēs signaculum hoc, Nouit dominus qui sunt sui. Probat quoque
Lib.5.c.18. 1.Pet.2. eandem rem Augustinus ex eo quòd Petrus arcam ecclesiæ typum esse dixit, in qua octo animę saluæ factæ sunt per aquā. Non ergo nisi ij, qui seruantur, intra arcam esse existimandi sunt. Nam Christus non est alterius ecclesiæ caput, nisi eius, cuius saluator est, & quam sibi exhibet gloriosam, vt ad Ephesios docet Apostolus.
Ephe. 5. Si ergo, q nec salui, nec glorioſi futuri sunt, non sunt eius ecclesiæ partes, cuius Christus caput est. Deinde, è filijs Dei ecclesia conficitur, vtpotè cùm non aliorum sit ecclesia mater ac eorum, quorum Deus pater est. Hos autē verè filios Dei esse liquet,
Rom.8. qui paternam hæreditatē percepturi sunt. Si filij, inquit, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Oui-

le item Christi non nisi ex Christi ouibus constituitur: at oues Christi illæ modò sunt, de quibus ipse ait, oues meæ vocem
Ioann.10. meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Ioan
1.Ioan.2. nes denique Euangelista de quibusdam, qui ab ecclesia exijsse videbantur, cùm re vera nunquàm fuissent in ecclesia, Ex nobis, ait, prodierunt: sed non erant ex nobis. Quid ita? Quia si fuissent, inquit, ex nobis: permansissent vtique nobiscum. Non igitur ex ecclesia sunt, nisi qui in susceptā gratia permanent. Atque hunc locum, quoniam in promptu erat, Augustinus in libr. de corre. & gra. cap. 9. & de
De pœni. d. 4. cap. si ex bono. bono perseu. cap. 8. de prædestinatis intelligit, scilicet Hieronymum secutus in dialogo aduersum Luciferianos.

8. Argu. Ad hæc, veram Christi ecclesiam perfectam esse & immaculatam oportet. Tota
Canti.4. enim pulchra est & macula nō est in ea. Et
Canti.6. rursum, vna, ait, est columba mea, perfecta
Ephe. 5. mea. Et Apostolus quoq; ipse sine macula eam ac rūga describit. Et Isaias non adij-
Isa. 52. ciet, inquit, vt pertranseat per te incircumcisus & immundus. Ecclesiam verò immaculatam cernere, cuius membra nonnihil impuritatis habeant omnia, quàm inane ac fabulosum est? Nulla igitur eiusmodi nunc temporis extat ecclesia. Illo solùm
1.Ioan. 3. tempore extitisse videtur, cùm verè à Ioanne scriptum est, Omnis qui peccat, non cognouit eum. Et omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Quòd si vniuersos, qui Ecclesiasticæ societatis participes sunt, necesse est sine peccato & macula existere: aut nulli profectò sunt, aut occulti nobis & incogniti sunt. Quod Apostolus videtur affirmare, cùm ecclesiam Christi à Synagoga discernens, non eam sensilem & tractatam, sed spiritualem intractatamq; describit, nempè ex solis perfectis prædestinatisque constantem. Non accessistis, ait, ad tractabilē mon-
Hebr.12. tem, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, & accensibilem ignem, sed ad Sion mõtem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalẽ cælestem, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum.

9. Argum. Addẽ, quòd ecclesiam non quamlibet, sed sanctam fideles tenẽtur credere. At in sancta cõgregatione non nisi sancti intelliguntur. Filij sapientiæ, inquit, ecclesia iustorum. Quòd si homines aliquot demõstres, quorum vel vnus, iniquus sit, falsò dixeris hos esse æquos. Quẽadmodum si ex decem viris vnus sedeat, cæteris licèt currẽtibus, decem currere falsum est. Est quoq; altera causa eiusdem rei vehementissima, qp si mali membra ecclesiæ sunt, membra etiam Christi erunt. Sunt autem haud dubiè membra diaboli. Quare & ijdem ciues Hierusalẽ ac Babyloniæ simul erũt, & mẽbra quoq; simul Christi & diaboli. Quod absurdius aut dici, aut excogitari põt? Nisi fortè societas est luci ad tenebras, cõuentio Christo ad Belial. Mẽbra certè corporis eiusdem sibi vicissim cõtraria esse nõ queunt, at cõtra bonum malum est, cõtra vitam mors, & cõtra virum iustum peccator, vt Sapiẽs ait, non ergo iustus & peccator ecclesiastici sunt corporis mẽbra. Docet itẽ Aristoteles Auctor sentiendi grauissimus, cui etiam Diuus Thomas assentit, membra mortua non aliter esse membra atque ea, quæ picta & figurata sunt: peccator ergo, cùm mortuus sit, membrum ecclesiæ & pars verè ac propriè non est, sed æquiuocè ac figuratè. Præterea vnus panis & vnum corpus multi sumus, quemadmodum in priore ad Corinthios epistola Apostolus tradidit: cõstat autem, vt acutè Cyprianus ad Magnum argumentatur, panem ex multorũ granorum adunatione congestum: peccatores ergo, qui paleæ sunt, sicut nec in panis, ita nec in corporis ecclesiæ cõpositionem veniunt. Id quod Augustinus non obscurè testatur, atq; ita multis in locis, vt de iudicio eius dubitari non possit, quin hãc habuerit firmam perpetuamq; sententiam. Libro enim contra Petilianum secundo, Nec putãdi sunt mali, ait, in Christi corpore esse, quod est ecclesia, quanuis sacramentorum eius corporaliter participes fiant. Item libro contra Cresconiũ secundo, Qui mente, inquit, peruersa videtur intus esse, cùm foris sit, ab ipso Christo iã iudicatus est. Et posterius, Etiã nesciente ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo iam in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia, quoniam nõ potest habere Christus membra damnata. Proinde & ipsi extra ecclesiã baptizant. Omnia quippe ista monstra absit omninò, vt in membris columbæ illius vnicæ computentur. Loquitur autem dubio procul de fidelibus peccatoribus, vt ex antecedentibus & consequentibus liquidò apparet. Item libro de vnitate ecclesiæ affirmat, malos in ecclesia minimè deputari. Item libro quarto de baptismo contra Dona. & libro sexto disertè etiam affirmat, qui contra Christi mãdata faciũt, eos ad illã ecclesiam non pertinere, quã Christus mũdat lauacro aquæ, & de qua scriptũ est, vna est columba mea. Et libro septimo ait, malos non pertinere ad compagem domus, quæ est ecclesia, atq; haud secùs in domo esse, q̃ palea dicitur esse in frumento. Sed & in eodem libro Cyprianum refert in epistola ad Magnum huius sententiæ non solùm auctorem, sed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophetico testimonio, Qui habitare facit vnanimes in domo. Quibus igitur nec vna anima, nec vnum cor in domino est, hi in ecclesia, quæ domus Dei est, nullo modo habitant. Et Hieronymus, Ecclesia, ait, Christi non habet maculã, nec rugam. Qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari. Possibile est autem, vt peccator currat ad medicũ, & curentur vulnera ipsius: & fiat de ecclesia, quæ corpus est Christi. Quòd si ecclesiam, cuius auctoritati deferimus, sanctam esse necesse

Ecclc. 3. 2. Cor. 6. Ecclc. 33. 2. De ani. tex. 9. 1. Cor. 10. Epist. 6. libri primi. Cap. 38. mo. Cap. 21. Cap. 2. Cap. 1. Cap. 2. Capit. 47. & 50. In epist. ad Ephes. cap.

esse est, atq; adeò ex pijs solùm iustisque constare: nusquàm porrò faciet certam in Theologia fidem, quousq; certo indicio demõstret se sanctam esse. Id quod nullo modo potest, siquidem solus Deus nouit corda filiorum hominum.

2. Petr. 6.

10. Argum. Quærunt etiã à nobis, cur in censenda ecclesia insaniamus, cùm eam minimè dubio symbolo designarit Christus? Ego, inquit, sum Pastor ille bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ: Oues meæ meam vocem audiunt, & ego cognosco eas: & sequũtur me. Qui ergo vocem Christi non audit, is ad Christi ouile non pertinet: ac proinde ne pars quidem Ecclesiæ Christi est.

Ioann. 10.

11. Argum. Præterea, si ecclesiam boni simul ac mali constituerẽt, qua ratione propter iustos pauculos sancta dicitur, eãdẽ ac multò etiã maiore propter iniquos plurimos iniqua ecclesia diceretur. Quãobrem idem omninò cœtus & Christi esset ecclesia & Synagoga Sathanæ. Non igitur nisi boni Christi ecclesiam conficiunt. Quocirca inuisa hominibus illa est, atq; adeò minùs cognita, quàm vt eius testimonium certam & exploratam faciat fidem.

12. Argu. Duæ insuper ecclesiæ sunt Græca & Latina, quarum vtri credendum sit, non satis, vt aiunt, expeditum est. Responderi solet, Græcos esse schismaticos: idcirco apud eos ecclesiam perijsse. Quo iure? Quia à Romano Pontifice desciscendo priuilegium ecclesiastici nominis amiserunt. Quid verò? an non multò magis amittunt, qui à Christo vero ecclesiæ capite deficiunt? Atque ante Christi natiuitatem vna priorũ omnium ecclesia fuit, nec in ea tamen fuit vnus pastor aut rector. Non ergo ex vno Pontifice ecclesiæ nomen ac veritas pendet. Ecclesia igitur Græca erit, quanuis episcopo Romano non pareat. Quo videlicet mortuo nihilo secius vna ecclesia est, eademque & columna & firmamentum veritatis. Non ergo ex hoc capite ecclesiæ veritas vnitasque exisit. Sed si vnum Dominum habet, vnam Christi fidem, vnũ baptisma: si vnum filium agnoscit, vnum spiritũ colit, vnum Deum & patrem omniũ suspicit: vna Christi ecclesia erit. Iis enim rebus vnam Christi ecclesiam definit Apostolus. Nihil itaq; causæ est, cur Græci, in quibus ea omnia insunt, in quibusq; multi etiam boni sunt viri, ecclesiam Christi non faciant. Arroganter igitur ecclesia Latina in fidei iudicio ecclesiæ catholicæ sibi nomen vsurpat. Quapropter, nisi idem cum Græca sentiat, ecclesiæ vniuersalis auctoritate caret: non tenemurque perinde eius iudicium reuereri, ac si catholica verè esset.

Ephe. 4.

13. Argum. Præterea catholica ecclesia ideò vocatur, quia per omnes gentes perque totum orbem diffusa est. Vt Augustinus libro. 2. con. Petilia. patefecit, hæc verò sola est, quæ suo nos iudicio ligat & astringit, quoniam hanc & non aliam quamlibet sacræ nobis literæ commendarunt, quemadmodum plurimis in locis idem Augustinus ostendit: non ergo ecclesia, quæ modò est, si quandemsi est, certam auctoritatem habet, vt quæ catholica. i. vniuersalis esse desierit.

Cap. 38. Con. Petil. libr. 2. con. Cresco. lib. 3 de unita. eccle. libr. uno. Epist. 48. 50. 161.

14. Argu. Præterea, ex vniuersalis ecclesiæ sententia nullum omninò argumentum sumi potest. Quomodo enim fidelium omnium sensum in fidei quæstione requiremus? Vanum est igitur ab Ecclesia Catholica velle argumentum ducere. Forsitan quispiam dixerit. Pastores ecclesiam repræsentant, atque adeò ipsissima ecclesia sunt. Eorum itaq; sensum quærere satis esse, quippe cũ idem omninò sensus ecclesię sit. At erat Isaię temporibus ecclesia Hierosolymis: de pastoribus verò sic loquitur, speculatores eius cęci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Ipsi pastores ignorauerunt intelligẽtiam. Omnes in viam suam declinauerũt à summo vsq; ad nouissimum. Durabat quoque ecclesia ad tempus Hieremię: audiamus quid de pastoribus dicat, Quomodo dicitis sapientes nos sumus, & lex domini nobiscum est?

Isa. 56. Hiere. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, verbum enim domini proiecerunt, & sapiétia nulla est in eis. A minimo vsq; ad maximú omnes auaritiam sequuntur: à propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Cur autem secúdùm hanc rationem
3. Reg. 22. ecclesiam non referrent. 400. prophetę illi, qui Achab mentiebantur omnes? At ecclesia Dei vera, id est, quicunque in populo erant pij à partibus Michęæ stabant. Certè, si res ad eum modum habet, ecclesiæ imaginem præ seferrent prophetæ & sacerdo-
Hiere. 18. tes, cùm aduersus Hieremiam omnes ad vnum fidenter sanè iactarent, non posse fieri, vt periret lex à sacerdote, consilium à sapiente, verbum à propheta. Aduersum omnes tamen vnus Hieremias mittitur, qui à Domino denũciet fore, vt lex pereat à sacerdote, consilium à sapiente, verbum à propheta. Quòd si sacerdotes & pastores ecclesiam Dei constituunt, cuius reuereri testimonium oporteat, sequitur, ab ecclesia Dei alienos fuisse, cumque illa etiam pugnasse. In Israele quidem Heliam, Michęam & similes: In Iuda autem Isaiam Hieremiam & reliquos eius notę, quos sui sæculi sacerdotes, pastores & prophetæ nó à se modò abalienarunt, sed diris etiam execrati sunt. Illud, si absurdum & impium existimandum est, vt ne dicam etiam stultum: maneat, sacerdotes & pastores ecclesiam Dei non fuisse: sed impiam aduersus Deum conspirationem coetumque hominum pessimorum, à quorum necesse fuit consensione desciscere. Cùm itaq; pastores etiamnum similes veterum esse possint, nec Christi ecclesiam profectò referunt, nec ex eorum iudicio dogmata fidei probãtur. Atque si ex pastoribus & episcopis Dei ecclesia constat, vbinam gẽtium ecclesia residet, ex quo Basiliense concilium Eugenium pontificatu deiecit subrogato in eius locum Amedæo? Conciliũ siquidem, quantùm ad externos ritus attinet, legitimum fuit: nec ab vno solùm pontifice, sed à duobus indictum. Damnatus est illic Eugenius schismatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto cardinalium & episcoporũ grege, qui concilio refragabantur. Ex illorum schismaticorum, rebellium, pertinacium gremio prodijt quicquid posteà Paparum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum fuit. Vtram igitur in partem ecclesiæ nomen conferetur? Negabimus ne generalem synodum eam fuisse, quæ præsidente Romanæ sedis legato consecrata est? An fatebimur schismaticum Eugenium cum tota sua cohorte, à qua omnes succedentes episcopi sanctificati sunt? Aut ergo pastores in concilium etiã generale coacti ecclesiam Dei minimè representant, aut quotquot sunt ab hæreticis & schismaticis ordinati sunt. His potissimùm argumentis Lutherani abutuntur. Nam, quod Caluinus addit, duo esse ecclesiæ symbola verbi synceram prædicationem & sacramentorũ administrationem rectam: in catholicorum verò cœtu pro verbi ministerio mendacijs conflatam regnare doctrinam, in locum cœnæ domini fœdissimum sacrilegium subijsse, publicos in templa conuentus idololatriæ & impietatis scholas esse: quãobrem verã apud nos & germanam Christi ecclesiam non esse, sed Sathanæ exitialem & sacrilegam coniurationem. Id quoniam imprudenter, turpiter & malediçè obijcitur, non est in præsentia referẽdum.

Quid ecclesiæ voce significetur. Caput secundum.

EGo verò pergam & id faciam, quod in principio fieri cùm in omnibus disputationibus tum in hac magis oportere censeo: vt quid illud sit, de quo disputatio sit, explanetur: ne vagari & errare cogatur oratio, si ij, qui inter se dissenserint, non idẽ esse illud, de quo agitur, intelligent. Ecclesia ergo Græcum nomen est, &, si verbum verbo reddas, Latinè conuocatio dicitur: siue
Iuli. in Decre. cd. 5. apud Burch. libr. 1. cd. 1. Rabb. de infi. ale. cd. 1. Rom. 1. omnes ad se vocet, vt Iulio & Rabbano visum est, siue quòd quicunq; in eam conueniunt, hi non meritis & iustitia sua sed Dei gratia & vocatione conueniant. Nam & hanc nominis etymologiam spero lectoribus placituram. Ecclesiæ quippè Romanæ scribẽs Paulus, omnibus, ait, qui sunt Romæ, vocatis sanctis, &c. Atque in
1. Cor. 1. priore Ad Corinth. epistola. ecclesiæ Dei, inquit, quæ est Corinthi, vocatis, sanctis, &c. Et paulò pòst, Fidelis Deus, per quẽ vocati estis in societatẽ filij eius Iesu Christi. Quæ sine dubio societas cùm Christi ecclesia sit, qui titulũ sibi illum arrogant, hi videãt, an hæreticorum more penes se ecclesiã existere mentiãtur. Verùm de nominis ratiõe nihil moror, ecclesia certè cõcio est: vnde Ecclesiastes, concionator. Et licèt generaliter vox illa quãdoq; vsurpata sit pro quacũq; cõcione siue impiorũ, siue piorum infidelium atq; fidelium, sed in nouo testamẽto, quantum memoria repetere possum, nusquàm infideliũ concio ecclesia vocata est. Qui quidẽ vsus adeò in Christianis inualuit, vt in nulla nunc multitudine ecclesię nomen agnoscant, nisi quæ Christi fide & vocatione coaluit. Est autem ecclesia & locus ipse quò multitudo confluit & ipsa propriè multitudo. Cuius vtriusque rei exempla sunt in sacris literis plurima. Illud verò discrimen inter Synagogam & ecclesiam scriptores sancti obseruarunt, quòd populus ille vetus æquè & ecclesia & Synagoga nuncupatus est: at Christianam plebem nec scriptura sacra, nec vllus vnquàm probatus auctor Synagogam appellauit. Id porrò aut discernẽdæ vtriusq; reipub. causa factum est: aut quòd inter congregationem, quod Synagoga notat, & conuocationem, quod sonat ecclesia, nonnihil interfit. Congregan enim pecora solent: vnde & greges dicimus, non hominum propriè, sed pecudum aut bestiarum: at cõuocari nisi homines non solẽt. Tantum Christi ecclesia Synagogam excellit. Et quãuis societas angelorum & ho- Ephe. 1.
minum interdum vocetur ecclesia, non- Ephe. 5.
nunquam verò regnum cælorum, quod ex hominibus cõprehensoribus viatoribusq; conficitur, nobis tamen in præsenti non est animus differendi nisi de ecclesia militante, hoc est, cœtu fidelium viato- Ephe. 3.
rum. Nec necesse est, hos vocis significatus exemplis adhibitis ostendere, cùm ea passim & in literis sacris & in sanctorum omnium libris occurrant. Sanè verò, quẽ admodum infideles nõdum baptizatos in ecclesiæ Christi voce intelligere, non cum veritate solùm, sed cum sensu etiam communi pugnat: ita hæreticos partes ecclesiæ non esse, constituendum est. Id quod cõe est quidem omnium Theologorum, nó eorum modò, qui nuper scripserunt, sed eorum etiam, qui vetustate ipsa habẽtur nobilissimi. Testantur hoc Epist. 3. 1. li
Cyprianus, Augustinus, Gregorius, duo- bri ad Cor
que concilia Lateranẽse & Florẽtinum. ne. & 6.
Rectèigitur Nicolaus Papa definit, eccle ad Ma =
siam esse catholicorum collectionẽ. Cer gnũ. De hæ
tè neruosiùs qui ecclesiam finiunt, illi nó re. Firmis=
dubitant eam fidelium tantùm numero simè. 12. Mo
conflari: qui autem remissiùs, hi tamen ra. ca. 15. de
non audent, quos catholicos esse non vi- sum. Trini.
dent, eos ecclesiæ homines appellare. Firmiter.
Absurdum est enim, qui catholicæ eccle De con. d. 1
siæ partes non sint, hos ecclesiæ Christi Ecclesia.
partes asserere.

At Papa etiam hæreticus, donec ab ec Obiectio.
clesia deponatur, cũ suã retineat semp auctoritatẽ, caput adhuc ecclesię erit: hæreticiitaq; in ecclesiæ partib⁹ numerabũtur. Apostolus quoq;, cũ dixisset Hymenæũ 2. Timo. 2.
& Philetũ à veritate excidisse & subuertisse quorundam fidem, subiunxit, in magna domo non solùm esse vasa aurea & argẽtea, sed et lignea & fictilia: & quędam quidem in honorem, alia verò in contumeliã. Quibus verbis, vt Augustinus ait, Libr. 3. de
eos etiam, qui à fide aberrarunt, in ma- bapt. c. po=
stremo.

In Psal. ecclesia sanctorum & ecclesia maligantium

Deu. 22. Iudith. 6. 1. Corinthio. 11. Num. 20. Gala. 1. Epist. 1. Augusti. in psalm. 77. Bed. in. 5. c. pro. Isi. d. 8 lib. ety. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gna domo esse significat, scilicet non vt vasa in honorem, sed vt vasa in cõtumeliam. Quam omnino sententiam Cypriani quoque testimonio cõfirmat. Sed enim ad ea, quæ promisimus, exoluenda properantibus, non est consilium scrupulos omneis, qui in via obijciuntur, excutere. Quid enim illud hoc loco expendamus, an Papa hæreticus esse possit? Quid illud rursum, an simulatq; in hæresim lapsus est, ecclesiæ caput esse desierit? At horum vtrũq; tamen priore argumẽto diluendo necesse erat explanare. Quod nec breuitatis nostræ est, nec ad opus institutum pertinet. Et si quid de hisce rebus dicendum erit, alio loco opportunius dicetur. Atque illam quæstionem quidem in libro nos sexto explicaturi sumus: de hac autem in libro de aucto. Pap. & Con. Caietanus noster longè lateq; disseruit. Ne autem argumenti huius difficultate deterriti dare terga videamur, intelligendum est dupliciter ecclesiam posse dici. Primùm eam, quam fidelium omnium ab initio mundi vsque in finem congregatio conficit, quomodo Diuus Thomas de ecclesia loquitur. 3. p. q. 8. art. 3. illiq; omnes, qui esse nunc eandem ecclesiam dicunt, quæ fuit & in populo Iudæorum sub lege Moysi & in hominibus pijs sub lege olim naturali. In quem sensum Catechumeni sunt membra ecclesiæ verissima. Non enim hæc baptismi sacramento secernitur, sed fide: quæ omni tempore populum Dei ab infideliũ cœtibus discriminauit. Deinde & ea ecclesia dicitur, quæ in Christi nomine per baptismum cogitur, qui & fidei sacramentum est, & propriè ecclesiæ membra partesq; facit, & Christi ecclesiam à Synagoga distinguit. Huius ecclesiæ nec Catechumeni partes sunt, & illi oẽs sunt partes, qui à baptismo Christi characterẽ habẽt, nisi post hæresim exteriorem publico ecclesiæ iudicio fuerint excisi. Quãdiu enim aliquis reip. minister est, cuiusq; auctoritate & potestate fungitur, tandiu illius pars dicit & potest & debet. In hoc igitur sensu quemadmodum ecclesia, hoc est, Resp. Christiana non interiore solùm fide constituitur, sed baptismi etiam exteriore sacramento: sic eius partes non interior modò infidelitas, sed schisma externiq; iudicij diuisio separat. Itaq; si in illa Nicolai finitiõe ecclesia hoc secũdo modo accipiatur, fideles dicãtur oportet non à Christi fide, sed à fidei sacramento. Verùm de hoc in. c. huius libri postremo plura. Argumẽto verò posteriori ita respõdeo. Apostolus si ad Hymenæum & Philetum verba illa retulit, non ad id tempus spectauit, quo iam de domõ fidelium communi per sectam priuatam exierant. Sed ad illud potiùs, quo per susceptam fidẽ ac baptismum in magna domo continebantur. Quæ sententia est Augustini his ipsis, quos attulim⁹, locis. Quanquàm propter Cyprianum, cuius se dicit auctoritate vrgeri, fatetur etiam hæreticos in magna domo quodammodo esse propter eadem sacramẽta, quibus administrandis cum ecclesia conueniunt. Verùm id Augustinus, vt dixi, inuitus addidit: nam illud prius libenter sequitur. Ego verò, vt quẽadmodum sentio loquar, non intelligo, quid causæ Augustino fuerit, vt verba Cypriani in eũ sensum acceperit, qui mihi sanè tam apparet à Cypriani mente alienus, quàm cælum à terræ natura alienum est. Nam, vt omittam, quod in locis paulò antè à me citatis Cyprianus ipse hæreticos non obscurè ab ecclesia excludit, certè in epistola ad Antonianum, cuius Augustinus testimonio abutitur, nõ solùm non ab ea sententia discedit, sed eandem apertiùs confirmat inquiens. Quod verò ad Nouatiani personam pertinet, scias nos curiosos esse non debere, cùm foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscunq; est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est, &c. Nec alia Cypriano causa fuit, hæreticorum baptisma negandi, nisi quia eos extra ecclesiam & esse & baptizare perpetua illi fuit firmaq; sententia.

Lib. 4. de bap. ca. 12. Ad Antonia. libr. 4. epi. 2. Responsio.

In ver-

In verbis autem, quæ Augustinus refert, nihil aliud Cyprianus significat, quàm Nouatianorum arrogantiam & tumorem, qui putarent se posse facere id quod ne Apostolis quidem concessum est, vt zizania à frumento discernerent, paleas separarent à tritico, vasisq; ligneis & fictilibus electis aurea argenteaque seligerent. Vbi per vasa lignea & fictilia non eos Cyprianus accepit, quorum sermo vt cancer serpserat, sed eosdem prorsus, quos & zizania & paleas vocauerat, hoc est fragiles & imbecillos, qui firmis perfectisq; erant suntq; semper in ecclesia permixti. Quos Nouatiani quoniam ferre non poterant, humilitatis ac lenitatis obliti ab ecclesia ante tempus eijce reconabantur. Quanquàm vasa lignea fictiliaq; ad solos improbos referre, qđ Cyprianus facit, nõ Augustino solùm, sed mihi etiam parũ probatum est. Sensus igitur Apostoli planus est. Cùm enim dixisset, quosdã à veritate excidisse. &c. ne omnes fragiles existimarẽtur, ac proinde ecclesiæ fidei timeremus, subijcit, sed firmũ fundamentum Dei stat. &c. Quia verò quæreret fortasse quispiam, cur Deus in ecclesia sua alios firmos, alios infirmos haberet: hos stare, illos excidere pateretur: huic respondet Apostolus, in magna domo non solùm esse vasa aurea & argentea, sed lignea & testacea. &c. Est et altera huius Apostolici testimonij intelligentia, ex qua Manichæorum, Pelagianorum, Catharorum, Donatistarum, Begardorum, & Beguinarũ pariter eluuntur errores, in quos Hymenæus fortè & Philetus incurrerãt. Nõ enim vero simile fit, in eam hos amentiam incidisse, vt astruerent corporum resurrectionem esse iam factam. Sed quoniam falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti vitam in carne mortali asserebant similem ei, quam iusti cum angelis post resurrectionem immortales habituri sunt, ab omni scilicet fragilitate & imperfectione alienam: idcirco vas electionis Apostolus eos asseruisse ait, resurrectionem esse iam factam. Horum igitur vanam futilemq; sententiam paucis refutat Paulus inquiens, sed firmum fundamentum Dei stat. &c. Quæ verba, ni fallor ego, hunc sensum habent. Electio fidelium ex parte Dei quidem certa atque immutabilis est. Hanc enim vocat ille fundamentũ, quoniam primum est humanæ salutis initium. Nam quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Firmum igitur fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit dominus qui sunt sui. Electio quippè nostra nobis ipsis obscura et incognita solius Dei notitia quasi signaculo quodam obsignata clauditur, vt hinc & apud nos incerta & occulta sit, & apud Deum stata & fixa. Sed quia salus nostra è nostro quoque arbitrio pendet, nemo ex electione Dei certam sibi stabilemq; iustitiam polliceri debet, nemo sensu inflatus carnis suæ angelorũ religionem in carne mortali prædicare, nemo impeccãtiam & virtutẽ omnibus numeris absolutã sibi assumere, nemo reliquorũ fidelium aspernari consortium, in quibus humanũ adhuc aliquid subesse cernat. Hoc est autem, quod subiungit, Discedat ab iniquitate, &c. Satagat, inquit, in primis per bona ipse opera certam facere vocationem suam, nec tantum munditiæ suæ fidat, ne timeat iniquitate se posse cõtaminari & pollui. Intelligat deinde, in magna domo non solùm esse vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia. Ac quædam quidem in honorem, alia autem in contumeliã. Ita si vasa aliqua frangi cognouerit, reformet ea pro sua virili & consolidet, cõsiderans seipsum ne fortè & ipse frãgatur. Atq; si vas in honorem sibi videtur esse, ferat patienter vasa in contumeliam: nec horum abominatione à magna domo discedat. Nam & vasa ista inhonorata & ingloria, quemadmodum libero arbitrio versa sunt in contumeliam, sic verti eadem libertate poterunt in honorem.

Clem. ad nos strũ. de hæres.

Rom. 8.

2. Pet. 1.

Vide Irenæum. libr. 1. cap. 1.

Quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quibus ex rebus non modò argumẽtum illud eliditur, verùm etiam id cõstat, quod in hac finitione vel maximè quæritur, ecclesiam omnium fidelium & fortium & imbecillium & iustorum & iniquorum collectione constitui. Id quod si planè ac breuiter confecerimus, nec nos industriæ nostræ, nec sui lectorẽ laboris pœnitebit.

¶ Qui nam sint fideles illi, è quibus verè & propriè ecclesia confletur. Caput tertium.

ENimuerò in partibus ecclesiæ censeri dis tres errores fuisse animaduertimus. Primus eorum fuit, qui non putarũt illic ecclesiam habere partẽ, vbi non est solida vitæ puritas & integritas. Quales olim fuêre Cathari &, qui ad horum vesaniam accedebant, Donatistæ. Hodie sunt ex Lutheranis Anabaptistæ, qui cum Pelagianis perfectam omninò in hac etiam mortali vita fidelium esse iustitiam volunt, cum Catharis & Donatistis nullam in ecclesia infirmitatem ferunt. Fuêre alij, qui solis prædestinatis ad gloriam locum in ecclesia concesserunt. Cuius erroris auctores præcipui reperiuntur Ioannes Vuicleff & Ioannes. Vss, damnati in concilio Constan. Postremi solos probos ad ecclesiam pertinere arbitrati sunt, improbos autem nullo modo. Id quod post veteres quosdam modò asserũt Lutherani nõ omnes, sed qui in eis habẽtur nobilissimi. Verùm nõ est animus quę aduersum hos errores à catholicis disputata sunt, ea hîc exqsitè resumere. Summatim ergo argumenta referemus, quibus singuli confutantur.

Aug. lib. 3. con. Parmc. c. 2.

Sessio. 15.

Primus itaq; error ante omnia refellitur eisdem omninò testimonijs, quibus Pelagiani olim & Donatistæ refutati sunt. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Item, Dimitte nobis debita nostra, quam orationem Christus apostolos suos docuit, q ecclesiæ nimirũ partes erãt. Itẽ, in multis offendimus oẽs. Item, omnis pontifex ex hominibus assumptus, p homi nibus cõstituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis. Qui cõdolere posit ijs, qui errãt. qm̃ & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Item, nõ intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis viuens. Item, non est homo, qui non peccet. Item, quis potest dicere mundum est cor meum, mundus sum à peccato? Item, non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet, cæteraque similia, quæ ex Iob & Daniele referri solẽt. Si igitur ecclesiam in singulis etiam membris omni prorsus labe & culpa vacare oporteret, nulla profectò in terris esset ecclesia: quoniã nemo vsquàm mortalium est, vt prædicta testimonia comprobant, qui omni ex parte, perfectus & immaculatus sit. Præterea, Cæphas ecclesiæ sine dubio pars erat, qui ecclesiæ colũna erat, at ei tamen in faciem apostolus restitit, quia reprehensibilis erat, nec rectè ambulabat ad veritatem euangelij. Non ergo opus est ecclesiæ mẽbra adeò pura esse, vt nulla in eis macula, nullus næuus resideat. Ad hæc, in Thessalonicensibus ecclesiam agnoscebat Apostolus: in his verò ijsdem quosdam etiam notabat ambulantes inquietè & curiosè agẽtes, quos docet non quasi alienos & inimicos existimandos, sed corripiẽdos vt fratres. Christi igitur confraternitas & societas aliquos habet fratres & socios imperfectos. Quid plura? Nonne Apostolus paruulos quosdam & imbecilles in ecclesia esse affirmat? Tanquã paruulis in Christo, ait, lac potum dedi, non escam. Et rursum, infirmũ in fide assumite. Quid illud? Quosdam quidẽ dedit Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consum-

Matth. 6.
Ieco. 3.
Hebre. 5.
Psal. 142.
3. Reg. 8.
Pro. 20.
Eccles. 7.
Iob. 9. 14. 15.
Dani. 9.
Gala. 2.
1. Thess. 4.
2. Thess. 3.
1. Cor. 3.
Roma. 14.
Ephe. 4.

consummationẽ sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, vt iam non simus paruuli & fluctuantes. Et statim, Crescamus, inquit, in illo, ex quo totum corpus compactum & connexum augmentum corporis facit in mensuram vniuscuiusque membri. Non igitur omnia ecclesiæ membra vndiq; consummata sunt expletaq; suis omnibus numerjs & partibus. Sed otiosum erit amplius in erroris huius confutatione versari, præsertim cùm Augustinus & Hieronymus in hac fermè eádem causa diligentissimè elaborauerint. Pergamus itaque ad reliqua.

In lib. de præsciti. iustitia. li. 2. cõtra Iul. in epist. ad Ctesiphon. lib. 2. cap. 2. aduersum Pelagianos. Con. Const. sess. 15.

Secunda porrò hæresis à nostris maioribus primùm explosa est, quoniam nexu necessario illi cohærent aliæ pestilẽtissimæ in eodem concilio damnatæ. Si papa fuerit præscitus, non habet potestatem super fideles, nisi fortè à Cæsare. Item, nullus sine reuelatione potest rationabiliter de se asserere, quòd sit caput particularis ecclesiæ. Item, præsens iustitia & gratia non facit aliquem esse, aut Christi membrum, aut ecclesiæ. Item, prædestinati etiam infideles semper sunt Christi ecclesiæq; membra. Quare nec Paulus vnquàm fuit membrum diaboli, nec Iudas Christi. Quæ omnia & per se sunt falsa perspicuè, & catholicæ fidei vehementer repugnantia. Res certè Christi publica fuisset insipientissimè constituta, si magistratuum in ea potestas tantis esset tenebris circumfusa, vt nulli prorsus fidelium eluceret. Cùm enim vniuersi fideles dubitent, an Summus Pontifex, episcopi, sacerdotes ac cæteri ecclesiæ ministri prædestinati sint necne: dubitent etiam oportet, num decretis iudicij sq́ue eorum astringantur. Ita fiet, vt ecclesiæ ac conciliorum dogmata ambigua sint omnia, & leges cunctæ imbecilles sineq́ue vi ad coercendum idoneæ. Quid autem stultius dici potest, quàm ciuem ciuitatis suæ magistratus cognoscere, qui sint, omnino non posse? Qui igitur ita sentiunt, ij cùm stultum Christianæ Reipu. auctorem faciunt: tum omnia scita, præcepta, sanctiones euertunt, omnemq́ue funditus ecclesiæ potestatem. Quæ apud eos sinè vacillet & cadat necesse est, quibus occulta, incerta, atque infirma est. Nec argumentis à ratione ductis opus est irrationalem non opinionem dicam, sed insaniam coarguere: cùm ad eam refellendam, manifestissima sint scripturæ testimonia. Vos, inquit, estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec accendũt lucernam & ponunt eam sub modio. &c. Item, si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam nõ audierit, &c. Ecclesiam igitur manifestam & cognitam fidelibus esse necessum est. Item, ad regnum cælorum familiamq́ue suam Christus eum quoque seruum pertinere docuit, qui, quoniam conserui sui non est misertus, tortoribus traditus est. Non ergo in Christi familia, quæ ecclesia est, soli serui prædestinati continentur. Item, simile factum est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, in quas intrauit etiam ille, qui missus est in tenebras exteriores. Item, simile est regnũ cælorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Non ait quinque simile esse, sed decem. Et tamen quinque ex illis clausa est ianua. Item, ecclesiam esse ex prædestinatis præscitisq́ue permixtam, illa Christi parabola demonstrat, in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, nec seliguntur donec in litore sint expositi, vbi angeli separabunt de medio iustorum malos, & mittent eos in caminum ignis.

Matth. 5.
Matth. 18.
Matth. 18.
Matth. 22.
Matth. 25.
Matth. 13.

Illa quoque idem ostendit, in qua agricultura similis, qui bona fruge consitus zizanijs inimici fraude inficitur: quibus non expurgatur, donec in aream aduecta fuerit messis, cùm colligenda zizania sunt, & alliganda in fasciculos ad comburendum.

Augu. con. Parmc. parabolã hãc insigniter explicat.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 3. Et quoniam omnia persequimur, ecclesia area illa est, in qua sic collectũ est triticum, vt sub palea deliteſcat, donec vano & cribro repurgatum in horreum tandem recõditur: paleæ autem comburuntur igni inextinguibili. Præterea non ex præscientia, sed ex præsenti iustitia Dei populum, ciuitatem, familiam nominari: illud demõstrat.

1. Petr. 2. Ephe. 2. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei. Illud item, Eratis illo in tempore alienati à conuersatione Israel & hospites testamentorum. Iam autem non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, &c. Quod, nisi ita sit, beatus & iustus est omnis ille, qui est prædestinatus ad gloriam, tum etiam cùm miser & impius est. Non igitur à præscientia, sed à præsenti iustitia propriè denominamur. Dedit eis potestatem, ait, filios

Ioann. 1. Dei fieri. Quibus? Num iis quos præsciuit esse credituros? Non, sed his qui credunt

Ephe. 5. in nomine eius. Item, eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino: vt filij

1. Cor. 5. lucis ambulate. Item, An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Item, qui facit iustitiam iustus est,

1. Ioan. 3. qui facit peccatum ex diabolo est: in hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Itẽ, multi vnũ corpus sumus in Christo, singuli aũt alter alterius mẽbra. Quod nisi secundùm iustitiam præsentem nullo modo sumus. Item, in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Per baptismũ ergo, & non per prædestinationis gratiam in Christi corpus transimus. Sed in huius erroris confutationem satis multa diximus. Iam tertium eũdemque postremum refutemus.

Vide Origẽ. in Ioã. 8 ca. tomo. 21 Roma. 12. 1. Cor. 12.

Id quod in primis eædem omnino euangelij parabolæ conficiunt, quibus ante vsi sumus. E quibus hoc idem Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, argumentantur. In agro quipe dominico inter nitentia culta lappæque & tribuli & steriles dominantur auenæ. In area paleæ frumentum operiunt. In reti pisces & boni concluduntur & mali, in magna domo vasa sunt lignea & fictilia honorata quoque & inhonorata. In regno cælorum cũ sapientibus virginibus fatuæ sunt. In Christi familia seruus nequam inuenitur: non ille solum, qui cõseruo negauit misericordiam, sed is etiam: qui super familiam constitutus, cùm moram domini causaretur, pristi numq; timorem abijceret, cœpit percutere seruos & ancillas, edere bibere & inebriari. Quid? an non ecclesias in Apocalypsi legimus, quarum angelos & ministros Deus ad pœnitẽtiam admisi criminis cohortatur? Nonne Apostolus ad Galatas eas etiam ecclesias vocat, quas ipse idem errore arguit deprauatas? Inter Corinthios quoq; nõ vna erat peccati species, sed plurimæ: neq; leuia erant errata, sed flagitia. Et tamen Apostolus eos non solùm ecclesiam, sed sanctam Christi societatem & agnoscit & prædicat. Si inter Corinthios manet ecclesia, vbi feruent contentiones, sectæ, æmulationes: vbi lites vigent & iurgia, vbi fauetur sceleri, quod gẽtibus ipsis foret execrabile: vbi proscinditur Pauli nomẽ, quem ceu patrem colere debuerãt: vbi diuina dona ambitioni non Charitati seruiunt: vbi quidam mortuorum resurrectionem ludibrio habent, vbi permulta demum indecenter & inordinatè geruntur. Ecquis audet ecclesiæ titulum eripere ijs, quibus decima pars istorũ criminum impingi non queat? Qui tanta morositate fæuiũt in præsentes ecclesias, quid quæso Galatis Corinthijsq; fecissent tantùm non euangelij desertoribus? Habet igitur ecclesia carnales suos, quos nõ esse ab spiritualibus deferendos monet Apostolus. Habet suos ægrotos & infirmos, quibus parata à Christo sacramentorum remedia medici administrant. Iis quippe, qui intus sunt, pœnitentiæ sacramentum paratum est. Quod frustra esset in ecclesia, si nulli essent in ea peccatores. Atque Lutherani, quoniam eludere ecclesiæ iudicia volũt, ne fateri

Epist. 3. li. 3 cr. 2. lib. 4. Aduer. Luciferia. con. Petil. lib. 3. c. 2. 3. 9. 12.

Cor. 22. Parmen. c. 2. cr. 4. ca. 4. de unit. cap. 15. cr. 16. Donat. collatio. cr. 6. Luc. 12. Gala. 1. Gala. 2. Gala. 4. 1. Cor. 5.

ne fateri cogantur, improbos habere ecclesiasticã potestatẽ, hos ecclesiæ partes esse negãt: sibiq; pinde ecclesiã fingũt quã nullus hominũ videre potest, vt quę tenebras habitat inaccesibiles. Ecclesiã certè, quam ego non intelligo. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui defendũt. At inuoluere isti & obscurare id volunt, quod in clara luce à Christo positum est, ne à catholicæ ecclesiæ vnitate recessisse videantur. Nulla est autem, vt Augustinus ait, securitas vnitatis, nisi apud ecclesiam, quæ supra montem posita abscondi non potest: & ideò necesse est, vt omnibus terrarum partibus nota sit. Rectè etiam est ab eõdem Augustino dictum, vbi ecclesia manifesta nõ est, ibi ne Christum quidem manifestũ esse posse: qui per ecclesiã nõ solùm hominibus, sed principibus & potestatibus in cælestibus innotescit. Nobis itaq; ecclesia lucerna est, super candelabrũ posita, quam videãt omnes qui in domo sunt.

Con. Per me. li. 3. c. 4. Matth. 5. Ad Vincẽ. epist. 48. Ephe. 3. Matth. 5.

Act. 15. Qualis nimirum Antiochenis fuit, cùm disceptationis causa finiẽdæ Hierosolymam ascenderũt. Qualem præscripsit dominus

Matth. 18. vbi ait, Dic ecclesiæ, &c. Aliôqui, quibus ecclesia occulta est, quid habent illi facere, cũ in graues incidũt de lege ac religione controuersias? Num animi pẽdere vsq;, & nullo firmo loco cõsistere? Incerta nẽpè erunt oĩa, si apud solos pios ecclesia est. In quocunq; enim ecclesiæ iudicio excipiet is, cõtra quem sententia dicitur, q̃ iudices non sunt pij. Quãobrem, qui ecclesiam iustorũ solùm numero definiunt, ij cùm à malis ecclesiæ pastoribus omnẽ potestatem auferunt, tũ iudiciorum ecclesiasticorũ vires infirmãt, nec vlla habere possunt ecclesiæ firma dogmata. Ac nisi Christus intelligeret, malos ecclesiæ suæ nõ partes quaslibet, sed primas etiã aliquando futuros, nusquã

Matth. 23. illud profectò admoneret, super cathedrã Moysi sederũt scribæ & pharisęi: quæcunque dixerint vobis facite, secundùm autem opera eorum nolite facere. Quid verò Paulus? Hîc iam quæritur, ait, inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, &c. Quòd si necessarij essent boni mores, vt quis ecclesiæ pars & administer esse posset: non vtique pro minimo haberet Apostolus ab hominibus iudicari, quippè eiusmodi iudicium cum apostolicæ potestatis ruina cernebat esse coniunctum. Nunc autem videns ad dispensatoris potestatem illud non esse necessarium, quod Corinthij nonnulli requirebant. Mihi, ait, pro minimo est, &c. Iam, quot quamque vehementes scrupuli, quanta confusio atque perplexitas ipsis etiam dispensatorum animis, injcerentur, si ex peccato ab ecclesia fierent protinus alieni, omnemque adeò ecclesiæ potestatem amitterent? Benè igitur subdit Apostolus, Sed nec me ipsum iudico, &c. Humanorum autem iudiciorum quanta temeritas, si ab animi virtute ecclesiæ partes officiaque penderent? Eapropter adiunxit, itaque nolite ante tempus iudicare, &c. Quantum verò schismatum quotidie in ecclesia videremus, dum vnus alteri diceret, tu non es de ecclesia, quia malus es: ego de ecclesia sum, quia sum bonus? Dumq; etiam quẽ hic damnaret, eumalle defenderet: quantam putas fore litium iurgiorumq; materiam? Præclarè itaque concludit Apostolus. Hæc autẽ transfiguraui in me & Apollo, ne vnus aduersus alterum infletur pro alio, &c. Maneat igitur, ecclesiæ nomen fideles vniuersos probos improbosq; cõplecti. Quod in hoc capite suscepimus explicandum.

¶ *Quænam sit ecclesia catholica in fidei dogmate auctoritas. Caput quartum.*

DE ecclesię nomine ea dicta sunt, quę, cùm necessaria viderentur, præteriri à nobis nec poterant nec debebant. Núc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad rem ipsam, quæ est in manibus, aggrediamur: ostendamusq; ecclesiæ auctoritatem tantum habere ad faciendam fidem virium, vt firmissima etiam theologis argumenta suppeditet. Hoc priusquàm facio, admonere operæpretium est, ecclesiã non ipsam modò catholicorũ concionem esse, quæ per baptismum Christo & nomẽ dedit & peculiaris nouaq; resp. consecrata est, verùm etiã principes ac prefectos ipsos ecclesiasticos, in quibus scilicet reip. huius auctoritas potissimùm residet. Nec id nos aut recenti opinione cõfingimus, aut sine scripturæ testimonijs asserimus. Præclarũ
Ethi.9.c.9 est Aristotelis illud: ciuitatem id maximè esse, quod est in ea principale. Inde enim quæ principes ac gubernatores ciuitatis faciunt & sentiunt, ea ciuitas facere sentireq; dicitur. Cuius rei in sacris illud
3.Reg.8. exemplũ est, Congregati sunt omnes maiores natu Israël cum principibus tribuũ, & duces familiarum in Hierusalem. Et inferiùs, Conuertitq; rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israël: omnis enim ecclesia Israel stabat. Illud etiam simile
Exo.19. huic, Venit Moyses, & conuocans maiores natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat dominus. Respondit q; omnis populus simul, cũcta, quæ locutus est dominus faciemus. Non est igitur, cur in hac significatione ecclesiæ vocabulum fideles perhorrescant: quod hæretici facere solent in odium ecclesiasticæ potestatis: quam Christus nõ penes populares, sed penes ecclesiæ sacerdotes ac pastores esse voluit: vt alio et loco & tẽpore, si facultas erit, explicabitur. Nunc scholæ more rem totam, quæ huius libri caput est, quatuor conclusionibus absoluemus. Sit ergo prima conclusio.

Prima cõclusio. Ecclesiæ fides deficere non potest. Est
Ose. 2. enim sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est, Despõsabo te mihi in fide. Quòd si ecclesiæ fides deesset, iã sponsi sponsæq; matrimonium dirimeretur: quorum tamen est indissolubilis perpetuaq; coniunctio. Despõsabo, ait, te mihi in sempiternum. *Ose. 2.* Et sponsa, Tenui, inquit, eum nec dimittã. *Cant. 3.* Et ille rursum, Ecce ego vobiscum sum, *Matth. ult.* ait, omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Quo testimonio ad id probandum vtitur Leo ad Augustam & Theo- *Epist. 69.*
dorũ. Probat etiam Iulius in decretis suis illo psalmi testimonio, Circundate Sion & *Psalm. 47.*
cõplectimini eam, quòniam hic est Deus noster in seculum: ipse reget nos in secula. Quod de ecclesia Christũ intelligi oportere, quicunq; psalmum leget, etiam me non demõstrante, intellecturus est. Idẽ quoq; *Luc. 1.*
ostẽditur ex eo, Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si ergo in æternum ecclesia Christi manu sustinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profectò in ea permanebit, sine qua regnum Christi in terris nullum est. Confirmat autem hoc clarissima illa Isaiæ vaticinatio, Hoc fœdus meũ cũ eis, dicit dñs, *Isa. 59.* spiritus meus q est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedẽt de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, à modò & vsq; in sempiternũ. Huic & illa similis est, Disposui testamentũ electis *Psal. 88.* meis, iuraui Dauid seruo meo, Vsq; in æternum præparabo semen tuum. Item, Elegit *Psal. 131.* dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi. Illa verò Hieremiæ est longè simillima, Ec- *Hier. 31. 32. Matth. 7.*
ce dies veniũt dicit dñs, &c. Præterea vir sapiẽs describitur à Domino is, qui edificauit domum suam super petram: Christus igitur domum suam super petram fundauit. Quare, nec pluuia, nec flumina, nec vẽti obruere illam possunt. At fide stamus, vt ait Paulus, ecclesia igitur fidem semper ha- *2.Cor.1.*
bebit. Nam aliàs nõ stabit, sed ruet. Quidẽ quòd apertis verbis hanc fidei firmitatem ecclesiæ suæ dominus pollicetur, inquiens, *Matth. 16.*
super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam? Ecclesiæ igitur fidem non poterit vel infernus adimere.

Conclusio

Secũda cõclusio. Conclusio secunda, Ecclesia in credendo errare nõ potest. Nonnulli enim ecclesiæ perpetuam fidem sic interpretantur, vt intelligant, Deum ecclesiæ esse præsentem vsq; ad seculi consummationem: ne vnquam vera illi fides & charitas desint. Sed posse tamẽ probabiliter ignorare rem vnamquamlibet, qua scilicet ignorata, nõ proinde ecclesia fidẽ amitteret. Faciamus enim disputationis gratia, non esse à Deo reuelatum, Diuam Virginem ab originali peccato immunem extitisse. Nihil enim prohibet rẽ fictam exẽpli loco ponere, quò faciliùs res intelligatur. Quanq; exemplum verum est, vt posteriùs ostendemus.

Aiunt ergo, quòd quanuis ecclesia crederet, sanctam virginẽ fuisse sine peccato conceptam, idemq; definiret ab omnibus esse credẽdum: non tamen in eo fidei iacturam facere existimaretur. Nam licèt fallere tur, at error probabilis et inculpatus fidem ecclesiæ nõ excluderet. Cuius sententiæ, si de facie consideres, videtur esse Glossa interlinearis, sic enim vocant, in illud, portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & D. Tho. in. 4. d. 6. q. 1. art. 3. q. 2. ad. 3. & Cardinalis Turrecre. lib. summæ ecclesiæ. 2. c. 91. Et Alphõsus à Castro Zamoren. de iusta. hære. pun. lib. 1. c. 5.

At re vera id nos superiore propositiõe cõstituimus, nẽpè ecclesiam semper fidem habiturã. Verum est hoc: quis negat? Sed præterea, ecclesiã in fide errare nõ posse, sic à fidelibus accipiẽdum est, vt quicquid ec
Ephe.5. clesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit: nec quicquã falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendum. Cùm enim corpus Christi sit, vt ad Ephe. docet Apostolus, à suo certè capite mouetur ac regitur. Ecclesiæ igitur error ad Christũ auctorẽ referetur. Nullo itaq; pacto errare in fi-
Ephe.4. de potest. Nam spiritus veritatis est huius corporis anima, Vnus, inquit, spiritus et vnum corpus. Quòd si spiritu veritatis ecclesia agitur, ad nullũ errorem ne insciens quidẽ, moueri poterit. Præclaram deinde promissionem habet ecclesia, quòd nisquàm sit à Christo deferenda, quin eius spiritu in omnẽ ducatur veritatem. Ego rogabo pa- *Ioan.14.*
trem, ait, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit. Et postea, Paracletus autem Spiritus sanctus ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Item, cùm aũt venerit ille spiritus ve- *Ioan.16.*
ritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Nec me fugit, quòd hæretici argumentum hoc duobus modis eludere conãtur. Primùm enim, eiusmodi verba aiunt de solis apostolis intelligẽda: neq; ad posteros in ecclesia pertinere. Mox affirmãt, Christum nõ tantùm numero duodenario coniũctum, sed apostolis quoq; seorsum singulis spiritum veritatis promisisse. Imò alijs similiter discipulis, vel quos iam assumpserat, vel qui postea accessuri erãt. Nam si eiusmodi promissiones sic interpretemur, quasi nemini Christianorũ datæ sint, sed vniuersæ simul ecclesiæ, nihil nos aliud quàm Christianis omnibus consolationem tollere, quę inde ad ipsos redire eximia debuerat. Sed vtraq; iuxtà in re rusticè indoctèq; nugãtur. Principiò enim, verba illa nõ modò ad apostolos, sed ad successores etiã referri oportere, ex eo ante omnia patet, Qui maneat vobi- *Ioan.14. Matth. ult.*
scum in æternũ. Quod illi simile est, Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ seculi. Rursum ex eo quoque patet, sanctifica eos in veritate: sermo *Ioan.17.*
tuus veritas est. Pro eis ego sanctificabo me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis aũt rogo tantùm, sed pro eis qui crediturí sunt per verbũ eorum in me. Atq; promissionis huius Isaias mihi videtur illustris non vates modò, sed interpres. Spiritus meus, ait, qui est in te, non recedet *Isa.59.*
de ore tuo & de ore seminis tui à modò & vsq; in sempiternũ. Quem igitur spiritum veritatis Christus promisit apostolis, ecclesiæ item post eos futuræ promisit: nisi velimus ecclesiam defunctis apostolis fuisse à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domino destitutã: Imo verò ad eam nec cõsilia nec præcepta euangelij pertinere. Siquidem quæ dominus apostolis loquebatur, hæc ad illos duntaxat, non ad futuros in ecclesia post eos spectare dicuntur. Quo quid stultius dici potest?

Iam secũda illa tergiuersatio q̃ vana etiã & ridicula est? Si enim hoc ita cõiter fidelibus dictũ esse volunt, vt sursum quadret in singulos: sequitur, cuicũq; fideli spiritũ veritatis sempiternũ adesse, qui eũ doceat oẽm veritatem, suggeratq; ei oĩa quæcunq; dicta in euãgelio sunt. Sed esto, spiritu sapiẽtiæ, intelligentiæ, lucis, veritatis, oẽs posleant: num inficias ire possumus, quicquid particulatim mẽbrorum vnicuiq; tribuitur, id penitus & ad plenũ corpori cõuenire? Quid ad hoc respõdeat Caluinus audiamus. Hoc, ait, tametsi habet nonnullã veri speciem, verũtamen esse nego. O stultũ hominem & repugnãtem manifestæ veritati. An ignorat, quę Spiritus sancti dona singulis mẽbris distribuũtur, in cõi conferri oĩa? An videt oculus, & non magis homo videt? An non lucerna corporis est oculus? Quid verò absurdius, quàm mẽbrum posse quicquam, quod corpus nequeat efficere, partẽ habere, quõd non habeat totum? Ephe. 4. Vnicuiq;, ait, nostrũ data est gratia secundùm mẽsuram donationis Christi. Et ipse dedit quosdã quidẽ apostolos, &c. ad cõsummationẽ sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ cõporis Christi. Et posteriùs, crescamus in illo qui est caput Christus: ex quo totũ corpus cõpactum & cõnexum secũdùm operationem in mensuram vniuscuiusq; mẽbri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Membrum igitur, quoniam id quod est totius corporis est, nihil sibi vendicat proprium: sed ita in corpus omnia confert, vt magis corporis quàm mẽbri actiones perfectionesque esse videantur. Quocirca illud absurdum est, quòd ij, scilicet quibus cum nunc differitur, eam curam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, quia debent carere. Non enim probant, verba Christi minimè ad ecclesiam attinere, probant attinere ad singulos: quod contrà oportebat, si propositum illis erat argumenti vires infirmare. Nos sanè, quemadmodum scimus animam actum & perfectionem esse maximè quidem corporis Physici organici, secũdo autem loco membrorum etiam singulorum: in quibus varias licèt edat functiones, sed omnes illę & corporis propriè sunt, & propter corpus ipsum membris à natura tributæ. Ita spiritum veritatis ad corpus primùm ecclesiæ referimus, deinde propter ecclesiam ad singulas etiam ecclesiæ partes, non ex æquo, sed analogia & proportione quadã iuxta mensuram vniuscuiusq; membri. Vnum corpus, inquit, & vnus spiritus. Vnicuique autem nostrum data est gratia secũdùm mensuram donationis Christi. Quænam verò hæc mensura Christi est? Secundùm operationem, ait, in mensurã vniuscuiusq; membri. Spiritus ergo suo quidem modo singulis promissus est: vt magnos doceat, doceat & paruulos. At paruulis lac potum 1. Cor. 3. datur, maioribus solidum cibum. Illis Christum loquitur, & hunc crucifixum: his loquitur sapientiam in mysterio absconditam. Verùm singulis membris sic spiritus veritatis adest, vt non solùm corpori vniuerso non desit, sed corpori quàm membris priùs potiusque intelligatur adesse. Quin etiam, si veritas omnium membrorum donum est, tunc nimirum illa erit & firmior & certior, cùm in eam omnia simul membra concurrerint. Quamobrem si quid falsi haberet ecclesia tanquam fidei catholicæ dogma, nec spiritus Christi æternum cum fidelibus permaneret, neq; eos omnem doceret veritatem. Quæ, nisi Christi pollicitationes vanas & irritas facimus, vera rataque esse non possunt. Ac si dogma falsum ecclesia credere, tenendũmue proponeret, quantlibet ex ignorantia id faceret, quomodo colũna & firmamentum esset veritatis? Certè si veritas 1. Tim. 3.

in ecclesiæ

in ecclesiæ humeris innixa est, deesse illi omnino non potest, nisi & ecclesiæ suæ Christus, & Christo ipsa veritas desit. In summa, si ecclesia posset in fidei quæstione falli, librum quoq; vt diuinum recipere posset, qui tamen à Deo non fuisset. Cũ sit eadem ratio de vno libro, ac de vno quolibet dogmate. Quare non valeret argumentum, Ecclesia habet euangelium Matthæi pro canonico, ergo canonicum est. Quod, quoniam impijssimè & absurdissimè diceretur, illud nos dicamus potiùs, rectè fideles ecclesiam catholicam credere, non solùm in eo sensu, vt Ecclesiæ catholicæ fides deficiat nunquam: sed in eo etiam, vt nihil ipsa credere aut docere possit, quod sit veræ fidei contrarium. Subdolè aũt atq; versutè mentem nostram Caluinus Bucerusque interpretantur. Quasi in eum sensum ecclesiam negemus errare posse, quòd spiritus fauore ac præsentia fretã, quocunq; volet pergere, tutò etiam sine verbo incedat. Proinde, si quid præter Dei verbum crediderit, statuerit, finierit, id habendum esse non alio loco quàm certum Dei oraculum. In hoc igitur discrimen esse aiunt, quòd nos ecclesiæ auctoritatem extra verbũ Dei collocamus: ipsi verbo annexam volunt, nec patiuntur ab eo separari. Laborat autem Caluinus vehementer in ijs locis colligendis, in quibus prophetæ, Apostoli, atq; adeò Christus ipse nihil ex se attulisse, sed de ore domini locuti fuisse memorantur. Conficit multò æquius esse, ecclesiam Christi discipulam ab eius ore assiduè pendere: nec ex se sapere aut cogitare quicquam, sed statuere sapientiæ suæ terminum, vbi loquendi finem ille fecerit. Sãctissimè enim Chrysostomus: multi, inquit, Spiritum sanctum iactãt, sed qui propria loquũtur, falsò illum prętendunt. Vt Christus non à se ipso loqui se testabatur: ita si quid præter euangelium sub titulo spiritus obtrudatur, ne credamus. Sanè Christus nihil plus de suo spiritu denunciat expectandum, quàm vt mentes illumi net ad percipiendam doctrinæ suæ veritatem. Spiritus, ait ducet vos in omnem ve- Ioann. 14. ritatem. Sed quomodo? Quia suggeret omnia quæcũq; dixero vobis. Hæc omnia Caluinus. Nam Bucerus dixit multò etiã indoctiùs, tunc esse ecclesiæ credendum, cùm pronuntiat secundùm scripturas rectè intellectas. Sed hoc cùm dicit, omnia facit ambigua, quæ sint ab ecclesia definita. Si enim aliter potest pronũciare, quàm scriptura sanè intellecta exigit: excipiemus semper, ecclesiam in eo falli, q̃ falsò scripturam intelligit. Ecquis verò iudex erit, an ecclesiæ scripturam ritè an secùs interpretetur? Nihil igitur afferunt, qui ecclesiæ auctoritatem non absolutè, sed ex conditione ponunt. Si nanque ad eum modum res habet, & mihi quoque fides habenda est, quando pronuntiauero secũdùm scripturas rectè intellectas. Id enim est non mihi, sed scripturæ credere. At, absolutè, non ex conditione populus domino credidit & Exo. 14. Moysi seruo eius. Absolutè etiam prophetis & apostolis populi crediderunt. Quale verò esset prophetis apostolisque loquentibus fidem ea exceptione detrahere, q̃ perperam Dei verba intellexissent? Quale item esset, si illa quoq; exceptio adderetur, Mendacium tu loqueris, non misit te do- Hierem. 43. minus Deus noster? Ac valde mirum est, tam nihil esse frontis istis nebulonibus. Quid enim tandem auctoritatis in ecclesia erit, si in omni dogmate, lege, definitione, dupliciter eludi potest: q̃ aut sermonem ipsa suum efferat, aut, si sermo domini sit, non sanè intellectum? Sed redeo ad Caluinum, qui cùm sibi vulgatum illud domini testimonium obiecisset, si ecclesiã non Matth. 18. audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, fatetur demum ecclesiam audiendam esse: vt quæ nũquàm nisi in veritatem Dei consentiat, nihil nisi ex verbo domini pronuntiet. In hoc se insistere, non licere ecclesiæ nouam doctrinam condere, & plus pro oraculo tradere, quàm quod dominus verbo suo reuelauit.

Homil. de sancto et adorando Spiritu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verũ enimuero inter suos hic mirificè garrit,& vel stultè ignorat, vel maliciosè mẽtitur,cũ dicit,nos id pro oraculo fidei habere, qđ homines sine Dei reuelatiõe cẽsuerint. Nos sanè fidẽ nostrã indiuiduo nexu cũ verbo Dei cõiunctã esse volumus, nec vllũ ecclesię assensum fideter firmeq; sustinemus,nisi quẽ à Deo extitisse habem⁹ cognitũ & firmo conceptũ animo. Sed illud quoq; certò nobis persuasum est,dominũ ecclesiæ suæ ppetuò ac cõtinenter adesse, & eã spiritu suo regere; ne quicquam pro fidei doctrina tradat,qđ nõ idẽ fuerit apostolis à Deo traditũ. Ita oẽs prophanas nouationes execramur,oẽq; illud in fidei iudicio respuimus,qđ nõ apostoli ecclesiæ tradiderint. Nõ ergo in hoc, sed in eo potissimũ cardine quæstio versatur,qp Lutherani negãt ecclesiã quicq̃ sine scripto ab apostolis accepisse: nos cõtrà plura esse accepta asseueramus. Qua de re et multa aliàs sæpe di-
Libro.7. ximus,& dicem⁹ multa posteriùs. Quanq̃ in superiore libro adeò plenè ac copiosè quæstio hęc explanata est,vt nihil pręterea desiderãdũ esse videatur. Ipsa mihi veritas manũ iniecit,& paulisp cõsistere & cõmorari cogitũdũ priores cõclusiones explico. Celeriùs ꝓinde in posteriores incurrẽdũ.

Tertia conclusio. Sit igitur tertia conclusio. Non solùm ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed ne ecclesia quidem, quæ nũc est quæuè futura est vsq; ad cõsummationẽ seculi,errare in fide aut potest,aut poterit. Hæc conclusio partim ostensa est in libri secundi capite septimo: partim ex his,quæ dudũ diximus cõprobatur. Nam pollicitationes Christi de presentia sua,de spiritu veritatis, de regno ipsius sempiterno, de corpore cuius ipse erat futurus caput,non ad ecclesiam modò,quæ fuit tempore apostolorũ, verùm etiã ad ecclesiã catholicã, quæ futura erat in seculi finẽ, pertinere necessũ est. Id quoniam ex argumẽtis, quæ prioribus conclusionibus confirmãdis posita sunt, manifestè colligitur: vanum profectò erit, aut acta agere,si eadem argumenta repetimus,aut si noua ponimus,vti in re non dubia rationibus minimè necessarijs. Certò q̃ ecclesię presenti spiritũ veritatis negare potẽdent, is negabit eidẽ potestatem ligandi atq; soluẽdi, negabit sacramẽta & sacerdotiũ,omniaq; adeò Spũsancti charismata. Ita nũc ecclesia Christi ad nudũ nomẽ cõtrahetur, eritq; sine re vocabulũ cõmentitiũ. Verùm de tertia cõclusione hactenus.

Quarta conclusio. Quarta cõclusio. Nõ solũ ecclesia vniuersalis,id est,collectio omniũ fideliũ hũc veritatis spiritũ sempiternũ habet: sed eundẽ habent etiã ecclesiæ principes ac pastores. Dixim⁹ n. ecclesiæ vocẽ & pro populo fideli & ꝓ ecclesiæ pastoribus vsurpari. Priores itaq; cõclusiones illud astruebant, quicqd ecclesia,hoc est,omniũ fideliũ cõcio teneret,id verũ esse. Hęc aũt illud affirmat, pastores ecclesiæ & doctores in fide errare nõ posse: sed quicqd fidelẽ populũ docẽt,qđ ad Christi fidẽ attineat,esse verissimũ. Hãc cõclusionẽ mox ostẽdã,si prius admonuero: pastoris vnius & alterius itẽ errorẽ pastorũ omniũ fidei non derogare. Sicut ne paucorũ quidẽ fideliũ error fidei derogat populi Christiani. Pastores igitur ac doctores omnes à fide nunquam posse aberrare contẽdimus. Sic est sanè.

Id primũ,mea sentẽtia quidẽ,manifestè demonstrat illud Apostoli testimoniũ. Fit *Ephe.4.* ipse dedit quosdã apostolos, quosdã autẽ prophetas,alios verò euãgelistas, alios aũt pastores & doctores ad cõsummationem sanctorũ,in opus ministerij,in ædificationem corporis Christi: donec occurramus oẽs in vnitatẽ fidei & agnitionis filij Dei in virũ perfectũ: vt iam nõ simus paruuli fluctuãtes,et circũferamur oĩ vento doctrinę in nequitia hominũ,in astutia ad circunuentionẽ erroris. Sanè si pastores ac doctores huc atq; illuc errarẽt,à rectoq; fidei tramite discederẽt,oues ꝓfectò ipsæ etiã errarẽt, nec aliter q̃ sine pastore dispsæ vagarẽtur. Cũ pastor. n. per abruta graditur, necesse est,qđ Gregorius ait,vt ꝓ precipitiũ grex sequatur. Nec fieri põt,nisi vt mẽbra reliqua eò defe-

rẽ deferãtur,quò & oculi suã vim atq; acie intẽderint,& caput sese inclinauerit atq; deflexerit. Benè ergo Paulus,ne populus varijs doctrinę vẽtis circũferatur,diuinę ꝓcurationis esse astruit,doctores & pastores ecclesiæ dare: quorũ videlicet auctoritate plebs sua natura cõcitata atq; mutabilis in fidei constãtia superno munere cõtineatur. Quòd si nullũ ecclesiæ suæ pastorẽ daret Christus,iã sine dubio ouile sũ pastor bonus ille desereret. Atq; multò melius ecclesiæ est nullos habere,q̃ errãtes habere. Si igitur pastores ad vnũ oẽs à veritate discederẽt,oues suas Christus,vel maximè destituisset. Præterea,si pastores oẽs in errore aliquo versarẽtur,ijdem oĩno populũ aut de statu suo, & sede mouerẽt,aut certè nutare facerẽt,vacillare,fluctuare. Ita domus Christi non esset colũna & firmamẽtum veritatis. Faciamus insuper oẽs simul episcopos in eãdem sentẽtiam cõuenire,hãcq; populo rudi credẽdã proponere: tũc rogo, an populus hos seq; debeat,an nõ? Si debet,cũ errãtibus ergo sacerdotib⁹ & episcopis plebs quoq; erret necesse est. Quare sacerdotũ omniũ error totius erit error ecclesiæ. Sinautẽ populò oium pastorũ doctrinã leuẽ existimare licet,vide quęso,an hac sentẽtia absurdior alia dici, aut existimari possit. Si. n. hinc pastores inde oues in cõtrarias pãrtes separẽtur: corporis cõpacti ac per oẽm iũcturã cõnexi disiũctio oẽm ecclesiæ distrahet vnitatẽ,& nõ solũ inter optimates & populũ constitutã à Christo societatẽ euertet, sed cõem etiã inter se fideliũ consociationẽ dirimet, cuius cõsociationis arctissimũ vinculũ fides est cõspiratio eadẽ & cõsensus partiũ non diuulsus. Diuulsus aũt oium erit,si populorũ mẽbra à suis capitib⁹ diuellãtur. Atq; vbi semel plebs rudis à doctorũ suorũ cõi sentẽtia declinauerit, quorũ doctrinam *Matth. 5.* postea secutura est? Si salẽ abiecerit,in quo sa-
Luc.11. lietur? Si à luce mẽtis aciẽ abduxerit, qd nisi tenebras intuebitur? Si oculus est malus, nõ-
Matth. 23. ne et corp⁹ tenebrosum erit? Vbi verò illud, Sup cathedra Moysi sederũt scribæ & Pharisæi,quodcunq; dixerint vobis facite? An ne meliore statu & cõditiõe scribæ & Pharisæi erũt,q̃ ecclesię Christi pastores ac doctores? Certè,si præsentibus solũ & nõ item futuris dñs loqueretur,vt auctor imperfecti argumẽtatur,dicta illa fuissent,nõ scripta. Dicta sunt *Homi. 42. in Matth.* aũt propter illos,scripta ꝓpter istos. Ad hæc, Veritas fidei in catholicorum cõtrouersijs, quẽadmodũ in secũdo libro cõstituimus libris q; etiã quinto & septimo cõfirmandũ est,nõ est à populo quærẽda. Tũ qm̃ id esset operis infiniti,vt ad quæstionẽ vnã quãlibet decernendã oium sentẽtia fidelẽ rogaretur: tũ etiã qm̃,vt fieri id cõmodissimè posset,nõ deceret tm̃,aut cerdonũ,aut mulierculariũ singillatim inquirere & expectare iudiciũ. Siuẽ. n. vnũquenq; seorsum interroges de quæstiõe, quæ in dubiũ venit, seu vniuersos velis in concilium cogere, ridicula sanè futura sit huius generis inq̃sitio. Ita ꝓ ecclesiæ auctoritatẽ nulla penitus cõtrouersia finiretur,si ad eã finiẽdam totius cõsensum plebis requirere deberemus. Addẽdum eodẽ est,qđ iã prídẽ diximus; quædã ad doctrinã fidẽq; ecclesię pinere,quę populares prorsus ignorãt. Vt patrẽ & filiũ esse vnũ principiũ Spũs sancti,aĩam intellectualẽ esse formã substantialẽ humani corporis, Librũ Esther esse canonicũ,aliaq; similia. In qbus sentẽtiam populi requirere tã est absurdũ,vt nõ in sapientiũ modò animos, sed ne in stultorũ casurũ sit. Nec in. placere cuipiã põt,tãtas res imperiti vulgi calculis iudicari. Præterea in epistola Ephesini cõcilij ad Nestoriũ id à Nestorio, si facere satis ecclesiæ velit,exigitur: vt iureiurãdo fateatur,sentire se & docere quæ vniuersi ꝓ oriẽtem & occidẽtem episcopi prẽsidesq; populorũ crederẽt ac docerent. Quæ eadẽ epistola cõprobata etiã est à sexta synodo. actio. 11. In cõcilio itẽ Triden. sessio. 3. definitũ est,ecclesię esse iudicare de vero sensu & interpretatione scripturarũ. At totã fidelium cõgregationem de re eiusmodi velle iudicium ferre,insanũ esset. Pastores igitur ecclesię ac doctores illi sunt,ad quos id genus *Euse. lib. 4. eccle. histo. cap. 22.* iudicia pertinet. Atq; Egesippi diligentissima fidei inquisitio Eusebij Cæsarien. literis cele-

Universidad de Deusto
Biblioteca

brata est, qui, cùm Romam pergeret, non populariũ sentẽtiam de fide requisiuit, sed satis sibi fecisse ad fidei suæ confirmationem visus est, si episcopis per loca singula in sermone congressus omnes eiusdem fidei prædicatores doctoresq; repererit. Irenæus rursum cùm ecclesiæ auctoritatem hæreticis obijcit, episcoporum tantùm sententiam obijcit secundùm seriem ab apostolis succedentium, horumq; sensum & fidem ecclesiæ sensum & fidem existimat: & illis qui refragetur, eum ecclesiæ refragari. Cyprianus item in libro de simpli. præla. An esse sibi, inquit, cum Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri societate secernit. Arma ille contra ecclesiam portat, cõtra Dei dispositionem repugnat, &c. qui contemptis episcopis & Dei sacerdotibus derelictis audet. &c. Et in epistola ad Pupianum, Christus dicit ad Apostolos, ait, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatiõe succedũt, Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit. Et posteriùs asserit, ecclesiam non esse multitudinem contumaciũ, sed plebem sacerdoti adunatã, & gregem suo pastori adhærentẽ. Vnde qui cum episcopis non sint, eos in ecclesia non esse: frustraq; sibi eos blandiri, qui pacem cum sacerdotibus non habuerint. Cùm ecclesia, quæ catholica vna est, scissa non sit, sed cõnexa, & cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulata, &c. Augustinus demum, quoniam lõgum est omnes commemorare, cùm aduersum hæreticos ecclesiæ auctoritate nititur, episcopos apostolis ad sua vsque tempora succedentes planè intelligit.

Lib. 3. c. 3. Li. 4. c. 43. & 63.

Nona. 4. li. 7. q. 1. Scire debes.

Lib. 28. cõ. Faustũ. c. 2 & libr. 33. cap. 6.

¶ *Aduersus hanc postremam conclusionẽ obiectiones quædam. Caput quintum.*

ATque in harum cõclusionum & explicationem & cõfirmationem abundè hæc dicta sufficerent, nisi huic postremæ illud à quibusdam Theologis obijceretur: quòd tempore dominicæ passionis apostoli omnes Christi fidẽ amiserũt: quòd fieri, vt & episcopi omnes apostolis succedentes possint Christi fidẽ amittere. Nam quòd eo tẽporis in sola beata Virgine fides permanserit, candela, inquiunt, illa significat: quæ in officijs eorum dierum sola non extinguitur, vnde discipuli lumen, quod amiserant, receperunt. Quoniam autem ratio hæc infirma illis etiam videbatur, eãdem omninò rem & sanctorum veterum & scripturæ sacræ testimonijs confirmant.

Primum ergo argumentum ex illo trahitur, quod per Matthæum dominus dicit, Omnes vos scãdalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, id est, ab vnitate fidei soluẽtur. Sic enim Glosa interlinearis exponit. Cap. 26.

Secundum, ex eo quod apud Lucam legitur, verba mulierum nunciantium Christi resurrectionem visa apostolis esse quasi deliramenta. Cap. 24.

Tertium, ex eo quod Marcus tradit, Christum exprobrasse omnibus apostolis incredulitatem & duritiam cordis. Cap. 16.

Quartum, ex Augustino in illud psalmi, Defecerũt oculi mei, omnes, inquit, discipuli desperauerunt, quòd ipse esset Christus. A latrone apostoli victi sunt, qui tũc credidit, quãdo ipsi defecerunt. Refert etiã Cardinalis Turrecremata in hoc idẽ Ambrosium, Hieronymũ, Gregorium, Isidorum. Verùm, difficile est, de eorum facilitate, perinde vt causa postulat, dicere: qui huiusmodi argumentis permoti, apostolos in vniuersum omnes fidem perdidisse aiunt. Id quod nõ cum ratione solùm, sed etiam cum sacris literis pugnat. Nam, vt de Petro taceamus, cuius fidem non defecisse, posteriùs demonstraturi sumus, adhuc opinio illa de cæteris apostolis non modò nõ certa, sed ne probabilis quidem est. Psal. 6. Lib. 6. epistolarum.

Apostolos defuisse in fidei Turrecre. concedit. 2. lib. sum. c. 61.

Discipuli,

Matth. vlti. Discipuli, inquit, abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus: & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Quidam, ait, non omnes. Video autem, hanc dubitationem à nõnullis non ad apostolos, sed ad alios nescio quos discipulos referri: sed mihi semper Theophilacti magis ac Remigij sententia placuit, qui illã docent ad tẽpus, quo Christus ante discipulis apparuerat, referẽdam. Id quod Marcus, vt opinor, intellexit: cũ ait, Increpauit incredulitatem & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eũ resurrexisse, nõ crediderãt. Siue enim apparitio hæc, quam Marcus scribit, in die Ascẽsionis fuerit, vt multis placet, siue antea, quemadmodum nonnullis etiam videtur, dubitãdum nõ est, quin eas increpationes hic Marcus recapitulando perstrinxerit, quas sparsim alij euangelistæ conscripserunt. Quia ijs, inquit, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Constat autem ex alijs euangelistis incredulitatem & duritiam cordis ex ea scilicet causa, quia his, qui viderant Christum surrexisse, nõ est creditum, non ad omnes apostolos pertinere. Petrus nanque & Ioannes audito nuntio cucurrerunt ad monumentum: ac Iacobus iuxta Hebræorum euangelium ab hora, qua biberat domini calicem, iurauit se non comesturum panem, donec Christum videret resurgentem: vt auctor est Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Non igitur omnes apostoli fidei iacturam fecisse credendi sunt: nisi, quod absurdum est, omnes infideles fuisse credideris. Non enim fides semel à Christiano suscepta, nisi per infidelitatem tollitur. Illud absurdius, hæreseos notam apostolis vniuersis inurere. Quod qui faciunt, idq; sine idoneis & vrgentibus causis: hi nõ solùm illis, sed Christo etiam & ecclesiæ iniurij sunt. Iam argumenta illa infirma esse quis non videt, quæ auctores illius opinionis subiecerũt? Quæ q; dẽ partim à nobis antè confutata sunt, partim vno nũc verbo confutabuntur. Si enim quicquam probãt, id solùm probãt: apostolos in fidei confessione defecisse: aut etiam in fide viua, quæ per dilectionem operatur. Huc verò referri potest cõsuetudo illa ecclesiastica extinguẽdi oẽs cereos præter vnũ. Quanquam Rupertus lib. de diui. offi. 5. asserit, extinctos cereos priores significare prophetas à Iudæis interẽptos: at cereũ illũ, qui ad breue tẽpus abscõditur, significare Christũ. Sanè verò etiã si apostoli tunc tẽporis fide caruissent, nihil tamen cõtra conclusionẽ haberetur. Nam, vt Augustinus admonuit, tunc apostoli defecerũt, cùm nõdum erãt duces ecclesiæ: nec illud impletũ fuerat, Ego cõfirmaui columnas eius. Vnus ergo tunc erat pastor Iesus Christus. At Petrus ac reliqui apostoli postea q; à Christo pastores constituti sunt, sine cõtrouersia fidem semper catholicam tenuere. Cæterùm, quod hæretici calumniãtur, pastores ecclesiæ homines esse fallereq; proinde ac falli posse: argumẽtum exiguum sanè atque mendicum est. Aliud quippè fuerit de humanæ naturę imbecillitate disputare, aliud de diuina gratia & prouidentia, qua homines in veritate fidei continentur. Tota nanq, simul fidelium concio homines sunt. Prophetę item apostoli & euangelistę homines erant: sed quoniam spiritum veritatis accepere, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo & ecclesiæ doctores vniuersi homines quidem sunt, sed quoniam diuino spiritu gubernantur & aguntur in vera dogmata: nequeunt in falsa declinare. In psal. 44.

Illud autem, q; ineptum, q; friuolum, q; ridiculũ? Quòd quidã interpretãtur, ideo nos in ecclesiã non credere, quia homines sunt: tois verò homo mẽdax. Non est hæc illa profectò causa, quæ grauissimos viros adduxerit, vt in ecclesiam credendum esse negarent. Sed antiquior & pulchrior & ab auctoribus ipsis profecta alia causa est. Augustinus q; ppè credimus, ait, Petro, credimus Paulo, in Paulũ aut Petrum nõ credimus: credere enim in eum, est credendo amare, In psal. 77. et tract. 29. in Ioan. De pœn. d. 2. §. Ex præmissis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amare, credendo in eũ ire. Hactenus Augustinus. Et Ruffinus, Non dicitur, inquit, in sanctã ecclesiã, sed sanctam ecclesiã credendam esse, non vt Deũ, sed vt ecclesiã Deo congregatam. Hac itaq; præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur. Hęc ille. Ob id igitur auctores hi non admittunt, vt in ecclesiam credamus: quia ecclesia fidei nostræ finis non est.

Exístit autem hoc etiam loco quædam quæstio subdifficilis. Cùm enim à Hieronymo dupliciter ecclesia dicatur: etea, quę non habeat maculã aut rugam, & verè corpus Christi sit: & ea, quæ in Christi nomine, absq; plenis virtutibus, imò cum viujs quibusdã admixtis, cõgregetur: vnde nobis cõstare poterit, vtrónã modo nomen ecclesię capiatur: cùm dicitur colũna & firmamentũ veritatis? Hæretici siquidé quicquid in scripturis proditum est, quod ad ecclesiæ, vel auctoritatẽ spectet, vel veritatem: id totum nõ in posteriore sensu, sed in priore accipiẽdum cauillantur. Concedũt itaq; spiritũ veritatis ecclesiæ sanctorum: ecclesiæ, quæ malos habeat permixtos, nõ concedunt. Nec ea se solùm ratione tuentur, q̃ in voce ambigua liberum est vtranlibet significationem eligere: sed argumentis alijs in id etiam incumbunt, vt hoc loco & quæstione ecclesiæ nomen non aliter vsurpãdum esse persuadeant. Illud primum est, q̃ Hieronymus sentit, ecclesiam in secundo significatu abusiuè dici: vt fortis, inquit, prudens, castus, iustus & temperans, interdum plenè pro his, qui perfectæ virtutis sunt, interdũ abusiuè pro his, qui sunt incipientes, accipiuntur. Si ergo prior significatio ꝓpria est, posterior impropria: commodiùs sine dubio ecclesię vocem in illa priore, hoc est, pro iustorum concione vsurpabimus. Rursum, cùm Apostolus illa dicit, Ecclesia subiecta est Christo, &, Christus dilexit ecclesiã, &c. &, Christus caput est ecclesię, ipse saluator corporis eius: vox illa pro sanctorũ congregatione accipitur, vt Hieronymus Augustinusq; interpretati sunt, quid igitur causæ erit, cur aliter accipiamus: cũ ecclesiã scribit Apostolus colũnam esse ac firmamẽtum veritatis? Præterea, encomio illo nobilitauit Paulus non ecclesiã quanlibet, sed eã quæ esset domus Dei. At domus Dei soli iusti esse crédũtur, vt etiã Augustinus ait, nõ ergo colũmna veritatis est nisi ecclesia sanctorũ. Præterea, Augustinus disertè docet, domũ ecclesiãq; Dei, quæ in bonis solùm fidelibus est & sanctis Dei seruis, eã esse quæ ædificata est supra petrã, quę etiã claues accepit ac potestatẽ soluẽdi & ligãdi. Eadem ergo domus Dei est, quæ est colũna & firmamentum veritatis. Quãobrem, si pastores, qui ecclesiæ sibi nomen vendicant, mali sunt: non ad eos hæc & alia similia pertinent.

In comm. ad Gala. 1.

Lib. 7. cõtra Donat. c. 24. q. 1. omnium. Eo. libr.

Quod & Augustinus idẽ multis alijs locis confirmat. Quæ si vera sunt, non solùm conclusio illa postrema, quæ nũc expendi tur, sed reliquæ omnes funditus euertuntur: & quicquid omnino hoc nobis loco constitutũ est. At verò, quanquam in eam sentẽtiam hæc & alia plura ab hæreticis disputãtur, nos tamen ecclesiam sequi oportet, & ab omni, quod abhorret ab ipsius approbatione, fugere. Primùm aũt hoc intelligendũ puto, quæ nũc ab illis defensionis ratio viaq; tentatur, eam nõ modò nostras rationes euertere: sed ad id etiam deducere, quod fidei catholicæ rerúq; omnium publicarũ naturæ dissonum atq; inimicũ sit. Si enim spiritus veritatis solũ bonis à Christo est in euãgelio promissus: cæteræ quoq; promisiones ad ecclesiam, quæ ex solis iustis cõstituitur, pertinebũt. Quocirca, dicendum est enim sæpiùs, nec legũ ferenda rũ auctoritas, nec clauiũ potestas, nec peccatorũ remissio, nec doctrinę vis, nec sacerdotij religio, nec vlla oĩno publica euãgelij facultas, nisi in ecclesia oĩ exparte bona inuenietur. Cũ verò in ecclesia catholica, quę inde ab apostolis fuit, semper fuerint mali bonique permixti: in ea nimirũ nulla fuisset firma fides, nulla certa veritas, nulla expressa potestas, nulla solida auctoritas. Ita oĩa, quæ

Lib. 1. cõtra Donat. cap. 18. & libr. 5. c. 21. & lib. 2. c. 3. q. 1. multitudo. dc. & lib. 4. Quomodo exaudit.

quæ, vel pontificum, vel conciliorum, vel totius etiam ecclesiæ consensione decreta ac definita sunt, nullas omnino haberent vires. Siue enim excipias, eos nõ esse iustos, siue, vt iusti sint, esse tamen nobis incognitos: vtralibet via & modo illorum dogmata, scita, leges, eludes. Eritq;, quẽadmodum supra diximus, res Christi publica omniũ, quę fingi possunt, stultissimè atq; absurdissimè cõstituta. Itaq; fit, vt verum illud, quod initiò dixi, spiritum veritatis, fidei catholicæ fulcimentum, cæteraq; Spiritus sancti charismata ei ecclesiæ esse & promissa & data: quam apostoli sua doctrina miraculisq; fundarũt, ad quam ijdem suas cõscripsere epistolas, quam in terris semper habuit Christus, quam sacræ literæ aptè prudenterq; describũt ex bonis ac malis piscibus, ex frumento & zizanijs, ex tritico & palea, ex fatuis sapientibusq; virginibus, è seruis probis improbisq; cõstanté. Hæretici ergo ecclesiæ nomẽ sibi habeãt & inuidiosum & obscurũ, eamq; ecclesiam interpretẽtur, quam adhuc nemo est mortaliũ intuitus: nos autem ecclesiam ex consuetudine tum diuini sermonis tum etiã vitę nostræ interpretemur. Nec metiamur eã, vt superbi & arrogantes, verborũ magnificẽtia: sed ecclesiã eam, quæ habetur, exitiosissimus, illam autẽ omittamus, quæ omnino nusquã reperitur. Homines enim sumus, remq; proinde publicã, quę est in hominũ vsu vitaq; cõi, non eam, quæ fingitur, spectare debemus. Quæ omnia sic à me dicta existimari velim, non vt nulla in terris sit coram Deo bonorum multitudo atq; collectio, quæ & ecclesia, & spõsa, & amica Dei in sacris literis nuncupetur: sed vt eos nos à malis in domo, & ecclesia Dei minimè separemus, vbi vasa aurea & argentea sunt lignea quoq; & fictilia: non in honorem omnia, sed quædam vel in contumeliam. Verũ hæc explanata sunt antè satis, vt arbitror, diligẽter. Iã argumentis illis respõdeamus, quæ modò suggessimus: nam ijs, quę à principio libri huius sunt posita, capite sequenti eodéq; postremo respõdebimus.

In voce, inquiũt, ambigua licet è multis vnũquodlibet significatũ accipere. Minimè, inquam, gentiũ. Sed antecedẽtia primùm & consequẽtia spectanda sunt: deinde considerandum, quæ natura rerum sit, quid cohęreat, quid repugnet, multaq;, omnino alia, quæ nos in tertiodecimo libro accuratiùs & exquisitiùs persequemur. Quòd si vbi dona ecclesiæ Christus pollicetur continẽdis in officio ac veritate fidelibus necessaria, ea nos ad latentia solùm & inuisa mẽbra referimus: inania profectò essent dona illa, parúq; ad cõem vtilitatẽ accommodata. Quin, vt suprà ostensum est, noxia essent, ac pnicioſa valde, quippe quæ perditissimis quibusq; ciuibus & dissidiorũ præberẽt perpetuas causas, & in omnibus omnino flagitijs impunitatẽ ac licentiam sempiternã. Iam verò si ratione duce ac magistra eum iniuriũ principi bono & sapiẽti censemus, qui illius priuilegia sic interpretatur, vt nõ solùm frustra, sed in perniciem concessa esse videãtur: quantò magis ille erit Christi iniquus, prauus & malicioſus interpres, q̃ gratias & fauores, quos reipublicæ suæ promisit Christus, in eũ sensum acceperit: qui nõ modò vanitatẽ præ se ferat, sed afferat vel exitiũ? De ecclesia igitur, quę bonos simul malosq; cõplectitur, locus ille Pauli cæteriq; similes intelligẽdi sunt. At talis cõcio ac cœtus abusiuè ecclesia dicitur. Id primùm nego. Nec enim de forti, prudenti, iusto ac temperanti eadem est causa. Fateor siquidem cum Hieronymo, eiusmodi virtutum vocabula ad incipientes atq; imperfectos non nisi per abusum traduci posse. Quoniam vera virtutis definitio non illas inchoãtes &, vt ita dicã, informatas dispositiones, sed habitus planè absolutos atq; perfectos exprimit: quemadmodum Aristoteles, Diuus Thomas, ac reliqui veri Philosophi tradiderũt. At ecclesię vox nihil tale indicat, quale isti fingunt, vnde malos ab eo cœtu excludamus: q̃ ecclesię sibi nomẽ propriè vẽdicat.

Quamob

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quamobrem nulla est improprietas, nullus abusus, si ecclesia etiam ea nũcupetur, quæ in vno baptismo, vna fide, vna religione, improbos habeat probis admixtos.

Quanquam aliter dein respondere possumus, Hieronymum de ecclesia Christi in eum sensum ferè loqui: in quo populũ Dei, domum Dei, seruos Christi propemodum vsurpamus. Fit enim nescio quomodo, vt casus gignendi additus ad bonos potissimùm vocum illarum intelligẽtiam deducãt. Ita si ad ecclesiam vitio deprauatam referantur, abusus fortasse nonnullus est: qui mente magis concipi, q̃ verbis significari potest. Nam & populus Dei ille in sacris literis dicitur frequentissimè, qui Deo peculiariter dicatus est, in quo scilicet Dei fides viget ac cultus: quanuis in eo sint alii qui peccatores. Sed ad Hieronymi testimonium satis.

Dupliciter homo Dei dicitur. S. Tho. 1. p. q. 48. arti. 4. ad primũ.

Ad id verò, q̃d subiunctum est capite sequenti respondebimus, vbi explicabitur, quónam sensu ad Ephesios. 5. Apostolus ecclesiam nominarit. Quòd autẽ domus Dei etiã illa sit domus magna, in qua sunt vasa aurea & argentea lignea quoq; & fictilia: non est necesse demonstrare. Id tamen, etsi perspicuum est, ad futurum tempus reseruamus, cũ primi capitis argumenta diluentur. Iam, quod postremo loco ex verbis Augustini obijcitur, id cautè & legendum & audiendum est: quemadmodum ante nos viri ecclesiastici admonuerũt. Possunt enim verba illa duplicem sensum ingerere. Vnum, vt soli iusti intelligantur Christi & ecclesiæ administri esse, soli remittere peccata, soli ecclesiasticam habere & auctoritatẽ & potestatem. Quem sensum constat non rationi solùm, sed ecclesiæ fidei sacrisq; etiã literis repugnare. Sed de hac re non est huius, aut loci, aut instituti disserere. Alter ergo sine dubio Augustini sensus est; vt soli iusti dicãtur claues regni cælorum, potestatem ligandi ac soluendi, spiritum veritatis & reliquas spirituales gratias accepisse: quòd vniuersa dona hæc non propter malos, sed propter bonos ecclesiæ & promissa & collata sint. Sic enim quæ œconomis ac dispensatoribus paterfamilias tribuit in familiæ commoditates distribuenda, non œconomis hæc, sed familiæ ipsi tributa esse intelliguntur.

Sic quæ episcopis & clericis populus dedit in pauperum expendenda vsus: ea non episcopis & clericis, sed pauperibus dicitur contulisse. Sic etiã, si princeps homini ignoto quicquam ob amici sui preces meritũq; donarit, id iure ac verè dicet se non homini ignoto, sed amico donasse. Ad quam omninò legem illa quoq; explicanda sunt, quæ ex Augustino contra Petri & successorum eius auctoritatem afferuntur. Claues non vnus homo Petrus, sed vnitas accepit ecclesiæ. Item, Potestatem ligandi ac soluendi Petrus cum omnibus tanquam personã gerens ipsius vnitatis accepit. Item Ecclesiæ claues datæ sunt, cùm Petro datæ sunt: & cùm ei dicitur, ad oẽs dicitur: Pasce oues meas. Quæ oĩa, vt opinor, nihil aliud significant, q̃ Petrum ac cæteros ecclesiæ ministros, nec sibi, nec ob sua merita, sed ecclesiæ obq́e ecclesiæ causam claues, reliquaq́; euãgelij publica munera accepisse. Quanquam priora illa scio aliter ab alijs interpretari. Sunt enim qui ea referant ad vsum potestatis: quem mali, quia legitimũ habere non possunt, dicuntur non habere. Alij referunt omnino ad gratiam non illam sacramentalem, quæ etiam per malos ministros dari solet, sed quæ precibus ministri respõdet, vt de con. d. 4. Quomodo, Augustinus videtur significare. Alij tandem existimant, Augustinum de publicis raptoribus, vsurarijs, concubinarijs, sacrilegis, loqui. A quibus olim, perinde vt si essent ab ecclesia præcisi, non licebat sacramenta percipere. Ideoq́; illiusmodi ministri gratiã sacramentorum non dabant. Verùm hoc disputare, vt sæpè iã diximus, non est huius diei ac temporis. Et Valdensium insania iam pridem exposa est: nec in eo negotio nos nunc oportet elaborare.

In ser. de post. Pet. et Paul. Hom. 1. 2 in Ioan. in lib. de Eccle. dog. cap. 30.

Con. D. lib. 5. c. 21.

Itaq́;

Itaq́; de his dictum est satis. Nunc argumenta, quæ à principio contra ecclesiæ auctoritatem posita sunt, quàm breuissimè possumus, refellamus.

Caput postremum, in quo argumenta primi capitis confutantur.

PRimum verò argumentum promptissimum est, refellere: nec vno tantùm, sed multis etiam modis. Tum, quòd nec Moyses nec Iosue, in quorum gubernatione tempus illud erat positũ, in populi furorem & insaniam inciderunt. Tum, quòd ne certum est quidem, eos, qui in castris remanserint, in flagitium omnes cõsensisse: quin vero simillimum est, nõ nullos etiam repugnasse. Nam, vbi primùm Moyses illã vocem edidit, si quis est Domini, iũgatur mihi: cõgregati sunt ad eum omnes filij Leui, confecraruntq́; manus suas Domino vnusquisque in filio & in fratre suo. Ex quo intelligitur, qui ad vnam Moysi vocem se illi coniũxerint, quià Domino steterint, quos Dominus iustitiæ suæ administros in vltione fecerit, hos in eo scelere cæterorum socios & consortes non fuisse. Quid? quòd Aaron nõdum sacerdotio fuerat initiatus, nec adhuc ei fuerat superhumerale impositum rationaliq́; adstrictum & aptatum, in quo erat doctrina & veritas. Nihil ergo mirum, si Aaron filiiq́; eius nec pastores populi constituti nec sacerdotes consecrati in fide ac religione errarunt. Quanquam Aaron, quod & Petro & Marcellino postea accidit, metu peccauit, non infidelitate. Nihil ergo cõtra nos affertur, qui asserimus, sacerdotes pastores iam ecclesiæ à Christo institutos errare omnes in fide ac religione nõ posse. De argumento itaq; primo tantũ.

Leuit. 8.

Secundum argumentũ refellitur.

Secundum autem videtur esse grauius, quo non Caluinus modò, sed Donatistæ etiã aduersum catholicos vsi sunt: quemadmodum libro de vnita. eccl. c. 12. Augustinus tradidit. Sed non est necesse noua nunc responsa meditari: quãdo huic argumento egregiè ab Augustino responsum est. Plerumq;, ait, sermo diuinus impias turbas ecclesiæ sic redarguit tanquã omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit. Inde quippè admonemur, in suo quodã numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ. Isti ergo vel imperitè vel fallaciter agentes colligunt de scripturis talia, quæ vel in malos bonis vsq; in finem permixtos vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur: & volunt ea detorquere in ecclesiam Dei, vt tãquam defecisse ac perijsse de toto orbe videatur. Hactenus Augustinus. Huiusmodi ergo prophetarum oracula hunc in primis sensum habent, vt quoniam in comparatione malorũ adeò pauci boni sunt, vt nulli esse videantur: scriptura totum vna comprehensione populum reprehendat, quanuis in eo nonnulli sint boni. Deinde, prædictiones propemodùm illę erant: non reprehensiones. Describitur enim populus ille non qualis tunc erat, sed qualis post Messiæ aduentum futurus erat. Vterq; sensus, ne hæretici nostrum esse causentur, exemplis scripturæ manifestis comprobandus est. Ezechiel eodem quo & Hieremias tempore vaticinatus est. Quid dicat ei dominus audiamus. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippè Domus Israel attrita fronte est & duro corde. An putas in tota hac deprauata domo partem aliquam superesse, cui generalis illa sententia non conueniat? Audi quid etiã dicat dominus. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Non ergo omnes in populi flagitium consenserant: non omnes attrita fronte & duro erant corde. Esto aliud exemplum. Saluum, inquit, me fac quoniam defecit sanctus. Vana

Ezech. 3.

Ezech. 9.

Psal. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. En vnus totius generis humani culpas voce magna & queribunda deplorat, perinde ac si relictus sit solus. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam. Intelligens ergo iam suæ querimoniæ se plures habere consortes, Tu domine, inquit, seruabis nos à generatione hac in æternum. In libro autem contra Donatistas post collationem. capite vicesimo. idem quoque Augustinus, Ne fortè, ait, arbitrentur prophetarum tantummodo moris fuisse, & non ad nouum testamentum, sed ad veteris consummationem pertinere, sic arguere reprehensibiles, quasi omnes in eo populo arguantur, & sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur: ecce ad Corinthios sic Apostolus loquitur. Paulus ecclesiæ, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis, sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini, gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quę data est vobis in Christo: quia in omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo & in omni scientia, &c. Quis hæc audiens credat in ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulò pòst dicit, Obsecro autem fratres vt non sint in vobis schismata, &c. Et in hoc horrendo vitio tanquam omnes increpans dicit, Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis, &c. Hactenus ille. Poterat & ea commemorare, quæ in eadem epistola subiecta sunt, Tanquam paruulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam: nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, &c. Item, & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Item ex epistola ad Galatas, O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, &c. Et postea tamen ait, Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiuscemodi instruite spiritu lenitatis, &c. Item ad Philippenses, Omnes quæ sua sunt quærunt, & non quę sunt Iesu Christi, &c. Quas res in ea disputatione & multas alias similes à summo Theologo præteritas arbitror, quòd essent faciles: sunt certè ad præsens institutum vtiles, easque ferè in epistola ad Vincentium attigit. Iam quod pleraque eiusmodi prophetarum testimonia ad populi Iudaici statum & mores post Messiam referenda sint, & sequenti libro multa exempla cognoscentur, & nunc satis in vno exemplo demonstrabitur. Aggæus Zorobabelé ac Iesum sacerdotem magnum totumque omnino populum, vt domum dei ædificarent, his verbis admonuit, Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, & facite: quoniam ego vobiscum sum, & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. At eodem postea capite subiunxit Aggæus, si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, contaminabitur. Et respondit Aggęus, Sic populus iste ante faciem meam dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Quem omnino locum conuenientiùs de populi statu post testamenti veteris consummationem intelligimus. Tametsi

Rom. 11. 3. reg. 19.

1. Cor. 3.

1. Cor. 11.

Galat. 3.

Galat. 6.

Libr. con. Dona. post collat. c. 20.

metsi Augustinus ad formam quoque superiorum hoc exemplum interpretatus est. Sed, vt dixi, & ad populi conditionem post Mesiæ aduentum aptiùs hoc congruentiusque refertur, & plura alia præsertim apud Isaiam huic proposito inseruire libro proximo ostensuri sumus. Itaque de Isaiæ Hieremiæque testimonijs dictum est satis.

Tertio argumẽto refellẽtur. De uni. eccle. c. 14.

Illud verò, quod tertio loco subiicitur, ecclesiam occultam esse posse, Donatistę etiam olim posuere. Quibus tamen Augustinus occurrit in hęc verba. Non est ecclesia nobis operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum: vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est, Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Donatistis operta est, &c. Tantum Augustinus.

Primùm autem illud falsum est, veterem populum aliquando nullam ecclesiæ speciem habuisse. Nam cùm se solum relictum quereretur Helias, septem millia virorum scriptura commemorat genua sua non curuasse ante Baal: quibus sanè illud perspectum & exploratum erat non fidem & vnitatem, sed regnum esse diuisum: extareque proinde in Hierusalem templum Dei, summum sacerdotem, veram de lege ac religione doctrinam. Eiusmodi Tobias erat, qui, cùm tribules reliqui irent ad vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam, ipse pergebat ad templum domini, & ibi adorabat Dominum deum Israel, decimas fideliter offerens, & cætera his similia secundùm legem Dei puerulus etiam obseruans.

Tob. 1.

Deinde, non sequitur, si populus ille ita vacillauit, vt penè cecidisse videatur: si ita dispersus est, vt propemodùm formam & speciem amiserit, Christi quoque ecclesiam vsqueadeò obscurari posse: vt nulla eius species effulgeat. Plebs enim illa vetus, vt quæ casura esset, ruinam sæpè minabatur. Et quoniam futurum erat, vt illi reipublicę tanquan sempiterna nox esset offusa: nihil mirum si sensim obscurata est & euanuit. Quid autem si quandoque etiam vix apparuit, cui tam parua lux tenuisque noctis splendor affulsit? nempe lucerna lucens in caliginoso loco. Sed hæc explicabuntur in sequenti libro diligentiùs. Nam Hilarij auctoritatem, qua nos Calumus vrgendos existimat, Vincentius Augustino quondam opposuit: sed hic loca omnia, quæ ille ex Hilario collegerat, tanquam meras calumnias contudit & obtriuit ferè in hæc verba. Ecclesia aliquando obscuratur quidem multitudine scandalorum, sed etiam tunc in suis firmissimis eminet. Aliquando tentationum fluctibus operitur atque turbatur: & tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius, vnde putasti insidiandum contra testimonia tot diuina, &c. Potes hoc modo dicere nec ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: O stulti Galatæ, quis vos fascinauit? Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes & timidos grauiter increpabat. Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse & simulatè consensisse. Quanquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem erant in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Hilarius ergo decem prouinciarum Asiana-

2. Pet. 1.

In epist. ad Vincẽ. nu. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum aut zizania non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quantò vehementiùs, tantò vtiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquã omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat. Hactenus Augustinus.

Aduersum Luciferia.

Ac Hieronymus, ingemuit totus orbis, inquit, & Arianum se esse miratus est. Periclitabatur nauicula apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redijt. Manifestiùs dicam, omnes episcopi, qui de proprijs sedibus fuerant exterminati, ad ecclesias redeunt. Túc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus excepit, tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum ecclesia complexa est: tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. Hęc Hieronymus, multaque alia, quæ breuitatis studio prætereo. Sed hæc satis sunt vt omnes intelligant, nauem ecclesiæ in alto hæresum, seditionũ, discordiarumque procellis fluitantem fuisse iactatam quidem ac penè opertam fluctibus: sed non fuisse tamen in tanta etiam tempestate demersam. Quin in suis licèt paucis fortissimis eminuit, qui quò magis in remigando laborarunt, eò aspectabiliores clarioresque fuerunt. Nec hoc loco opus est ecclesiæ Romanæ fidem lucemque proferre, quæ nunquam omnino ipsa latuit, sed toti semper orbi manifesta fuit, quemadmodum sexto postea libro accuratiùs ostenderur.

Matt. 8.

Quintum respuitur.

Nec verò sub diuersis pontificibus fides ecclesiæ aut soluitur aut occultatur. Quin eo etiam tempore ecclesia catholica fidei suæ manifestum argumẽtum edit. Iudicia tunc pastorum periclitantur, quæ sine certo ecclesiæ capite infirma atque incerta erunt. De quare alio libro disseremus.

Iam, in sexto argumento Caluinus & multum operæ ac verborum sumit, & vano se labore frangit. Poterat breuiùs ac faciliùs dicere quoniam synagoga extincta omnino & deleta est: ecclesiam quoque Christi funditus esse delendam. At discessio, quam prædixit Apostolus, venire non potest, dum vera ecclesiæ facies exuterit. Id Caluinus dicit: non probat. Itaque falsum est. Quin posteaquàm Germania non solùm à Romano pontifice, sed à Romano eodemque suo imperatore maiore ex parte defecit: illa fortassis Pauli prædictio impleta est, instantque proinde Antichristi infœlicissima tępora. At, filius hominis veniens fidem non inueniet in terra. Sed huic argumento respondet Hieronymus illam hìc fidem nominari de qua Dominus aiebat, Fides tua te saluam fecit. Et alibi de Centurione, Non inuenitantam fidem in Israël. Et rursum ad Apostolos. Quid timidi estis modicæ fidei? Necnon & in alio loco, Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Nec enim Centurio aut illa muliercula in Trinitatis sacramenta crediderant: sed simplicitas mentis & deuota deo suo anima commendata est. Hæc est fides quam rarò inuentam deus pronunciauit. Hæc est fides, quę etiam apud eos, qui bene credunt, difficilè perfecta inuenitur. Eodem quoque modo Augustinus respondet, dominum de perfecta fide loqui: quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis admirabilibus sanctis inueniatur aliquid vbi trepidauerint. Addit rursum, propter iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, quæ illa potissimùm ætate erit, Dominum ita loquutum,

Sexto sese.

In dialogo aduersus Luciferianos.

De unitate eccles. cap.

tum. Propterea enim non dixit, Filius hominis veniens non inueniet fidem in terra: sed quasi dubitans putasne, ait, inueniet fidem. Non quòd ille cuncta sciens de aliqua re dubitaret, sed vt sua dubitatione figuraret nostram: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia hoc erat infirmitas humana dictura. Illorum autem error erpiendus est, qui vanissimis argumentis adducti sunt, vt putarent fidem in solo vno manere posse. Cùm enim ecclesiæ nomen collectiuum sit, si vnus tantùm crederet, non crederet ecclesia. Adde quòd Dominus per Matthæum dicit. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vobiscum ait. Et per Ioannem, cùm pollicetur spiritum veritatis fidelibus sempiternum pluribus illum pollicetur: non tantùm vni. Adde etiam quòd corpus non est vnum membrum, sed multa, vt Apostolus ad Corinthios docet. Sed Corpus Christi: quod est ecclesia, vt idem ad Ephesios ostendit, vsque in finem permanebit. Non ergo vnquam multi fideles in ecclesia deerunt.

Matth. vlti mo.

Ioa. 14. & 16.

1. Cor. 12.

Ephe. 4.

Matth. 13.

Præterea triticum simul cum zizanijs in agro, bonique pisces cum malis in reti, vsque ad consummationem seculi durabunt. Non ergo solùm in vno manebit fides. Sed deficiet hostia & sacrificium. Equidem hanc Danielis vaticinationem non ad finem seculi, sed ad synagogæ consummationem existimo referendam. Quod siquis ad tempus Antichristi referre velit, cum hoc ego non magnoperè contenderim: modò sic interpretetur, vt propter crudelissimi tyranni sæuitiam sacerdotes à publico & solenni sacrificio desistant. Quod verò ex Apocalypsi Ioannis obiicitur, quoniam valde obscurum est, nihil contra nos habet ad faciendam fidem vitium. Tametsi hoc oraculum in Luthero fateor esse completum: cui data est clauis putei abyssi, vt errores penitus demersos atque defossos eruendo tanta caligine orbem obduceret, vt vel lucem ipsam tenebris circunfudisse videretur. Sed affulget adhuc ecclesiæ lumen his, qui oculos habent ad videndum. Nam Lutherani cæci sunt & duces cæcorum. Si autem omnis gloria filiæ regis abintus, nihilque in ea externi splendoris est: quî fieri potest, vt illa cohęreant, Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varitate. Item, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & non potest ciuitas abscondi supermontem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant, cæteraque similia, quæ sunt, ne longum faciam, prætereunda. Planum est igitur in sponsa Christi, in qua nihil fictum, nihil fucatum, nihil simulatum est, sed omnia vera, syncera, solida, omnem etiam externam gloriam ab interiore virtute & splendore procedere. Ac de sexto argumento nimis multa diximus.

Reliquis verò argumentis diluendis illud admonere operæpretium est, per figuratam dictionem multa, quæ parti conueniunt, in totum solere transferri. Id nobis in vsu est cùm persæpè aliàs, tum magis cùm de ciuitate, populo, regno, omnique omnino cœtu loquimur, de quibus ea in vniuersum dicimus, in quæ non omnes reipublicæ partes, sed interdum paucæ etiam concurrunt. Populum enim robustum, gentem bellicosam appellamus, non quòd omnes in ea republica aut robusti aut bellicosi sint, sed quòd viri ex ea ad rem bellicam selecti eiusmodi soleant esse. Nec enim aliter de humana republica ac de humano corpore loquitur. Dicitur autẽ homo agere vel pati, quæ manus pésque vel agit vel etiam pàtitur. Dicitur mundus immun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dúsue,si facies aut mũda aut immũda sit: eodemque omnino modo similiter in reliquis. Inde adeò venit, vt vocabula, quæ quibusdam ecclesię partibus conuenire videmus, ecclesiæ ipsi attribuantur. Ad hanc enim legem ecclesia dicitur amica,pulchra,immaculata,sancta,videlicet ratione bonorum: hortus cõclusus,fons signatus, ratione electorũ. Qui cùm prima atque optima pars sint ecclesiæ Christianæ, imò verò regni cælorum cũ sint principes,quãuis in terrena repub. despicatissimi ac contemptissimi:verè ac iure ea,quæ in eos conueniunt, in totam ecclesiam transferuntur. Quoniam,vt ex Aristotele etiam antè docuimus,id ciuitas aut esse aut facere dicitur, quod in ea primarij & optimates aut esse dicuntur aut facere. Neque hoc loco,vbi à Lutheranis vel maximè petimur, Lutheri testimonium negligendum est, quò intelligant hi rem esse tam apertam atque dilucidam, vt eam ne Lutherus ipse quidem negare potuerit. Is igitur, cùm in concione quadã ad populum explicaret, quẽadmodum ecclesia sancta diceretur:per synecdochen docet Matthæum scripsisse, latrones blasphemasse: cùm vnum eorum id fecisse Lucas scribat. Sic vnus & idem populus, vt ait,arguitur in Prophetis, cũ multi sint inter eos boni:rursus laudatur, cùm multi sint inter eos mali.Et pulcherrimæ charitatis ea est figura,quæ communia faciat oĩa bona:communia item omnia mala. Vt alter alterius onera portet, & sic impleat legem Christi.Sic ciuitas vel regio vel domus fecisse aut passa esse dicitur,quod aliquot in ea fecerunt aut passi sunt. Hactenus Lutherus. Hic ego hæreticos vniuersos appello,vt iam vel ipsi sint iudices,num pudenter nobis opponant ecclesiam hortũ conclusum esse, fontem signatum,puteum aquæ viuæ, paradisum cũ pomorũ fructibus, sanctam,pulchrã, perfectã, sine macula & ruga gloriosam: vt inea nullum præscitũ,nullum infirmũ, nullũ improbum esse conficiant. Sed respondeamus ad singula.In septimo argumento canticorũ de ecclesia encomium ponitur,cuiabundè,vt reor,satisfecimus. Additur deinceps, in arca solos eos fuisse qui salui facti sunt:aream autem ecclesiæ imaginem extitisse. At,ne quis in hunc errorem incideret,vt putaret oẽs qui per baptismum in ecclesiam transeunt, esse saluos:idcirco Petrus cautè & sapienter adiecit,Quod & vos nunc similis formę saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium,sed conscientiæ bonæ interrogatio,&c. Alioqui etiã, quod Hieronymus aduersum Luciferianos ait,vt in arca omnium animalium genera,ita & in ecclesia vniuersarum gentium & morum homines sunt. Vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni:ita & hic iusti & peccatores,id est,vasa aurea & argẽtea cũ ligneis & fictilibus commorantur. Arca igitur in eo potissimùm ecclesiæ typus est,quòd extra eam nullus seruatus est:non in eo quòd oẽs intra illam facti sunt salui. Sed arcę Sacramenta è Hieronymo in dialogo illo petantur. Nos pergamus ad reliqua.

septimus dissolutur.

Christus,aiunt,nõ est alterius ecclesiæ caput, nisi eius cuius saluator est. Hoc primũ non est adeò expeditum. Est enim caput angelorũ Christus: nec cõstat tamen an eorum sit propriè seruator. Certè ego non puto:quanuis contrà sit à nonnullis disputatum. De qua re non est hic locus disserẽdi. Deinde,ea connexio infirma est, Christus est ecclesię saluator,ergo omnes qui sunt in ecclesia seruat. Est enim saluator oĩm hominũ,maximè fideliũ:nec oẽs tamen re ipsa saluos facit. Atq; vt Christus corpus suũ, quod est ecclesia, seruet: seruet,inquã,rei efficientia & exitu:adhuc non sequitur,eum oẽs qui sunt in ecclesia seruare. Tum quoniam iam satis ostẽsum & patefactum est,quædam de ecclesia verè dici, quæ ei non omniũ, sed quarundã partium ratione conueniunt. Tũ quoniã totius partiũq; vocabula latiùs fusa sunt, quàm

1. Timo. 2.

quã voces corporis atq; mẽbrorum,quẽadmodũ paulò pòst explanaturi sumus. Ita non fit,vt si corpus Christi omniaque eius membra seruantur: partes ecclesiæ seruentur omnes. Nec verò Paulus ait, Christum exhibere sibi gloriosam ecclesiam: solùm astruit seipsum tradidisse vt eam exhiberet gloriosam. Quemadmodum autem mortuus ille est, vt omnes viueremus, nec viuunt omnes tamen: sic se tradidit pro ecclesia, vt eam mundaret & glorificaret: nec tamen omnes qui in ecclesia sunt mundantur & glorificantur. Tametsi verè ecclesiam suam sibi exhibet gloriosam: sed nec in omnibus partibus,nec in hoc fortasse tempore.

Ioan.11.

Porrò id quod sequitur facillimũ est. Nam, quanquam filij Dei aliquando secundùm prædestinationem nominentur: at propria eademq; frequens denominatio à præsenti iustitia fit:vt capite tertio explanatum est. Videmus autem, verè filios exhæredari, ac iustè aliquando quidem. Nõ itaq; colligitur,filius est igitur pcipiet hæreditatem:nisi illud simul ponas,& ius quod accepit non amisit. Quoniam autem filius Dei non semper probus intelligitur,sed is quoq; interdum, qui paterna bona prodegerit: etiam hoc distinguendum puto, Ecclesiam è Dei solùm filijs constare.Nam si filios voces, qui per baptismum sunt Christo & ecclesiæ geniti: id nos asserimus. Sed in his sunt improbi quidam & stulti filij,quos patris matrisq; cura parturire iterum gestit, donec formetur in eis Christus.Sin filios Dei iuxta frequentiorem scripturæ vsum eos tantùm appelles,qui probi & sapientes sunt: certè ecclesia non ex his modò constituitur,sed ex illis etiam qui paternæ & probitatis & sapientiæ effigiẽ eluerunt. Nam & in hos

Deute. 32. Isai. 1.

nomen filij quandoq; diffunditur. Nonne,inquit,ipse est pater tuus? At generatio peruersa erat & infideles filij. Item,filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerũt

Hiere. 3.

me.Item,conuertimini filij reuertentes,& sanabo auersiones vestras. Item, Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Quod de sanctis ecclesiæ viris dictum esse omnes Christi fideles agnoscũt. Vnde autem appellat spinas nisi, vt Augustinus ait, propter malignitatem morum? Et eadem vnde filias nisi propter communionem sacramentorum? Bona ergo filia in medio malarum est, in eademq; paterna domo. Sed ouile Christi nõ nisi ex Christi ouibus constituitur. Quid tum? Quasi nõ alias pecudes habeat pastor. Habet sanè capras, habet & hœdos. Pastori itaq; nõ modò ouile est,sed & caprile & hœdile. Hœdi porrò & agni in Dei cognitiõe intelligẽtiaq; discreti sunt, in hominum scientia & cogitatione cõfusi. Dum hic viuitur,diuersi licèt greges,in vna tamen congregatione sunt:adeoq; permixti,vt segregari nõ possint,donec ille veniat qui separabit eos abinuicem,sicut pastor segregat oues ab hœdis:& statuet quidẽ oues à dextris,hœdos autem à sinistris. Sed vt argumento huic scholę more presiùs distinctiusq; respondeam,illud considerandum censeo, ꝙ vt nomen ouis non in eo solùm loco, sed in sacris ferè literis pro bonis ac iustis accipitur:sic ouile ecclesiam in bonis iustisq; designat. Quales sunt,quemadmodum suprà diximus,voces aliæ nonnullæ, vt exempli causa,amica,colũba, immaculata, hortus conclusus,fons signatus,paradisus cũ pomorum fructibus,quę nimirum voces ecclesiæ vel propter iustos, vel etiam propter electos tribuuntur. Quo circa non fit, vt si in ouili non sunt nisi oues, in ecclesia non sint hœdi,quos spõsa pascere iussa est, quoad eos ab agnis pastor ille summus segregauerit. Nomen etiam ouis malos non nũquam in ecclesia significat, nedum pro bos. Hinc.nulla sunt,Erraui sicut ouis quę perierat: & omnes nos quasi oues erraui-

Cant. 2.

De uni. eccle.c.13.

Matth. 25.

Ioann.10.

Psal. 118. Isai.53. Psalm. 48. Psalm. 73. Matth. 18. Luc. 15. Mat.10.& 15.

mus: Et, Sicut oues in inferno positi sunt: Et,iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. Et in Euangelijs ouem errantem legimus,& oues,quæ perierunt,domus Israel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atq; cùm Dominus Petro cómisit oues, si nomen hoc pro solis bonis vsurpatum censeamus: verendum est vtiq;, ne mali à Petri cura existiment se exemptos. Sanè verò quicunq; fidei sacramẽtum habent, Petro intelliguntur esse commissi: nec ab eo modò requirendum, si gregem bonorum pauerit: sed illa etiam, an quod infirmum fuit cõsolidarit, & quod ægrotum sanarit, & quod confractum alligarit, & quod abiectum reduxerit, & quod perierat requisierit. In quẽ sensum ouile Christi non est angustius q̃ ecclesia: sed perinde vt illa cum sanis morbosas etiam oues continet. Dominus autem Ioannis capite decimo in illum alterum sensum vocem ouis vsurpauit. Iam, quod in hoc septimo principali argumento demum obijcitur, id in promptu est refellere. Nam si ex discipulis pseudoprophetæ exierunt, intus ergo priùs domiq; erant: nec enim aliter exire potuissent. At non erant, inquit, ex nobis. Hoc duobus modis exponitur. Initio significat Ioannes fictos illos & simulatos Christi discipulos fuisse: qui quasi amici ad tempus & socij mensæ in die necessitatis recesserint. Inter nos versabantur ait, eandem nobiscum mensam cæteraq; omninò sacramenta habebant communia, sed simulatio virtutis erat, venditatio, ostentatio: ideoq;, quoniam non erãt ex animo & verè nostri, non erãt ex nobis. Nam si fuissent tales, quales nos sumus, ex animo Christiani, permansissent vtique nobiscum. Deinde de viris fortè Apostolicis loquitur, cùm ait, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nonnulli siquidem statim à principio nascentis ecclesiæ, nomine se Apostolorum vẽditarunt, cùm non essent apostoli Christi veri, sed pseudoapostoli. Quod igitur dicit tale est, ex nobis exierunt, hoc est, à nostra schola & societate: sed non erant ex nobis, id est, non verè erãt apostoli: si enim ij fuissent, nobiscum profectò permansissent. Veni enim apostoli, quos ad Euangelij munus delegit Christus, non tùm hoc, tùm illud, sed idem docebant semper: eratq; illis constans ac perpetua ratio & veritatis & vitæ. Hoc enim ad auctoritatem euangelij pertinebat, vt eius primi administri, quibus scilicet illud est creditum, odorem saporemq; Christi semper & in omni loco seruarent. Contrà verò operarij subdoli quanuis aliquando se transfigurassent in apostolos Christi, sed insipientia tandem eorum manifesta erat omnibus, & finis secũdùm opera ipsorũ. Quanquam, si de prædestinatis, vt Hieronymo & Augustino visum est, Ioannes loqueretur: nihil adhuc hæretici conficerẽt. Nam quærerum consequentia est, Non sunt ex nobis, id est, nõ sunt ex electis: non igitur sunt in domo Dei, quæ est ecclesia? Quasi verò in domo Dei non sint cũ vasis electis in honorem vasa etiam non electa, nempè in contumeliam. Sed ad argumẽtum septimum diximus multa. Nunc octauum diluamus.

Ecclesi. 6.

2. Cor. 11.

Octauus obiectio Iulian.

Et ad testimonia quidẽ ex canticis post ea, quæ dicta sunt, nihil est necesse respondere. Illud autem, quod ex Apostolo obiectum est, Diuus Augustinus in libro secũdo retractationũ ita interpretatur, vt ecclesiam describat apostolus, nõ quæ iam sit, sed quæ præparatur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Et in libro de perfectione iustitiæ, cùm enim, ait, non tantùm apostolus dixerit, vt exhiberet sibi ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, sed addiderit gloriosam: satis significauit, quãdo erit sine macula, aut aliquid huiusmodi, tunc vtiq;, quando gloriosa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominũ pessimorum, in tantis opprobrijs impiorum, dicẽdum est eam esse gloriosam. Nã si dominus ipse, nõ fuit glorificatus nisi resurrectionis gloria, quomodo dicẽda est, ante resurrectionẽ suã, ecclesia eius esse gloriosa? Mũdat ergo eã lauacro aquę, abluẽs peccata prẽterita, deinde perficiẽs eius sanitates, facit eã occurrere in illã gloriosam sine macula & ruga.

Cap. 26.

2. Cor. 11.

2. Tim. 2.

Ioan. 7.

Exe. 16.

Hactenus Augustinus. Cuius sentẽtię fuit nõ solùm Diuus Thomas, sed etiam Hieronymus ac Bernardus. In quem omnino sensum Esaiæ testimonium idem Augustinus interpretatus est, in libr. contra Donatist. post collat. capite octauo. Quanquam altera est eius loci commodior intelligentia, vt incircumcisus & barbarus populus non sit ecclesiam Dei oppressurus, quemadmodum opprimit qui pede calcat. Et capite nono. docet, distinguenda esse tempora ecclesiæ: & pro diuersitate vária scripturę loca, quæ partim ecclesiæ puritatem, partim malorum permixtionem annuntiant, esse concilianda. Memini me tamẽ sic Pauli verba aliquando exponere, vt ad efficientiam baptismi etiam præsentem illa omnia referantur. Quod enim ait, Vt eam sibi exhiberet sine macula, hoc planum & expeditum est: cùm sine controuersia omnes omnino maculas baptisma deleat. Quod verò subiungit, Sine ruga, id certũ est ad baptismi nouitatem attinere, qui veterem hominem subtulit & absumpsit. Renouatur quippe, vt aquilæ, iuuẽtus nostra per lauacrum regenerationis et renouationis Spũs sancti, quẽ effudit in nos abũdè, &c. At, quomodo ecclesia per baptismũ gloriosa? Nempè tunc gloriosa sponsa spõso suo exhibetur, cũ illi virgo genere ac virtute clara, pulchra, munda, veste pretiosa, auro gemmisq; ornata exhibetur. Non autem regina illa, quæ astitit à dextris regis in vestitu deaurato circundata varietate, non Hester regio fulgens habitu & circundata gloria sua, non in omni gloria sua Salomõ ita glorioso descripti sunt: quin gloriosior ecclesia sua Christo sit recens baptismi initiata sacramẽto. Nec enim minùs in ecclesiam quàm in synagogam illa quadrant, Laui te aqua & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Et vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te byssо, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento: & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronã decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argẽto, &c. Quæ singillatim in baptismi efficientia explanare, erat facile id quidem, sed huius temporis non est. Non ergo cogimur ad futurum tempus ea effecta referre: quæ in præsenti baptismus ecclesiæ præstat. Omnia siquidem illa in duo hæc Apostolus contulit, vt ecclesia sit sancta & immaculata. Vt exhiberet, inquit, sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculã, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta et immaculata. Qualem certè nunc etiam credimus esse: nõ in omni sua parte quidem, nam id, quemadmodum antè diximus, non est necesse: sed in multis membris, quorum sanctitas & puritas facit, vt ecclesia ipsa sancta verè immaculataq; dicatur.

3. p. q. 8. ar. 3. ad. 1. In Hiere. c. 31. in fi. sf. eman. sanct. lib. 3. Esa. 52.

Tit. 3.

Ad ecclesiã in præsenti hoc omnino referre uidẽtur Fabianus papa epist. 2. ad Hilariũ, Gelasius in decreto de Apochryphis, conci. Tolet. 6. c. 1 Sixtus 3. epist. unica. c. 5. Hiero. in epist. ad Ephe. c. 5.

Sanè in paruulis adultisq;, nũc primùm per baptismum lotis nulla prorsus quæstio est, quin ecclesia sancta & immaculata sit. Sed esse sine macula, vt Augustinus docuit*, nõ absurdè etiã ille dicitur: qui & criminibus caret damnabilibus, & ipsa peccata venialia non negligit mundare eleemosynis. Hos enim immaculatos scriptura vocat. Ero, ait, immaculatus cũ eo. Quomodo? Obseruabo me ab iniquitate mea. Item, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Non enim qui operãtur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. In his ergo, qui ab iniquitate & crimine mundi sunt, sunt autem plurimi, ecclesia immaculata est, quanuis impuritatis non nihil, hoc est, culpæ venialis ex leui inconstantiq; natura contrahant omnes.

De perfe. Iusti. cont. Celesti.

Secundùm hanc interpretationem, quæ mihi, & verbis & sententiæ Pauli magis consentanea videtur, patet: ecclesiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

siam etiam num extare, in quibusdam suis membris quidem prorsus immaculatam, hoc est, sine omni omnino macula: in quibusdam verò ita puram, vt quiddam maculæ, leuis illius tamen, possit habere. Sic in quibusdàm columba est, in quibusdam perfecta. Perfectos autem pingui, vt aiunt, minerua appellamus eos, quibus vita mortalis contenta est, qui assequuntur, quantum homines possunt, optimam in terra viuendi rationem & viam: tametsi in rebus minimis quandoque deficiunt. At omnis qui peccat, non cognouit Deum: & omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Hunc locum Diuus Bernardus in concione de septuagesima, cuius initium, Magna mihi consolatio, accipit de filijs Dei secundùm prædestinationem, quos interpretatur non peccare, id est, non permanere in peccato. Diuus autem Augustinus homilia quarta in hanc Ioannis epistolam. & secundo libro de baptism. paruul. capite octauo. & libro secundo contra Parmenianum, capite septimo, & multò fusiùs in libro de perfecti. iustit. exponit, filios Dei non peccare ex hoc quòd filij Dei sunt: eos verò qui peccant, non cognoscere Deum, qua ratione peccant. Peccatum enim non à fide & scientia, sed ab ignoratione proficiscitur. Fides contrà & charitas, quibus filij Dei sumus, non agunt perperam: sed refutant omne peccatum. Quam sententiam Diuus Thomas cum familia sua sequitur. secunda secundæ, quæstione vigesimaquarta, articulo vndecimo ad primum. Eandem secuti sunt cum Augustino, alij episcopi Aphricani, vt patet in epistola quinque episcoporum ad Innocentium.

Quemadmodum enim Paulus dicere potuit, Si autem quod volo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: ita homo iustus, si ex lege aliàs naturæ repugnantis leuiter aliquando deficiat, illud quoque verè dicet, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Quam interpretationem, quoniam ei & huius epistolæ quædam loca, & viri clarissimi consentiunt, non audeo equidem improbare. Sed vt dicam ex animo quod sentio, mihi magis Hieronymi sententia placet, qui non putat Ioannem in genere de peccato loqui, sed tantùm de mortali. Id quod in toto quasi contextu epistolæ facilè cernitur. Hoc enim apostolus ibidem agit, vt ostendat nullam esse communicationem lucis ad tenebras, Christi ad Belial, nec misceri posse iustitiam & iniquitatem, crimina & charitatem, Christum & Antichristum, non plus certè quàm noctem & diem. Nam fuêre quidam hæretici, quales nûc sunt ex Lutheranis plurimi, quibus satis fuit, si semel baptismo susceptо fidem haberêt etiam sine operibus. Quem errorem à primo statim capite, Ioannes coepit depellere, in hæc verba, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur. Item capite secundo, In hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit: mendax est. Item eodem capite, qui dicit, se in ipso manêre: debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit: in tenebris est. Item si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, &c. Item capite tertio, Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Scilicet, ne quis putaret de quolibet peccato etiam leui futurum esse sermonem. Iniquitas enim graue peccatum est. Tunc ergo subiungit, omnis qui in eo manet, non peccat,

Rom. 7.

tis negligerent: aduersum quos epistolæ ad Timo. scriptæ sunt, ea epistola iuxta Petr. 2. et 1. Ioannis.

* Præterita pro præsenti.

peccat, & omnis qui peccat, non * vidit eum, nec cognouit eum. Nam est cognitio quædam scientiaque de Deo, ijs familiaris & propria, qui spiritum intellectus, scientiæ, sapientiæ consilijque habent: quo nimirum spiritu omnes improbi carent. Itaque, nec vident, nec cognoscunt Deum. Quamlibet visiones, & reuelationes Dei habere se prædicent. Item filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. Qui facit peccatum, nempè mortale, ex diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, videlicet quandiu filius Dei est, quoniam semen ipsius, hoc est, Charitas in eo manet: & vt arbor bona, nisi vitietur, non potest malos facere fructus, sic filius Dei crimen & flagitium committere non potest, nisi filius Dei esse desierit. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Qui iustus est, filius Dei est: qui non est iustus, nec diligit fratrem suum, filius est diaboli. Item in fine epistolæ, omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Hoc est, non violat charitatem, sed seruat mandata, quoniam generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. Nimirùm quandiu semen ille conseruat, generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum. At si volens semen illud abiecerit, ex quo semine natus est, tunc profectò filium diaboli effectum, iam malignus non solùm tanget, sed vtetur eo, etiam pro suo. Quem Hieronymi sensum Augustinus etiam amplectitur, homilia in hanc epistolam quinta. Atque vtinam, hæc apostoli doctrina nostri seculi hominibus non esset necessaria. Sed videmus esse multos, qui, cura fratrum suorum & charitate neglecta, alijsque euangelij & naturæ præceptis omissis, preculis, meditatiunculis, non enim contemplationes dicam, die noctuque vacantes, mentiuntur se & nosse, & diligere Deum. At in hoc scimus quòd cognoscimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui enim non diligit, non nouit Deum. Hæc est autem charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Sanè qui tum secundam tum maximè tertiam epistolam eiusdem apostoli legerit, intelliget euidentiùs, totum apostoli sermonem, eos coarguere, qui bonos, iustos, amicos, & filios Dei se esse sine proximi charitate mentiebantur. Id verò grauius, quò maiori simulationis artificio fingebant se cognitioni Dei, & contemplationi vacare. Verùm de hoc argumento plura dicta sunt, quàm fortasse ratio instituti operis postulabat.

Itaque ad illud ex epistola ad Hebræos testimonium, ne molestum sit plura dicere, dicemus nihil. Nec necesse est tamen aliquid dicere, cùm in eiusmodi argumentis diluendis nostra opera, & studium minimè desiderentur.

Illud etiam est facile quod in nono argumento primùm opponitur. Iam enim demonstratum est, vt ecclesia sancta sit, non oportere omnes eos sanctos esse, qui illius partes esse dicuntur. Non autem, quanuis id Hieronymus fecerit, ecclesiam dupliciter vsurpamus, & eam, quæ vndique sancta & tota corpus Christi sit: & eam, quæ cum sanctis malos habeat permixtos. Sed id docemus, populum Christianum verè sanctum dici: licèt non omnes, qui in hoc populo numerantur, sancti sint. Nam argutias illas elegantissimas, quibus hoc impugnatum est, consilium est negligere. Sophistarum quippè sunt meræ nugæ gerris, vt aiunt, liculis vaniores. Præterquàm, quòd forsitan ecclesiam sanctam credimus, quia populus est Deo per baptismum dicatus, consecratus, sanctificatus, hos enim scriptura sanctos appellare solet. Illud verò, quod statim additur,

Nonum solutur.

In com. epi. ad Galat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

additur, diligenter expẽdendum est. Aliud porrò est partes ecclesiæ esse, aliud esse ecclesiæ membra. Nomen siquidem partis latiùs diffunditur, nomen membri contractius est. Pars ad totum refertur, membrũ ad animantis corpus. Ita pars sine vita inuenitur, vt in lapide, ligno, ac cæteris eiusmodi. Membrum autem verè & propriè sine vita ne intelligi quidem potest. Quamobrem improbi partes quidem ecclesiæ sunt: membra ecclesiæ aut Christi non sunt. Sunt autem diaboli membra. At in ecclesia esse censentur cuesq; ciuitati huic & annumerati & adscripti: ciues mali & flagitiosi tamen. Quo verò pacto probi atq; improbi eundem omnino populum conflent, nec sit tamen societas lucis ad tenebras, cõuentio Christi ad Belial: Diuus Augustinus egregiè explicat contra Dona. post colla. c. 6. Qua vna ex re cæteræ huius argumenti confirmationes extremis, quod aiũt digitulis euertuntur. Siue enim dicas corpus siue panem siue granum, siue triticum seu alia similia quæuis: nomina sunt, quæ bonis per se conueniunt quidem, sed per bonos illi etiam populo cuius boni primariæ sunt partes. Hunc verò sensum omnia quoquè Augustini verba præ se ferre notius est, quàm vt indicandum sit. Negat enim malos in corpore Christi esse, nec posse habere Christum membra damnata. Negat in columbæ membris computari. Negat ad illam ecclesiam pertinere, quæ non habet maculam nec rugam. Negat spectare ad compagem domus dei aut in ea etiã habitare, in qua vnanimes solùm habitãt. Etenim hæc vniuersa, vt persæpe dictum est, tantùm probis ex se attribuuntur, & horum ratione attribuuntur ecclesiæ.

Do. Tho. 3. p. q. 8. Ar. 3. ad secun.

Vide. 3. de doctr. Chr. c. 32.

Quemadmodum ratione partis in toto ipso insignis atquè præcipuæ quædam de toto enuntiari solent, quæ partibus singulis non perinde conueniunt. Quanquàm Augustinus illam fortasse Hieronymi partitionem secutus est, vt ecclesiam bifariam distribueret: et eam quæ omni ex parte bona Christiq; corpus sit, & eam quæ ex bonis malisquè cõfletur. Qua verò frõte nobis Augustinum obiiciunt, qui in libro retra. 2. cap. 18. & in Psalmum. 24. ac. 25 & lib. cont. Peti. 3. ca. 12. & de vnitate ecclesiæ cap. 13. & contra Donat. post colla. à 4. vsq; ad vndecimum cap. nostram habet sat. apertissimè constantissimeque sententiam? Nec dubium est Cyprianum atque Hieronymum eadem nobiscum cõcinuisse: illum in epistola ad Maximum, hunc in commẽ. epist. ad Gala. & in dialogo aduersum Luciferianos. Ac de nono argumẽto hactenus.

Pr. cons. 4. Est. 1. lib. op. cap. 2.

Decimo verò argumẽto ex his, quæ in 7. dicta sunt, satis, vt arbitror, responsum est.

Vndecimo refellitur.

At vndecimo argumento hoc habeto responsum. Non abhorret à sacrarum literarum consuetudine, si eundem omnino populum nunc propter iustos felicem beatumque dicamus, nunc propter improbos miserum & infelicem. En Moyses Israẽlem modò vocat populum electum, beatum, gentem sanctam, populum dei peculiarem: modò durissimæ ceruicis populum, stultum & insipientem. Atque Isaias interdum populum Gomorrhæ, interdũ etiam populum dei appellat. Et re vera si scripturæ vsus est, quemadmodum in cõfutatione secundi argumenti multis exẽplis patefecimus, perinde populum reprehendere ac si omnes mali essent, atque ita consolari vt si omnes essent boni: consectariũ est quoq;, vt populus idẽ & in reprehensione vituperationeque vocetur iniquus, & in cõsolatione ac laudatione sanctus. Nec Augusti. dubitauit, ecclesiam nigrã in malis, formosam in bonis interpretari in. 3. lib. de doct. Chr. c. 32. Quin Origenes ecclesiã propter eos q colũbas in illã vendunt, speluncam latronum appellauit tracta. in Matth. 15. Quòd si hoc nos præsidium deficeret, habemus alterum: quòd in huiusmodi maior quædam vis boni

boni quàm mali est. Plusque omnino valent pauci boni vt plebs bona sit, quàm multi mali vt nominetur mala. Ecclesiam præterea sanctã dicimus qp Deo peculiariter sacra sit: qua ratione, quanuis mali in ea sint plurimi, Synagoga Sathanæ appellari nec debet nec potest. Hinc enim in concilio Constantiensi eius impudens maledicentia damnata est, qui Romanam ecclesiam Synagogã Sathanæ appellauit. De. 11. autem argumento dictum est satis.

Ad. 11.

Duodecimum verò infirmum & nugatorium est, tametsi Caluinus inde exultare nõ dubitet, vnde erubescere debuisset. Ratiocinatur ille quidem interdum argutè, sæpiùs elegãter: sed quãdoq;, adeò ineptè, insulsè, frigidè, vt vix eum credas, non dico eruditionẽ acumen ve, sed aut rationẽ omnino vllã, aut sensum etiam cõem habuisse. Tantũ hæreticus error & cæca pertinacia potest, vt omnem prorsus doctrinã adimat, intelligentiæ lumen extinguat, & vniuersam ingenij retundat aciem. Sed ad rem. Illud est verum Græcos esse schismaticos: ideoq;, apud eos ecclesiam non esse. Credimus enim vnam catholicam ecclesiam. Quare necesse est, vt qui ab vnitate se separat, quoniã non est in vna ecclesia catholica, ne in ecclesia quidem ille sit. Nec Græci solùm, schismatici sunt, sed sunt etiã hæretici: tum propter alia, tum hac præcipuè causa, qp negant vnum totius ecclesiæ pastorem esse à Christo in Beato Petro institutũ. Sed hæc importunè hoc loco, alibi opportunè differẽtur. Quòd si qui à Christo vero ecclesiæ capite ita deficiant, vt ei abrogent fidem: hos fateor, ac multò etiam magis, priuilegiũ ecclesiastici nominis amittere. Mortuo autem summo pontifice vna sine dubio ecclesia manet, & manet in ea spiritus veritatis: sed manca & imminuta sine Christi vicario & ecclesiæ catholicæ vno pastore relinquitur. Quocirca licèt veritas tunc etiã in ecclesia sit, at si controuersiæ fidei & religionis oriantur: ecclesiæ iudicia sine capite in terris non adeò certa erunt. Quæ persequi huius loci nõ est. Atqui apostolus, cùm eo loco dedita opera ecclesiæ vnitatem definire vellet, eius rei prorsus oblitus est, à qua re nos dicimus vnitatẽ ecclesiæ pẽdêre. Sed mirari satis nõ possum istorũ hominũ futilitatem, qui cũ non seruarint vnitatem spiritus in vinculo pacis, sed ab ecclesiæ se corpore seiũxerint: Paulũ eo loco nobis obijciunt, qui illis vel aduersissimus est. Nam si vnũ corpus & non duo Christus habet, quo modo nos duas ecclesias admittemus? Et si vna est fides: q in fide & religiõe discrepat, hic quo modo in vna ecclesia est? Qui aũt Christi vicarium contẽnit, is ne vnũ filium agnoscit? Certè qui cultũ Dei pro suo sibi arbitrio fingit, is nec spiritum vnũ colit, nec patrem vnũ suscipit, nec in vna proinde ecclesia est. Quæ sine recta & catholica fide Deũ vnum, nec colere, nec habere potest. Verùm ista hæc, quæ extra causam præterq; institutum inuitis occurrunt, paucis retexenda sunt. Reliqua itaq; persequamur. In Græcis, aiunt, viri boni sunt aliqui. Sanè, si sunt aliqui, hi tãtùm erunt, qui cum catholica fide consentient, qui ab schismate alieni sunt, qui vnum vnius corporis tenẽt caput, vnumq; vnius ouilis pastorem, nõ in cælis solùm, sed etiã in terris. Sic enim Christo capiti nostro ac pastori visum est, vnũ loco sui ecclesiæ relinquere: quẽ simulatq; fidelis abiiceret, & corporis & ouilis desereret vnitatẽ. Quemadmodum in Israël sub Hieroboã quidam erãt viri pij, sed illi tãtùm, qui in diuisione regni nullã fidei, religionis, sacerdotij diuisionẽ meditabantur. Verùm hæc aliàs. Nũc illud admonendum puto, Apostolũ eo loco ecclesiæ perfectã vnitatem cõionemq; describere: nimirum qualis in bonis sanctisq; viris reperitur. Meminisse.n. opus est, corporis nomẽ propriũ esse ecclesiæ iustorũ. Vnum igitur corpus vno primùm spiritu definitur: qui illud non modò quasi anima viuificet, sed tanquam spiritus mẽbra eius singula ad finem suum quodq; agat, moueat, instiget.

Cola. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde vnum corpus vnã quoque spem vocationis requirit. Vbi spei vox pro re gloriaq; sperata vsurpatur, vt illo etiam loco, Spes autem, quæ videtur, non est spes. Vnum igitur finẽ, sicut cæteræ, hęc etiam respub. habet: ad quem omnes eius ciues vocati ac destinati sunt, in quem proinde spectant omnia huius corporis membra. Tertio loco vna respu. vnum Dominum, vnum regem, vnũ caput desiderat. Nam si duo habeat capita, monstrosa erit. Exigit præterea vnam fidem. Nisi enim huius reip. ciues fideles sint, Dei populum non conficient. Populus autem Dei intelligitur diuino cultui ac religioni dicatus. Quòd nisi vna sit omniũ cõmunis fides, ne vna quidem religio erit: atq; adeò nec vna Dei ecclesia. Quid, quòd si diuersa credimus, cùm fides sit quasi huius corporis oculus: eundem scopũ & finem habere non possumus? Vna ergo fides necessaria est. Necessarium est denique præter hæc baptisma vnum: in quo inest cæterorum sacramentorum communicatio. Plebs quippe Christiana non interiore solùm fidei communione ac charitatis vinculo, sed externa etiã fidei testatione sacramẽto rumq; consociatione constat. Ex quo fit, vt nisi in eodem baptismo eisdemque omnino sacramentis membra exteriùs colligata sint: in vnum Christi corpus, quod est ecclesia, coire non queant. Fecit autem apostolus solius baptismi mẽtionem, tum quoniam inter omnia sacramenta, vel maximè est vnum: tum quoniã hoc sacramentum Christianæ gentis proprium signaculũ est: quo videlicet non cõsignamur modò, sed etiã sacramur. Id quod Synagogæ circũcisio præstabat. Iam in verbis, quę addit Paulus, vnus Deus, vnus pater, &c. eò, vt mihi videtur, respicit: ne in vno huius reip. domino tyrannidem ac dominationem subesse putaremus. Vnum itaq; dominum cùm dixisset, blandioribus vocibus dominatum mollit ac mitigat. Ne te, inquit, terreat vnus dominus: vnus enim Deus idem est, vnusque etiam pater. In Dei porrò nomine bonitatem, suauitatem, prouidentiam numinis intellige. Beatus, ait, populus cuius dominus, Deus eius. Sed ille multò beatior, cuius Dominus pater eius: in patre siquidem singularis amor & cura minimè vulgaris designatur, vt non tam regnum quàm patris vnam filiorumque familiam intelligas. Sed nescio quo pacto, dum Pauli verbis institit atque hæsit oratio, à proposito longiùs excurri, institutique me pe nè immemor factus sum. Dicebam, apostolum perfectam corporis ecclesiæ vnitatem causis suis omnibus definire. Ecclesiæ verò vnitas latiùs extensa est, & in eis inuenitur, qui non seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis: nec inter se per amorem cohærescunt, nec alij alios apprehendentes capiti suo cõnectuntur. Quin etiam partes quædam in hoc toto sine fide insunt: vt hæretici occulti quandiu ab ecclesia non sunt excluſi. In quibus satis est vnum baptisma, sacramentorũm que eadem societas & communio, vt in vna ecclesia esse dicantur. Nam summum pontificem, episcopos cæterosque ecclesię ministros potestate ac iurisdictione per hæresim abditam interioremq; priuari: nõ modò non certũ, sed ne probabile quidem esse, maxima auctoritate Theologi affirmant. Rectores verò ac magistratus & reip. omnino administros illos esse, qui reip. huiusmodi partes non sint, ne cogitatione quidem informari potest. Ex quibus magna significatio fit, non esse æquã in omnibus ecclesiæ partibus vnitatem: sed in quibusdã valde imperfectã. Id si minus intelligitur, ex corpore naturali percipi potest. In quo sic spiritus et anima existit, vt partibus quibusdam vim sentiendi tribuat, quibusdam vim crescendi: alijs, vt videtur, ne vllam quidem aut animalẽ, aut spirabilem facultatẽ: perinde vt si partes illæ nec animam nec spiritum in se haberent. Quin etiam videmus, cùm membrum

membrum aliquod sensu & vita carens aresçit in corpore, quoniam reliquis omnino partibus continuatur, motum quendam externum ab spiritu participare: quanquam spiritus illi nihil interius vitaleque communicat. Quem profectò modum spiritus Christi in corpore ecclesiæ tenet ac seruat. Quasdam enim partes ita animat & viuas facit, vt nihil illis deesse vitalium motionum videatur: in quasdam sic influit, vt non vitam eis quidem, sed interiorem quandam spirationem quasi vitalem conferat: alijs autem exteram vim suam facultatemque dimittat. Vt quanuis mortua prorsus & arida membra sint, quia non sunt tamen à corpore excisa, ab spiritu cum corpore moueantur. Quæ partium affectarum mirabilis continuatio ac series, licẽt tenuis illa quidem & modica sit, at tantum in ecclesia valet, vt propter locum, quem habent in corpore, nonnullæ partes vel capita ecclesiastici corporis appellentur. Amos. 6. Væ, inquit, vobis, qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum. Membra videlicet aliquando, non ex vita, quam sua sponte & natura vendicant, sed ex situ, quem sortita in corpore sunt, per metaphoram transferri solent. Ita, qui locum primum in ecclesiæ gubernatione tenet, caput ecclesiæ ille dicitur: tametsi propriè ac verè membrum corporis ecclesiæ non est. Sed de his, quæ ad ecclesiæ vnitatem spectabant, quantum huic loco satis erat, dixisse videmur. Nunc de vniuersitate ecclesiæ dicamus, nam id in tertiodecimo argumento quæritur. 12. Argu. re prędetur. Catholqn. Helen.

Καθόλου Græcè, si verbum verbo reddas, secundùm totum interpretabere. Ὅλον enim totum est. Vnde catholica, vt Augustinus ait, nomen accepit: quòd in toto orbe iuxta prophetarum prædictiones diffusa est. Quia verò in toto orbe vniuersæ etiam gentes intelliguntur, inde adeò venit, vt ecclesia catholica, id est, vniuersalis nominetur: quoniam in omni gente, populo, natione, sexu, conditione, longè lateq; patet. Cuius vtriusque rei extat insigne illud oracullum, Postula à me & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Atque hoc discrimine non solùm à Synagoga, sed ab hæreticorum etiam conuenticulis congregationibusque distinguitur. Sunt etiam qui dicant, ecclesiam propter cõmunem fidem vniuersalemque doctrinam catholicam appellatam. Fides autem ecclesiæ atque doctrina multifariam communis & vniuersalis est. Primùm ratione hominum iuxta illud, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Deinde ratione loci, quẽadmodum scriptum est, Prædicauerunt vbique, & in omnem terram exiuit sonus eorum. Præterea ratione temporis. Quoniam apostoli non tũ hoc tũ illud, sed idem dixere semper. Fidelis, inquit, Deus: quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo est & non. Sed est in illo est. Item, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas. Et posterius, in æternum domine permanet verbum tuum, in generatione & generationem veritas tua. Quod igitur ab omnibus in omni et loco & tempore certò atque constanter creditur & docetur, id verè dogma catholicum nuncupatur. Et quæ huiusmodi dogmata ac disciplinam habet, ea verè ecclesia catholica. Nam hæreticorum conciones priuatas habent, peregrinas, inconstantes clandestinasque doctrinas. Benè ergo & prudenter Vincen. Lirinen. de propha. noua. in ipsa, inquit, catholica ecclesia, ad quam non vna natio, non vnus angulus, sed maris multitudo conuertitur: id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè proprieq; catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia hæc verè vniuersaliter cõprehen-

Psal. 21. 71. et. 116. Luc. 24. Apo. 5. Colo. 3. Psal. 2. Ad Tit. 1.

Mat. vlti.

Mar. vlti.

Et ad Ro. 10.

2. Cor. 1.

Psal. 118.

Mala. 1. Dan. 2. Esa. 54. Psal. 18. et. 71. Mar. vlti. Act. 2. Gene. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit. Quæ cùm ita sint, ille est verus germanusque catholicus, qui quicquid vniuersaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes vel contra omnes nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. Hactenus Lirinensis. Scio causas proferri alias solere, cur ecclesia catholica sit: sed hæ mihi visæ sunt cognominis huius asserendi grauissimæ. Quibus positis illud argumentum facilè diluitur. Primùm enim ecclesia non ita modò contracta est & adducta in angustum: vt in orbe diffusa non sit. Quin nostra memoria nouus orbis apparuit multò maximus atque latissimus, in quem discipulorum Christi sonus exiuit, ne quispiam dicat, Hispanos, Gallos, Italos, Germanos cæterasque nationes, in quibus Christi nomen aut viuit, aut non omnino deletum est, minorem partem orbis occupare. Deinde satis est, ecclesiam semel in totum mundum esse fusam, vt etiamnum verè catholica dicatur. Nempè eadem ecclesia est, eandemque fidem tenet, quam Apostoli in vniuersa terra vulgarunt. Sanè verò fidei præsentis vniuersitas ad eam vniuersitatem referenda est, quæ tempore anteacto in ecclesia fuit: & hæc ad illam tandem, quam apostoli in totum orbem ediderunt, quemadmodum in secundo libro demonstratum est. Ex quo efficitur, vt quanuis Christiana fides in vnius fortè prouinciæ angustias redigeretur, nihilominus catholica esset, & prouincia item, quæ eam fidem haberet, ecclesia esset etiam catholica. Nam & ecclesiæ singulæ sub vniuersali cõprehensæ catholicæ vocitantur, quoniam eam fidem habent, quam vniuersalis tenet tenuitque semper ecclesia. Sed hæc & ea quoque, quæ restant, perspicua sunt omnia. Breuiter itaque expedienda sunt.

Quartus decimus obiectio datur.

Obijcitur ergo in quartodecimo argumento, frustrà omnium fidelium sensum expectari. Cui ego argumento hæc breuissimè retulerim. Duo sunt rerum genera, vt aliàs dictum est, quæ ab ecclesia creduntur. Vnum, quod ad omnes æquè pertinet: vt Deum esse hominem, Animum nostrum esse immortalem. Et in hoc genere non est valde difficilè omnium fidem sensumque cognoscere. Non dico autem, vt seorsum rogentur singuli, quod & permolestum esset & oppidò quàm ridiculum, sed singulorum fidem in huiusmodi statim sese prodere satisque mediocri adhibita diligentia cognitam nobis & perspectam esse posse, præsertim si res in contentionem veniat, & vulgus suo more calescat. Alterũ est genus earũ rerũ, quas cognoscere non rudium & imperitorum in ecclesia, sed maiorum & sapientium interest. Vt epistolam ad Hebræos esse canonicam, ac reliqua similia quamplurima. Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, vt si à cæco sensum colorum postularis. Cautè igitur atque prudenter, cùm huiusmodi fortassè res in sermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulò modestiores sunt, nihil omnino affirmatè asseuerantérque pronunciant: sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, quod ecclesia credit ac sentit. Quo profectò nomine sapientes ecclesiæ maioresque designant. Porrò siue in hoc siue in illo genere quæstio versetur, populus quasi de tribunali sententiam dicere nec debet, nec verò potest. Quoniam, vt hic pro certo & probato sumimus, ligandi, soluẽdi, iudicandique potestas in singulis fidelibus non est: sed in ecclesiæ præfectis atque pastoribus. De qua re alio loco dissere-

remus. Nunc illud dicimus, in communi omnium controuersia certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi: quanuis non oporteat sigillatim omnium sensum perscrutari. In fide autem earum rerum, quæ propriæ sunt doctorum atque sapientum, solam horum sententiam expetendam: vulgi ne expectandam quidem. Nam illi certam fidem faciunt catholici dogmatis: hi faciunt nullam. At verò in vtrarunque rerum decretis ac legibus nec vulgus nec sapientes omneis habere locum: sed ij tantùm, qui sint ecclesiæ pastores, quem admodum libris sequentibus explicatum sumus. Ea verò argumenta, quibus pastorum veritas atque auctoritas impugnata est, in librum huic proximum differantur: vbi hæc multaque id genus alia longè opportuniùs refutabimus.

Cæterùm, quòd duo symbola ecclesiæ internoscendæ Caluinus ponit, nempè ordinem in verbo & sacramentis à Christo commendatum, ad quas omnino notas ceu ad Lydium lapidem omnis congregatio exigenda sit, quæ ecclesiæ nomen obtendat: benè profectò haberet, nisi hunc Lydium lapidem in manu habere ipse vellet: cæteris negaret omnibus. Nos asserimus Lutheranos nec syncerã euangelij doctrinam, nec legitimam sacramentorum administrationem retinere. Illi contrà nobis vtranque notam inurunt. Ecquis erit iudex? Negant apud nos ecclesiam esse: apud se, vt nos dicimus, existere mentiũtur. Ecqui sunt ij tãdem, quibus lapis iste Lydius est certus, solidus, germanus, ad veram ecclesiam explorandam? Arius, Nestorius, Macharius, Donatus, Pelagius, cæterique omnes hæretici, tum etiam cùm ecclesiæ bellum facient, eadem omnino insolentia se habere præferent duas illas ecclesiæ quasi tesseras. Quapropter in quacunque de fide cum hæreticis controuersia ecclesiæ notio periclitabitur. Excipient enim protinus nos aut in fidei errore versari, aut Christi sacramenta non perinde gerere vt à Christo nobis institutum atque præscriptum est. Notior est ecclesia, mihi crede, notiorest: quàm vt quibuslibet motis quæstionibus eius non solùm auctoritas, sed res omnino & nomen in dubium reuocentur. Verùm hoc Caluinus loco sic insulsus extitit, vt nihil aliud eius nisi ipsa insulsitas rideatur. Ecclesiam enim apud nos esse, modò ait, modò negat. Nunc ecclesiam dicit nunquam fuisse intermortuam: nunc contrà verbi puram prædicationem asserit aliquot iam seculis euanuisse. Tum affirmat, sub Romano pontifice, quem Antichristum vocat, non esse ecclesiæ nomen abolitum, sed sub eius quoque tyrannide ecclesias manere: tum astruit, præsentes omnes catholicorum cœtus idololatria impiaque doctrina contaminatos esse, clauumque proinde non habere potestatem. Quòd si ita est, Christi ecclesiæ quî sunt? Nempè si Christi ecclesiæ sunt, ecclesiæ catholicæ membra erunt. Porrò si membra sunt veræ catholicæque ecclesiæ, nequeunt vel idololatriæ probare scelus, vel errores Euangelio contrarios docere. Item nisi stultum mihi quoque ipsi videretur, exigerem ex illo cogeremque vt responderet: num viros aliquot probos in catholicorum concione esse arbritretur. Si nullos, quoniam, vt ait, omnes ad vnum sunt idololatræ, & in impietate esse pius nemo potest: eadem profectò causa ante Lutherum vir bonus in catholicis nemo esset, quippe cùm eiusdem criminis rei essent omnes in eodemque errore versarentur. Ecclesia ergo Christi catholica iam ante Lutherum nulla in orbe erat. Et vbinam sunt illæ de æterno Christi regno promissiones, quas, quoniam apertæ, claræ, perspicuæ sunt: nulla iste inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretatione potuit eludere? Sin autem verè pij inter nos sunt aliqui: non est certè apud nos ecclesia impia, sed pia. A qua cùm se contentionis studio Lutherani separauerint, exploratissimum est, à vera eos Christi ecclesia desciuisse.

Quid? An ne ambiguum est Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Basilium, Chrysostomum, cæterosque optimos ac præstantissimos viros, quos catholici & veneramur & agnoscimus, vera ecclesiæ Christi membra fuisse? At illi stant à nobis vniuersi, Lutheranis vniuersi repugnant. Quod facillimum est ostendere. Sed quid ego stultus, qui suadere velim, Lutheranos hæreticorum more cum ecclesia Christi bellare? Quasi verò difficile esset, causis euidentibus ac necessarijs addicere, hos neque in Apostolica, neque in Catholica, neque in sancta, nec in vna ecclesia esse. Nihil sanè facilius esset, nihil explicatius, nihil promptius, si huius esset aut loci aut temporis. Nimirùm quibus omnino rebus cum Donatistis Augustinus egit, vt eorũ animos ad verã notionem ecclesiæ vnius sanctæ Catholicæ atque apostolicæ reuocaret: ijsdem nos Lutheranos vincere nullo negotio & labore possumus. Atque si res ipsæ, quæ tamen in manu nostra sunt, in hac nos pugna desererent: at cognomina Catholici ac Lutherani apertissimè planissimeque demonstrant, veram germanamque ecclesiæ notam & characterem habere nos, illos non habere: quanuis ecclesiæ nomen fingant, simulent, obtegant. Sicubi, ait Hieronymus, audieris eos, qui dicuntur Christi, à quoquam alio nuncupari: vtputà Marcionitas, Valẽtinianos, Pelagianos, &c. scito non ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Quo eodem discrimine Augustinus atque Epiphanius hæreticos à Catholicis distinguendos esse docuerunt. Cùm itaque Lutherani cognomen ex Luthero traxerint, planum & expeditum est, eos à communi fide atque ecclesia catholica in priuatam & singularem hæresim abijsse. Nobis autem super terram nullus fidei magister est, vnus cælestis est Christus: à quo Christianorum cognomen est, quod habemus ex illo hæreditarium. In Christi igitur ecclesia sumus. De qua hæc, vt breuissimè dici potuerunt, ita à me dicta sunt. Nunc ad reliquos locos ex ordine instituto progrediar; meque ad meum munus pensumque reuocabo.

Aduersus Luciferanos.

Lib. 1. contra Cresco. Hæret. 70. Aduersus diamorum.

¶ Quarti Libri finis.

DE AVCTORITATE CONCILIORVM QVAE QVARto loco est posita, Liber Quintus.

Caput primum argumenta continet, quibus hæretici vtuntur, ad huius loci auctoritatem labefactandam.

POst ecclesiæ auctoritatem auctoritas conciliorum sequitur, quam hæretici plurimis argumentis oppugnant.

1. argumẽ. Illud primum est, quòd ecclesia colũna est & firmamentum veritatis. At in synodum soli cardinales & episcopi veniunt, qui & numero pauciores sunt, nec auctoritatis pondere, hoc est, nec virtute nec sapientia grauiores: non ergo synodus regula credendi ecclesiæ est sed contrà ecclesia synodo.

2. argumẽ. Deinde pontifices & Pharisæi collegerunt concilium, cuius sententia impia fuit, vt Ioannis 11. cap. legitur. non ergo semper synodi sacerdotalis iudicium probandum est. Sicut enim principes sacerdotum & ōmne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum Matth. 26. & omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum consilium inierunt Matth. 27. ita & episcopi ac pontifices nostri contrariã Iesu Christo sententiã ferre possunt.

3. argumẽ. Præterea si veritatem episcopi tenent & falli non queunt, id ex diuino aliquo pacto proficiscetur. At pactũ hoc nusq̃ apparet. Atq; vt appareat, haud aliter interpretandum est quàm illud, quod cũ Leui olim & posteris eius dominus inijt. Pactum, inquit, meum cum Leui. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirẽt ex ore eius: quia Angelus Domini exercitum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritũ fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Item, Obsecro Domine custodiens pactũ custodientibus mandata tua. In quorũ verba Hieronymus nõ ergo, ait, quod pollicetur Dominus statim futurum est, sed in eos sua promissa complet, qui custodiũt mandata illius. Vnde constat, pactum retinendæ veritatis quondam cum sacerdotali tribu initum, per posterorũ culpas irritari. Quo fit, vt ad eundem quoq; modum, si Apostolis & succedentibus omnino pontificibus veritas à Christo promissa est, eandem tandiu sint seruaturi, quandiu id non suis peccatis egerint, vt veritate destitui mereantur. Alioqui, vt Hieronymus in hunc Malachiæ locum ait, ad sacerdotum quidem pertinet disciplinã interrogatos respõdere de lege, sed si ignorantiã in cæteris diligentem, in scripturis sanctis obtenderint negligentem: frustra iactant dignitatem, cuius opera non exhibent. Atque idem etiam Heronymus scribit, falsò sacerdotes illa iactare. Non peribit lex à sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à propheta, cũ scriptura dicat, in peruersam aiam non intrabit sapientia. Et per

Malach. 2.

Daniel. 9.

Hier. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 7. Ezechielem Dominus, quærent, ait, visionem de propheta: & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus. In quæ verba idem ipse Hieronymus, hæc autem, inquit, non solùm eo tempore, quando Babylonius contra Hierusalem veniebat exercitus à prophetis, sacerdotibus & senioribus quærebantur, sed quotidie in ecclesijs requiruntur. Quæ si visionem, legem, consiliumque perdiderint, frustra Prophetas & sacerdotes & seniores habere se iactant. Adde huc illud Hieremiæ

Cap. 2. testimonium, Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus, & tenentes legem meam nescierunt me: & pastores præuaricati sunt in me: & Prophetæ prophetauerunt in Baal. Quibus verbis vtendum esse aduersus nostri ordinis magistros Hieronymus in commentarijs auctor est.

Isai. 56. Adde illud etiam, speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt. Quibus ex rebus facilè intelligitur, non esse fidendum pastorum sacerdotumque iudicijs, præsertim si illis Dominus iratus est. Si ergo illi solùm in concilium coguntur, concilium profectò errare potest.

4. argumẽtum. Matth. 18. Præterea, conciliorum auctoritas illo potissimùm testimonio probari solet, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quancunque petierint, fiet illis à patre meo. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. At hoc testimonium probaret æquè, prouincialium synodorum certa esse iudicia: quod à recta fide alienum esse cùm ex alijs, tum verò magis ex concilio Carthaginen. sub Cypriano constat, in quo non duo vel tres, sed octoginta episcopi congregati contra orthodoxam de vnico baptismo doctrinam errauere. Synodorum ergo veritas infirmo aut nullo potiùs fundamento nititur. Atque in eo testimonio his tantùm concilijs se affuturum promisit Christus, quæ in nomine ipsius conuenirent. Primùm ergo fidem faciant se coire in Christi nomine, nam fieri potest, vt improbi episcopi aduersus Christum conspirent. Deinde nihil verbo dei addant aut detrahant, illis enim hæc lex præscripta est. * Ad hæc, concilium Ariminense sexcentorum episcoporum errauit cum Ario, Ephesinum secundum etiam frequentissimum cum Dioscoro, Constantinopolitanum verò trecentorum pontificum cum Leone Imperatore. Concilia igitur quamlibet generalia nullum argumentum firmum Theologis subministrant.

Augu. de bap. cõtra Don. lib. 4. c. 18.

*Sexta item synodus apud Trullum celebrata non vnum, sed multa peccauit, vt videre est canone secundo, tertio, tertiodecimo, quinquagesimoquinto, & sexagesimoseptimo. Errare igitur in fide & moribus concilia possunt. Albertus insuper Pighius vir doctus & pius multis argumentis ostendit, acta, quæ nomine sextæ & septimæ synodi circunferuntur, varios errores continere. Non igitur conciliorum etiam generalium fides adeò certa est, vt in dubium vocari non debeat. Præterea, concilium Constantien. definijt, concilium esse supra Papã, Florentinũ autem sub Eugenio quarto, & Lateranense sub Leone decimo, contrarium

rium dogma finierunt: conciliorum ergo auctoritas infirma est. Rursum

9. Argum. Sessione. 23. concilium Basilense definit, esse hæreticum qui negauerit, concilium esse supra Papam, aut asseruerit Papam transferre in alium locum posse concilium, aut in aliud tempus prorogare. Et tamen nemo tam insanus post ea tempora fuit, vt sententiæ contrariæ auctores hæreticos existimauerit: conciliorum ergo iudicia incertiora sunt, quàm vt certam fidem facere possint.

10. argumẽtum. Præterea Augustinus libro secundo de baptismo contra Donatistas capite tertio plenaria concilia inquit, sæpè priora à posterioribus emendari. Id quod certè non fieret, si semper veritatem assequerentur. Sed & Isidorus quinquagesima distinctione, capite, Domino. quotiescunque, inquit, in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius sententia concilij magis teneatur, cuius antiquior & potior extat auctoritas. Non igitur conciliorum decreta certa sunt omnia, sed interdum varia sunt atque adeò inter se pugnantia.

11. argumẽtum. Præterea cùm concilium dicitur errare non posse, aut intelligitur mutilum sine capite, aut integrum interueniente etiam capitis auctoritate. Si mutilum, errauit aliquando, vt catholici vltro ipsi fatentur: sin integrum, frustra ad fidei quæstionem finiendam congregabitur, cùm Romanus pontifex sine generali concilio ritè de fide pronuntiet: quemadmodum loco proximo sumus demonstraturi. Aut igitur conciliorum dogmata incerta sunt, aut vanè profectò congregantur. Id quod Gregorius Nazanzenus in epistola ad Procopium, quæ est numero, centesimo secundo, planè testatur in hæc verba: Quodcunque episcoporum concilium fugio, propterea quòd hactenus nullius omnino Synodi finem aliqua vtilitate præditum, & vnde res malè habentes non magis exacerbatæ quàm curatæ fuerint, videre licuit.

12. argumẽtum de cõs. dist. 2. Ego Berẽgarius. Postremò Oecolampadius argumentatur ex concilio Romano sub Nicolao, vbi Berengarius, vt inquit, coactus est adiurare in verba falsissima, quæ nec Roffensis libro tertio contra Oecolampadium capite duodecimo, nec Caietanus in libello de Cœna Domini ab errore liberare potuerunt. His atque alijs argumentis contra huius loci auctoritatem hæretici pugnare solent. Lutherus autem more suo rem nulla argumentatione sed sola asseueratione conficit inquiens: sæpius errauerunt concilia, præsertim Constantiense, quod omnium impijssimè errauit. Et in quadam ad populum concione concilium primum, cui Apostoli & eorum discipuli interfuerunt, errasse ait, eo quòd senserint legem & opera necessaria esse ad salutem. Sed enim hunc nos locum & confirmare & tueri semper oportet, nec ex vera ecclesiæ sententia falsa vlla ratione moueri.

In libro de capt. Baby.

Caput secundum docet, quidnam nomen aut synodi aut concilij hoc sanè loco significet.

NIhil dubium erat, quin synodi vel concilij nomine, eadem quippè res

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe res est,patres semper nostri intellexerint sacerdotes, præsertim episcopos, in locum vnum congregatos, vt causas eas scilicet definirent, quæ ad ecclesiæ siue fidem seu mores pertinerent. At Lutherani nouum concilium volunt omnibus retro seculis inauditum, vbi de fidei quæstione iudicent, non episcopi & sacerdotes, sed rhetores & laicorum turba, qui non via & ratione, sed verbis & clamore præualeant. Verùm huiusmodi errorem facillimum est eripere.

Tota enim fidelium ecclesia congregari non potest: & vt posset quidem, non expedit tamen, vt ad indisciplinatum vulgus disciplinæ nostrę controuersiæ referantur. Quòd si ad rem publicam vel in pace vel in bello continendam stultum esset, concitatæ & ineruditæ plebis consilium requirere, stultum quoque est, ac multò etiam magis, velle vt in grauissimis de fide quæstionibus populi consensionem atque iudicium requiramus. Ac si populus in rebus temporarijs tutò & prudenter magistratuum curæ, diligentiæ, consilio, sese tradit, nec ferendis legibus quicquam sibi aut consilij aut auctoritatis vendicat, cur plebem hi Christianam incitant, vt suis nolit rectoribus se committere, sed pergat in consessum illum admitti, vbi causæ omnino publicæ non à priuatis hominibus, sed à publicis ecclesiæ magistratibus transigendæ sunt? Non sumus, inquiunt, adeò rudes & tardi, vt velimus aut totam plebem in concilium cogi, quod esset amentiæ, aut doctrinæ quæstiones ad indoctum vulgus referri, quod esset stultitiæ. Sed id cupimus, quod & meritò & optimo iure cupimus, vt nec sacerdotes imperiti in concilium veniant, & si qui laici sacrarum literarum periti sint, sunt autem plurimi, hi ad synodum euocentur: & siue sacerdotes siue laici deligantur viri prudentia ac sapientia celebres, quorum consilio res omnes ecclesiæ publicaque negotia gerantur.

Quoniam non decet, vt in his, quæ religionis sunt, irreligiosus episcopus laico pio anteferatur, aut in his quę sunt doctrinæ laico docto antestet sacerdos indoctus. Sed quod de ignaris episcopis calumniantur, id in confutatione argumentorum explicabimus: nam & hoc primo iam capite inter cætera obiectum est. Quod verò dicunt selectos è plebe viros in synodum cogendos esse, errant in eo turpissimè, nec intelligunt qualis sit reip. Christianæ facies & forma à Christo instituta. Qua de re satis abundanter multis voluminibus ab Alberto Pighio aliisque Catholicis disputatum est. Nunc verò cum Lutheranis ego non pugno, vtrùm omnes fideles sacerdotes sint, non, vtrùm fœminæ a Christo sint ad ecclesiæ munia & sacrorum administrationem admissæ: quoniam huiusmodi quæstiones non sunt præsentis operis & instituti. Tantùm dico, nõ fœminas, nõ laicos, sed solos sacerdotes & Episcopos oportere in concilium cogi. Veniam, inquit Dominus Moysi, ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Descende & contestare populum, ne fortè velit trascendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur: & ascendes tu & Aaron tecum, &c. In hanc ergo formam Christus per Episcopos & sacerdotes populum Christianum instituit: nec plebei ascendere ad consultandum cum sacerdotibus debent, sed præscriptis

ptis terminis contineri. Sed ais, Moyses sacerdos non erat. Et tamen ille docebat populum, religionisque quæstiones finiebat. At primùm, nego Moysen sacerdotem non fuisse. Moyses, inquit, & Aaron in sacerdotibus eius. Psalmo nonagesimo octauo. Item non modò obtulit Deo munera & immolauit: verùm etiam Aaron & filios eius consecrauit. Sacerdos igitur erat. Illud Leuitici octauo disertè explicatum est. Deinde dato mihi legislatorem alium, dato ducem & prophetam à Deo constitutum, Dato hominem, cuius verbis Deus tantum auctoritatis dederit, & tunc ego fortasse dicam eiusmodi virum etiam si laicus sit, cum sacerdotibus consulendum. Sed illud vni Moysi concessum est. Transferri itaq; passim in alios non debet. Nam quid propriè in controuersijs finiendis legislator ipse præscripserit, planum in lege & Deute. 17. expeditum est. Si difficile, ait, & ambiguũ apud te iudicium esse prospexeris, venies ad sacerdotes Leuitici generis, &c. sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram nec ad sinistram. In ambiguis ergo quæstionibus ad sacerdotes populus habet currere, in eorũq; iudicio requiescere. Adde huc illud Aggæi, interroga sacerdotes legem. Adde etiam illud Malachiæ, labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Nec in veteri testamento solùm ea præscripta forma est, in controuersijs finiendis præcipiendaq; doctrina: sed in nouo etiam asseruatur, vt in vtraque iuxta re populus ab episcoporum sacerdotumque labijs & iudicio pendeat. Nam, quòd ab episcopis percipienda euangelij doctrina sit: testis est Paulus ad Ephes. 4. inquiens. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, &c. Quo loco Paulus, cùm Apostolos, Prophetas, Euangelistas, quasi in tres classes distribuisset, pastores tamen & doctores seuerè sanè atque prudenter re ipsa confusos, sola cogitatione distinxit, vt ijdem esse in ecclesia qui & pascerent & docerent intelligerentur. Sed in his verbis lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eò deducta est, vt alios pastores, alios doctores intelligeret, qua nulla pernicies maior Christianorum vitę potuit afferri. Apostolus autem penes Episcopos vt regendi, ita quoque pascendi ac docendi auctoritatem esse voluit. Attendite, inquit, *Act. 20.* vobis & vniuerso gregi in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Et rursum ad Timotheum, & Titum, non alios epi- *1. Tim. 3.* scopos alios doctores, sed eundem e- *Tit. 3.* piscopum doctoremque præscripsit. Ac per Hieremiam Dominus dabo, *Hier. 3.* inquit, pastores: qui pascent vos scientia & doctrina. Doctrina igitur euangelica à pastoribus ecclesiæ expectanda est, quos & episcopos esse & doctores tradidit Paulus. At verò, quòd episcoporum ac sacerdotum etiam sit de fidei controuersijs decernere, Actorum quintodecimo capite tradit Lucas. Cùm enim venissent Paulus & Barnabas & quidam alij Hierosolymam: susceptiquidem sunt ab ecclesia, quæ erat Hierosolymis, sed cùm proposita esset quæstio, conuenerunt, ait, non fœminæ, non iuuenes, non laici: sed apostoli & presbyteri videre de verbo hoc. Quòd si Petrus vt mentes Antiochenorum dubitantium Synodi auctoritate firmarentur, non fideles omnes, sed solos presbyteros cum Apostolis congregandos existimauit, quid est, quòd nos in ecclesiæ grauissimũ cœtum mulierculas, lanios,

coquos

Universidad de Deusto
Biblioteca

coquos, sartores, conuenire cupiamus? Scimus enim apud Lutheranos, huiusmodi multos sacrarum sibi literarum scientiam assumere. Præterea, cùm in dubium venit, quænam pascua sint ouibus permittenda, quæ contrà vetanda, pastorum ea consultatio est, non ouium. Ecclesiæ igitur pastoribus huiusmodi causas dominus demandauit. Præterea, claues regni cælestis Christus non vulgo passim, sed Apostolis eorumq; successoribus concessit, vt in cap. firmiter. de sum. tri. dicitur: nec enim quæ alterius & loci & temporis sunt, ea nunc probare debemus, in clauium autem potestate eædem res sunt, aperire & soluere, claudere & ligare, quèadmodum vel ipse Christus, Matth. 16. c. explicuit. Soluere ergo quæstiones circa fidem exortas ligareq; fideles expleto iam iudicio ad credendũ, non quorunlibet est, sed eorum tantũ qui vt claudendi & aperiendi, ita ligandi soluendiq; auctoritatem habent. Confirmat autem hoc vel maximè, quòd ea impedimenta tollere, quibus ianua regni cælorum clauditur, clauiũ munus est proprium. Ignorantiam igitur fidei, quæ sine dubio in eiusmodi impedimentis est, ij propriè tollent, quibus claues concessæ sunt. Accedit ad hæc, quòd Apostolus ad Rom. 10. cœlos esse intellexit Apostolos, cũ eis illud aptauit, In omnẽ terrã, &c. Apostolorum ergo & eorum, qui Apostolis succedere, proprium erit illustrare cæteros, ac vi sua populum continere. Quòd si cœli illustrationes tollis, quibus omnia, quæ terra parit, maturata pubescũt: infœcunda hęc maneat necesse est, ac verè iuxta nomen suum arida. Atq; etiam, si tenebræ operient terram & caligo populos, non has alij discutient, quàm quib⁹ a Christo dictum est, vos estis lux mundi. Qui verò, quod superiorum est munium inferioribus in ecclesia tribuunt, hi similes sunt, vt siqui aut in terra vim illustrandi ponant, aut in pedibus vim cernendi. Sed quoniam de his fusiùs & accuratiùs ab alijs disputatũ est, satis fuerit hæc nos pauca breuiter attigisse. Nec est profectò cur maiorẽ in hac re lucem desideremus, quàm non ratio modò, sed perpetuus etiã ecclesiæ vsus fecit esse perspicuam. Non enim patrum memoria, nisi episcopi & presbyteri in concilium vocantur. Nec hi omnes, sed qui pastores ecclesiæ & rectores sunt. Episcopi enim, quos anulares nostri vocant, sine causã aliquando in synodum sunt admissi. Sed nihil mirum. Nam & sine causa in ecclesia sunt. Verùm hæc aliàs. Nunc complectar quod proposui breui. Sanè, nisi me opinio fallit, sicut nec simplices presbyteri, ita nec anulares isti episcopi quidẽ in synodũ cogẽdi sunt. Totum quippe ecclesiastici concilij negocium non ordinis, sed iurisdictionis potestate transigitur. Ferre nanq; sententiam, soluere aut ligare, absq; iurisdictione nemo potest. Constat autem patres in synodo aut leges de moribus dare populo, aut de fidei quæstionibus iudicare: quorũ neutrum sine ligandi soluendiq; iure sacerdos facit. Sed vtcunq; hæc habeãt, errant certè in media luce Lutherani, qui synodum aliter quàm episcoporum & sacerdotum collectione definiunt. Errat quoq; turpiter pueriliterq; Bucerus cùm ait, in synodum ecclesiæ non debere cogi nisi dei filios. Primùm enim, si solùm dei filij synodum ecclesiæ faciunt, quæro an cõuenire debeant vltro non vocati, an potiùs futurus sit aliquis, cuius euocentur imperio. Si vocati in concilium veniant, ecquis, rogo, ille futurus est, qui veros dei filios internoscat? Sin vltro venient, quisq; ergo de se iudicium feret, & suæ bonitatis opinione fretus in concilium sese ingeret? Sed vt de se coniecturam habeat, quomodo reliquos iustos esse & sanctos intelliget? Atq; vt huiusmodi hominum insaniam apertiùs deprehendas, finge in republica vnaqualibet ciues, qui sua & sponte & auctoritate se congregent ad censendũ de legibus, de magistratibus, de religione, idq; eo quisq; audaciùs, quò magis virtuti suæ & studijs fidit. Nũ talis reipub. forma & species non à Solone dico aut Licurgo, sed ab vllo omnino cordato homine probaretur? Non igitur ea confusio ac perturbatio in ecclesiæ synodum inferenda est, quam nein vicis quidem & oppidulis homo sanæ mentis admitteret. Nisi fortè in illam insaniam recidamus, vt putemus, hominem, simul atq; dei filius esse desijt, potestate quoq; regendi, pascendi, iudicandi, ligandi, soluendi, esse destitutum. Quod quidem quale sit, non est huius operis ostendere, sed in repub. prophana animaduerti potest: vbi ciuiũ tamen vel probitas vel improbitas non adeò obscura est, vt non queat aliquando facilè deprehẽdi. Id qđ in Christiana rep. nõ perinde facile est, cuius scilicet præcipua virtus, qua filij dei & nominantur & sunt, occultissima est. Nõ enim qui in manifesto Iudę⁹ est, nec quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscõdito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Quãobrem si charitate amissa, potestas item publica amitteretur, dici non potest, quãtis tenebris ecclesia esset circũfusa. De quo argumento, & nos superiore libro diseruimus, & alij pleriq; diseruerunt multò copiosiùs, nos quasi prætereuntes hæc diximus, vt lectores intelligãt, qđ ad præsentẽ locũ satis est, episcopos etiã malos in synodũ congregãdos, vt qui potestatem pascendi, iudicãdi, ligandi, soluendi, non amiserint. Luthera nos itaq; ab hoc quidem sermone remoueamus: ipsi autẽ intelligamus, synodi ecclesiasticæ nomen nõ quosuis, sed pastores & pontifices ecclesiæ cõplecti in vnũ locũ congregatos, vt de causis ecclesiasticis, hoc est de moribus, fide, religione, pronuncient.

Caput tertium, in quo synodorũ varia genera ponuntur.

QVorum hominũ conuentũ synodus ecclesiastica præse ferat, satis explicatũ arbitror capite superiore. Nũc vocabulũ partiendũ est, vt singula cõciliorum genera quidnam veritatis & auctoritatis habeant, videamus. Et quidẽ Gratianus 3. dist. cap. Regula. synodos bifariã partitur, in generales & prouinciales. Hac autem diuisione, cùm præterire aliquid, maximum vitium in diuidendo sit, vnũ prætermissum est. Nec enim solùm generales & prouinciales synodi sunt, sed etiã episcopales. Ita si placet nominemus, fabricemurq; si opus erit, verba. Sunt enim rebus nouis, vt Cicero tradit, noua ponẽda nomina. Quanuis hoc recens quidem illud, sed perceptum tamen vsu à nostris, tritumq; non à barbaris modò, verũ etiã à Latinis. Concilia equidem generalia voco, quæ oĩum Christianorum pontificũ conuocatione celebrantur. Inter multos autem sæpè disceptatum est, an generalis cõuocatio satis sit, an etiam sit necessaria cõgregatio generalis. Si enim Sũmus põtifex concilũ generale indiceret, nõ congregarentur tamen nisi soli decem ex Italia pontifices, huiusmodi profectò synodus non est, cur generalis videatur. At cõtrà, si necesse est, episcopos oẽs congregari, primùm nullum fortè in ecclesia tale adhuc concilũ fuit, in quod episcopi vniuersi cõuenerint. Deinde pessimus quisq; episcopus, dum non solùm per negligentiam, sed per malitiã synodo adesse cõtempserit, generalem nõ esse calumniabitur. Et princeps in rep. quilibet, si illi synodus displicuerit, interturbare eam minimo negotio poterit, causariq; episcopos suos vel morborũ vel tumultuum causa concilio interesse non posse. Verũ, quoniam omnes huiusmodi controuersias persequi non est operis instituti, huic quæstioni breuiter respondemus. Non satis est quidem ad concilium generale, si euocatio generalis est, quando adeò pauci congregantur, vt maior meliorque

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouinciarum pars relicta esse videatur: præsertim si causa legitima sit, cur episcopi synodo non affuerint. At si per malitiam hominum pessimorum vna & item altera prouincia desit, non propterea concilij generalis nomen amittitur. Sed ne si per negligentiam quidem aut aliam occasionem quãlibet episcopi aliquot desint, nominis sui iacturam generale concilium faciet, nisi in dubium vertimus an Concilia illa quatuor, Nicænum, Ephesinum, Constãtinopolitanum, Chalcedonense, generalia sint. Quàmobrem, vt fideles, ita nos hoc loco loquimur, vt synodum generalem omnium episcoporum euocatione legitima finiamus, licèt non sit omnium congregatio. Cómuni enim fidelium sensu agendum est, cùm de rebus vocibusque ecclesiæ loquimur. Idq; eodem modo fecerunt sapientes. Nec satis est tamen ad generale concilium euocatio generalis, nisi sit etiam generalis congregatio. Sed ad generalem congregationem, omnium episcoporum congregatio non requiritur. Neq; hic definimus nisi id quod frequens in ecclesia est. Scimus enim concilia generalia sine euocatione celebrari aliquãdo posse, sed id perrarum atq; adeò præter artem est. Verũ de his postea diligentiùs. Nunc ad reliquas partes propositæ diuisionis reuertamur. Prouincialia concilia sunt, cùm a Metropolitano vel Primate omnes vnius prouinciæ aut etiam regni pontifices euocantur. Episcopalia sunt, synodi sacerdotum, quæ ab episcopis singulis in sua diœcesi haberi modò solẽt, ob priuatas singulorũ ecclesiarũ causas. Nã synodi huiusmodi præsertim in Hispania non erant in vsu olim, nisi ob eam causam, quę decimaoctaua distinct. capite, postremo exprimitur. *18.d. c.propter.*

Hac diuisione posita & omnium assensu approbata, altera assumitur, Conciliorum siue generalium, siue prouincialium, seu episcopalium, quædam esse congregata Romani pontificis auctoritate, alia verò non item. Rursum, alia confirmata ab eodem Romano pontifice, alia verò non ab eo confirmata. Nam cõcilium Ephesinum secundum auctore Leone coactum est quidem, sed non est a Leone aut alio quouis summo pontifice comprobatum. Basilicnse quoque Eugenius quartus indixit, nec tamen cõfirmauit. At Constantiense, quanuis à principio nullius Romani episcopi auctoritate congregatum fuerit, confirmauit illud tamen Martinus quintus, Pontifex Maximus. Concilium item Mileuitanum, quod & Innocentius & Celestinus probauerunt, sine auctoritate summi põtificis coactum fuit. Cũ ergo quam Gratianus duplicem putauit esse rationẽ, in tres partes distribui debere reperiatur, & singulæ trium, bis distribuuntur in duas: primùm est de generali concilio, sed dupliciter: tum parirationc de prouinciali, pòst de episcopali disserendum.

Caput quartum, vbi cõclusiones ponuntur, quibus loci huius auctoritas continetur.

His sumptis, prima conclusio sit. Cõcilium generale, quod auctoritate Romani pontificis nec congregatum nec confirmatum est, errare in fide potest. Hanc conclusionem manifestè probat error concilij Ariminensis & Constantinopolitani sub Leone imperatore: quem huius loci auctoritati in quinto argumento cap. primi obiiciebamus. Id ipsum quoque ostendit Gratianus decima septima distin. capi. Regula. & cap. multis. Iulij & Pelagij clarissimis testimonijs. Idem definit Damasus in epistola ad Stephanum *1. conc.*

Trast.46. modum Augustinus in Ioannem non obscurè interpretatus est. Nihil ergo pastores Euangelicæ illæ sententiæ iuuant. Quin cùm de suo loqui possint, possunt à nobis vel sperni. Vnde Hieronymus in Matth. 17. capite. super illis verbis, Non omnis qui dicit mihi, &c. Sicut suprà inquit, dixerat eos, qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc econtrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt. Sed isti quod de mercenarijs ab Augustino dicitur, id ad veros ecclesiæ pastores, vafrè malicioseque traducunt. Nec intelligunt, inter mercenarios veros semper in ecclesia pastores esse, quorum voces audire oues oportet, præsertim si omnium eadem sit. Tunc enim pastorum vox, ecclesiæ quoque vox atque adeò Christi est. Alioqui, quidnam illud sibi vult, obsecro vos vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata? Diuisus est Christus? Absit. Non est dissensionis Deus, sed pacis. Ac reuera, vt hoc argumentum conferamus in pauca, si oues omnium pastorum vnam eandemque doctrinam sequantur, nihil culpæ in ouibus erit. Sequantur ergo, fac ita, & errantibus pastoribus vniuersis oues item omnes errabunt. Quod superiore libro fieri non posse demonstratum est. Iam verò Hieronymus quid sibi velit statim indicat. Docet enim vtrumque Dei seruis necessarium esse, quo eis fides accommodetur: vt & opus sermone, & sermo operibus comprobetur? *1.Cor.1.*

Præterea Martinus quintus in concilio Constantiensi. inter reliquas interrogationes, quibus suspecti in fide sunt examinandi, eam etiam proponit, *1.Cor.14.* Vtrum credant, quòd quodlibet concilium generale vniuersalem ecclesiam representet. Si igitur concilium generale vniuersalis ecclesiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius ecclesiæ auctoritatem eadem opera dissoluit. Præclarum igitur illud Augustini est libro primo de Baptismo contra Donatistas. capit. decimooctauo, plenarij concilij sententiam, totius ecclesiæ consensionem esse. Præterea, Paulo non alia via commodior visa est ad veritatem in quæstione exorta vestigandam, quàm si ad concilium Hierosolymitanum controuersia referretur. Eam igitur viam, quam Paulus ad fidei quæstionem terminandam aptissimam existimauit, nos ingredi & tenere debemus: eamque modestiam imitari, quæ & in Iudæis & in Gentibus à Luca Actorum quinto decimo capite describitur. Poterant enim Gentes cum concilio illo Hierosolymitano expostulare, quòd libertatem sibi à Christo datam eriperent, quodque cęremonias nonnullas humeris discipulorum tanquam necessarias imponerent, quæ minùs necessariæ esse videbantur, cùm Christi fides esset ad salutem idonea. Sed ne Iudæi quidem repugnauere, qui tamen concilij definitioni scripturam possent opponere dicentem, Homo cuius caro præputij, &c. Tantum itaque honoris concilio deferentes, formam futuris seruandam seculis exhibuere, vt synodis Petri successorumque eius auctoritate firmatis certa fides haberetur. Visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis. Concilij ergo sententia spiritus sancti sententia ipsissima est. Accedit illa quoque causa, quòd ecclesia Catholica conciliorum generalium decreta semper accepit, ab ipsisque habitos hæreticos tales etiam esse sine dubio existimauit. Necessarium est igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

conciliorum tenere fidē: si ecclesiæ fidem tenere volumus. Quæ res libro etiam superiore magnis argumētis cōfirmata est.

Quarta cōclusio. Quarta conclusio. Concilium prouinciale non confirmatum à summo pontifice errare in fide potest. Cuius rei exemplum habes in concilio Mediolanensi lib. 10. hist. eccle. cap. 20. & in concilio Antiocheno. 90. eporum lib. 4. histo. trip. cap. 9. & in Seleuciano lib. 1. tripar. cap. 34. & in Carthaginensi, cuius inter arguendum mentionem fecimus. Hæc quoque conclusio non exemplis modò, sed testimonio etiam Symmachi comprobatur inquientis, Concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus per prouincias decreta, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Ita leges aut nimis duras aut parum rationi consentaneas à concilijs prouincialibus interdum editas, non est negandum. Qualis illa fortasse fuit apud Aquisgranum, quæ refertur trigesimasexta. quæstione secunda. capit. Placuit. Illa rursum non imprudenter modò, verùm etiam impiè a concilio Elibertino lata est de tollendis imaginibus. Quòd si generale concilium cui auctoritas episcopi Romani deest, errare in fide potest, errabit aliquando, ac multò etiam magis, synodus prouincialis.

17. d. c. concilia.

Cap. 36.

Quinta cōclusio. Quinta conclusio. Concilium prouinciale summi pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare. Multorum autem, hæreticorum damnatio esset incerta, si hæc conclusio certa non esset. Plerique enim hæretici non per concilia generalia, sed per prouincialia sunt damnati.

Primū confirmatū est à Leone. 2. à Siricio. 2. & 4. ab Innocentio et Celestino. Vt, Priscillianus in concilio Toletano primo. Eluidius in concilio Telensi. Pelagius in Concilijs Mileuitano & Carthaginensi. Quāquam Pelagiū in synodo etiam Ephesina damnatū de hære. c. Fraternitatis. Gregorius tradit. Sed hæc sententia hodie apud Ephesinum concilium non extat. Deinde nec expedit nec tolerabile est, singulis hæreticis condemnandis singulas generales synodos cogere, cùm ergo ecclesiæ suę Deus prospexerit in necessarijs, nimirū ad hæreses primatas in prouincijs refutandas cōcilia prouincialia satis erunt, si erunt modò summi pontificis auctoritate roborata. Præterea, quoscunq; eiusmodi concilia dānauere, ecclesia eos semper explosit, errare igitur illa in fide nequeunt. Quòd si possent, vel vnum certè exemplum proferretur. At nullum omnino est. Nam, quod Oecolampadius adfert è Romana synodo sub Gelasio, vbi definitum esse ait, sub stantiam panis in Eucharistiæ Sacramento manere, id cōmentitium esse loco proximo demōstraturi sumus. Nullius enim synodi illa sentētia est, sed ne Gelasij quidē.

17. d. c. concilia.

Præterea Symmachus Papa tradit concilia prouincialia quotannis per ecclesiæ leges decreta: quia præsentiam Papæ non habent, valetudinē perdidisse: ergo si præsentiam habent, valida erunt. In 7. item synodo actione. 3. cùm Theodorus concilia generalia recepisset, statim subdit, Locales synodos non auersamur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus. Earum etiam diuinitus inspiratas canonicas constitutiones, correctiones, & legislationes summa obseruantia colimus. Hanc autē epistolam Theodori & orientalium probat ipsa 7. Synodus. Atq; 8. Synodus sess. postrema. Canone 1. regulas, inquit, quæ ecclesiæ sanctæ tam à sanctis Apostolis, quam ab orthodoxorum vniuersalibus necnon & localibus concilijs traditæ sunt, seruare ac custodire profitemur. Sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus & iustificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, canonicè subiici decernimus. Hactenus. 8. Synodus. Cuius verba in iis maximè concilijs locū habere intelligēda sunt, quæ à summo pōtifice sunt cōfirmata.

Locales synodos uocantur prouinciales.

Summus

phanū archiepiscopū & tria concilia Aphricana, quæ in epistō. ad eundē Damasum hoc ipsum confessa fuerant. Non est quippè verum ratumq; concilium, quod auctoritate episcopi Romani caret: quem admodum non ij solùm pontifices, sed concilia etiam ipsa tradiderunt. Tradidit septima synodus acti. sexta. tomo primo. & octaua synodus acti. prima & septima. & synodus Romana sub Symmacho. 96. distinctione. capit. Bene. & synodus. 90. episcoporum sub Damaso. histo. trip. Libro quint. capit. vicesimo nono. & concilium Lateranen. sub Leone decimo. sess. vndecima. vbi eadem res dicitur in synodo Alexandrina definita. Ita Socrates libro quarto histo. trip. capite nono. tradit regulam ecclesiasticam iubere, vt cōcilia eiusmodi præter sententiam Romani pontificis non celebrentur. Id quod Iulius in epistola ad Orientales dixit fuisse à Nicæna synodo definitum, & Marcellus in epistola ad Antiochenos, hoc ait, Apostolos statuisse. Videlicet eiusmodi concilia non solū infirma in ecclesia fuere semper ad fidem veritatis faciendam, sed conuenticula propemodùm fuere iniquitatis, & tristes atque adeò exitiales exitus habuerunt. Mentiri verò ait Bucerus eos qui affirmant, non licere sine Romani pontificis assensu concilium cogere. Id autem primùm Eusebij & historiæ tripartitæ testimonijs confirmat. Deinde est Canon, inquit, Nicæni concilij de synodis habendis. Sunt quoque Canones Apostolici, qui quotannis binas synodos in prouincia qualibet prescribunt. Asserit autem firmum ac ratum esse quicquid in huiusmodi concilijs statuitur pro veritate contra mendacium, ita vt ne à summo quidem pontifice rescindi possit. Sed huius hominis impudentiæ quis poterit sine stomacho respondere? Principio nāque illud impudentiæ quātum est, quòd historiam Eusebij & tripartitam nobis obiicit, in quibus cōtra nos refertur nihil, pro nobis multa? Quid illud alterum? Quòd Nicænum concilium & Canones Apostolicos opponit, in quibus de synodis prouinciarum sermo est, quas summi pontifices pro recta ecclesiarum institutione & administratione prescripserunt. Nos autem de synodis generalibus loquimur, quas sine summi pontificis assensu cogere non aliter accipiendum est, ac si regni primarij sine principis assensu atque adeò illo repugnante cogerentur. Illud verò quale est? firmum esse velle quicquid in his synodis statuitur? Pro veritate, ait, contra mendacium. Scilicet, si pro veritate est, vbicunque statuatur, accipiendum est, sed quis nos certiores reddet pro veritate esse, quæcunque a synodis prouinciarum decreta sunt? Verū de his hactenus. Nam in quarta conclusione fusiùs ista hæc explicabuntur.

2. con.

Secunda conclusio. Concilium generale etiam congregatum Romani pontificis auctoritate errare in fide potest. Hæc demonstratur apertè exemplo concilij Ephesini secundi, vbi legatis Leonis repugnantibus episcopi fermè omnes Dioscori hæresi subscripserunt. Confirmat hanc luculentiùs Leo Papa in epistolis retro citatis ad quintum argumentum, & synodus octaua actione septima, & Nicolaus ad Michaelem imperatorem, & Eugenius quartus, in decreto super vnione Iacobinorum, in quo posteaquam Ephesinam secundam synodum sub Leone congregatam condemnauit, quæ videlicet Euticiano errori consensit, susceipit, ait, sancta Romana ecclesia omnes vniuersales synodos auctoritate Romani pontificis legitimè cōgregatas ac celebratas & confirmatas. Non dixit congregatas solùm, sed celebratas & confirmatas. Eadem res ostenditur exemplo quoque Basilienſis synodi, cuius errorem in nono argumento capitis primi opponebamus. Sed de

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac re in responsione ad hoc argumentum latiùs. Præterea nullum concilium ratum est aut fuit, quod Romani pontificis non fuerit fulcitum auctoritate, vt Iulius, Damasus, Pelagius alijque patres in prioris conclusionis confirmationem allegati non obscurè tradiderunt: at quãuis concilium sit edicente pontifice summo coactum, si tamen non sunt ab eo concilij dogmata confirmata, sed potiùs vel is vel eius legati pugnarunt, tum certè synodus non est fulcita Apostolica auctoritate, non igitur rata & firma erit, ac proinde ne idonea quidem, vt ex ea fidem faciamus. Sed hæc conclusio cap. proximo fusiùs explicabitur.

Tertia cõ. 15. disti. c. Sicut. & c Sancta Romana.

Tertia conclusio. Concilium generale confirmatum auctoritate Romani pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Quam quidem conclusionem ita exploratam habere opus est, vt eius contrariam hæreticam esse credamus. Primùm, quoniam redibunt aliàs hæreses vniuersæ conciliorum generalium auctoritate damnatæ: & symbolum quoque Nicænum erit ambiguum concilij generalis auctoritate sublata. Deinde, si concilium huiusmodi errare in fide posset, nulla profectò certa via esset reliqua, vt in fidei controuersijs Catholicum dogma exploraremus. Qui enim summi pontificis ac reliquorum omnium ecclesiæ pastorum iudicium detrectat, is nullum viuum iudicem inuenturus est, à cuius tribunali non liceat discedere. Volunt Lutherani iudicem in concilio scripturam esse quæ nec sentit, nec intelligit, nec eloqui ipsa iudicium valet. Lutherus ipse clamat illa verba, hoc est corpus meum, propriè accipienda, Zuinglius contrà figuratè: quis sententiam dicet? Num scriptura ipsa? An potiùs iudex ecclesiæ summus cum concilio sacerdotum: quemadmodum Deutero. 17. cap. scriptum est? Quòd si in iudicijs humanis viuos iudices quis recusaret in republica constitutos, & ad literas mutas & inanimes confugeret, omnibus omnino modis exploderetur. Sed de his & diximus multa aliàs, & multa sæpè dicemus. Nunc ad propositum reuertamur. Sanè conciliorum fide reiecta, scripturæ quoque bonam partem amittemus. Nam si quis epistolam Iacobi cum Luthero à literis Canonicis expunxerit, per scripturam hæc certè quæstio definiri non potest. Viui ergo iudices constituantur oportet. Quòd si pastorum detrectato iudicio ad aliud tribunal prouoces, nihil aliud profectò facies, quàm Christi & ecclesiæ declinare iudices, & pro diuinis humanos substituere. Quoscunque nimirum præter pastores ecclesiæ delegeris, humana illi incertaque auctoritate pollebunt. Ad hæc, vel populus fidelis tenetur stare definitioni concilij, vel potest etiam repugnare. Si tenetur, iam errante concilio populus in eodem errore versabitur. Sin repugnare potest, vbinam illud est, qui vos audit, me audit? Vbi illud rursum, super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quęcunque dixerint vobis facite? Aiunt, si quæcunque dixerint nobis ea facere iubemur: cur alio loco Christus cauere voluit à fermento Pharisæorum? Nam illud Matthæus Pharisæorum doctrinam interpretatur. Cur rursum eorum traditiones exemplo etiã proprio contemnere docuit? Aliquid ergo doctrinæ propriæ puritati Euangelij admiscere possunt, in quo non solùm non sunt audiendi, sed sunt etiam refutãdi. Id ergo præcauit Christus, ne plebs malis docentium exemplis ad contemptionem veræ doctrinæ inducatur. Tunc ergo quæ dixerint nobis Pharisæi, eadem facere iubet Christus: cùm super Cathedram Moysi sederint, hoc est, legem Dei enarrauerint, docuerint, proposuerint. Nam si sua doceant, eos negligere non solùm possumus, sed debemus. Quemadmodum

Luc. 10.
Matth. 23.
Matth. 16.
Matth. 15.

quo casu sine crimine vsurpati iudicij de causa fidei pronunciant. In his ergo tribus casibus, licèt iudicia hæc certa & firma in ecclesia nõ sint, expedit tamẽ, vt, quoniam sunt valde probabilia, maximi à fidelibus habeantur. Nec enim erit parùm ecclesiæ noxium, si non interim ab his perinde vt ab excommunicatis caueat, quos non ecclesia Romana modò, verumetiam synodus, aut prouincialis, aut episcopalis hæreticos iudicarint. Sed primam obiectionem videamus. Causa, inquiunt, fidei omnibus communis est, atque adeò priuatis iudicibus non licet de ea sententiam ferre. Et læsæ maiestatis ac proditę reipub. crimen ciues vniuersos tangit, & priuati tamen iudices de eo censere solent. Nam capitula illa, quæ afferunt, intelligenda sunt, cũres inter ipsos episcopos & viros Theologos est ambigua: quemadmodum Pelagius explicuit 17. distinct. cap. Multis. Qui etiam sensus ex Deute. 17. cap. manifestiùs habetur. Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus, &c. Nam illud quidem, quod Lucius addit, nihil militat aduersum nos. Non enim dixit, quicunque fuerit in manifesta hæresi deprehensus: sed quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus. Vult autem, quod ibidem perspicuum est, vt nemo tradatur brachio sæculari, nisi hæreticum esse constiterit. Eiusmodi enim pœnæ, vt executioni mandentur, probationes exigunt luce meridiana clariores. Sed de conciliorum auctoritate dictum est satis.

¶ Cap. Quintum, Vbi nodi quidam soluuntur, quibus interdum homines etiam docti illigari solent.

QVibus rebus expositis, nihil aliud superesse videbatur, nisi vt argumenta refelleremus, quæ à principio sunt posita. Sed paranti mihi eas obiectiones repellere, obiecerunt se scrupuli aliquot, quos priùs conuenit excutere, quàm ad alia pergamus, ne in via, quam superiore capite aperuimus, sint Theologis impedimento.

Prima quæstio.

Primùm igitur dubium illud excutiendum est, an concilium per legatos summi Pontificis celebratum firmam certamque habeat auctoritatem: an potiùs episcopi Romani confirmatio expectanda sit, vt certa habeantur decreta concilij. Ac Caietanus quidem, qui sine controuersia de auctoritate Papæ & concilij accuratissimè disputauit, quemque nos correctione quadã adhibita potissimùm secuti sumus, multa hic disertè dicit, quæ à præsenti instituto videntur esse aliena: sed affirmat denique, id quod ad præsentem locum & quæstionem attinet, concilium per legatos Pontificis actum errare in fide posse. Superest enim adhuc ille, pro cuius fide rogauit Christus, ille inquam, ad quem fidei summa tandem referenda est. Quare nisi definitiones conciliorum per summos Pontifices & probentur & confirmentur, certas firmasque esse non oportet. Idem etiam Cardinalis Turrecremata sensit libro tertio. capite sexto, octauo, & trigesimooctauo. quibus locis fusissimè ostendit, omnia retro antiqua concilia à summis Pontificibus confirmationem dogmatum petijsse: non id profectò actura, nisi existimassent necessarium. Nam quòd confirmatio pontificis ad fidei quoque dogmata referatur, liquet ex epistola Nicænæ synodi ad Syluestrum Papam. Quicquid, aiunt, constituimus, precamur, vt vestri oris consortio confirmetur. Et Syluester eidem synodo rescribens, Confirmo, inquit, figoque ad doctrinam vestram reclamantes de vnitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

tate Trinitatis. Et paulò pòst, probo, ait, vera fuisse quæ in vestrum nostrumque manauere mysterium, &c. Et patres concilij Chalcedonen. in epistola ad Leonem, Omnem inquiunt, vobis gestorum vim insinuauimus, ad comprobationé nostræ synceritatis, & ad eorũ, quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam. Et Leo papa in epistola ad concilium Chalcedonen. quæ est in ordine. 59. ne ergo, ait, dubitabile videatur, vtrum quæ per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbẽ, &c. & postea dicit se approbationem gestorum synodalium in sola causa fidei mittere, propter quam scilicet concilium congregatum est. Idem patet ex epistola Leonis huius nominis tertij, qua confirmat sextam synodum generalem. Adde huc, quod ecclesia ante ipsius Pontificis confirmationem, nunquam firmum habuit & ratum quod à legatis concilio præsidentibus definitum est. Hinc enim Martianus Augustus à Leone contẽdit, vt concilij Chalcedonensis de fide iudicium approbaret. Et Leo ob hanc quoque causam Martiano commendauit, vt confirmatio approbatioque concilij ad omnes ecclesias perferretur, quemadmodum epistola. 57. ad eúndem Martianum scribitur. Præterea, concilium sine legatis errare potest, at summus Pontifex non transfert in legatos suæ fidei soliditatẽm, quam scilicet sibi soli priuatim vendicat, eo quòd Christi vicarius est, pastor ecclesiæ vniuersalis, & petra, supra quam Christus suam fundauit ecclesiam. Legati ergo simul cum concilio errare poterunt. Non enim pro legatis Petri, sed pro Petro rogauit Christus, &c. Adhęc, conciliũ prouinciale, cui legati summi Põtificis adsint, errare in fide potest: non autem si à summo Pontifice confirmatum est. Non igitur Legati eam habent in fidei dogmatis auctoritatem, quam summus ipse Pontifex habet. Quocirca, infirma adhuc erunt decreta concilij, quanuis per legatorum iudicium confirmata. Præterea cõcilium Ephesinum secundum errauit cum Dioscoro, & tamen legitimè auctore Leone congregatum est: non ergo firmum & ratum est cõcilij decretum, nisi sit à summo Pontificè confirmatum. Nec valet dicere, legatos pontificis & paucos quosdã alios repugnasse. Non enim oportet omnes patres synodali sententiæ subscribere, vt generale concilij iudicium habeatur. Quoniam ne omnes quidem episcopi iudicio Nicænæ synodi subscripserunt. Ac si legati ipsi, vt docti omnes consentiunt, errare possunt, nihil obstaret, quominus alijs episcopis errãtibus consensissent. Legatus demum Pontificis aderat, cùm in secũda & tertia sessione concilij Basiliẽsis vehementer erratum est, errori quoque cæterorum Legatus ipse subscripsit, non ergo satis est concilium esse coactum Pontificis auctoritate, & legatos concilij sententiam approbasse, vt firma & certa esse in ecclesia existimetur.

Vide etiam epist. 58. ad Pulcheriã.

At contrà viri quidam doctissimi sentiunt, concilium generale legitimè congregatum etiam absente papa solidam certamque habere auctoritatem priusquàm à summo Pontifice confirmetur. Cuius sententiæ duaspotissimùm causas reddere possunt. Vnam, quòd eiusmodi concilium per legatos episcopi Romani celebratũ ecclesiam vniuersalem representat, quoniam est concilium ecclesiæ generale, non ergo errare in fide potest, sicut ne ecclesia quidem vniuersalis. Quòd autem omne conciliũ generale ecclesiã vniuersalẽ represẽtet, definitũ est à Martino quinto in fine concilij Constantien. Altera causa est, quòd concilium generale legitimè congregatum, in Spiritu sancto congregatum est, quare habet spiritum assistẽtem, cuius præsentia freti, possunt vtique patres, cùm aliquid definiunt, dicere: visum est Spiritui sancto & nobis. Cõfirmat autẽ hoc vel maximè testimoniũ Iulij ad Orientales episcopos inquientis, Regula vestra

Actor. 15. 17. d. c. Rel gula.

Summus enim Pontifex, vt sequenti loco demonstrabitur, in fidei iudicio errare non potest. Conciliorum ergo prouincialium decreta ad fidem pertinentia firma & certa sunt, si à Romano Pontifice confirmẽtur. Id quod Actorum. 15. capite explicatum est. Quod enim ibi congregatũ legitur, hoc nó generale, sed prouinciale concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti, quàm si esset synodus generalis. Qua ex re Erasmi calumnia retunditur. Cùm enim in annot. super epistolam ad Roma. cap. 5. dixisset, se non vsqueadeò astringi synodo Mileuitana alijsque similibus concilijs prouincialibus, subdidit. Alioqui si quis vrgeat, esse seruanda quæcunque in illis decreta sunt, proferam ex illis dogmata quædam, quæ nunc ecclesia dãmnat pro hæreticis. Hactenus ille. Sed, vt diximus, Mileuitanum concilij confirmatũ est, ideò illo Christianus vrgetur. Illa verò, è quibus dogmata hæretica proferẽtur, cõfirmata non sunt. Ac de his aliam cõclusionem adijcimus.

Sexta conclusio.

Sexta conclusio. Ex concilijs prouincialibus, licèt eis auctoritas episcopi Romani desit, probabile quidem argumentum sumitur ad fidei dogmata suadenda. Huius rei vel illud abundè magnum argumentum est, quòd ex innumeris concilijs eiusmodi vix quinq; aut sex reperiuntur, quæ à recta definiendi ratione ac via declinarint. Si ergo huiusmodi concilia rectam vt plurimùm fidem tenent, rarò deficiunt: probabilissimum sine dubio est, quod ex id genus concilijs argumentum promitur. Atq; certè, nisi sint peculiariter reprobata, communi ecclesiæ, vel silentio, vel etiam implicito consensu commẽdantur, si ad ecclesiæ cõmunem notitiam peruenerint. Non enim fit aliquo pacto verosimile, vt concilij prouincialis toto orbe vulgati hæresim ecclesia diu dissimulauerit. Error enim, cui non resistitur, approbatur. 83. dist. c. Error. Nec mihi concilium Elibertinum obijcias. Nam in ea parte, qua errauit, semper à Catholicis explosum est. Hæc ergo causa est vel maxima, cur Toletana, Arelatensia, Hispalensia & alia similia antiqua concilia licèt non expressè, implicitè tamen probata ab ecclesia videãtur. Nam Ancyritanum, Neocæsarien se, Gangrense, Sardicense, Aphricanum, & Carthaginensia à Leone. 4. confirmata sunt. 20. dist. ca. de libellis. Trullana quoq; synodus quædã concilia prouincialia probauit, sed quantum hæc Trullana adprobatio valeat, postèa sumus fusè disputaturi. Nunc illud solùm asserimus, concilia, quæ à summo Põtifice comprobata non sunt, non certum quidem illud, sed probabile tamen argumentum suppeditare ad fidei dogma corroborandum. Id quod ex Innocentio colligitur. 20. d. c. De quibus.

16. d. c. quoniam.

Septima cõclusio.

Septima conclusio, Concilia episcopalia, si à Romano Pontifice in decretis fidei confirmẽtur, certum argumentum veritatis exhibẽt. Si enim Toletana synodus, præsidente & confirmante Petri successore in fide errat, non videtur causa esse, cur Romana synodus errare nõ possit. Item concilium prouinciale à summo Pontifice cõfirmatum certæ auctoritatis est, ergo & synodus episcopalis. Sed non venit in mentem, alia episcopalis synodus in iudicio fidei à Romano episcopo cõfirmata, præter Cõplutensem sub Alphõso Carrillo archiepiscopo Toletano, vbi dãnatus est magister quidã Oxomẽsis, qui falsò de clauibus ecclesiæ & pœnitẽtiæ sacramento sentiret.

Postrema conclusio.

Postrema conclusio. Synodus episcopalis per se quidem in iudicio hæresis probabilem fidem facere potest, certam non potest. Illud prius expedire debemus, nam hoc posterius satis expeditum est. Illud ergo ostenditur ex cap. Ad abolendam. de hæreticis. vbi à Lucio tertio, vinculo perpetui anathematis innodantur ij, quos vel Romana ecclesia, vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clerico

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum, vel etiam, si oportuerit, vicinorum episcoporum hæreticos iudicauerint. Nó ergo leuis coniectura accipietur ex huiusmodi synodorum iudicijs, quæ Lucius tanti fecit, vt pro excommunicatis habendos esse decreuerit, quos eædem synodi hæreticos definierint. Nec me clam est, quòd quidam viri docti hanc Lucii decretalem de deprehensis in manifesta hæresi interpretantur. Alioqui ius negant concilio episcopali atque adeò prouinciali de hæresi iudicandi. Id probant, quòd fides res est omnibus communis, quare potestas censendi de fide hæresique contraria non penes priuatas ecclesias, sed penes vniuersalem ecclesiam erit. Item suadent id ex cap. Maiores. de baptis. & ex cap. Quoties. 24. quæst. 1. vbi eiusmodi causæ ad solam sedem apostolicam dicuntur esse referendæ, cùm illi speciali priuilegio à Domino reseruatæ sint. Ac post verba citata idem Lucius hoc videtur cõfirmare inquiens. Præsenti nihilominus ordinatione sancimus, vt quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, &c. Loquitur ergo Pontifex in casu, quo hæresis est manifesta. Sed mihi semper longè probabilior illorum sententia visa est, qui putant, eos planè & simpliciter anathematis vinculo p[ro]hanc Lucij decretalem alligari, quos vel Romana ecclesia, vel synodus prouincialis, aut etiam episcopalis hæreticos iudicauerint, quanuis non sit hæresis omnibus manifesta. Primùm enim, non dixit textus, quos hæreticos declarauerint, sed iudicauerint. Alioqui, si declaratio illa rei manifestæ erat, non verum in causa fidei iudicium: quorsum eam rem ad episcopum cum consilio clericorũ, & non magis ad Theologos Lucius retulit, vt scilicet eos anathemate percelleret, qui à Theologis eruditis hæretici declararentur? Deinde, si Lucius non propriè verbum illud, iudicauerint, vsurpauit: sed impropriè, pro eo quod est, rem manifestam exponere: cùm idem omnino verbum simul & ad ecclesiam Romanã & ad episcopum cum clericis suis referatur, consequens fieret, vt etiam pari modo per ecclesiam Romanam non hæreticos iudicatos, sed declaratos excommunicari à Lucio intelligeremus. At constat, vocem illam de ecclesia Romana propriè & simpliciter intelligi: non est igitur, cùm ad synodum episcopi refertur, in alium sensum detorquenda. Adde, quòd multifariàm causa eius, qui hæreseos insimulabatur, ad id genus synodos referri poterat. Primò ex sedis Apostolicæ commissione peculiari, vt de causa Prisilliani cognouit concilium Toletanum primum: & de causa Magistri cuiusdam Oxomensis cognouit synodus Complutensis sub Domino Alphonso Carrillo archiepiscopo Toletano. Mox sine commissione Pontificis speciali, id quod inquisitores modò faciunt, in hæresi quidem manifesta, sed vbi non erat manifestum, an reus esset hæreticus, vel quia non erat probatum & notum eum propositionem hæreticam asseruisse, vel certè quia, etsi asseruisset, nondum erat comperta pertinacia, sine qua hæreticus nullus est. Postremò in hæresi non perinde manifesta, vt omnibus passim esset exposita: sed tali tamen, vt non esset necesse, aut ad concilium generale, aut ad Apostolicam ecclesiam referre eam: quod periti Theologi hæresim esse consenturent. Et in his omnibus casibus ius & olim habebat Synodus, & nunc habent ij, quibus fidei cognitio est mandata, pronunciandi ac iudicandi de causa fidei. Tametsi huiusmodi tribunalium iudicia non adeò explorata sunt, vt falsa esse non possint, non in re dubia solùm interq; viros doctos cõtrouersa, quo casu synodi locales non habent de hæresi pronũtiare: sed etiam in re, quæ omnibus prouinciæ Theologis videretur manifesta, quo

Leo commisit. Sixtus. 4. commisit.

stra nullas habet vires, quoniam Romanę ecclesiæ legatus non interfuit, canonibus præcipientibus sine eius auctoritate cõcilia fieri nõ debere: nec vllum ratũ est concilij, quod eius non fuerit fulcitũ auctoritate. Hactenus Iulius. Sentit ergo sine dubio, cõcilium habere vires, ratum esse, Romanę ecclesiæ niti auctoritate, si Romanę ecclesiæ legatus interfuit. Hac difficili quæstione explicãda illud ponimus, quod rerum gestarũ experimento constat, summi pontifices legatos non solere ad concilium accedere, vbi quæstio de fide agitanda est, nisi instructos priùs & monitos de ecclesiæ Romanæ fide circa ea, quæ sunt in eõcilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam legati in cõcilium Tridentinum non potuere cõmodè de quæstionibus differendis antè instrui, quoniam erãt propemodũ infinitæ. Sed cætera ferè cõcilia ad vnã aut alteram fidei tractãdam causam coacta sunt, ideoq; legati de Apostolicæ ecclesiæ fide priùs instructi accesserũt. Principio igitur illud statuo, posse concilij legatorũ doctrinæ & instructioni repugnare, atq; è cõtrario legatos posse repugnare cõcilio, quo casu decreta cõcilij non solùm non erunt fulcita Apostolica auctoritate, sed erunt potiùs refutata. Sicut enim congregatio concilij reclamante vero certoque ecclesiæ Pontifice vana est & irrita, sic doctrina, cui vel præsens Pontifex per se, vel absens per legatos suos contradicit, incerta est & imbecilla: idque eodẽ prorsus argumento, quoniam vtriq; auctoritas episcopi Romani deest, sine qua nec concilium, nec cõcilij decreta rata sunt. Quòd si qui existimẽt; concilium semel ritè ac legitimè congregatum errare tum etiam non posse, cũ legati Pontificis repugnãt, respõdeant illi argumẽto velim, quo secũdam conclusionẽ cap. 4. probabamus, cõcilij Ephesini secũdi exemplũ proferentes, vbi ab omnibus penè episcopis erratum est. Non fuit liberum concilium, inquiunt, sed sententia à Dioscoro arte minis & terroribus extorta est. Video. Sed si secundùm hominem loquimur, qui metu frangitur, is cupiditate etiam frangatur necesse est. Quocirca, si per metum vera et legitima synodus errat, causabuntur hæretici, reliquas etiam omneis, pontificum & imperatorum cupiditatibus inseruisse. Ita fiet, vt nullius synodi explorata auctoritas habeatur. Quantò grauius illud nos asserimus, concilium apostolica auctoritate firmatum nullis humanis affectibus à vera posse fide discedere. Vt ne ecclesia quidem, quanuis descendat pluuia, veniant flumina, irruant venti, cedere loco potest, fideiq; stationem deserere. Sed concilij reliqua pars quanlibet maxima, si pontifex & legati pugnent, infirmari affectu potest. Hũc enim illud pertinet, Tu ô Petre confirma fratres tuos. Sed ais. Quid si legatus doctrinam, quam à Pontifice accepit, deserat, & multitudinis sensum amplectatur? Primùm, nullum huiusmodi exemplum proferetur, nisi fortè ex concilio sub Michaële Imperatore, vbi Radoaldus & Zacharias Michaëli & Photio consenserunt aduersus Nicolai instructionem atque mandata: vt videre est in epistola Nicolai ad Patriarchas, metropolitas ac reliquos episcopos. Deinde, si legatus contra instructionem agit, nõ censetur ex potestate delegata agere, atq; adeò non est cur eo modo acta superioris auctoritate probata esse credãtur. Inde enim Agatho papa, vt patet actione. 4. sextæ synodi, auctoritatem, inquit, eis, hoc est, legatis dedimus, inquantũ eis duntaxat iniunctum est, vt nihil præsumãt augere, minuere, vel mutare, sed traditionẽ huius apostolicæ sedis synceriter enarrare. Et Leo epist. 43. ad Pulcheriam Augustam, Lucetium, inquit, episcopum & Basilium presbyterum dirigere præparaui, qui dispositiones meas secũdum eas, quas acceperunt regulas, exequantur. Decreta igitur, si quæ à legato cõtra sedis apostolicę traditionẽ approbentur, non habẽt Romanæ ecclesię auctoritatẽ: nec aliter se habent,

Euge. 4. in Decreto unionis Iacobinorũ. Et Leo papa. Epist. 42. ad Martianum Augustum.

vide epistolã Nicolai ad Michaẽlẽ imperatorem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habent, q̃ si à concilio sine legatis prodijssent. Quid verò, si legati sine apostolicæ sedis instructione ad synodum accessere? Num, synodi iudiciũ firmum erit & certum prius q̃ à summo Pontifice comprobetur? Certè in his, quæ ad fidem non attinent, sed ad ecclesiasticam gubernationem, eiusmodi synodorũ decreta non oportet à Spiritu sancto proficisci. Quare non sunt omnino valida, nisi Romani episcopi consensione firmentur. Vt videre est in epistola. 51. Leonis ad Anatholiũ. 52. ad Martianum. 53. ad Pulcheriam, &. 59. ad concilium Chalcedonen. Sed ne in causis fidei quidem adeò exploratam auctoritatem habent, vt qui ea in dubium vocet, hæreticus sit. Tũ, quia auctores nobilissimi, quos antè diximus, Caietanus & Turrecremata non solũ citra hæreseos crimen, sed probabiliter etiam consentiunt, nihil firmi dogmatis ab eiusmodi synodis proficisci, quousque per Christi vicarium approbentur. Tum, quia, vt antè dictum est, solidam auctoritatem, quam in cõfirmandis & fratribus & dogmatis Petrus habet, in legatos transferre non potest. Tum, qa si legati, qui instructionem ab apostolica sede acceperunt, discedere ab illa possunt, illi etiam, qui ad cõcilium sine instructione accedunt, poterunt cum sedis apostolicæ doctrina pugnare. Quare eorũ confirmatio infirma est. Quid, q̃ legatus Iulianus concilij Basiliensis doctrinæ consensit, quam nullus Theologus ita solidã & certam existimat, vt hæreticos credat, qui ab ea doctrina dissentiunt? Nec contraria argumenta quicquam efficiunt. Nam primum sic refellitur. Fateor equidem, quod cunq; concilium generale vniuersalem ecclesiam representare, sicut omnes proceres & procuratores ciuitatum, cùm de rebus publicis tractatum conueniunt, regnũ totum representant. Sed dum vrges, ecclesiam errare non posse: Verum est id in eo sensu, qui à fidelibus accipitur, intelligimus enim totã simul ecclesiam, hoc est, fideles omnes non errare. At nihil obstat, cur maior ecclesiæ pars non erret. Sic igitur non ego admitto, vt totum cõcilium cum legatis errare possit. At errare poterit maior pars concilij, & erranti illi poterunt legati subscribere. Atq; id est, quod nos in præsentia dicimus, iudicium maioris partis, etiam si legati sequantur, non esse certum. Certum autem esset, si à summo Pontifice confirmaretur. Nec enim opus est, quemadmodum paulò antè docuimus, sententiam concilij omnes simul patres approbare. Secundo verò argumento hoc habeto responsum. Concilium vtiq; generale, cui legati præsunt, in Spiritu sancto cõgregatum esse, quoniam auctore Christi vicario eodemq; legitimo ecclesiæ principe coactũ est. Sed ecclesia quoq; vnum corp⁹ est, cuius spiritus Deus est, qui ecclesiæ semper assistit. Quemadmodum ergo, quod toti pariter ecclesię visum est, id Spiritui sancto etiam visum est: sed non continuò quod maior ecclesiæ pars iudicarit, hoc Spiritus sancti iudicium est. Ita, si quid omnibus quidem episcopis iudicatũ fuerit, à spiritu profectò Dei iudicatum est: at non statim, si plures cõcilij patres in vnam sententiam conuenerint, Spiritus sancti ea sententia credenda erit, nisi per summum Pontificem confirmetur. Ad quem nimirum spectat patrum lites dissidiaq; cõponere. Iam Iulij testimonium explicatu facillimum est. Tacet enim, quod manifestũ erat, concilium illud summi Põtificis præsentia caruisse, ponit autem ne legatos quidem ecclesiæ Romanæ affuisse. E quibus duobus altero tacito altero expresso, colligit nullam prorsus ecclesiæ Romanæ auctoritatẽ in eo concilio intercessisse. Quare irritum & vanum esse. Alioqui, si quis rusticè sanè eo nos testimonio vrgeat, is nullo negotio exploditur. Nihil enim valet illa collectio, si concilium legatos non habuit, infirmum eius iudicium fuit, ergo si habuit fuit firmum. Sed de prima quæstione dictum est satis.

Sequitur

Secunda quæstio.

Sequitur altera, an patres concilij verè iudices sint, an potiùs cõsiliarij? Sunt enim auctores non omnino pessimi, qui conciliorum auctoritatem non in iudicanda & finienda causa fidei, sed in quærenda & inuestiganda veritate sitam esse velint. Omnem quippè iudicij vim ad vnum ecclesiæ principem eũdemq; Christi vicarium reuocant, qui fidei causa decernẽda cò vel plures, vel pauciores in cõsilium adhibet, quò causa, vel grauior, vel facilior est. Huius verò rei primum argumentum promitur, quòd in sex libris Decretalium & Clementinis non patribus, sed summo pontifici sententia tribuitur, sacro tamen approbante concilio. Vnde Clemens. 5. concilio Viennen. præsidens nos, inquit, ad tã præclarum testimonium ac sanctorum patrũ communem sententiam apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) acié conuertẽtes, sacro approbãte concilio declaramus, &c. Solùm ergo ad sedem apostolicam iudicium pertinet, patrum verò non iudicium, sed consilium est. Præterea, cùm Pontifex ecclesiæ Romanæ presbyteros in conuentum cogit, vt causa aliqua fidei iudicetur, de fratrum, inquit, nostrorũ consilio, &c. Consulunt ergo non iudicant. Adhæc, Deut. 16 si difficile & ambiguum, &c. venies, ait, ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, &c. Et pòst, qui autem superbierit, inquit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Ecce imperium non omnib⁹, sed summo sacerdoti assignatur, & decretum non iudicum sed iudicis esse dicitur. A consilijs ergo sunt reliqui sacerdotes, non sunt iudices. A contraria verò parte facit, quòd in concilio illo primo Hierosolymitano non solùm Petrus, sed reliqui etiam Apostoli & seniores iudices esse dicuntur. Propter quod ego iudico, Iacobus ait, non inquietari, &c. Acto. 15. Et posteriùs capite eodem præcepta concilij vocat Paulus præcepta Apostolorum. Et cap. 16. dicit ea dogmata esse decreta ab Apostolis & senioribus.

Ex extrauagantibus similis hoc patet.

Ad hanc quæstionem perfacilis est & expedita responsio. Episcopos concilij in fidei causa non modò consiliarios esse, verum etiam iudices. Alioqui nõ solùm episcopi ad ferendam sententiam synodalem adhiberentur, sed etiam docti Theologi & viri in ecclesia prudentes. Quod inauditum est, contraq; formam Actorum. 15. præscriptam, vbi Apostoli tantùm cum presbyteris de fidei quæstione iudicarunt. Cùm igitur ecclesiæ perpetuo vsu soli pastores in concilio sedeant, consequens fit, censores eos esse, non modò consultores. Nam si, vt consulerent, aduocarentur: ijs episcopis, qui Theologiæ rudes & imperiti essent, nullus esset omnino in concilio locus: quando Theologiæ quæstio veniret in dubium. Præterea non Romanus episcopus modò, verùm reliqui etiam episcopi claues regni cælestis habent, ergo in causa fidei ligandi quoque ac soluendi, potestatem. Visum est, inquiunt, Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris quàm hæc necessaria, &c. Oẽs ergo episcopi onus præceptumq; imposuit, omnesq; simul sententiæ synodalis auctores sunt. Atq; consiliarij, qui non sunt simul iudices, non solent iudicio sententiæq; subscribere. At in synodali sententia non pontificis solùm, sed cæterorum episcoporum subscriptiones adponuntur. Sunt igitur sine dubio iudices.

Verùm scrupulus hîc existit, qui malè quosdam habet. Nam si omnes episcopi sunt iudices, summus nimirum pontifex tenebitur in ferenda sententia maiorem partem iudicum sequi, eorumq; doctrinam approbare. In omni enim recto & benè instituto tribunali is, qui præsidet, plurium iudicium confirmare debet, paucorum negligere. Hac soluenda quæstione Cardinalis Turrecremata libro. 3. summæ Eccle. cap. 64. &. 65. iurisperitos

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſe ſequens multa dicit, quæ mihi non probantur omnia. Nec eſt animus tamen ſingula perſequi,& cuiuſq; opiniones refutare. Acutè enim diſputantis, vt Cicero tradit,illud eſt, non quid quiſq; dicat, ſed quid cuique dicendum ſit, videre. Quod igitur aſſumptum eſt, patres concilij non modò conſiliarios eſſe, verùm etiam iudices,id inficias ire nec poſſumus nec debemus. Nam patres Nicænæ ſynodi à Syluestro contendunt, vt quicquid conſtituerunt confirmet. Et Leo quæ à concilio Chalcedonen. de fide ſtatuta ſunt,ea dicit ſe probare. Et cõcilium ipſum ad Leonem decretis, inquit, tuis noſtrum honora iudicium. Et.6. Synodus actione.18. Anathematizamus inquit, Theodorum, Sergiũ, Cyrum &c. & paulò pòſt, His omnibus, ait, à ſancto hoc cõcilio conſtitutis,& per ſubſcriptionẽ noſtræ fortitudinis cõfirmatis, ſancimus, vt nullus aliud quicq̃ de fide ſatagat &c. Num verba hæc conſulentis ſunt? An potiùs iudicantis? Atq; in cæteris patres non vt conſiliarij, ſed vt iudices loquuntur. Caput enim tertium Nicænæ ſynodi ſic habet. Interdixit per omnia magna ſynodus &c. Scrupulũ verò, qui nũc opponitur, facilè eximo. Nego enim, cùm de fide agitur, ſequi plurimorum iudicium oportere. Nec hic, vt in humanis vel electionibus vel iudicijs, ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur. Scimus frequenter vſu venire, vt maior pars vincat meliorem, ſcimus non ea ſemper eſſe optima, quæ placent pluribus, ſcimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ſapiẽtium ſenſum eſſe præferendum. Et ſapientes pauciſsimi ſunt, cùm ſtultorum infinitus ſit numerus. Quadringenti Prophetæ
3.Reg. 22. Achab mentiti ſunt: ex ore verò Michææ ſolius quidẽ & contẽptibilis veritas egreſſa eſt. Non ſunt igitur diuina iudicia humanis rationibus moderãda. In paucis aliquãdo citiùs quàm in multis ſaluat Dominus. Maior quippe pars Epheſini concilij ſecundi in Dioſcori ſententiã venit, nec legati tamẽ pluriũ iudicio ſubſcripſere. Quo circa ſummus põtifex maioris partis ſentẽtiam nõ tenetur amplecti. Imò ſiue pauci ſiue plures ad errorẽ deflexerint, munus eſt apoſtolici antiſtitis ad verã eos fidẽ reuocare: iuxta illud quod Petro dixit Chriſtus. Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu non vnum & item alterum, ſed ſiue paucos ſeu multos confirma fratres tuos. Ita Damaſus ſcribens ad epiſcopos per Illiricum conſtitutos numerum concilij Ariminenſis magna libertate cõtempſit, illiq; tãtæ multitudini vnum Vincentium & alios paucos oppoſuit, qui contra illius concilij ſententiam dixerũt. Et Leo, cùm Anatholius decretum Chalcedonẽ. Synodi de eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primatu ſexcentorum triginta patrum cõ ſenſione præferret, quaſi, inquit, refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur: nec trecentis illis decem atq; octo copioſior numerus ſacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre, cùm tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit ſynodus cõſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit cõſtitutione diuerſum. Hactenus Leo.

Epiſt. ad Anatholiũ.

Non itaq; ſic, quod in humanis conſeſſibus fit, plurium apud nos ſententia prævalet. Quòd ſi ſemel fidei cauſam ad humanas coniecturas prudentiamq; deducimus, verendum eſt ſanè, ne eccleſiæ negotium ex diuino humanum faciamus. Quinetiam certum eſt, qui probabili multorum iudicio nituntur, eos fidei noſtræ firmitudinem labefactare. Secundum quippè concilium generale centum quinquaginta patrum numero conſtitit, quartum verò patres habuit ſexcentos triginta: vtrunque tamen pari veneratione ſuſcepit eccleſia. Non enim numero hæc iudicantur, ſed pondere. Pondus autem concilijs dat ſummi Pontificis & grauitas

& aucto

& auctoritas: quæ ſi adſit, centum patres ſatis ſunt, ſin deſit, nulli ſunt ſatis, ſint quantlibet plurimi. Nec ſi maior pars patrum verè ſentiat, ſummus eccleſiæ Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Chriſti procurationem pertinet ſemperq; pertinuit, ne eccleſia in factiones duas diuidatur. Nec Romanus vnquam epiſcopus, ſi exemplum quæritur, contra patres concilij verè ſentientes dixit. Ad ſecundam autẽ quæſtionem nihil eſt, quod addere debeamus, nam argumenta ex aduerſo poſita ex his, quæ diximus, facilè diluuntur.

Tertiaq; ſio.

Alia quæſtio etiam exiſtit, quæ non eſt ad exponendum facilis. Si enim cõcilium ſummi Pontificis auctoritate firmatum Spiritu ſancto regitur fidei cauſis iudicandis, eius ergo definitiones ad ſacram ſcripturam pertinebunt. Nam ſcriptura ſacra vocatur, quæ Spiritu ſancto affante ſcripta eſt.

Huius verò argumenti concluſionem vir apprimè doctus, & qui tantos habebat in Theologia progreſſus, vt cum excellẽtibus Theologis compararetur, non eſt veritus me præſente concedere. Atq; in hãc opinionem Gratianus quoq; videtur deſcẽdiſſe Diui Auguſtini teſtimonio cõfirmatus. 19. diſtin. cap. in Canonicis. vbi ſummorum Pontificum epiſtolas decretales canonicas ſcripturas eſſe dicit: eadem igitur ratione concilij decreta in Canonicis ſcripturis habebuntur. Sed & Innocentius de celebra. miſſ. cap. Cùm Marthæ, eandem ſententiam videtur amplecti. Ait enim ſcripturam ſacram aſſerere, quòd iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Hoc autem teſtimonium alicuius nimirũ vel Pontificis vel cõcilij eſt. Ratio item his teſtimonijs conſentit. Fides enim catholica nihil credit, niſi quod eſt à Deo reuelatum, quòd ſi concilij decreta tenemur certa ſecundùm fidem habere: ea ſunt certè à Deo reuelata, atque ex conſequenti ſcriptura canonica.

At hæc opinatio quàm ſit inconſiderata lector, vel me non docente, intellecturus eſt. Nam ſi ſymbolum Athanaſij concilijue Nicæni inter ſacras literas refertur, cur nec in Codicem ſacrorum bibliorum redigitur, nec cum libris canonicis annumeratur? Iam libros, qui decretales Pontificum epiſtolas ſynodorumq; iudicia continent, in ſacris & canonicis habere abſurdum eſt. Duplex enim diſcrimẽ inter ſacros auctores & ſummum Pontificem patresq; concilij reperitur. Vnum, quòd auctores ſacri ex proxima Dei, vel reuelatione, vel inſpiratione ſcribunt catholica dogmata. Nec indigent exteris ad ſcribẽdum incitamẽtis, aut humana ratiocinatione è ſcripturis alijs argumẽtantur, diſquirunt, colligunt. At concilium & pontifex humana via incedunt, rationemq; ſequuntur: atque argumentando verum à falſo diſcernunt. Non enim exiſtimandus eſt ſummus Pontifex eam habere facultatem, quæ in Apoſtolis, Prophetis & Euangeliſtis inerat, vt propoſita vnaqualibet de fide quæſtione, protinus dignoſcere poſſit vtra quæſtionis pars vera falſave ſit. Sed adhibere priùs cõſilium neceſſe eſt, & expendere vtriuſque partis argumenta: tum deinde ſequetur auxilium Dei, quod videlicet opus eſt, vt ſummus Pontifex in recta fide contineatur. In concilijs itidem non habent patres mox quaſi ex auctoritate ſententiam abſque alia diſcuſsione dicere. Sed collationibus & diſputationibus re antè tractata, precibusq; primùm ad Deum fuſis, tum verò quæſtio à concilio ſine errore finietur, Dei videlicet auxilio atque fauore hominumq; diligentia & ſtudio confluentibus. Nam & Apoſtolis & preſbyteris in ſynodum Hieroſolymitanam congregatis non ſtatim reuelatum eſt, quid eſſet in fidei cauſa decernendum: ſed facta eſt priùs, vt Lucas ait, magna *Act. 15.* conquiſitio. Et in Nicæna ſynodo, vt *Lib. 10. hiſto. eccl. c. 8* Rufinus tradit, per ſingulos dies agita-

batur

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur conuentus: nec facilè aut temerè de re tanta statuere audebant patres. Euocabatur frequenter Arius in concilium, & assiduo tractatu assertiones eius discutiebantur, & quid aduersum hæc teneri deberet, aut statui, summa cum libratione quærebatur. Ita post diutinum multumque tractatum firmissima omnium sententia Arius condemnatus est. Ex quo perspicuum est, non dormientibus & ocitãtibus patribus Spiritũ sanctũ assistere, sed diligẽter humana via & ratione quærentibus rei, de qua disseritur, veritatem. Alterum autem discrimen est, quòd scriptoribus sacris, quemadmodum primo loco fusiùs explicuimus, Dei spiritus adest in singulis. Etiam ne in minimis rebus? Etiam. At patribus synodi spiritus veritatis non est præsens in omnibus, sed in rebus solùm ad salutem necessarijs. Quod enim in symbolo Athanasij dicitur, carnem & animam vnum esse hominem, id non oportet verum esse, quanuis cum Athanasio concilium Nicænum consensisset. Nam vtrum homo partes illæ complexæ sint an non sint, ad Philosophiæ rationem pertinet, non fidei: quare Philosophorum quæstio est, nõ fidelium. Synodus autem prouincialis sub Stephano huius nominis septimo per errorem omnes ordinationes factas à Bonoso irritas esse decreuit, quod in synodo Romana sub Ioãne nono iure reprobatum est. Sed iudicium rerum gestarum erat, non religionis fideique decretum. Huiusmodi sunt ea, quæ in Clement. Pastoralis. de sent. & re. iud. transiguntur. Non enim ad fidem & religionem attinent. Quocirca, licèt errasset Clemens, quod Bucerus contendit, nihil inde concilij auctoritas labefactaretur. Tametsi Clementina illa Clementis est, non concilij. Verùm Pontificum & conciliorum eadem causa est. Sixtus quartus docuit, Diuam Cathęrinam Senensem stigmata non habuisse, non defuit, qui contrà iudicarit. Neutrius Pontificis iudiciũ ad Christi ecclesiã spectat, vtrunq; aut ꝓbare aut improbare sine fidei discrimine possumus. Sed valeãt stulti, qui de reb⁹ nihili digladiãtur. Nos enim hic exempla ponimus, vt lector intelligat, aliter auctores sacros esse habendos, aliter conciliorum patres. Illos vbique vera dicere: hos posse in paruis errare. Ita, quod Christus ecclesiæ suę pollicitus est, spiritum eam docturum omnem veritatem, hoc ad fidei veritatem referendum est, vt disertè Augustinus docet, & in commentarijs super Ioannem & in actis contra Fœlicem libro secundo. Nec enim rogauit Christus ne deficeret Petro aut Philosophiæ, aut rerum gestarum cognitio & veritas, sed ne deficeret ei fides.

Forsitan quispiam dixerit, nonne igitur concilij Hierosolymitani decreta sacra scriptura sunt? Facta est enim magna conquisitio: dictum est autem scripturæ sacræ auctoribus minimè conuenire, vt disquirant & humanitus ratiocinentur.

Item, nam & hoc dicet aliquis, si summus Pontifex & concilia, nisi diligentiam adhibeant, errare possunt: cùm nobis non constet, an summus Pontifex patresque concilij præstiterint se diligentes, & industrios, vt via & ratione procederet inquisitio, ne constabit quidem an errauerint. Ita quæcunque definierint, erunt incerta.

Ac primus quidem scrupulus faciliùs eximitur. Quemadmodum enim verba Pilati ad canonem pertinent, non quà Pilatus dixit, sed quà scripsit Euangelista: sic & concilij Hierosolymitani definitio sacra scriptura est, quòd Lucas eam reliquis historiæ suæ partibus cõtexuerit. Vt econtrario verba Petri, quæ refert Clemẽs, non sunt de canone, quoniam Clemens scriptor sacer non fuit. Quæ causa idonea est, vt canones Apostolorum, quos idem Clemens scripsisse fertur, in libris canonicis non habeantur: tametsi Damascenus

libr. 4. cap. 18. in catalogum, vt videtur, sacrorum librorum referat, & Epiphanius hæresi postrema refellenda Apostolorum cõstitutiones diuinam scripturam vocet. Loquitur autem sine dubio de his constitutionibus quę in sacris Biblijs scriptæ nõ sunt. Sed alia est illa, cùm veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas: alia cũ obiter & in transcursu ad vulgarem quãdam opinionem accõmodatur oratio. Quamobrem vt sapientes, ita nos hoc loco verbis ecclesiasticis vtimur, vt eos solùm, qui spiritu dictante scripti sunt libri, sacros & canonicos appellemus.

In verbo fi dei, §. ulti.

Alter verò scrupulus ita Syluestri animo resedit, vt vix eum inde pellere potuerit. Meliusque fuisset occulere, quàm stimulare cæteros, quo ipse scrupulo pungebatur. Ac sunt etiam, qui non obscurè dicant, quòd si quando Romanus Pontifex in definitione fidei errauit, inde euenire potuit, quòd non tantam quantam debebat adhibuit diligentiam, antequàm sententiam proferret. Quoniam vel rem non plenè examinauit, vel non eos, quos oportebat, consuluit. Quibus si obijcias, apostolicam sedem errare in fide non posse: fatentur id quidem, sed aiunt, sedis apostolicæ nomen non solùm summum Pontificem significare, sed ipsum, vt facit ea, quæ ad cathedrã spectant, hoc est, quatenus non ex suo, sed ex consilio bonorum virorum & doctorum procedit. Ita sedis apostolicæ iudicia intelligi, non quæ occultè, malitiosè, inconsultè per solum Romanum episcopum aut etiam cum paucis sibi fauentibus proferuntur: sed quæ ab eo ex consilio plurimorum virorum sapietum plenè priùs re examinata prodeunt. Quæ res vt de concilijs quoq; dicatur, subsunt omnino causæ eædem, quas dixi paulò antè. Non enim existimare debemus, summum solum pontificem, cùm dormierit, errare: cùm non dormierit, verum dicere: patres autem, siue dormiant, siue vigilent, semper rectà ingredi, & clausis, quod aiunt, oculis, vel in tenebris obscura cernere. Commune est, credę mihi, omnibus ecclesiæ iudicibus: vt, si decreta ediderint temeritate quadam sine iudicio repentino quasi vento incitati, nihil omnino conficiant, quod solidum, quod graue, quod certum habeatur. Ea par est & grauia & certa in ecclesia haberi, quæ iudicio, consideratè, constanterque edita sint. Quamobrem qui siue pontificum seu conciliorum diligentiam fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est omnia pontificum iudicia ac conciliorum infirmare. Nos igitur scrupulum illum posteriorem, sicui infixus est, aliter ex animo euellemus. Nam Deus suauiter disponit omnia: simulque prospicit & finem & media ad finem necessaria. Si enim promitteret cuiquàm æternam vitam, mox conferret etiam illi bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur. Videlicet quos glorificauit, eosdem & iustificauit & vocauit, vt ad Romanos. 8. capite dicitur. Sic omnino, cùm ecclesiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus: deesse non potest, quo minus tribuat ecclesiæ preces cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conseruatur. Nec verò dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque vsu venire: vt qui dat finem, det consequentia ad finem. Quod quoniam Philosophorum pronunciatum est, & Theologorum etiam ore teritur, permittant mihi obsecro Latiniores, interdum cum nostris nostra loqui. Nam etsi ornatiùs, quàm hi solent, nos plerunque differimus, sed nonnũquam quas sententias à scholasticis accepimus, eisdem verbis efferre volumus: ne dicendi forma penitus immutata, discessisse à schola videamur. Itaque præstat semper Pontifex quod in se est, præstatque concilium, cùm de fide pronunciant: caditque

Universidad de Deusto
Biblioteca

que causa, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodum enim, si Christus Petro diceret, ego rogaui pro te ne deficiat charitas tua: certo certiùs intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces cæteraque auxilia opportuna illi impetrasse, quæ sunt ad charitatis conseruationem necessaria: ita cùm dixit, ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, proculdubiò intelligimus, id à patre suo consecutum, vt quæ ad rectum de fidei quæstione iudicium oporterent, ea adessent Petro omnia, siue à Deo, siue ab homine expectarentur. Quòd si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset, quàm dubitare, anne homines semina terræ mandaturi sint? Certè si seruerint, metent: si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus, non solùm propitias cœli conuersiones, quibus omnia, quæ terra gignit, vberiora proueniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Quibus ex rebus facilè comprehenditur, cùm spiritum veritatis Christus Apostolis eorumque successoribus in fidei iudicio promiserit, nihil omnino illis defuturum, quod fidei controuersijs finiendis fuerit necessarium. Ac si semel hæreticis hanc licétiam permittimus, vt in quæstionem vocent, num ecclesiæ iudices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat, vt quæstio via & ratione finiretur: ecquis adeò cæcus est, qui non videat, omnia mox pontificum conciliorumq; iudicia labefactari? Porrò si illud in quæstionem veniat, nec certis argumentis confirmari possit: at hæc res tamen Theologis constituta sit ac definita, cõcilia, quoquo modo se habeãt, si à summo Pontifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quanquam me quidem iudice absurdum est, ad finem aliquem nisi per consentanea media peruenire. Ita nunquam ego admittam, aut pontificem aut concilium diligentiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernendis omisisse. Id quod priuato cuicunque alteri homini accidere potest, vt nec diligentem nauet operam ad disquirendam veritatem, & vt nauauerit, integrumque sese in ea re præstiterit, erret adhuc tamen, quanuis error sine culpa sit. Error autem, vel inculpatus ab ecclesia Dei longissimè abest, quemadmodum libro superiore constituimus. Quæ res abundè magno argumento est, vt nec pontifex, nec concilia necessarium quicquam in deliberando prætermiserint. Fac enim quidpiam ex necessarijs omissum esse. Tum rogo, an fideles his, qui de fidei quæstione iudicarunt, tantisper parêre debeant, dum illorum negligentia innotescit ecclesiæ. Parêre debent, aiunt. Iam igitur eo tempore errantibus iudicibus errabit ecclesia. Sine vitio suo, inquis, ecclesia tunc errabit. Agnosco. Sed, vt dictum est, ne hunc quidem errorem admittere in Dei ecclesia debemus. Quid, quòd si semel de diligentia iudicum dubitamus, nouum examen iudiciumque semper recens postulabitur, vt de diligentia adhibita, vel non adhibita censeatur? Concedamus ergo iudicibus à Deo in ecclesia constitutis nihil eorum deesse posse, quæ ad rectum verumque iudicium sunt necessaria. Quibus explicatis facilè intelligitur, vt ad tertiæ huius quæstionis caput recurramus, nec Pontificum, nec conciliorũ decreta sacræ scripturæ partes esse: id qđ in primo argumento obiiciebatur.

Secunda refellitur.

Dicamus igitur ad ea, quæ in secũdo argumẽto sunt dicta. Vbi Gratianus Augustini sententiam non est assecutus. Cui errori causam fortasse præbuit codex quispiam deprauatus. Augustini enim vera lectio sic habet. In canonicis scripturis ecclesiarum

ecclesiarum catholicarum quamplurimũ auctoritatem sequatur. Inter quas, scilicet ecclesias, sanè illę sunt, quę apostolicas sedes habere aut epistolas accipere meruerunt. Est autem sensus huiusmodi, in iudicio librorũ canonicorũ primũ vidẽdũ esse, quid ecclesiæ catholicæ sentiant. Sed inter Catholicas ecclesias illarum esse testimoniũ præferendum, quę vel fuere sedes Apostolorum, vt Hierosolymitana, vel ab Apostolis aliquam epistolam acceperunt, vt Corinthia, Galatia. Non itaq; Augustinus loquebatur de epistolis pontificum Decretalibus, vt Gratianus falsò existimauit. Id quod ante nos quidam etiam alij viri diligentissimi deprehenderunt.

Tertium dissoluitur.

Tertio verò argumento occurri potest, in hunc modum. Leges pontificias quãdoq; sacras appellari, vt à legibus principum discriminentur. Atq; hoc sensu sacram scripturam vocauit Innocentius. Sic forsitan diuina lex vocatur Canonica, humana verò ciuilis. de iuramẽ. calum. cap. 1. vt Hostien. Andreas, Siculus, Cardinalis, Barba, & alij iurisperiti notauerunt. & Glossa. c. Ex diligẽti. de Simonia. Atq; adeò Innocentius. 4. c. cùm de diuersis. de priuil. in. 6. non obscurè ius Canonicum diuinum vocat, ciuile autem humanum. Et legem Canonicam sacram ac diuinam appellat Iustinianus in Authẽ. vt clerici apud proprios epos. §. si verò. Quam rem sciolus fortasse quispiam ignorans. 20. d. c. de quibus. vbi lectio vera habebat, ad diuina recurrite scripta canonica, loco huius postremæ vocis substituit Græca. Nihil enim minus Innocẽtius eo capite agebat, quã in ecclesiasticis causis iudicandis ad Græca Bibliorum exemplaria iudices mittere. Alioqui cur nó etiam ad Hebręa? Nec verisimile est in causis ecclesię decernendis scripta canonica esse ab Innocẽtio prætermissa. Quin post diuinam scripturam secundo ea loco posuit etiã ante sanctorum scripturas. Et hoc erat Gratiani in ea dist. proprium institutum. Nihil igitur nobis mirum est, si scriptura canonũ, sacra & diuina quandoque nuncupetur. Sed nos alio sensu ἀ scriptura sacra loquimur. Quanquam ab Innocentio testimonium citatum quidem Augustini est de verbis Apostoli inquientis, Iniuriæ est pro martyre orare, cuius debemus precibus commendari.

Vltimum refutatur

At postremum argumentum sic facil limè refutatur. Duplex conclusionum genus posse in concilio definiri. Vnum earum, quæ sunt propriæ Theologicæ facultatis, quoniam vel ex duobus principijs per fidem creditis, vel alio credito alio lumine naturæ cognito colliguntur. Alterum autem genus est earum, quas spiritus sanctus ipse reuelauit quidem Apostolis, Euangelistis, aut Prophetis, sed quoniam non erat id perinde manifestum, à synodo declaratur. Quæ sunt prioris generis ad fidem spectant secundariò, &, vt ita dicam, mediatè. Quare, quod suo postea loco fusè sumus explicaturi, qui eas negauerit, hòc hæreticus erit, quòd ex consequenti negat principium, vnde illæ conficiuntur. Quę verò sunt posterioris generis, propiè & per se ad fidem pertinent: nec has à pontificibus aut concilijs nouas expectare debemus. Id enim etiam atque etiam asserimus, nullas alias scripturas sacras ecclesiam aut habere nunc aut deinceps habituram, præter scripturas populorum & principum horum, qui fuerunt, in ea. Non sunt, inquam, aut erunt, sed fuerunt. Omnia siquidem, quæ pater filio suo vnigenito ecclesię declaranda commisit, primùm ipse filius Apostolis reuelauit, deinde eadem vt inuulgarent iussit. Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis, Ioannis. 15. Et rursum, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixero vobis, Ioannis. 14. Et iterum cùm venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioannis. 16. Hi enim fuere noui testamenti ministri, qui reuelata facie gloriam Domini speculati sunt. secunda ad Corinthios tertio. Hi fuere ministri sermonis, vt Lucas capite Euangelij primo testatur. His quoque dictum est, docete omnes gentes ea seruare quæcunque præcepi vobis, Matthæi vltimo. Omnem ergo fidei veritatem vel à Christo dum in terra degeret, vel ab spiritu sancto Apostoli postea acceperunt, eamque iuxta præscriptam legem aut scripto aut verbo ecclesiæ tradiderunt. Hinc enim est, quòd Irenæus, Hieronymus, Augustinus aduersum hæreticos semper id agunt, vt videant an illorum noua dogmata congruant cum antiqua traditione & fide. Et si quas scripturas nouas hæretici proferant, si se apostolos aut Prophetas cõfingant, statim nouitatis odio exploduntur. Itaq; post Apostolos & eos, qui ab Apostolis probati sunt, nullos auctores sacros expectamus. Sed siue summus pontifex seu concilia primùm de vero sensu & interpretatione scripturarũ iudicant, vt in concilio Tridentino, sess. tertia definitur. Et absurdum est sanè, vt ecclesia auctoritatem habeat discernendi verba Dei à verbis hominum, sensum Dei ab humano sensu non habeat. Id igitur ante omnia concilijs tribuamus. Deinde & illud, quòd veras & legitimas Christi & Apostolorum traditiones via & ratione inuestigant. Rursum, quænam conclusiones his cohæreant, quæ contrà dissideant, certa complexione & connexione conficiunt. Consulunt autem in huiusmodi rebus finiendis non sacras literas modò, verùm etiam Apostolorum instituta, priora concilia, summorum pontificum decreta, sanctorum veterum scripta, scholasticorum Theologorum dogmata, rectam Philosophiæ rationem. Breuiter, causam, de qua disseritur, in eos locos coniiciunt, de quibus liber hic noster instituitur. Nec enim ex alijs fontibus argumenta deriuare possunt ad fidei Theologiæ vè soluendas quæstiones. Nouas autem reuelationes & scripturas sacras quærere, Iudæorum est, qui recentes etiam num Prophetas præstolantur.

Alia etiam quæstio valde difficilis ex his, quæ diximus, oritur. Si non omnia in concilijs certa sunt, nec enim in singulis spiritus sanctus concilijs assistit, ecqua via & ratione vestigabimus conciliorum certa in fide decreta. Principiò nanque in Clemen. vnica. de summa Trinitate & fide cath. ea opinio tanquam probabilior eligitur, quę habet, in baptismo gratiam & virtutes infundi. Pari ergo causa & in alijs conciliorum Decretis dicere possumus probabiles opiniones eligi, non res exploratas definiri. Deinde in capit. Firmiter. de summa Trinitate & fide cath. patres concilij Lateranensis firmiter, inquiunt, credimus & simpliciter confitemur, quòd vnus est solus verus Deus creator omnium visibilium & inuisibilium spiritualium & corporalium, qui simul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem angelicam videlicet & mundanam. At non est fidei aduersum, Angelos ante mundum corporeum creatos. Id enim asserunt Gregorius Nazanzenus in prima oratione de natali Domini, Basilius in exam. congressione prima, Damascenus. 2. lib. c. 3. Ambrosius in exam. lib. 1. capite quinto. Hieronymus in commentarijs super primum caput epistolę ad Titum. Cassianus collatione. 8. capite. 7. Vnde, nec Augustinus libro de ciuit. Dei 11. cap.

Quæra quæstio.

11. cap. 32. nec diuus Thomas. 1. p. q. 61. ar. 3. hãc opinionem fidei esse contrariam putauerunt. Ac concilium illud Lateranen. Thomas viderat, imò in illud ipsum caput ediderat commentaria: non ergo conciliorum aut definitiones aut fidei confessiones certæ sunt, sed patres, etiam cùm asserunt se firmiter quicquã & profiteri & credere, nihil omnino definiunt, quod fideles sequi teneamur.

Huic quæstioni illud primùm dandum est, non satesse, vt conciliorum & pontificum iudicia firma esse credantur, in diuino officio publicè à tota etiam ecclesia celebrari. Nec enim historiæ, quibus martyrum & confessorum gesta narrantur, quanuis per summum pontificem aut concilium approbatę sint, fidei decreta sunt: sicut ne opuscula quidem doctorum ecclesiasticorum, quę probantur à synodo Gelasij Papæ decimaquinta distinctione. cap. Sancta Romana.

Illud item damus, ac libenter quidem, non statim si quicquam iuris Canonici volumine continetur, fidei dogma esse credendum. Nam vt libro huic proximo apertiùs ostendemus, nonnulla habentur in epistolis decretalibus, quæ fidei Catholicæ decreta non sunt. Idque ipsum nũc nunc ex Clementina vnica de summa Trinitate differè ostendebamus. Quod non in hac solùm Clementina existimandum est interuenisse, sed idcirco hîc admoneri nos, vt in alijs quoque locis simile quippiam credamus posse contingere. Id verò tum maximè, cùm aut verbis opinandi vtuntur iudices, aut responsa non ad totam vniuersalem ecclesiam, sed ad priuatas ecclesias & episcopos referuntur. Intelligendi sunt enim eo tantùm casu de fide pronunciare, vbi iudicium in omnes Christi fideles spectat, omnes ligat. Certitudo quippe fidei iudicibus à Deo constitutis non propter ecclesias priuatas promissa & concessa est, quæ singulæ errare possunt, sed propter ecclesiam vniuersalem quæ errare non potest. Itaque summorum pontificum conciliorumque doctrina, si toti ecclesiæ proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum verò de fidei causa iudicium est. Sed animaduertendum est diligentiùs, & quæ natura rerum sit, de quibus iudicium est, & quæ verborum proprietas & pondus. Nimirum enim ecclesiasticæ doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem est gradus, nec omnia iudiciorum decreta eodem loco habenda sunt. De qua re, quoniam in duodecimo libro fumus longè lateque disputaturi, nunc dicere non est operæ pretium. Id dicimus, nec omnia quæ aut iuris aut conciliorum volumina continent, doctrinæ Christianæ esse iudicia nec omnia rursum doctrinæ iudicia, fidei censuras esse. Multa siquidem ad sanam ecclesiæ disciplinam attinent, quæ fidei decreta non sunt.

Nonne igitur, dixerit quis, erit aliqua nota, qua conciliorum de fide iudicia internosci queant? Erit planè. Prima, & ea quidem manifesta, si contrarium asserentes pro hæreticis iudicentur. Cuius rei exempla habes. c. Damnamus. de summa Trinitate. &. c. vnico de summa Trinitate, in. 6. & Clementi. vni. de summa Trinitate. §. 2. Altera nota est, cùm in hanc formam synodus decreta præscribit, si quis hoc aut illud senserit, Anathema sit. qualia permulta sunt in cõcilio Toletano primo. & in syno. Triden. Tertia est, si in eos qui cõtrà dixerint excõmunicationis sententia ipso iure feratur. Exemplum est, de hæreticis. cap. Cùm Christus. &. c. ad abolendam. In concilio tamen Triden. sess. habita. 11. Octobris. Anni. 1551. de Eucharistię Sacramento definitũ est, confessionem Sacramẽtalem Eucharistię præmittendã esse, si cõscientia peccati

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccati mortalis grauat. Et protinus, siquis, ait synodus, contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Sed hoc propter periculum cautum est: erat enim opinio contraria perniciosa. Ideoque excommunicatio illa ad publicam doctrinam vel maximè refertur. Nam, quòd sententia Caietani non fuerit pro hæretica condemnata, & nos testes sumus, qui concilio interfuimus, & contextus ipse demonstrat. Habet enim Canon. 11. idemque postremus in hunc modum. Siquis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit. Eueſtigio autem adduntur mutata dicendi forma hæc verba, & ne tantum Sacramentum, &c. Vbi vides Caietani sententiæ Anathema non dici, sed quoniam non solùm falsa, sed noxia etiam erat, reprobari: & propter periculum publicam præsertim prædicationem & disputationem interdici.

Quarta, si quicquam expresè & propriè a fidelibus firmiter credendum aut tanquam dogma fidei catholicæ accipiendum dicatur, vel alijs similibus verbis aliquid esse Euangelio doctrinæue Apostolorum contrarium. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo & firmo decreto. Licèt enim opinio Durandi reprobetur. c. gaudemus. de diuortijs. Sed qui dixit, verùm absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, is noluit hæreseos illum condemnare. Verbum enim, videtur, iudiciorum infirmat certitudinem. Porrò autem, quæ in conciliorũ vel pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel vt obiectioni respondeatur, vel etiam obiter & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimùm controuersia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catholicæ fidei iudicia. Exempli causa ponamus aliquid, quod positum in vna re, transferri per multas possit. Quod in cap. Firmiter. de summa Trinitate dicitur, angelos esse incorporeos, id non fidei decretum est, cùm post decretalem illam nonnulli & philosophi & Theologi falsò quidem, sed citra hæresis notam contrarium asseruerint. At enim, vt explicaret synodus, id quod fides catholica tenet, deum esse creatorem omnium visibilium & inuisibilium, adiecit, corporalium & incorporalium. Quas particulas exponendi non desiniendi gratia adiectas esse constat. Ac quemadmodum concilium sumpsit, id quod & verum & longè longèque plurimum probabile erat, angelos vt inuisibiles, ita quoque incorporeos esse: sic fortè & illud accepit, Angelos & mundum simul esse congenitos. Non enim eo temporis hoc agebatur, vt Gregorij Nazan. & aliorum hunc sequentium opinio damnaretur. Nec ego tamen is sum, qui opinationem hanc tueri in præsentia velim. Non enim dubito, eam hoc sanè tempore temerè & inconsideratè, ne quid præterea dicam, defendi. Sed id ago, qua in re operæpretium me Theologis facturum existimo, non omnia, quæ etiam absolutè & simpliciter in cõcilijs affirmantur, fidei decreta esse. Cuius rei exempla, si opus esset, permulta facilè promerem, sed nolo esse longus in singulis explicandis. Nam de quarta quæstione satis.

Postrema verò quæstio animum pulsat, an concilia in moribus errare possint. Nam, siquis ait, habet imprimis argumentum illud, quòd Dominus solùm rogauit pro Petro ne deficeret fides eius, in alijs ergo, quæ non ad fidem, sed ad mores attinent, errare ecclesia poterit. *Quinta & Argumẽtũ*

Deinde nihil à Catholicis certa fide creditur, quod nõ sit idem diuinitus ecclesię reuelatũ, quicquid ergo definiat synodus si non *Secundũ*

si non ad fidem sed ad mores attinet, non oportet certa fide credi.

Præterea in canonizatione sanctorum, sic enim nostri vocant, fidem ecclesiæ detrahere sine fidei discrimine possumus. Compertum est autem, eam rem ad mores spectare: errare igitur ecclesia in morum iudicio potest. Illud verò Thomæ & Antonini testimonio comprobatur, qui non aiunt certò & firmiter, sed piè credendũ esse, ecclesiam in re huiusmodi non errare. Nam, quòd absolutè possit, illa ratio confirmat, quòd in id genus iudicijs ecclesia, hominum eorum testimonijs innititur, qui & fallere & falli possunt. Iam si cõcilium, cùm de Theologię dogmate censet, non certis & exploratis argumentis, sed probabilibus niteretur, fidem certè dogmatis illius indubitatam non faceret. Fides ergo ambigua summo pontifici habebitur, vt qui cùm hominẽ quẽuis in diuorum numerũ refert, incertis medijs & argumẽtis nititur. Ordinum approbatio tandem, in quibus sub diuersis institutis & regulis varia hominum genera Christo militare dicuntur, ad mores haud dubiè pertinet. At dubium non est, aliquos ordines non modò inutiliter, verùm noxiè etiam approbatos. Etenim in tam multis & ordinibus & institutis vsq; adeò religioni incommodatum est, vt inter reliqua malorum remedia hoc etiam à synodo generali iure ac meritò expectarent viri pij, vt paucis quibusdam selectissimis retentis ordinibus, cæteri omnes explorderentur. Falsum est ergo aliquando & imprudens de moribus ecclesiæ iudicium. Siquidem id quandoque approbat, quod non approbasse oportuisset. His argumentis quidam auctoritatem ecclesiasticam infirmare pergunt tantùm in iudicio morum, nam in fidei decretis firmam esse nobiscum etiam consentiunt. Sed, quoniam quædam ecclesiæ de moribus iudicia sine dubio certa sunt, quæ Quæſti. 9. ar. vlt. 3. p. tit. 1. c. 8.

sint illa, repetendum altiùs videtur.

Omnis de rebus Theologicis duplex est quæstio. Vnum genus est, quod ad contemplationem & rerum cognitionem pertinet. Alterum, quod positum est in morum præceptis, quibus in omnes partes vsus vitæ confirmari possit.

Atque etiam alia diuisio est Theologicæ quæstionis. Nam & vna est, cuius cognitio & explicatio ad salutem est necessaria, est & altera, cuius ignoratio sine pietatis salutisque iactura esse potest. Non enim in Theologia semper de necessarijs agitur, sed interdum etiam de his, quę vtilia esse videãtur, quãuis non sint adeò necessaria.

Multa sunt autem & in superioribus libris & in hoc etiam aduersum eos disputata, qui de ecclesiæ auctoritate in fidei iudicijs parum rectè sentirent: atque in sequenti libro nonnulla quoque disputabuntur. Ecclesiæ verò auctoritatem eam nunc appello, quæ synodorum etiã generalium ac summi pontificis est. Hæc enim est vna res prorsus, vt non differat multùm inter ecclesiæ, conciliorum, sedisque Apostolicæ iudicia: propterea quod connexa hęc & colligata sunt, quẽadmodum esse videmus humanum corpus & caput. Itaq; quæ erant ecclesiasticæ auctoritatis in fidei decretis propria, locis suis aut dicentur aut dicta sunt. Quę autem pertinent ad iudicium morum, de quibus iam diu loquimur, nunc dicenda sunt.

Sit igitur prima conclusio, Ecclesia in morum doctrina eorum qui ad salutem necessarij sunt, errare non potest. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latiùs. An fideles laicos Eucharistiæ sacramentum sub vtraque specie accipere oporteat, an panis potiùs species sola satis sit, quæstio est earum rerum, sine quibus salus esse nõ potest. In hac ergo & alijs id genus cõtrouersijs ecclesiæ decretũ certũ est. Itaq; siquid necessariò vel

agendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

agẽdum vel vitandum firmo iudicio definit, in hoc errare nequit, sicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in necessarijs, vt sæpè antè dictum est, in doctrina ergo morum eorum qui sunt ad salutem necessarij, iudices & doctores ecclesiæ à Deo dati errare non queunt. Confirmat autem illud vel maximè, quod Dominus Petro inquit. Pasce oues meas: & Paulus dedisse deũ pastores & doctores ait, ad cõsummationem sanctorum, vt non circunferamur omni vento doctrinæ. At si errarent in moribus eiusmodi, non pascerent salubriter oues. Non enim moralis doctrina minùs exigitur ad pastum ouiũ Christi salutarem, quàm fidei disciplina. In his igitur ecclesiæ pastores errare non possunt. Adde, quòd Dominus apud Ioannẽ pollicitus est, spiritum docturum ecclesiam omnẽ veritatem, scilicet, ad vitam æternam consequendam necessariam. At vtraque veritas necessaria est, & quæ ad contemplationem pertinet, & quæ ad actionem, in vtraq; ergo definienda spiritus docet ecclesiam.

Ioan. ulti.
Ad Eph. 4.
Ioan. 15.

Præterea, Apostolus in priore ad Timotheum epistola capite 3. hæc, inquit, scribo tibi, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei cõuersari, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ea autem, quæ ibi scribebat Paulus, ad morum veritatem magna ex parte spectare perspicuum est. Est ergo ecclesia firmamentum non eius veritatis solùm, quæ in contemplatione cernitur, sed illius etiam, quæ aliquid molitur vt faciat. Nimirùm, vt sciamus, quomodo oporteat nos in domo Dei conuersari.

Præterea si ecclesiæ pastores in concilio præsertim congregati leges & præcepta vitæ sinistrè interpretarentur, vt videlicet, quæ essent ad salutem necessaria, ea non necessaria dicerent, aut quæ contrà minimè essent necessaria, hæc esse necessaria definirent: cùm Christus dixerit, Super cathedram Moysi sederũt scribæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis facite: & rursum, Qui vos audit me audit: ecclesia certè pastores errantes sequés iuxta quod illi præscriptum est, huius erroris Christũ præcipuum haberet auctorem. Adhæc, si lex Euangelica manca & imminuta non fuit, vt reuera non fuit, eos omnino mores præfiniuit, qui essent ad salutem necessarij. Imperfectus enim legislator est nisi ea præscribat, sine quibus reip. finis cõstare non potest. At spiritus veritatis Apostolis eorúq; successoribus suggerit, quæcunq; Christus dixit nobis: in præceptis ergo vitę necessarijs errare illi nõ possunt. Item Matthæi 16. Tibi, inquit, Dominus Petro, dabo claues regni cælorum. Regnum autem cælorum vtraq; ignoratione clauditur, & fidei & morum, ecclesia ergo vtrasq; quæstiones aperire Christo auctore potest, vtrosq; nodos soluere, siue ad fidem siue ad mores attineant. Huc enim illud accedere credendum est, quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. At inquis, intelligitur claue non errante. Bene volo. Sed aliud est de priuatis pastorum iudicijs disserere, quæ negligere etiam aliquando possumus, aliud de ecclesiæ communibus, quę perinde, vt ecclesię decreta habemus amplecti. Et quidem cùm pontifex, quicunq; ille sit tandem, quicquam priuatim agit soluẽq; aut ligat, errare per ignorantiam aut etiam malitiam potest, & abuti clauium potestate. At cùm publica sunt totius ecclesiæ iudicia, eaq; in rebus ad salutem necessarijs: ecclesiæ totius communes iudices, quales sunt concilij patres, errare nequeunt, ne per huiusmodi errorem Christiana tota plebs in ignoratione veritatis ad vitam instituendam necessariæ versetur.

Ioan. 15.

Præterea concilium Constantiense sess. 13. condemnat vt hæreticos eos, qui dixerint, ecclesiam errare in consuetudine administrandi populo Eucharistiam sub vna specie tantùm. Et Martinus quintus in literis,

in literis, quibus concilium approbauit, qui hoc ecclesiæ institutum damnant, eos definit tanquam hæreticos vel sapiẽtes hæresim coërcendos. Ecclesia igitur in morum huiusmodi iudicijs non errat, atq; ex consequenti ne concilia quidem summi pontificis auctoritate firmata.

Conclusio secunda.

Huius verò conclusionis & altera consectaria esse videtur, ecclesiam, cùm in re graui quidem & quæ ad Christianos mores formandos apprimè cõducat leges toti populo dicit, non posse iubere quicquã, quod aut euãgelio aut rationi naturæ cõtrarium sit. Non ego hic omnes ecclesiæ leges approbo: non vniuersas pœnas, censuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta, commendo. Scio nonnullas eiusmodi leges esse, in quibus si non aliud præterea quicquam, at prudentiam certè modumq; desideres. Id ergo dico, summorum pontificum conciliorumque præcepta, scita, sanctiones, omnibus nobis probatum iri, si moribus fidelium instituendis sint necessaria. Si enim ecclesiæ consuetudo, quod modò ex concilio Constãtien. afferebamus, euãgelio aduersari non valet, ergo ne ecclesię quidem lex euangelio aduersabitur.

Deinde ecclesia nó potest definire quippiam esse vitium quod honestum est, aut cõtrà honestũ esse, qđ est turpe. ergo nec sua edita lege probare quicquã, quod euãgelio rationiue inimicum sit. Si enim ecclesia vel expresso iudicio vel lege lata turpia probaret aut reprobaret honesta, hic iam nimirum error non solùm fidelibus pestem ac perniciem afferret, sed fidei etiam quodammodò aduersaretur, quæ omnem virtutem probat, vniuersa vitia condemnat. Accedunt illa, quæcunque dixerint vobis facite, & qui vos audit me audit. Quibus præcipimur ecclesię legibus obtemperare. Ita si errat illa, Christus nobis erroris auctor est. Quæ qui videat, non modò indoctè, verùm etiam impiè faciat, si ecclesiam in morum doctrina errare contendat, præsertim si mores & præcepta viuendi sint ad salutem necessaria. Quæ autem ratio id de ecclesia conuincit, eadem conuincit de concilio, in quo vniuersalis ecclesiæ auctoritas residet, quare quemadmodum concilium falsa plebi credenda proponere nequit, sic nec mala potest proponere facienda. Proponere, inquam, firmo certoque decreto, quo omnes & ad credendum & ad faciendum sub æterna pœna obligentur.

Sed an sit hæreticum asserere, vel aliquam ecclesiæ consuetudinem esse malam, vel aliquam ipsius legem iniustam, non ausim definire. Nam licèt concilium Constantien. Sessi. 13. statuerit, eos pro hæreticis condemnandos, qui affirmarint, ecclesiam errare in more communicandi plebem sub vna specie tantùm: at eo tempore statuit, quo sine capite erat. Contendit autem Caietanus in opusc. de auctoritate pap. & con. & in apolo. c. 20. & 21. Turrecremata item 3. lib. c. 32. & 33. concilium mutilum sine capite in decretis fidei ferendis nullam habere certam auctoritatem. Et quanquam id multis quidem argumentis suadere nituntur: sed apud me illud est maximum, quòd sicut Deus non deficit in necessarijs, ita non abundat in superfluis. Cùm ergo sola auctoritas deponendi Pontificem hæreticum & aut eligendi aut decernendi catholicum sit ecclesiæ necessaria in casibus, quibus ecclesia concilium sine capite cogere iure suo potest: nihil causæ est, cur ampliorem potestatem concilio imperfecto tribuamus. Reliqua siquidem per integrum concilium expediri possunt vel electo Pontifice Catholico, qui non erat, vel definito certo, cùm inter multos quisnam esset verus pontifex dubiũ erat. Adde quòd, vt suprà dictum est, concilij dogmata non sunt firma, nisi à Romano Pontifice confirmẽtur. Quando ergo concilium sine capite est, non habet dogmatum certitudinem. Præterea

Universidad de Deusto
Biblioteca

Martinus quintus in literis, quibus concilũ probat, nó simpliciter probat illum articulũ: sed solũ definit eos qui docuerint ecclesiã in consuetudine ciusmodi errare esse vel vt hęreticos, vel vt sapientes hæresim condénandos. Quod ergo Martinus concilio præsidens non est ausus nomine hæreseos condemnare, id ego gráuiore cẽ sura accusare nó audeo nec debeo. Quòd si in more ad salutem necessario, qualis ille videtur esse, de quo in concilio Constãtiensi erat controuersia, tanta fuit Martini modestia, quantò nos modestiores esse oportet in alijs erroribus condemnandis, qui consuetudini ecclesiæ minimè ad salutem necessariæ refragantur? Morem circungestandi solenni processione per vias publicas Eucharistiæ Sacramentum Lutherani reprobant. Si originem erroris & principium spectes, hæresis tibi erit. Nam ideò illi morem hunc circunferendi Sacramenti rident, quia veram Christi præsentiam in Sacramento negant. Sed si ipsum in se errorem contempleris, hæresim sapit, temeritas & impudentia est (Quanuis enim multis nominibus hic error est notandus) non tamen est hæresis: cùm etiamsi in hac consuetudine erraret ecclesia, non proinde in grauioribus rebus eius periclitaretur auctoritas. Quæ causa concilio Tridentino fuit, vt Canonem sextum de Eucharistiæ Sacramento cautè formarit in hæc verba. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundùm laudabilem ecclesiæ consuetudinem solenniter circungestandum, Anathema sit. Non enim eos Anathemate simpliciter percellit synodus, qui ritum illum ecclesiæ reprehenderint, sed qui idcirco hoc faciunt, quia nec præsentiam corporalem Christi in Eucharistia admittunt, atque adeò ne ipsius quidem adorationem & cultum. Atque hæc eadem fortasse causa Martinum quintum impulit, vt qui reprehenderent ecclesiasticam illam consuetudinem impartiendi Eucharistiam populo sub vna specie, eos non vt hæreticos, sed vt sapientes hæresim condemnarit. Cùm enim sub vtraque olim specie plebs Sacramentum Eucharistiæ acceperit, idq; Apostolorum auctoritate & vsu confirmata, non erat hæreticum in dubium vertere, an vetus illa ecclesiæ mos nouo esset præferendus. Sed quoniam Vuicleffistæ idcirco asserebant ecclesiam errare, quia existimabãt necessarium esse plebi ad salutem vtranque Sacramenti speciem sumere, huc detorquentes illa domini verba, Nisi manducaueritis, &c. prudentissimè Martinus quintus vituperationem ecclesiastici noui moris non dixit hæresim esse, sed hæresim sapere. Est quoque illud argumentum graue, cur huiusmodi erroribus hæreseos nota non inuratur: quòd, vt postea dicemus, non est hæreticum credere ecclesiam hominibus in diuos referendis errare posse. At iubet ecclesia interdum diuos, quos huiusmodi honore afficit, peculiari die festo, & cultu colere: non est igitur hæresis astruere, in hac de vno aut altero diuo colendo lege ac cõsuetudine ecclesiam errare. Sed intelligendum est, ecclesiæ mores quosdam à Christo & Apostolis ecclesiæ traditos, in quibus qui ecclesiã errare diceret, hic erroris eius Christũ & Apostolos auctores faceret. Quam obrem hæreticus censeretur. Vt Iconomachi, qui ecclesiam in veneratione & cultu imaginum errare asseruerunt. Alij verò mores sunt post Apostolos inducti, in quibus quanuis ecclesia erraret, nõ propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreseos teneri potest, ecclesiam in aliqua lege & more posse errare. Sed de secunda cõclusione hactenus. Sit tertia conclusio.

In moribus nõ toti ecclesię communi- cõclusio 3 bus

bus, sed qui ad priuatos homines vel ecclesias referuntur, errare per ignorantiam ecclesia potest: nó in iudicio solùm rerum gestarum dico, sed in ipsis etiam priuatis præceptis & legibus. Cùm quis enim occultè vna vxore habita alteram ducit publicè, iubet illi ecclesia, vt priore relicta posteriorem accipiat. Qua in re fine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi Euangelioque aduersum est. Huius verò conclusionis veram & idoneam causam Innocentius tertius reddidit in capit. A nobis. de sent. excõ. in hæc verba. Iudicium dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: iudicium autem ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit & falli: propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud deum, apud ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Hactenus Innocenti. Hæc autem, quæ perspicua esse videntur, breuiter & sine disceptatione diiudicanda sunt. Nec enim omnia nos, vt quæramus, exponimus: sed vt explicemus. Hoc itaque loco non tam conclusio, quàm conclusionis causa consideranda est. Nam indeliquet, id quod est animaduersione dignissimum, certa & firma ecclesiæ decreta esse non posse, quæ non certis & firmis principijs ac fundamentis innitantur. Quocirca, si vel vnum ex his, à quibus ecclesiæ iudicium pendet, incertum est, certum ecclesiæ decretum esse non potest: siue quæstio speculatiua sit seu practica, sic enim nostri loqui solent. Conclusio quippè, vt in dialecticorum prouerbio est, debiliorem partem sequitur, & si vnum quodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illa parte debilitari necesse est. Qua re facilè intelligitur, ecclesiæ iudicia, quæ ab incertis hominum testimonijs proficiscuntur, infirma esse ad certam & exploratam faciendam fidem. Quale illud est, quo sanctum aliquem diuorum catalogo ascribendum censet. Nec tamen impunè licet huiusmodi decreta in dubium reuocare. Quin temerarium & irreligiosum est, in diuis consecrandis ecclesiæ abrogare fidem. Iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, vt capit. Cùm Marthæ de cel. miss. Innocentius tradit: iniurius ergo est, ac multò etiam magis, qui martyrum catalogo ascriptum è diuorum numero reiicit. Id quoniam temerè & inconsideratè faciet, iure profectò ab ecclesia punietur.

c. 28. illius dist.

Mox etiam, si vnum aliquod huius generis decretum in quæstionem veniat, certè Hieronymi, Ambrosij, Augustini ac reliquorum sanctitatem sine crimine in quæstionem vocare poterimus: atque adeò asserere illos cum dæmonibus condemnatos. Ita posses eos maledictis concidere, ac vexare contumelijs, quæ omnia aures sanè fidelium perhorrescunt. Quòd si viris iustis in diuorum catalogum reponendis ecclesia errat, nimirum non esset valde absurdum, diuorum omnium cultum ab ecclesia explodere eorum, qui post Clementem cõsecrati sunt. Quo quid aut stultius aut impudentius dici potest? Item multùm refert ad communes ecclesiæ mores scire, quos debeas religione colere: quare, si in illis erraret ecclesia, in moribus quoque grauiter falleretur. Nec differt diabolum colas, an hominem condemnatum. Atque si ecclesia abstinentiæ legem rogaret, quæ vel rationi vel Euangelio aduersa esset, turpiter ab illa profectò erraretur: turpiter ergo etiam errabit in doctrina morum, si legem ferat de colendo diuo, quem colere, si diuus non est, & cum ratione & cum Euangelio pugnat. Ne igitur tantus error in ecclesia sit, deus peculiariter prouidere credendus est, ne ecclesia, quamlibet hominum testimonia sequatur, in sanctorum canonizatione erret. Cuius

Antoninus 2. p. Titu. 22 ca. 8. Cate. epus. de indul. ad init. c. 8. D. Th. in quotli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peculiarissimæ prouidentiæ abundè magnum argumentum est, quòd nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in huiusmodi iudicijs susceptа. Quod in causis ciuilibus sæpè accidit. Quæ si singulà fortè non mouent, vniuersa certè tamen inter se connexa atque coniuncta mouere debebunt, vt qui fidem in his ecclesiæ detrahunt, eos nó hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credamus. Quibus rebus expositis, primum, secundũ ac tertium argumentum facilè refelluntur.

Nam quę de postremo disputari possunt, illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur.

Nuncillud breuiter dici potest, qui summi pontificis omne de re quacunque iudiciũ temerè ac sine delectu defendunt: hos sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fouere: euertere non firmare. Nam vt ea prætereamus, quæ paulò antè in hoc capite explicata sunt, quid tandem aduersum hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, sed affectu patrocinium auctoritatis pontificiæ suscipere, nec id agere vt disputationis suę vi lucem ac veritatẽ eliciat, sed vt se ad alterius sensum voluntatemq; conuertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget. Ordines igitur vel probare vel refellere, quoniam non è scientia id solùm, sed etiam è prudẽtia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus pontifex errare nequit. Atq; iam vel in concilio Lateranen. aduertebatur religionum nimiam multitudinem, quã nunc esse videmus, valde ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunen. fatetur, quòd importuna petentiũ inhiatio contra synodi decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Vnde quosdã ordines per sedem etiã Apostolicam approbatos tanquam ecclesiæ vel noxios vel inutiles abolendos esse ita decreuit, vt nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Celestinus quintus statum vitamq; fratricellorum suo priuilegio confirmauit: quod tamen confirmationis priuilegium Ioannes .22. apertè infirmum esse dixit: quod Bonifacius ex certis rationabilibus causis ea, quę Celestinus concesserat, viribus penitus euacuasset. Paulus item tertius ordinem, quem in Italia frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur: at nuper & ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, & Baptistę doctrina, cui illius ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumẽtum est, qui ex huiusmodi priuilegijs, quæ his facilè temporibus vel conceduntur vel potiùs extorquentur, nouas religiones non aliter ac de cœlo lapsas excipiendas esse confirmant: eas quoque quę nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel à suis editam profitẽtur. Nec eius generis priuilegia certa sunt sedis Apostolicę iudicia, quibus scilicet omnes fideles astringãtur. Satis fuerit, si eã habeant auctoritatem, quã epistolæ decretales. Quarũ nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas: quoniam non ex firmo decreto, sed ex pontificum opinione prodierunt. Et quidem ante Diui Thomæ tẽpora adeò restrictè & grauatè noui ordines admittebantur, vt ex tã graui angustoq; iudicio probabile argumentum prudentis consilij sumeretur. Nostro verò hoc seculo tam multæ sunt religiones à pontificibus confirmatæ, vt qui eas omneis tueri voluerit tanquam ecclesiæ vel viles vel necessarias: hic imprudentiæ, ne dicam stultitię nomine iure optimo summisque rationibus arguatur. Sed iam liber de conciliorum auctoritate concludendus est. Si priùs tamen corũ conatum refutemus, qui in huius loci firmissimam soliditatem impetum facere & incursionem voluerunt.

De rel. do. c. ulti.

De rel. do. in. 6.

In ext. Sa cta Roma na. de reli dom.

Vide etiã extrauag. Quia quorundam. ibi verbo. sigillum. si. cui sententia Ioannis.22.

Caput

Caput postremum, in quo refelluntur argumenta à capitis primi.

PRimum igitur aduersariorum argumẽtum ex his, quæ superiore libro dicta sunt, promptissimè refellitur. Ostẽdimus enim ecclesiæ nomen principib⁹ & maioribus solere tribui: & in illis reipublicæ sitam esse auctoritatem, quos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Ac si ecclesia columna est & firmamentum veritatis, Apostoli etiam sunt ecclesiæ fundamenta, vt ad Ephe. cap. 2. & Apo. 21. dicitur. Corporis quoque robur & firmitas à capite pendet, quod si tollas, cadat corpus necesse est. Episcopi verò populorum capita sunt. Et Petrus ecclesiæ caput est. Quemadmodũ sequenti libro demonstraturi sumus. At sunt idiotæ episcopi. Valentinus olim & similes imperitiam sanctorum presbyterorum arguerunt, non contemplantes quantò pluris sit idiota religiosus à blasphemo & impudente sophista: quemadmodum Irenæus ait lib. quinto. Sabinus quoq; idẽ obiecit concilio Nicæno, vt lib. 2. histo. tri. c. 8. scribitur. Sed & Apostoli idiotæ erãt: q̃ quos tamen deus sapientes huius mundi confudit. Videte, inquit, vocationem vestram fratres. Quia non multi sapientes sapientes, &c. Sed quæ stulta mundi sunt elegit deus, vt confunderet sapientes. Nó propter sapientiam maiorem pastores ecclesiæ firmi in fide & doctrina sunt, sed propter peculiarem Christi procurationem, ne pastoribus & doctoribus vacillantibus populus fluctuet, circumferaturq; omni vento doctrinæ. Quid verò si sancti episcopi non sunt? An soluendi & ligãdi potestatem amittunt? Numpascendi auctoritate carent? Super Cathedram, inquit, Moysis sederunt scribæ & Pharisæi: quodcunque dixerint vobis facite, secundùm autem opera eorum nolite facere. Quoniam verò, cùm ab alijs plerisq; tum ab Augustino maximè ostensum & patefactum est, per malos etiam administros Christi radios in ecclesiam fundi: superuacaneum erit ei nunc argumẽto pluribus respondere, cui antè per nos abundè responsum est.

Actо. 20.

1. Cor. 1.

Matth. 23.

Secundum refellitur.

Ad id quoq; qđ deinceps sequitur, non est difficile respõdere. Nam sacerdotũ veterũ acta quidem Christo aduersa fuerũt, at sententia hominũ alioqui pessimorum non solùm verissima, sed reip. etiã vtilissima fuit. Quin diuinum oraculum fuisse Ioãnes euãgelista testatur. Cùm enim post longam variamque concilij deliberationem Caiphas, qui vt summus pontifex concilio præsidebat, sententiam illam, cui omnes fermè consenserunt, dixisset, expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: mox euangelista subiecit, Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius prophetauit. Qua ex re fit, vt & nostrorum pontificum vita quidem & opera contraria fortè sint domino Iesu: sed eorum iudicia, quæ videlicet à summo pontifice comprobata sint, & vera erunt, & Christianis vtilia, vt quæ ad populi salutem sint diuinitus instituta. Imò adeò à spiritu sancto erunt ob eam causam, quam ab euangelista didicimus, quia scilicet ecclesiæ Christi pontifices sunt. Ac de secundo argumento satis.

Tertio argumento fit satis.

Tertium verò argumentum sic refellitur. Negò, nullum Christi pactum cum ecclesiæ sacerdotibus esse. Est enim primũ cum Petro cæterisq;, quibus in pontificatu succedunt, vt Matth. 16. & Lucæ. 22. videre est. Promisit item Apostolis eorũq; proinde successoribus Christus spiritũ veritatis Ioãnis. 14. 15. & .16. Pactum quoque veritatis cum ecclesia initum ad ecclesiæ tandem pastores & doctores referendum est. Non enim ecclesiam suam deus aliter quàm orbem administrat, vbi infima per

Ezech. 34. & 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

media, media per ſuprema geruntur, quẽ admodum Dionyſius admonuit. Pacta verò & conuenta illa vetera longè alia ac noſtra ſunt. Illa enim temporaria erant, ſicut & lex & ſacerdotium. Ablatum eſt quippè à Iudæis regnum, ablata lex, tranſlatum ſacerdotium. Sacerdotalis autem & veritas & auctoritas paulò ante aduentum Chriſti labefactari cœperunt. Nam, quod antiquatur & ſeneſcit ac prope interitum eſt, id debilitetur oportet atque infirmum fiat. Prophetæ igitur ij vel maximè, qui Chriſti aduentui proximiores fuerunt, identidem hanc legis, veritatis, auctoritatis, ſacerdotij ſceptriq́ue ruinam Iudaico populo annunciabant. Eorum hac de re oracula ſi quis ad Chriſti Eccleſiam referre niſi ex parte velit, illa prorſus ignorat, Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Item, Hic eſt deus noſter in æternum & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula. Item, In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Dixit redemptor tuus Dominus, Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iurauí ne inducerem aquas vltra ſuper terram: ſic iurauí vt non iraſcar tibi. Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meę non mouebitur. Iſaiæ. 54. Iteꝝ, Feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus veſtris: quod irritum fecerunt, &c. Et paulò pòſt. Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lumine diei. Si defecerint leges iſtæ coram me: tunc & ſemen Iſraël deficiet, vt non ſit gens coram me cunctis diebus, &c. Item. Feriam eis pactum ſempiternum, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. Item, percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternũ erit eis, cæteraq́; in nouo Teſtaméto ſimilia, Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis,

Pſal. 109.
Pſal. 47.
Hier. 31.
Hier. 32.
Ezech. 37.
Luc. 1.

Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſq; in conſummationem ſeculi, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcũ in æternũ ſpiritum veritatis, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eã, Hic eſt ſanguis noui & æterni Teſtamenti. Reprehenſiones igitur comminationesq́; illæ Prophetarũ generales ad tempus Dominicę paſſionis potiſsimùm referendæ ſunt, vt Hieronymus ipſe non ſemel teſtatur. Quid ergò ſibi vult, cùm quæ aduerſum antiquos ſacerdotes dicta ſunt, ea in noſtros torquet omnia? Nempè, omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter vtilitatem noſtram. Ea igitur, quæ Prophetæ in illo populo reprehendunt, ad nos quoque pertinent, ſeruato tamen ſynagogæ eccleſiæq́ue diſcrimine, vt illa ad tempus, hæc perpetua eſſe intelligatur. Compertum eſt autem ſine lege & doctrina, ſine ſacerdote & doctore, ſine Chriſto & ſpiritu veritatis, eccleſiam nullo poſſe modo conſiſtere. Quod quoniam alijs locis abundè ſatis explicatum eſt, non eſt hîc fruſtra repetendum. Nam & nouæ legis ſacerdotibus conferre veteres, ſcripturarum ignoratio eſt, Hiere. 3. & 23. Ezech. 34. 2. ad Corinthios. 3. & 4. Cui autem aliquãdo veterum dictum eſt, ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi, &c. Et rurſum. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua? Quibus verò ſynagogæ ſacerdotibus & paſtoribus ſpiritus veritatis promiſſus eſt, qui cum ipſis in æternum maneret & in omni inſtitueret veritate? Hieronymus itaq́ue nec de ſacerdotum concilio loquitur, nec de omnibus ſimul eccleſię paſtoribus. Ad ſingulas eccleſias priuatosq́ue & pontifices & ſacerdotes verba Prophetarum refert, in eccleſiam catholicam eiuſq́ue aut ſacerdotium aut veritatem nihil dicit.

Matth. vlt. Ioan. 14.
Matth. 16.
In Eſa. 5. 56. 57. 59. & 65. cap.
Luc. 22. Ioã. 14. & 16.
Matth. 16.

At verò

At verò illud mouere quempiam poterit, quod Eſa. 22. c. ſcriptum eſt. Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Et vocabo ſeruum meum Eliakim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo cõfortabo eum, & poteſtatem tuã dabo in manus eius: & erit quaſi pater habitantium Hieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in ſolio domus patris ſui, &c. Quæ de trãſlatione ſacerdotij veteris legis in nouum Chriſti ſacerdotium prophetata eſſe, in dubium vocari non poteſt. Quod autem ſequitur, videtur ſenſui noſtro eſſe contrarium. Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur & cadet: & peribit quod pepẽderat in eo, quia dominus locutus eſt. Si enim Chriſtus dominus, qui tanquam paxillus in eccleſia fixus eſt, auferatur: & qui ex eo fide antè pepẽderant, poſteà peribunt & cadent, quomodo nos eccleſiæ in fide firmitatem perpetuam polliceмur? Quomodo etiam aſſerimus, Chriſtum eccleſiæ ſemper paſtoribus affuturum? Hoc Hieronymus in commentarijs ita ſoluit, vt ad dies nouiſsimos referatur, cùm refrigeſcet charitas multorũ, & locum habebit illud, putáſ filius hominis veniens inueniet fidem ſuper terram? Quod, quemadmodum libro ſuperiore diximus, non ſic intelligendum eſt, quaſi nulla tunc eccleſia futura ſit, nulla Chriſti fides nullum myſticum fidelium corpus, nullus veritatis in eo corpore ſpiritus, quæ omnia ſacris ipſis literis aduerſarentur: ſed vſu ſcripturarum, quod in comparatione aliorum minimum eſt, nullum eſſe dicitur. Intantum ergo in illis diebus fidelium numerus minuetur, vt Chriſtus de medio eccleſiæ ſublatus eſſe videatur. Sed non auolabit à paucis illis, qui reſidui erũt doctor ſuus, dabit eo quoque tempore Chriſtus paſtores et doctores, qui dat eos, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum in mẽſurã ætatis plenitudinis Chriſti. Occurremus enim nos qui viuimus, qui relinquimur in aduentum Domini, & ſimul cum Domino erimus. Eccleſia igitur eiuſq́; ſpecies & forma in finem vſque ſæculi permanebit, permanebitq́ue adeò cum ea & Chriſtus & ſpiritus veritatis, ſine quibus conſtare illa non poteſt. Atq́; Hieronymus illam Eſaiæ vaticinationem ad Chriſtum ſecũdùm Anagogen refert. Nam ſenſum hiſtoricũ & literalem libro Commẽtariorum quinto explicuerat. Ex ſenſu autem anagogico nullum certum argumẽtum trahitur. Sanè verò illud etiã conſiderandum eſt, Propheticas illas reprehenſiones, non ſic in omnes eius temporis paſtores & ſacerdotes conuertendas, vt nullus intelligatur exceptus. Concionatoribus ſiquidem hoc permiſſum eſt, vt quod plerosque tangit, id ita enuncient, quaſi tangat omnes. Sic aliquando totus ille populus ab Eſaia reprehenditur, tanquam in eo à planta pedis vſque ad verticem capitis non ſit inuenta ſanitas: & tamen idem propheta viros aliquos iuſtos relictos eſſe fatetur inquiens, niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, &c. Sic Helias in omnes inuehitur quaſi relictus ſit ſolus, at dicit illi diuinum reſponſum, reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua Baal. Sed de tertio argumento ſatis multa diximus. Nam & ex his, quæ ſuperiore libro reſpóſa ſunt, poterat abundè confutari.

1. Theſſ. 4.
Eſa. 1.
Eſa. 1.
Li. 7. cõm. in Eſaiam. Matth. 24.
Eſai. 30.
Epiſt. 4.

Ad quartũ verò reſpondeo primùm, conciliorum auctoritatem illi teſtimonio non inniti. Nihil enim de eccleſiæ concilijs præfinire videtur eo loco Chriſtus, ſed vnitatis conſenſionem commendare, cuius ad impetrãdũ magna vis eſt. Quòd ſi propter Innocẽtium. 20. d. c. de quibus. & propter ſynodum. 6. acti. 17. & propter ſynodũ Chalcedo. in epiſtola ad Leonem

Ad quartũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de synodis locus ille intelligatur, aliter deinde respondere possumus, q̃ quemadmodum in nomine principis concilium aggregatur, cũ eius auctoritate indicitur, sic synodus ecclesiastica in Christi nomine cogitur, cùm indicente Christo, vel eius vicario cogitur. Concilia itaq;, quæ præter auctoritatem Romani põtificis fiunt, non oportet Christum in medio habeant. Talis autem synodus illa Cypriani fuit. Tametsi ne omnes quidem viri iusti, qui in nomine etiam Christi congregantur, quauis Christum in medio habeant, ad hunc semper effectum habet, vt veritatem quæstionis propositæ decernere & tenere possint. Sed si fuerit res ad salutem necessaria, hoc fiet illis à patre cæleſti, vt vel ab eo, in cuius nomine & auctoritate congregati sunt, probẽtur, si vera dixerint: vel doceantur, si vera non dixerint. Id enim satis est, vt preces illorum exaudite dicantur iuxta præscriptũ Matthæi testimonium. Illæ verò, quæ sequitur, friuolæ sunt Caluini calumniæ: quibus non est operæpretium respondere. Nam priori quidem nunc nunc satisfecisse mihi videor. Posteriori autem & in capitis superioris tertia quæstione ad postremum argumentum, & in tertij libri capite vltimo ad quartum respondimus. Sed de quarto argumento hactenus.

Porrò ad quintum responsio ante oculos est ex his, quæ dicta sunt. Nam concilium Ariminen. inuito Liberio papa hæreticorum opera coactum fuit, vt & in historia ecclesiastica & in epistola Damasi ad Aphricanos episcopos & in. 15. d. c. Sancta Romana. ex Gelasio refertur. Ephesinum quoq; secũdum, licèt auctore Leone congregatum fuerit, sed Dioscori tum ministum fauoribus corruptum est, pontificis legatis & quibusdam alijs bonis viris repugnantibus. Ita nusquam fuit cõfirmatum, sed damnatum potiùs à Leone & synodo Chalcedonẽsi. Constantinopolitanum deniq; illud repugnante ecclesiæ pontifice coactum est, reprobatumq; postea in. 7. synodo generali. 367. patrũ, qui apud Nicæam conuenerunt. Quo ex loco manifestè refelluntur ij, qui cõcilij auctoritate retenta, summi pontificis existimant non esse tenendam. Quid enim causæ est, cur concilium Constãtinopolitanum primum. 150. patrum tanquam vnum ex Euangelijs habeatur, hoc autem alterum Constantinopolitanum, vbi multò plures fuerunt episcopi, habeatur pro nihilo? Nempè conciliorum robur ab illo est, pro quo rogauit Christus, ne deficeret fides eius, quò fratres suos posset in fide firmare. Sed de his sequenti libro diligentiùs.

Nunc sextum argumẽtum diluamus. *Sextum dilu itur.* In quo non parua quæstio est, num canones Trullani ecclesiasticam habeãt auctoritatem. Nam q̃ habeant, his argumentis suadetur. Primùm quòd Gratianus nomine sextæ synodi hos canones perpetuò citauerit, vt patet. 16. d. c. placuit, &. ca. Quoniam. Et de conſ. dist. 1. cap. Iacobus. & de con. dist. 2. c. didicimus. &. 27. q. 1. c. Si quis episcopus. Sexta verò synodus sine dubio ecclesię auctoritatem habet, vt paulò pòst demonstraturi sumus. Trullanos ergo canones catholici probare debemus.

16. dist. ca. Quoniam.

Idem dist. ca. placuit. & 2. q. 7. c. Iacobus. & de con. dist. 2. c. didicimus. & 27. q. 1. c. Si quis episcopus.

Deinde id suaderi potest ex Inno. 3. de æta. & quali. ordi. c. A multis. qui in. 6. synodo constitutum esse dicit, vt si quis eorum, qui ad clerum accedunt nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat. Constat verò hunc esse canonem. 6. inter Trullanos.

Præterea Adrianus papa hos canones & synodum, à qua sunt editi, probat & recipit, vt cernere est. 16. dist. cap. Sextam. & de con. dist. 3. cap. Sextam. Non igitur de Trullanis canonibus dubitare catholico licet.

Quarto loco id ipsum demõstratur ex 7. synodo act. 3. vbi Tharasius eiusdem, inquit, sextæ synodi rectè & diuinè decreta edita traditosque canones recipio. Et actione. 4. Petrus episcopus dixit, habeo cõdicem sextæ sacræ synodi canones continentem. Sanctissimus autem patriarcha Tharasius subiecit, quæ est hæc ignorantia, qua pleriq; laborãt circa hos canones? Scãdalum enim est dubitare, num sint sextæ synodi. Et act. 6. Epiphanius, qui loco synodi respondebat Iconomachis, Sacra, ait, sexta synodus posteaquam sententiam suam de vna volũtate Christi sub Constãtino pronunciasset, iterum vnanimiter oẽs diuina voluntate post. 4. aut. 5. annos congregati duos & centum canones edidere. Quòd si diuina voluntate vnanimiter illi canones à patribus sunt editi, ꝓbati vtiq; sunt septimæ etiã synodi testimonio. Atq; eadẽ 7. synodus, definierũt, inquit, sextæ synodi sancti patres conuentũ per singulas prouincias semel in anno fieri. Hunc ergo canonem & nos renouamus. Auctoritatem ergo finiendi patres illi habuerunt, & si sancti fuerunt, vt hîc dicitur, nihil sibi vsurparunt cõtra ecclesiæ regulas. At si præter sentẽtiam Romani pontificis coactum illud cõcilium est, aduersum ecclesiasticas regulas coactum esse constat, habet igitur Trullana hæc synodus solidam auctoritatem, si septimæ synodo credimus. Accedit his, quòd. 7. synodus actione. 5. &. 6. Nicolaus in epistola ad Michaẽlem Imperatorem, concilium Florẽtinum sess. 5. horum canonum auctoritate vtuntur.

18. dist. ca. Quoniam.

Idem dist. ca. placuit. & 2. q. 7. c. Iacobus. & de con. dist. 2. c. didicimus. & 27. q. 1. c. Si quis episcopus.

16. d. c. Clementis.

d. 16. c. Hæc.

Sed mihi rem hanc diligentiùs considerãti contraria opinio, & probabilior, & grauior videri solet. Cuius sententię auctores habeo Anastasium apostolicæ sedis bibliothecariũ in procemio in. 8. synodum, ad quam iussu Adriani secũdi venit, nam erat vtriusq; linguæ Græcæ & Latinæ peritissimus, vt. 63. d. c. 2. dicitur. In eadẽ opinione est Theophanes Græcus historicus, & Humbertus siluę candidæ episcopus Apocrisarius Leonis noni in libello contra epistolam Michaẽlis patriarchæ Constantinopolitani. Qui liber citatur à Gratiano, vt liber Leonis noni contra epistolam Nicetæ abbatis. Sed & à Latinis non recipi hos canones referunt Theodorus Balsamon & Matthęus monachus maximi Latinorum detractores, ille in interpretatione eorundem canonum, hic in historia conciliorum & virorum illustrium. Sunt autem argumenta, quæ hanc sententiam confirment, irrefragabilia. Primum, quòd sexta synodus sub Constantino imperatore contra Monothelitas ab Agathone congregata, à Leone secundo comprobata, nullos ediderit canones. Illa verò synodus, quæ sub Iustiniano imperatore postea coacta est, cur sexta synodus appelletur, nulla est causa. Sed de nomine nihil moror. Hoc solùm assero, ci concilio nec Romanum pontificem, nec eius legatos interfuisse. Subscriptiones episcoporũ videãtur, & res fiet manifesta. Iustinianus primùm subscripsit, deinde episcopi qui sextæ synodo affuerant, sed nec numero pares, nec nominibus omnino similes, vt Theophanes & Anastasius euicerũt. Romani verò pontificis, aut legatorum eius nulla subscriptio est.

Alterum argumentum est, quòd Iustinianus bis synodum apud Constantinopolim coẽgisse legitur, priùs sub Sergio Romano pontifice, posteriùs sub Ioanne. 7. eodem quoque episcopo Romano. Et de priore quidem Beda de natura rerum ca. 67. ait, Iustinianum Romanæ ecclesiæ pontificem Sergium, quia erraticæ suæ synodo, quam Constantinopoli fecerat, fauere, & subscribere noluisset, iussisse Constantinopolim deportari, qui tamen ob culpam perfidiæ regni gloria postea priuatus exul in Pontum secesit. Hactenus Beda. Et Platina in vita Sergij, Iustinianus, inquit, synodum habuit, in qua nonnulla approbata sunt orthodoxæ fidei nequaquam congruentia. Eadem quoque Sergij apocrisarius, qui tum Constantinopoli erat, subscriptione sua stolidè nimium confirmauit. Verùm cùm postea Romam delata à Sergio exploderentur, ira percitus Iustinianus Zachariam misit, qui Sergium ad se vinctum

Idem Paulus diaconus libr. de Roma. gestis. 8. c. 9. scribit.

nentem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vinctum traheret. Hactenus Platina. De posteriore autē idem Platina in vita Ioannis. 7. ita scribit. Iustinianus eadem stultitia vexatus, qua fuerat ante amissum imperiū Sergio pōtifici duos metropolitanos Romam misit, qui Ioannem adhortarentur, vt habita synodo quæ de homusio crederent orientales, eadem etiam occidentales affirmarent, præpositis libellis in quibus ei subscribendum erat. Homines tamen re infecta ad Imperatorē pontifex remisit. Hæc ille. Ac si quis Trullani cōcilij verba velit expendere, statim deprehendet, quale illud concilium fuerit. Sic enim habent.

16. dist. ca. Quoniam. Quoniam sanctæ vniuersales synodi quinta & sexta de mysterio fidei plenissimè disputantes canones non fecerūt, propterea nos conuenientes in hanc Imperialem vrbem sacros canones cōscripsimus. Oportebat enim, vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Hactenus

16. d. c. Habeo. cōcilium. Principiò autem, si in Constant. vrbem conuenistis, dicite mihi, ecquo euocante cōuenistis? Annè Romanus aliquis episcopus vobis concilium indixit? Minimè id quidem. At Romanus pontifex eo tempore certus erat, catholicus erat, addo etiam, probus erat. Primates autē ecclesiæ sine principis ecclesiastici & veri & catholici & pij voluntate cogere, hoc non est synodum velle facere, sed aduersus ecclesiæ principem cōspirare. Quemadmodum si regni proceres ad respublicas pertractandas sine regis arbitrio cōueniant, coniuratio illa potiùs quàm congregatio existimabitur. Iustinianus, inquis, eos fecit conuenire. Benè profectò narras, nā istū improbum fuisse & ecclesiæ Romanæ inimicū, memoriæ proditum est. Qualē autem synodum à tali viro profectam esse arbitrabimur? Sed audiamus causam conuentus faciendi. Quoniam sanctæ vniuersales synodi quinta & sexta canones non fecerunt, propterea nos in hanc Imperialem vrbem conuenientes canones conscripsimus. Oportebat enim, vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Itaq; hæc Trullana synodus supplemētū duarū esse dicitur, & quod deerat quintæ & sextæ, id nimirū addidisse. Ideo enim nec sexta aiunt, propriè numeratur, sed πενθέκτη, id est, quinisexta. Scilicet, nomine sextæ synodi Trullana se priùs venditare volebat, At, nunc nec sexta nec quinta nec septima est, sed monstrum quoddam quinisexta. Illud verò quis ferat, quòd insimulant patres hi duo grauissima concilia tanquam mutila & imminuta, vt causa congregationis necessaria videatur? Enimuerò concilium generale ecclesia ne vnum quidem habuit, vbi causa, aut hæresis, aut schismatis nulla esset. Trullana hæc synodus sola est, quæ non ad profligandam hæresim, non ad tollēdum schisma, sed ad canones edēdos cogitur. Ecquid autem erat opus, pastores ecclesiarū omnium suis sedibus cieri, vt post innumeros ferè canones, Apostolicos, Nicænos, Ancyritanos, Neocęsarienses, Antiochenos, aliorumq; plurimorum & martyrum & cōfessorum, qui canone secundo Trullano comprobantur, alij cētum duo ab his patribus ederentur? Quantò verò grauiùs sexta synodus egit, quę causa fidei, ob quam conuenerat, absoluta, noluit ecclesiam canonibus onustam discedere. Non igitur necesse erat canones condere, sed, si verum fateri vultis, alia Iustiniano causa vestræ congregationis fuit, nimirum, vt Latinos sedemq; præsertim Apostolicam insectaretur, vtque, quod Platina ait, aliqua vestra auctoritate probaret orthodoxæ fidei nequaquā congruentia. Nam, si, vt ipsi dicitis, post quatuor aut quinq; annos à sexta synodo exacta, sub Iustiniano filio Constantini Constantinopoli cōuenistis, certè (computate tempora) hæc illa est erratica synodus, cui, auctore Beda, Sergius noluit subscribere. Sed iam videamus, vt reliqua, quæ nunc non extant, dissimulentur, cur his centum duobus vestris canonibus subscribere Sergius nec voluerit, nec verò debuerit.

Theophanes in Synodo ad hos ritè canones 36. annos interfuit.

In Canone

In canone secundo suscipitis & confirmatis. 85. canones Apostolorum: hos sedes apostolica non recepit, vt auctor est Isidorus. 16. d. c. canones. id quod cum ex Leone. 9. c. Clemētis. ea. dist. ostēdi potest, tū verò magis ex Gelasio. 15. dist. c. Sancta Romana. Cur autem sedes apostolica probet. 84. canonem, quem vos probatis, vbi tres Machabæorum libri contra omnium consensum ecclesiarum admittuntur? Atq; in eodem secundo canone synodum Cypriani de rebaptizandis hæreticis comprobatis, quasi secūdum traditam Aphris consuetudinē lex illa cōstituta sit, & non magis aduersetur omnibus ecclesijs Dei. Nec enim decretum illud Cypriani, explicari potest ad normam. 95. canonis Trullani & 19. Nicæni. Quoniam canon Cypriani de omnibus in vniuersum hæreticis præscriptus est, maximè Donatistis, quos constat in nomine Trinitatis baptizasse. Decretum ergo Cypriani ab vniuersali ecclesia simpliciter reprobatum Sergius approbare nō debuit, quod Trullana synodus fecit. In canone tertio ecclesiæ Romanæ legem de biganis non ordinandis summum ius appellatis, & ex rigore autem, sedis autem Constantinopolitanæ mollities ac dissolutio benignitas vobis est. Mediam quasi ex duabus componitis, sed talem, qualem ecclesia Latina semper explosit. Iure igitur hanc vestram synodum explosit Sergius.

Canon. 13. iubet, vt hypodiaconi, diaconi, presbyteri, à suis legitimis vxoribus non seperentur. Ea consuetudo apud Grę cos quidem inualuit, sed synodus generalis eā tou ecclesiæ cōtra Latinorum vsum malè præscripsit. Benè ergo Sergius vestros canones reprobauit.

Canone. 36. decernitis, vt thronus Constantinopoli. æqualia priuilegia cum apostolica sede obtineat, & Alexandrinæ, Antiochenę, ac Hierosolymitanę præferatur. Scitis aduersum hūc canonem olim à sancto papa Leone pugnatum. Et quāquam ratione pugnatum est, at sequētes Romani pontifices Constantinopolitanæ huic ambitioni & vanitati contradicere noluerunt. De priuil. Antiqua.

Canone. 62. præcipitis, in omnibus diebus quadragesimæ præter sabbatū & dominicam nullas nouas hostias consecrari, sed, vt apud nos in die parasceues, fieri præsanctificatarum sacrificium. Hoc vestris Græcis precipite, si vultis, Romanus enim episcopus hoc in totam ecclesiam decretum non probaret.

Iam canon. 55. nulla nostra confutatione eget, absurdus. n. per se est & manifestè in Romanā ecclesiam iniurius. Ipsum audiamus. Quoniā intelleximus in Romanorum ciuitate in sanctis quadragesimæ diebus, in eius sabbatis ieiunare præter ecclesiasticā traditam consuetudinē: sanctæ synodo visum est, vt in Romanorū ecclesia si quis fuerit inuentus sabbato ieiunās; clericus deponatur, Laicus segregetur. Nū tibi videtur à Romano aliquo pontifice hunc canonem probatum iri? Minimè verò gentium. Quid. 67? Vide ne probandus sit. Sacra, inquiunt, scriptura nobis præcipit, vt abstineamus à sanguine & suffocato. Meritò igitur damnamus eos, qui cuiuscunq; animalis sanguinem arte aliqua condiunt, & sic comedunt. Ecqua autem maior scripturarū ignoratio esse poterat, quàm existimare, præceptum illud apostolicum ad ea vsq; tępora perdurasse? Quāto verius Latini decretum Hierosolymitanum, quò ad sanguinem & suffocatum attinebat, ad breue tempus tantisper manere interpretati sunt, quandiu Iudæorum & Gentium consuetudo coalesceret: quandiuq; synagogā ecclesia cum honore quodam sepeliret. Abeat nunc Gratianus, & sextæ synodo canones Trullanos tribuat. Innocētius verò decretū Gratiani eodem nomine retulit, quo erat à Gratiano citatū, id quod & D. Thomæ & alijs quoq; viris doctis aliquando accidit, vt Gratiani diligentia, si sic capita decreti ementitis auctoribus

bus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus & titulis referant. Idé quoq; Gregorio nono. contigit, qui titulo de cõstitu. nomine Hieronymi commentaria in prouerbia retulit, quæ Hieronymi non esse certum est. Caput autem illud, quod Innocentius citat, habetur. 32. d.c. Siquis eorum, nomine sextæ synodi. Adrianum verò Trullanos canones recepisse, tantum abest à veritate, vt nihil magis veritati possit esse contrarium. Verba siquidem illa reperiuntur in epistola Tharasij ad Adrianum, non, sicut Gratianus memoria lapsus existimauit, in epistola Adriani ad Tharasium. Tharasius itaq; recepit illos, non Adrianus: vt patet actione. 2. &. 3. septimæ synodi. Adrianus siquidem verba Tharasij refert, vt Constantinopolitanos proprio mucrone confodiat. Si enim, inquit, vos fatemini canones illos diuinos & legales esse, canone autem. 82. imaginem Christi venerandam esse concedius, quid nunc contra sacras imagines depugnatis? Quòd si septima synodus vno canone vtitur, vt ipsorum Græcorum testimonio imagines esse venerandas comprobet, ecquid inde argumenti promitur, vt cæteros item canones approbarit? Quasi totum Menandrum, Aratum, aut Epimenidem cõfirmarit Paulus, quòd horũ aliquando sit testimonijs vsus. Nec verba illa, quæ ex. 7. synodo retulimus, ipsius synodi sunt, sed Tharasij, Petri episcopi, Epiphanij. Quæ non etat eius temporis & instituti expendere. Non enim id tum agebatur, an Trullana synodus probanda esset, sed an essent imagines venerandæ. Quamobrem, quæ obiter & præter institutum à priuatis hominibus in concilio dicebantur, ne nouæ lites suborirentur, illa sapienter à patribus dissimulata sunt: eo vel maximè, q̃ in causa præcipua, de qua ibi erat controuersia, Trullanæ synodi auctoritate libenter vtebantur. Id ne comminiscí videamur, Nicolaus nimirum est auctor adhibẽdus, qui in epistola ad Nichaëlem Imperatorẽ, cùm ad quandã causam suadendam synodi huius Trullanæ, canone quodam vellet vti, in hunc modum disserit. Prouidè hoc Constantinopolitana synodus canonum suorũ sexto dignoscitur prohibere capitulo. Quod tamen non apud nos inuenitur, sed apud vos haberi perhibetur. Verùm nouimus nos apostolicis imbuti documentis, etiam sententijs vti paganorum, quantò magis Christianorum & contra ipsos, quorum nec vitam sequimur, nec mentẽ erroneam imitamur. Deniq; Apostolus Paulus de libris Paganorum aliqua in suis scriptis posuit, nunquid ideò etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Hactenus Nicolaus. Non itaq; si aut Innocentius, aut. 7. synodus, aut Nicolaus, aut concilium Florẽtinum horum auctoritate canonum abutuntur, probato vno aut itẽ altero reliquos probauerũt. Quanquam patres synodi Florentinę hos. 102. citasse canones, me omnino præterit. Nam, quod actio. 5. refertur, id non ex synodo, vbi hi canones sunt editi sub Iustiniano, sed ex sexto cõcilio vniuersali sub Cõstantino illius patre deprõptum est, vt actio. 17 eiusdem sexti concilij patet. Sed quoniam & hęc synodus apud Trullum regium palatium. s. celebrata est, quod de hac dicitur, hoc per errorem ad Trullanos canones creditum est pertinere. Quorum auctoritas ideo à nobis labefactata est, ne q̃quam falso errore deceptus, eos veris legitimisq; cõcilijs opponeret. Video autem dubitari posse, cur inter reliquos canones ecclesiæ Romanæ contrarios non &. 82. notauerimus, vbi prohibitum est, ne Christus deinceps sub figura agni pingeretur. Sed nolui equidem has Trulli regulas inimicè insectari. Nego itaq; in. 82. canone secũdùm veram lectionem tale aliquid prohiberi. Quin potiùs in eo pictura illa veneranda, qua agnus digito præcursoris demonstratur, & susçipitur, & deinceps conseruari in ecclesia iubetur. Id quod colligere licet ex epistola Adriani ad Tharasium 7. syno. actio. 2. & ex actione. 4. eiusdẽ. 7. synodi.

nodi. De Trulli igitur canonibus, atque adeò de sexto argumento hactenus.

Septimum soluitur.

In argumento verò septimo, Pighij contentio pertinax coarguenda est, qui vt opinionẽ, quam semel induerat, tueretur: synodos ecclesiæ decreto susceptas vanis cõiecturis infirmare perrexit. Tantum studium certandi, vbi semel efferbuit, & dura pertinacia potest. Mihi verò non est hoc loco opus, pro sexta synodo, vnde emersit certamẽ, depugnare, quam & Agatho cõegit, & Leo. 2. confirmauit, quam & Beda lib. de temp. rati. c. 65. & cæteri post eum catholici probauerunt, quam & concilium Floren. sess. 5. recipit, & Eugenius. 4. in decreto super vnione Iacobinorum veneratur. Alij pro. 6. &. 7. synodis apologiã edãt, si diligentia illis Francisci Turrensis non adhuc facit satis. Nos enim in dogmate fidei & decretis ad salutem fidelium necessarijs cõciliorum auctoritatem asserimus, in rerum gestarum iudicio & ordine non asserimus. Nec in his, quæ parum, vel certè nihil ad nos attinent, tempus & operam sumimus.

Octauo argumento confutatur.

Ad octauum ergo argumentum Caietanus in opusculo de aucto. Pap. & con. c. 8. respondet, concilium Constantien. quo tempore illud decretum edidit, non fuisse vniuersale & integrum. Erat enim tũ schisma in ecclesia sub tribus põtificibus Ioanne. 23. Gregorio. 12. & Benedicto. 13. Vnde asserere, q̃ id temporis illud cõcilium erat generale, nihil aliud est, q̃ reuocare antiquũ schisma, aliosq; damnare, qui Benedictum & Gregorium sequebantur. Quod tamẽ fuit estq; semper ambiguum. Quòd si obijcias, Martinum. 5. in vltima sess. approbasse omnia & singula decreta in materijs fidei, quæ priùs à concilio Constantien. prodijssent: respõdet idem Caietanus id propriè ad fidem pertinere, & tanquam fidei decretum à Martino probari, quod aduersum hæreticos fuisset definitum, vt in. 8. 15. &. 21. sess. factum est. Quòd autem Martinus. 5. ea solùm probet, patet primũ, qm̃ ad petitionẽ oratoris regis Poloniæ illa approbatio facta est, q̃ hoc tãtùm exigebat, vt acta in concilio cõtra hæreticos cõfirmarẽtur. Patet etiã, quia Martinus dicit se oĩa sic conciliariter facta approbare, & non aliter nec alio modo. Supponebat enim quędam non conciliariter acta. Nam in illa. 4. &. 5. sessione, vt idem Caietanus admonet, nec disputatio aut disquisitio aliqua interceſſerat, nec delecti fuerãt adhuc viri docti ad differendum & tractandum ea, quæ in fidei doctrina essent constituenda: sed id cautum postea à concilio fuit in sess. 6. Ita si quis tradita in sess. 4. diligenter expendat, inueniet ea non formam habere decreti, quo videlicet aut fideles obligentur, aut cõtrarium sentientes explodãtur. Patet demũ ex literis Martini. 5. in quibus errores Ioãnis Vuicleffi, Ioannis Husi, & Hieronymi Pragẽsis expressè damnãtur, nulla de ea re, an conciliũ sit supra papam, facta mentione. Sed quoniam quæ de concilio Constantiensi in dubium verti solẽt, ea pulcherrimè explicãtur à discipulis Diui Thomæ, maximè à Caietano viro in nostra familia excellentissimo, nos de hac re ne verbum quidem vllum præterea faciemus. De. 8. igitur argumento tantum.

2. 2. q 1. ar. 10. & in Apolo. c. vlt. et in orati. habita ā synod. diff. in con. Late. Nonum ē. nodatur.

In nono verò, miror equidem illorum cæcitatem, qui concilium Basilienſe tueri volunt: cùm manifestum sit, illud licèt à principio Eugenio. 4. consentiente fuerit cõgregatum, postea tamen ab eodem primùm Ferrariam, deinde Florentiam translatum, vbi Basilienses conatus publica ecclesiæ auctoritate repressi sunt. Nam & vnio Armenorum & Græcorum populi Christiani consensione approbata non in concilio Basilien si, sed in Florentino facta est. Et Eugenium ecclesia etiam post illam depositionis Basilien sis sententiam pro vero pontifice habuit, Felicem autem illum in synodo electum cõtempsit. Quorsum ergo attinet mordicus concilium Basilien se tenere? Quorsum fauere hæreticis, qui cõciliorũ in hæreticos iudicia infirma esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

contendunt, quòd concilium Basilienſe eos hæreſis nomine dãnarit, qui etiãnum catholici iudicãtur? Quę qui nõ ſentiat, is nihil omnino ſenſurus eſſe videatur. Quo circa non dubito eſſe nunc grande piaculum pro concilio Basiliẽſi ſtare velle, cùm ſchiſma illud iam extinctum non aliaratione magis denuò poſsit accendi. Et Nicolaus. 5. apertè ſentit, Fœlicem illum nõ fuiſſe verũ eccleſiæ paſtorẽ, ſed nominatum. Nec verũ conciliũ & generale, ſed congregatum vocat nomine concilij generalis. Eugeniũ verò fœlicis recordationis prędeceſſorem ſuum honorificentiùs appellat. Ita in literis ſuis non probat niſi beneficiorum collationes, ſic loqui ſolent, & huiuſmodi cætera, quæ ſi irrita haberentur, populus mutatis aut paſtoribus, aut officialibus multum incommodi acciperet. Atq; Leo decimus in concil. Lateranen. ſeſſ. 11. plãnè definit, conciliũ Basilienſe non fuiſſe legitimè celebratum. Et poſtea, cùm de quadam ſanctione ageretur à concilio Basilien. edita: ſicut Leo, inquit, ea, quæ in ſecunda Epheſina ſynodo temerè contra iuſtitiam & catholicam fidem geſta fuerũt, poſtmodum in Chalcedonẽſi concilio fecit reuocari: ita nos à tam nephariæ ſanctionis reuocatione retrahi ſalua cõſcientia & eccleſiæ honore non poſſumus. Cùm ea omnia, poſt traſlationem eiuſdem concilij Basilien. per fœlicis memoriæ Eugeniũ papam. 4. prædeceſſorẽ noſtrum factam, à Basilienſi conciliabulo ſeu potiùs conuẽticulo facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint. Cùm etiam ſolum Romanũ Pontificẽ tanquã auctoritatẽ ſuper oĩa cõcilia habentẽ conciliorũ indicendorum transferẽdorum ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedũ ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum patrum ac aliorum Romanorum Pontificũ decretis, ſed propria etiam eorundem conciliorum confeſsione manifeſtè cõſtet. Hactenus Lateranen. cõciliũ. Probat autẽ ea, quę dixerat, multis & teſtimonijs & exemplis quæ nos, ne ſit longum, prætermiſimus. Sed prouocauerunt doctores Pariſien. à concilio Lateranen. & appellatio nomine academiæ circunfertur. Quorũ illa fuerit, ego hic nõ diſputo: illud aſtruo, nõ ſine eccleſiæ ſcãdalo atq; pernicie circũferri. Extat anathema Pij ſecundi in eos, qui ad futurum cõciliũ appellauerint. Et ſine Pij cauſis, quas multas ſuis literis reddidit, manifeſtum eſt, rem hanc & hæreticorum omnium ſummum patrocinium eſſe, & feneſtram vel maximam aperire ad obedientiæ eccleſiaſticæ iacturam ac perniciem veræ pietatis. Sed de his nõ eſt huius loci tẽporisq; diſſererẽ. Verùm obijcis, ea, quę in. 2. ſeſſ. concilij Baſilien. decreta ſunt, à legitimo concilio eſſe decreta, vt patet ex literis Eugenij, quæ lectæ ſunt. 16. ſeſſ. eiuſdem concilij. Sed nos huic quæſtioni breuiter reſpõdemus, non approbaſſe Eugeniũ decreta edita, ſed ſolùm concilium generale Basilienſe à tempore inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe. Deinde, corſcilium in ſecunda ſeſsione non erat plenum, quia maior pars epiſcoporũ deẽrat, imò pauciſsimi aderãt. Quare inchoatione quidẽ generale erat, ſed nõdum erat verè & perfectè reipſa generale. Præterea Legatus ſine commiſsione proceſsit ad ea decreta ferenda, vt ex literis Eugenij ad Iulianum colligitur. Adde, q̃ cùm grauis atq; difficilis ſemper fuiſſet inter catholicos altercatio, quibuſdam dicentibus papam ſupra concilium eſſe, alijs contrà aſſerentibus concilium eſſe ſupra papam, nulla conquiſitione facta, nullo examine præcedenti poſitũ eſt id quod erat ambiguum. Quare nõ fuit decretum fidei, ſed ſimplex quædam commemoratio eius doctrinæ, quæ erat in cõcilio Conſtantien. tradita. Id quod videntes huius ſynodi patres rurſum in ſeſsione. 33. rem eandem aliter tractauerũt, definientes ea tanq̃ fidei decreta eſſe deinceps amplectenda. Sed tunc omnis legatorum poteſtas erat abolita, & ſynodus Florentiam tranſlata.

Quare

Quare nihil mirum ſi turpiter & puerili-
ter errauerit, eos pro hæreticis cõdemnando, qui nunc ſine controuerſia fideles habentur.

Decimum diſſoluitur. Ad decimum verò argumẽtum reſpõſio eſt facillima, plenaria concilia à ſummo Pontifice minimè confirmata, per alia legitima & probata emendari. At q̃ plenarium concilium ſummi pontificis auctoritate firmatum per aliud poſterius emendetur, exemplum ne vnum quidem proferri poteſt. Nam & huiuſmodi cõcilia Auguſtinus non infirmat, ſed tuetur eiuſdem libri cap. 4. Quanquam Auguſtinus non videtur loqui de emẽdatione fidei, ſed de emẽdatione legum, quæ ad res ſcilicet, vel geſtas, vel gerendas referuntur. Ipſa plenaria, inquit, concilia priora à poſterioribus emendantur: cùm aliquo rerũ experimento aperitur quod clauſum erat. Quod ad fidei veritatem referri vix poteſt, quæ non rerum experimentis innoteſcit. Leges ergo nonnullæ, in quibus per imprudẽtiam falli concilia poſſunt, nihil obſtat, quominus à poſterioribus concilijs emendẽtur. Iſidoro autem ex his etiam reſpondẽtur. Non enim ſunt nobis explicanda ſingula.

Ad vndecimum. Ad vndecimum diximus ſæpè concilia integra & capitis auctoritate pfecta ea eſſe, quæ nos ab errore vendicamus. Nec ſi ſummus põtifex firmus in fidei cauſa iudex eſt, cõcilia fruſtra coguntur. Primum enim, vt capite ſuperiore admonebamus, Romanus pontifex non temerè & ſtultè, ſed conſideratè atq; ſapienter habet fidei controuerſias definire, aduocãdo ſcilicet conſiliarios vel plures vel pauciores iuxta rei, de qua diſſeritur, grauitatem. Iuuant enim patres concilij ſummi pontificis fidẽ atq; doctrinam. Vnde in cõcilio Hieroſolymitano, cum facta eſſet magna conquiſitio, Petruſq; ſententiam dixiſſet nullo ſacrarum literarum teſtimonio fulcitam: Iacobus probauit eam quidem additis teſtimonijs prophetarum. Adiecit item quaſi de ſuo legem maximè neceſſariam de abſtinẽtia ab idolothytis, fornicatione, ſuffocatis & ſanguine. Ita enim diuina procuratio in eccleſiam ſe fundit, vt membra præcipua, tametſi à capite ipſa pendeant, caput tamen tueãtur & iuuent. Facit quoq; concilium plauſibiliorem populo fidem propter acceptiſsima multorum teſtimonia atq; iudicia. Nam & leges, quæ communi optimatum conſenſu & rogantur & ferũtur, libentiùs populus accipit, quàm ſi à rege ſolùm ederentur. Quamobrem Beda libro retra. in actus apoſtolorum prudenter ſanè monuit, Paulum contuliſſe cum apoſtolis alijs euangelium, quod prædicabat in gentibus, ſolerter in concilio diſquirẽs, an rectè de legalium ceſſatione doceret. Non q̃ ipſe de hac re, inquit, aliquid dubitaret, ſed vt mentes dubitantium apoſtolica ſynodi auctoritate firmarentur. Gregorius autẽ de ſynodis prouincialibus locutus eſt, quæ in cauſa fidei vix quicquam obtinere potuerũt, niſi eſſent ſummi pontificis auctoritate roborata. Illa expertus eſt Gregorius, hæc nõ eſt expertus. Quanquam & illo tempore concilij Nicæni vtilitas nondum erat ſatis explorata.

Poſtremũ diluitur. De poſtremo argumento difficile dictu eſt. Quid Theologi ferè opinentur, video. Hoc tamen verè licet dicere, Romanum illud Nicolai concilium locutũ eſſe multò ad ſenſum fidelium accommodatiùs. Concilij verba priùs audiamus, poſteriùs expendemus, vera ne an falſa ſint. Pro fiteor, inquit, Berengarius, non ſolùm ſacramentum, ſed verum etiam corpus Chriſti manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Hæc Berengario præſcripta à ſynodo confeſsionis forma. Vbi alterum poteſt habere dubitationẽ, an corpus Chriſti ratione ſacramẽtalium ſpecierum verè & tractari dicatur & frangi. Alterum dubitari non poteſt, quin in ſe ipſo Chriſtus, nec tractetur à ſacerdotibus, nec frangatur. Atque alij dicent fortè pro ſuo arbitratu quiſque, nos autem hoc quidem tempore & in hac quæſtione ſe-

De con. d. 2. Ego Berengarius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemur potissimùm Thomam Vualdensem, qui in libro sacramental. titu. 4. ca. 42. docet, eiusmodi loquendi formulas & esse verissimas, & esse etiam olim à patribus vsurpatas. Refert in hoc Dionysium. ca. 3. lib. de eccles ia. Hier. refert quoque Chrysostomum in Matth. homi. 83. retulerat autem & cap. superiore Paschasium in libr. de corpore & sanguine Christi. Fideles sanè cùm species sacramentales viderint, Christum se vidisse testantur, eundemq;, cùm illas tetigerint, tetigisse. Quod magnum profectò argumentum est, cur ita esse credamus. A fidelium vulgo, inquis, ista sumis. Metuebam ne à Lenonibus diceres. Christiani rudes dissentunt isto modo. Benè profectò narras. Nam in quæstione fidei communis fidelis populi sensus haud leuem facit fidem. Quæro enim exte, quando de rebus Christianæ fidei inter nos contendimus, non de Philosophiæ decretis, vtrùm potiùs quærendum est, quid Philosophi atq; ethnici, an quid homines Christiana & doctrina & fide instituti sentiant. Præsertim cùm huic sententiæ consenserint patres etiam veteres, quemadmodum paulò antè demonstratũ est. Præterea motis speciebus sacramentalibus, id quod inter doctiores ferè conuenit, Christus item per accidens quidem, sed mouetur tamen: nihil igitur obstat, quin visis tactisque speciebus, Christi corpus & videatur & tangatur. Nam nec ipsa substantia sensilis, nisi per accidentia, sentiri potest. Adhæc, cùm species panis viniq; miscentur, ecclesia fatetur corporis & sanguinis domini mixtionem fieri: ergo cùm videtur & tangũtur species, corpus Christi & videtur & tangitur. Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, Christi corpus in locum panis ita successisse, vt præter ea, quæ fidei huius sacramenti repugnant, omnia sibi vendicet, quę panis antè ratione accidentium vendicabat. Alioqui, qui species panis manducaret, is Christi corpus nó ederet, nec ille biberet sanguinem, qui vini specie potaretur. Atqui scriptum est, accipite & comedite, hoc est corpus meũ. & rursum, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, &c. & iterum, qui mãducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Quòd si caro Christi in sacramento editur, certè frangitur, dentibusque fidelium atteritur. Vtrunq; enim ei cibo, quem edimus, est & coniunctũ & proprium. Quid? quòd per Lucam, si Græci sermonis habetur ratio, Dominus ait, accipite, hoc est cor corpus meũ qđ pro vobis frangitur? Nec verò nobis Diuus Thomas in. 4. sentent. obijci debet, cùm in. 3. part. quæst. 77. artic. 7. ad tertium argumentum, nostræ huius sententiæ auctor fuerit, vel præcipuus: quem quis non præferat sexcentis Oecolampadijs? De postremo igitur argumento diximus satis, satisque proinde de quarto loco diximus. Ad sequentem deinceps transeamus.

¶ Quinti Libri finis.

DE ECCLESIAE ROMANAE AVCTORITATE, QVAE quinto loco continetur, Liber Sextus.

¶ Caput Primum, Vbi ponuntur argumenta, quibus huius loci auctoritas impugnatur.

IN eum locum incidimus, quem longè lateque patentẽ Theologi præsertim iuniores copiosè tractare solẽt: propterea q̃ sedis Apostolicæ non auctoritas modò & grauitas, verũ etiam omnis omnino vis & facultas, cùm semper ab hæreticis impugnata est, tum multò magis hoc tempore à Lutheranis impetitur, quorum in Romanam ecclesiam contentio pertinax & odium æternum est. Sed non ego persequar quæstiones infinitas de Romani pontificis potestate, tantùm de auctoritate dogmatum videamus. Nolõ autem agere confusè, vt id explicemus hac disputatione quod quæritur. Itaq; eorum imprimis argumentationes exponemus, qui locũ impugnãt. Deinde loci nos vim & auctoritatem cum catholica ecclesia conferuabimus. Posthæc aduersariorum argumenta diluemus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine vtilitatis comparata, fortasis etiã breuior videbitur. Qui igitur locum hunc infirmare pergunt, his argumentis, vt sibi videtur, efficiunt.

Primò Ioannes. 22. publicè docuit, iustorum animas non videre Deum vsq; ad iudicij diem: cauitq; ne Parisijs Theologiæ gradum quisquam consequeretur, nisi priùs in hanc sententiam iurauisset. Errare igitur summus Pontifex atq; adeò sedes apostolica in fide potest.

Secundò, Celestinus. 3. definiuit, q̃ cùm alter coniugum labitur in hæresim, dissoluitur matrimonium, vt patet de diuortijs. c. quanto. Super quo affirmat Hostiensis Celestini epistolam decretalem habitam olim in corpore iuris. Errauit igitur in fide Celestinus. Nam definitio illa Euangelio contraria est.

Tertiò, Alexander. 3. de sponsa duorum capite, licet. asserit, quosdam suos prædecessores iudicasse: quòd si post matrimonium contractum per verba de præsenti, non consummatum tamen, aliud nouum matrimoniũ consummetur, primum dirimitur, secundum est validum. Hic autem error est sine dubio in fide & moribus manifestus.

Quartò, idem Alexander. 3. c. cùm esses. de testam. definit, alienum esse & à generali ecclesię consuetudine & à diuina lege & à sanctorum patrũ institutis, vt testamenta, nisi quinq;, vel septem testium fuerint subscriptione firmata, penitus rescindantur. Constat autem ciuilem legem, quæ eiusmodi testamenta minùs solennia irritat, à viris hodie ecclesiasticis comprobari. Falsus est igitur in fide Alexander, vt qui pronunciet, legem aliquam esse diuinæ contrariam, quę re vera contraria non est.

Quintò, Innocentius Primus in epistola ad Rufum & Eusebium. c. 1. qui viduas, inquit, acceperunt vxores, ad summum Sacerdotium agnoscimus peruenisse. Quod contra legis esse præceptæ, nullus ignorat: cùm Moyses clamitet, vxorem virginem sacerdos accipiat, contra quod præceptum diuina auctoritate subnixum, nulla defensio opponitur nisi consuetudo vestra, quæ ex ignorantia profecta est. Et Innocentius tertius. ca. per venerabi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilem.qui filij sint legitimi.cum quādam legem Deuteronomij retulisset, sanè, ait, cùm Deuteronomium secunda lex interpretetur,ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo testamento debeat obseruari. At decreta veteris legis debere à nobis obseruari, sacris etiam literis non modò concilio Florentino aduersatur.

Sextò,Nicolaus tertius in extrauagan. exijt qui seminat. de verborum significatione.decernit, abdicationem proprietatis omnium rerū tam in speciali quàm in communi Christum dominum & verbo & exemplo docuisse. Quod erroneū esse Ioannes.22.docet in extrauagāti. cùm inter nonnullos.

Septimò,Nicolaus ad consulta Bulgarorum,referturq; de consc.d.4.c. à quodā Iudæo.definit, q̄ si in nomine Christi aliquis baptizetur,rebaptizari nō debet.Cuius oppositum Pelagius papa determinat, in epistola ad Gaudentium episcopum,referturq; eadem dist.c.multi.&.c. si re vera. quæ ambo capitula ex eadē epistola sunt deprompta.Consentit & cum Pelagio Zacharias papa.c.in synodo.eadem dist. Aut Nicolaus igitur,aut Pelagius falsò de fidei quæstione decreuit.

Octauò,Diuus Gregorius in epistola quadam ad Augustinū Canthuariensem archiepiscopum,Gregorius quoq; tertius in epistola ad Bonifacium episcopum, ex apostolicæ Romanæq; ecclesiæ auctoritate pronunciarunt, q̄ si mulier infirmitate aliqua fuerit correpta, nec valuerit debitū marito suo reddere, maritus quidē aliam vxorem ducere potest, ea lege tamen, vt subsidij opem coniugi priori non subtrahat.Quod autem vir ab vxore,quæ per infirmitatem debitum reddere non valet, discedere posit,atq; ad secūdas nuptias trāsire,doctrinę euāgelicæ apostolicæq; aduersum est,vt Gratianus.32.q.7.dixit.

Nonò,Gelasius cōtra Eutychen & Nestorium definit, in altaris sacramēto, facta etiam consecratione,panis viniq; substantiam manere.Id quod à fide catholica alienum est.

Decimò,Romani Pontifices literas sæpè sacras falsò exposuerunt.Nam vt ea loca prætermittam, quæ Caietanus refert in opusculo.27.quæstionum.q.vltima. certè Gelasius papa cum concilio septuaginta episcoporum,& refertur sub nomine Pelagij.21.dist.ca. quanuis.atq; Anacletus.22. distin. cap. sacrosancta. probant, Romanam ecclesiam cæteris esse prælatam, illa Euangelica voce Domini saluatoris, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quod idem plures etiam alios pōtifices sensisse constat.Ridiculum autem videtur esse,Euangelicum testimonium in eū sensum velle flectere.Ad eundem quoq; modum pleriq; summi Pontifices ad probandum maiores ecclesiæ causas ad sedem Romanam esse referendas, inducunt illud ex Luca, ego rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua. Quod quàm ineptum sit,vel ex eo liquere aiunt, quòd ibi Dominus Petro solùm non item posteris loquebatur. Subdit enim, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quæ verba si ad posteros referantur, nimirum Romanos pontifices priùs auersos fuisse oporteret,vt aliquando conuersi confirmarent fratres suos. Cùm itaque Romani episcopi sacras literas falsò interpretentur, falli & fallere in fidei dogmate possunt. Nam ex sacrarum literarum recta intelligentia vera dogmata, ex obliqua verò falsa trahuntur.

Vndecimò, si apostolica sedes in fide errare non posset, id maximè ex priuilegio Petri,Lucæ.22. ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. At, Petri fides defecit,iuxta id quod Ambrosius ait, fidelior factus est Petrus,postquàm fidem se perdidisse defleuit.Multò ergo magis cęteri successores errare in fide potuerunt. Vt errauit certè Anastasius.19.d.c.Anastasius.Errauit quoq; Honorius,vt in cōc.6. Const.

Dist.20.c. fidelior. & firmetur. & de fide Petri.

Const.actione.13.& 18.definitur.

93. di.c.legimus. Postremò, Hieronymus in epistola ad Euagrium, cùm illi obiiceretur Romanæ ecclesiæ consuetudo, si auctoritas,inquit, quæritur : orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit episcopus siue Romę, siue Constantinopoli, siue Alexandriæ, eiusdem meriti,eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit.Cæterùm,omnes Apostolorū successores sunt.Quid ergo mihi profers vnius vrbis cōsuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est superciliū, in leges ecclesiæ vindicas? hactenus Hieronymus. & Ambrosius, lib. 3. de Sacra. capit.primo, cùm Romanam consuetudinem sibi opponeret, in omnibus, ait, cupio sequi ecclesiam Romanam:sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectiùs seruatur,& nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum:ad hoc ecclesia Romana quid respondet? Vtiq; ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiæ Romanæ. Quòd si Hieronymus & Ambrosius ecclesiæ Romanæ institutа facilè reiiciunt, certè non est cur Apostolicę sedis præscriptam in moribus regulam sequi debeamus. Eo vel maximè,quòd Trullana synodus,can. 55. asserit Romanā ecclesiam præter ecclesiasticam traditam consuetudinem Sabbatis quadragesimæ ieiunare: corrigitq; hunc ecclesię Romanę morē, qui contra Apostolorum canonem. 65. inoleuerit. His potissimùm argumentis hunc locum quidam infirmum esse contendunt. Credunt enim sedem Apostolicam errare posse,etiam cùm de fidei quæstione iudicat.Inter Parisienses Gerson & Almain huius sententiæ præcipui auctores habentur.Eandem sequitur Adrianus in.4.senten.de confir.q.vltima. Ac Thomas quidem Vual.lib.2. doctri. fid.Anti. c.19.eandem videtur sequi,tametsi in lib. de sacramentalibus doctrina.10.longè aliter sentit.Gratianus.19.d.§.hoc autem intelligendum est. eidem opinioni videtur etiam assentiri.Nec ab hac,vt apparet alienus est Cardinalis Turrecre.lib.4.par.2.c. 16. Quanuis in li.2. c.109.110.contrariam sententiam & tenuerit & ostenderit. Hāc Erasmus libenter amplectitur super epistolam Hieronymi ad Damasum de nomine hypostasis. Quin in lib. de ratione veræ theologiæ fenestram dicit aperire ad perniciem veræ pietatis eos,qui doceant, Romanum Pontificem errare non posse, quoties de moribus aut fide pronuntiat. Huic Lutherus subscribit, huic Vuicleffistæ, atque adeò omnes hæretici subscribunt libentissimè.

¶ *Caput secundum, in quo redditur causa, cur sedes Apostolica quintum locum obtineat.*

HOrum ego opinationem ex academijs theologicis explosurus sum. Efficiamq;, vt spero, vi argumētorum meorum si integris animis expendantur,semotis contentione & odio,quibus omne iudicium exoculari solet. Vt autem euidentiùs intelligatur, quàm sit magnus huius opinionis error, fingamus animo vnum esse Lutherum, in quem stylus hic noster acuatur. Nam errantium multitudo non parit errori patrocinium. Sit ergo primus idemq;, solus, qui audeat affirmare summum Pontificem ecclesiamq; Romanā in fidei cōtrouersijs decernendis posse cōtra euangelium errare. Nisi ego probauero certioribus argumentis,id esse erroneū, quā probent catholici aut purgatorium esse, aut indulgentias pontificias diuina auctoritate constare,auctoritas hęc mea, quantula eacunque est, apud Lectores periclitabitur. Illud verò meliùs ostendo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si ad locum hunc firma ratione constabi liendum, altiùs huius rei fundamenta ia cio. Sed ante tamen cur hunc locũ quintũ fecerimus, paucis explicandum est. Erũt enim fortasse quidam, quibus aptior ordo videretur, si prioré, quo conciliorũ auctoritas cõtinetur, hic locus antecederet. Qui etiamsi aberrant a coniectura, video tamen quid sequantur. Nempè sedis Apostolicæ auctoritate sublata, concilia quæcunq; non solùm vacillare, sed cadere: at sedem Apostolicam per se etiam sine concilijs suam habere auctoritatem. Prio rem itaq; esse ecclesiæ Apostolicæ quàm conciliorum auctoritatem. Rebus autem suum cuiq; seruare locum natura iubet. Quemadmodũ locus elementis suus est cuiq; proprius, vt terra infimum teneat, hanc mundet aqua, superior æther, ignibus altissima ora reddãtur. Quibus breuiter respondemus, nos humani ingenij habita ratione, naturæ ordinem sæpè negligere. Est autem hominibus comparatum, quòd Aristoteles non semel admonuit, vt à notioribus ad ea, quæ minùs sunt nota, proficiscantur. Quamobrem, cùm conciliorum auctoritas plerisque sit & acceptior & notior, nihil mirandũ est, si naturæ ordinem anteuerterimus. Præterquàm quòd concilia ecclesiam representant, & ab ecclesia catholica concilia catholica seiungere, non erat satis ex ordine. Meritò igitur ecclesiæ concilia hærere fecimus. Sed de his hactenus. Iam id quod erat institutum persequamur.

Caput tertium tria pronunciata continet, quibus efficitur, Petri in fide firmitatem ad successores quoque deriuari.

ET si nõ sum nescius, quàm sit schola stica disputationis forma quibusdã inusa: sed nõ debeo tamẽ aliã inire disputandi rationem, præter eam, quã & viris clarissimis probatã esse intellexi, & ad errores omneis refellendos semper aptissimam existimaui. Certè quæ Augustinus contra aduersarios ecclesiæ disseruit, tametsi & inuenta sunt acutiùs & dicta subtiliùs, quàm vt quiuis ea possit agnoscere, ad euincendas tamen hæreses eò aptiora iudicantur, quò tenuiùs ad viuum resecata sunt. Demonstraturus igitur Apostolicam eãdemque Romanam sedem errare in fide non posse, scholæ more tres propositiones habeo ponere, in quibus huius quæstionis cardo vertitur.

Prima propositio. Petrum Apostolũ fuisse à Christo institutum pastorem ecclesiæ vniuersalis. *Prima propositio.*

Hanc probat apertè illud apud Ioannem testimonium, pasce oues meas. Qui enim non distinxit inter has oues & illas, alienã à suo demõstrauit ouili, quæ Petrũ pastorem non recognoscerent: vt Innocentius. De maio. & obe. c. Solitæ. & Bernardus lib. de con. ad Euge. ca. 6. euidẽtissimè argumẽtantur. Nec dubitari potest ad Petrum eam curam specialiter pertinuisse, quem dominus priusquàm oues illi committeret, interrogauit, nec id semel aut bis, sed tertiò etiam, Simon Iona diligis me plus his? Vbi non expressit solùm Simonis proprium nomẽ, sed patris etiã nomẽ clauram adiecit, ne vlla posset ambiguitate Petri potestas eludi, aut peruersè in alium torqueri. Atq; idem rursum ex altero apud Matthæum testimonio declaratur. Beatus es, inquit Dominus, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meã, & quodcunq; solueris super terram, &c. Vbi notandũ in primis illud, q̃ cùm oẽs discipu- *cap. 21.* *cap. 16.*

discipuli rogati fuissent, cæteris tacentibus vnus Petrus respõdit. Deinde & illud aduertendũ, quod & nomen Petri antiquũ Christus seruauit inquiẽs, beatus es Simõ, & patris etiam nomen addidit, ne ad Cananæũ possent verba referri. Nomẽ quoq; nouum indidit, quod Petro non commune cũ reliquis Apostolis esset, sed proprium. Et ego dico tibi, ait, non Ioanni, nõ Iacobo, sed tibi, tu es, nõ solũ vocaris, sed es, Petrus, hoc est saxum. Vnde & Ioãnis primo. c. Cephas, id est, petra ingẽs seu rupis magno ferẽdo ædificio idonea, à domino vocatus est. Et super hanc petrã, inquit, ædificabo ecclesiã meã, id est super te ô Petre. Vt exponit Hilarius super Matthæum, Ambrosius sermone. 47. de fide Petri, Cyprianus in epistõla ad Quintum, Hieronymus. 1. lib. contra Iouinia. & super Matthæum, & in epistola quadam ad Marcellam, & in Esa. 2. & 16. cap. quãuis in concione quadam de Pentecoste aliter exposuerit. Chrysostom⁹ homi. 55. in Matthæ. Cyrillus li. 2. in Ioanné. c. 12. Origenes hom. 1. in Matth. & hom. 5. super Exodũ. Theophilactus Lucæ. 22. Gregorius in quadam epistola ad Mauricium Augustum, & in alia ad Eulogium Alex. episcopum. 6. lib. epistola. 37. Leo concione. 2. de Apostolis Petro & Paulo. Sed & in epistola ad Flauianum Petrus, inquit, à principali petra soliditatem & virtutis traxit & nominis. Atq; in epist. 67. ad episc. Viennen. id apertiùs exponit. 19. d. c. ita Dominus. Tertullia. lib. de præscrip. hære. Epiphanius in lib. Ancoratus, Dionysius item in epistõ. ad Timoth. Petrum dicit à Paulo vocatum fundamentum ecclesiarum. Et Concil. Chalcedo. vocat Petrum petrã & crepidinem catholicæ ecclesiæ, atq; ex consequenti fatetur, ecclesiam catholicã super Petrum ædificatam. Nec me latet, Aug. super Ioannem homi. vltima, & de verb. domi. hom. 13. id veritum esse concedere. At lib. 1. retract. c. 21. hunc communem sanctorum sensum non reprobat. *12. distinc. præterea.*

Nec reprobari sanè is poterat, quem non summi modò pontifices, verùm concilia quoq; probarunt, quemadmodum ex his quæ postea dicemus, perspicuum erit. Sed non est opus, rem alioqui lucidissimam externis admotis luminibus illustrare. Quorsum enim dicit Dominus Simoni filio Ionæ, tu es πέτρος hoc est, saxum, nisi vt intelligeremus, cùm cuestigio addit, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, ipsissimum Petrum esse, super quẽ esset ecclesia ædificanda? Cùm verò idem sit secundùm metaphoram domus fundamentum, quod seruata corporis analogia caput, manifestè colligitur, Petrum, vt ecclesiæ caput, ita etiam fundamentum esse. Cur autem nomen capitis in Petro vereamur, si rectorem ouium Christi eum negare nõ possumus? Nam populi rectores, capita dicuntur, Amos. 6. & Saul, quoniam rex erat, caput populi dicitur. 1. reg. 15. Sed testimonia patrum Bucerus quærit, negatq; Petrum ab vllo vnquam caput ecclesiæ vocatum. Impudentissimè verò negat. Quoniam Euaristus, Alexander huius nominis primus, Pius etiam primus, Calixtus primus item, Gregorius, Athanasius, Chrysostomus, patres cõcilij Chalcedo. Constã. septimæ synodi, Petrũ ac successores eius caput ecclesiæ non obscurè appellauerunt. Quorum testimonia paulò post adscripturi sumus. Fateamur igitur, Petrum & caput & fundamentum & rectorem pastoremq; esse a Christo cõstitutum ecclesiæ vniuersalis. Hæc enim omnia adeò sibi cohærent, vt si vnũ ex illis tollas, reliqua tollere necesse sit. At Clemens. 6. dispo. lib. Petrus Iacobus & Ioannes, inquit, quãuis à Christo fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobũ qui dicebatur iustus Apostolorũ episcopum statuũt. Nõ igitur Clemẽti Petrus erat pastor ecclesiæ vniuersalis. Huiusmodi scilicet testimonia hinc inde venãtur heretici: vt lucis tenebras offundãt. Dionysius. 3. *cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.de diui.nomi. Petrum dicit supremũ fuisse decus & Theologorum columen. Euse. lib.2.eccl.histo.c.14. Petrum scribit, probatissimum omnium Apostolorum & maximũ, fideiq; magnificentia primorũ principẽ. Epipha.hære.51.affirmat Christum elegisse Petrum, vt esset dux suorum discipulorũ. Leo in epist.ad episcopos Vienen. Euangelici muneris Sacramẽtum, ait, ita dominum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluisse, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorũ summo principaliter collocaret. His,nã alios enumerare longum est, his, inquã, tam multis & idoneis testibus non credunt hæretici: & volunt nos vni Clementi credere: qui dicat Iacobum Apostolorũ episcopũ institutũ esse. Hierosolymorum episcopus Iacobus agnoscitur, Apostolorum episcopus nõ agnoscitur. Quanquam Apostoli ædificationis gratia, cùm erant Hierosolymis, Iacobo sanè plurimum deferebant: quò posteris episcopis exẽplo essent, vt tanquam subditos in aliena ecclesia se gererent. Sed benè habet, quòd non asserit Clemens dominum statuisse: sed Apostolos modestiæ causa. Nos verò hac prima propositione asserimus, Petrum à Domino pastorem ecclesiæ catholicæ institutum. Quod quoniam Caietanus in libello de auctoritate Papæ & concilij & fusiùs adhuc in altero de eccle. Romanæ primatu plurimis maximisq; argumentis ostendit, nos breuiter demonstrasse sufficiat.

Videetiam Turrecre. lib. 2. summæ ecclesiæ c.15.

Secunda propositio. Petrum, cùm ecclesiam docebat, aut oues in fide firmabat, errare non potuisse. Hæc primùm ostẽditur ex illo testimonio Lucæ.22. Simon, Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et cùm dixisset dominus, Satã expetiuit vos, non ait, ego rogaui pro vobis, sed pro te: nec dixit, & vos aliquando conuersi, sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cùm autẽ oratio Christi, vt auctor est Paulus, semper fuerit exaudita, quod Christus orauit, id certè cõsecutus est, ne Petri fides deficeret, vt fratres posset in fide firmare. Deinde hãc etiam demõstrat illud Matthæi.16. super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quę verba explicans homi.1.in Matth. Origenes ait, Manifestum est, & si non exprimatur, quòd nec aduersus Petrum nec aduersus ecclesiam portę prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent aduersus petram, in qua ecclesia fundata erat, contra ecclesiam item prævalerent. Petrus ergo firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsũ fundata rueret. Præterea, si Petro peculiari ratione & priuilegio Claues non vnius cæli, sed cælorum datæ sunt, quemadmodum homi. 6. in Matth. annotauit Origenes, Claues autem cælos aperiunt, consequens fit, vt omnia cęlorum impedimenta tollant. At ex parte intellectus ingressum in cælos impedit ignorantia fidei, sicut ex parte voluntatis affectio praua: data est igitur Petro potestas non minùs ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata. Quæcunq; itaq; soluisset & quæcunq; ligasset, siue spectarent ad intellectum siue ad affectum, ea ligata fuissent solutaq; in cælis. Quamobrem, quæstiones in fide difficiles soluere iure suo Petrus poterat, ligareq; proinde suo iudicio, vt id tenerent fideles, quod ipse decerneret. Atqui falso de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quòd si diuinatio in labijs regis, & in iudicio non errabit os eius, vt prouer. sextodecimo. capit. dicitur, cur nos existimabimus, Petrum regni cælorum principem à Deo constitutum, in grauissimo de fide iudicio errare potuisse? Et si Caiphas vir in Synagoga impius, cùm esset põtifex anni illius, quia pontifex tamen erat, prophetauit, nonne magis Petrum summum a Christo pontificem

Bis Simonis nomen in Græco repetitur, & sic legit Agatho Act. 4. Sextæ Synodi.

Hebr.5.

tificẽ ecclesiæ datum, diuino spiritu ad veritatem finiendam agi credemus? Si pastor deniq; omnium fidelium Petrus est à Deo constitutus, doctor ergo & magister ecclesiæ supremus effectus est. Quòd si pascua doctrinæ salubris quibus Christi nõ daret, sed posset eas erroribus falsis ac pernicioſis pascere, nimirũ non esset à Christo ecclesiæ ,puisũ. Prouisum est autẽ sine dubio, nisi Petrus ipse nos fefellerit, inquiens, Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus deus in nobis elegit per os meum audire gẽtes verbum Euangelij & credere. Petrum ergo peculiariter inter cæteros elegit Christus, vt eum gentes in fidei cõtrouersia non audirent solũ loquentem, sed etiam crederent. Ita enim cùm Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo Petro definienti consentiẽs, vt Actorum quintodecimo à Luca refertur.

Tertia pro positio.

Tertia propositio. Petro defuncto diuino iure esse, qui illi succedat in eadem auctoritate & potestate. Nã, cùm oues Christi essent vlq; ad consummationem sæculi futuræ, desipiet profectò, qui Christũ existimabit, ouili perpetuo pastorem temporariũ suffeciſſe. Quòd igitur dominus

Ioan.21.

instituendo pastorale ecclesiæ munus primo pastori contulit, id ordinariè cuilibet successori intelligitur contulisse, vt Caie. de prima.eccl. Rom.c.12. eruditissimè cõprobauit. Præterea, regnum Christi futurum erat ęternum, ergo & ecclesiæ principatus non fuit temporalis, quod libro etiam superiore probatum est. Alioqui, si Petri potestas ad posteros non est translata, ne cæterorum quidem Apostolorum potestatẽ ad succedentes episcopos transmissam agnoscemus. Ita nunc in ecclesia, nulla aut episcoporum aut sacerdotum potestas erit. Qui est error in fide manifestus. Vtitur etiam Bernardus ad Euge.

Capite. 18.

libro secundo. cap. 6. in huius rei confirmationem illo Exo. testimonio, Esto tu populo in his, quę ad deum pertinent, vt ostendas populo cęremonias, & ritum colendi, viamq; per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros sapientes, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent. Si hoc feceris, implebis imperium domini. Quibus auditis Moyses fecit omnia, que letro suggesserat. Quòd si letro consilium & optimum fuisse cõstat, & Synagogę maximè necessarium, vt vnus esset summus iudex, ad quem maiores causæ & quæstiones referrentur: nullo pacto verisimile fit, Christo domino huiusmodi consilium defuisse, quod ecclesiæ erat similiter necessarium. Non ergo Petro solùm ea potestas collata est à domino, sed ad posteros quoq; trãsijt. Ni si deus maiorem synagogæ curã habuerit, quàm ecclesiæ. Confirmat eam rẽ vel maximè alterum legis veteris testimoniũ, quo vsus est Innocentius.3.capit. per venerabilem. qui fil. sunt legiti. Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quẽ elegerit dominus deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus: & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neq; ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, vt nullus deinceps intumescat superba. In quibus verbis illud primùm aduertendum est, non quaslibet causas ad metropolitanum iudicem summumque sacerdotem esse referendas, sed difficiliores, quàm vt minorum iudicum auctoritate absolui possent. Deinde & illud admonendum, supremum illud tribunal

Similis iudiciorũ forma Gallis olim erat, ut Cæs. auctor est de bello Gallico libr.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribunal, à cuius sententia iuxta legis normam nulla prorsus erat appellatio, senatum suum habuisse quidem Leuitarum & sacerdotum, sed vnum esse primum iudicem summumq; vnum sacerdotem, qui in sententia ferenda vel solus significatur habere auctoritatem. Qui autem superbierit, inquit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat, vel præsidenti ad ministrādum, vt septuaginta transtulerunt. Et rursum. Ex decreto iudicis morietur homo ille. Non ait, sacerdotum & iudicum: sed sacerdotis & iudicis. Nec illud prætereundum, quòd non iubet dominus concilium ex tota synagoga congregari, sed consilium adhiberi iubet sacerdotum & Leuitarum, qui senatus loco summo sacerdoti in ciuitate matricia semper adessent. Quia enim in prōptu erat, vt id genus quæstiones & cōtrouersiæ identidē orirētur, paratū & aditu facile oportebat esse tribunal: id qđ non esset, si frequēs cogendum esset ex omni synagoga concilium, vt vniuersas controuersias definirent. Sed ne id quidem negligendum est, legislatorem absolutè præscribere, vt post sacerdotis præsidentis iudicium omnes suis opinionibus cedāt, facies, ait, &c. sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram aut sinistram. Nec iniuria id quidem præscribit legislator, quoniam antè, vt securos disceptantes redderet, fuerat pollicitus, iudicium illius senatus, ad quem consultatio referretur, verum esse futurum. Qui iudicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Sed ait Bucerus, vera erunt hæc, si protulerit secundùm legem. Sic enim habet Moyses, facies quæcunq; docuerint te iuxta legem eius. Hic primùm, quod isti sæpè contra nos faciunt, reuocare eos libet ad Hebraicam veritatem. Septuaginta quippe hoc modo verterunt. Facies secundùm verbū, quod nunciauerint tibi ex loco, quem elegerit dominus deus tuus. Et custodies valde vt facias secundùm omnia, quæ sancita fuerint tibi: secundùm legem & iuxta iudiciū, quod dixerint tibi, facies. Et Sanctes Pagninus ita reddidit. Facies secundū sermonem verbi quod annunciabunt tibi: & custodies faciendo iuxta omnia quę docebunt te. Iuxta sermonem legis, quem docebunt te, & secundùm iudicium quod dicent tibi facies. Vbi non præcipit Moyses, vt sacerdotibus credant si iudicarint secūdùm legem, sed potiùs, vt quæ sacerdotes docuerint, ea pro lege habeantur. Alioqui si de legis ac religionis controuersia ad senatum recurrentibus hanc ansam liceret arripere, nulla vnquam eiusmodi quæstio finiretur. Semper enim ille locus dubitandi esset reliquus, an sacerdotes proferrent iuxta legem: cuius dubitationis nullus esset iudex institutus. Sed de his disputatum est alio loco satis, vt arbitror, diligenter. Nunc autem id solum agimus, deum, post tempora etiam Moysis quandiu synagoga futura erat, instituisse maximi pontificis vnum tribunal summum, è cuius iudicio priuati omnes ciues ac iudices etiam minores pēderent. Quid ergo? Moses prouidit synagogæ, & Christus non prouidit ecclesiæ? An volumus, vt his diebus non sit iudex in Israël, sed vnusquisq; quod sibi videatur bonum, id & faciat & sentiat? Volumus, inquiunt, euangelij libertatem. An ne est libertas ciuitati, nullum habere à quo regatur? Est libertas naui, sine gubernatore vndis ventoq; permitti? libertas ergo erit, vt quidā ait, nullum esse in schola præceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, sed solis cupiditatibus turbari ac misceri omnia pro libidine. Id verè ne pecudes quidem cuperent, quarum interest pastores habere, à quibus deducātur in pascua, atq; in eis defendantur ab iniuria ferarum. Non itaq;, vt ad propositum reuertamur, domus vna sine patrefamilias, vna ciuitas sine rectore, ouile vnum sine pastore vno mortuo Petro relictum est, sed est aliquis, qui illi in regendi ac pascendi oues auctoritate

Iudic. 17.

ritate succedat. Quòd si obiicias ex typo & figura non sumi idoneum argumentum, memineris, quæ in veteri populo illo quasi deliniata ad illius speciem & ordinem pertinerēt, ea ad speciem ecclesiæ & ordinem referri oportere. Nec nos ex figura argumentamur & typo, sed à minori ad maius argumentamur euidenti sanè ratione. Incredibile est enim, Synagogam componendis de fide, lege, & religione controuersijs iudicem & senatum Deo auctore habuisse, ecclesiam non habere: præsertim cùm ecclesiæ id sit multò etiam magis necessarium. Quæ cùm ex tam varijs nationibus, linguis, ingenijs, institutis, emerserit necesse est, vt plures grauioresq; habeat de fide & religione controuersias. Quas nisi huius reipub. princeps valeat componere, ecclesię profectò forma & species turpissima est, & sors multò quàm synagogę deterior. Sed ecclesiæ ac synagogæ omissa comparatione, ex fine certè præscribitur auctoritas, quæ principi in vnaquaq; societate congruat. Non enim æqua est auctoritas cuilibet imperanti: sed alia patrifamilias, alia præfecto, alia regi cōuenit: vnicuiq; verò horum tanta, quanta ad cuiusq; societatis finem necessaria erit. Vt eam patrifamilias præstemus auctoritatem necesse est, quam ad finem domestici conuictus necessariam esse ratio recta & doctrina præscripserit. Quoniam in vna domo eodemq; tecto, vbi varia est hominū natura, & officium cuiusq; diuersum, nō aliter viui omnino potest. Tantam ergo habet summus à Christo institutus pōtifex in ecclesia auctoritatem, quanta ad continendos Christianæ reip. ciues in fide, religione, officio, est necessaria. Suboriri autem inter nos necessum est de fide ac religione cōtrouersias, quibus cōponendis si nullus est à Christo datus iudex ad quem referretur tādem eiusmodi quæstio omnis, sine fine esset, perpetuaq; dissensio, totq; tamq; dissonantes de fide ac religione sententiæ, quot sunt in ecclesia & quàm sunt diuersa capita. Quas ob res si ecclesiæ vnitatē, charitatē, consociationē conseruare oportet: necesse est profectò, vt vnus sit relictus à Christo princeps, qui nō aliter ac Petrus dissidentiū lites dirimere solueręq; quæstiones posit. Videmus enim principi cuiusq; alteri⁹ societatis id cōuenire, vt si inter socios aliquæ cōtrouersiæ oriātur, præsertim quę ad finē illius societatis propriè pertineāt, dirimere eas valeat cū adiuncto sibi seniorū prudētiumq; cō silio. Atq; hæc demum propositio tertia definita est in conci. Constantien. Nam 8. sessi. ille error Vuicleffi damnatur, Papa non est proximus & immediatus vicarius Christi. Et sess. 15. septimus error damnatus est huiusmodi, Petrus non fuit nec est caput sanctæ ecclesiæ catholicæ. Et tertius decimus, Papa non est manifestus & verus successor Petri. Et 27. error, Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus regēs ecclesiam, quod semper cùm ipsa militanti ecclesia conuersetur & conseruetur. Et in Bulla Martini quinti eidem concilio præsidentis, Vtrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor beati Petri habens supremam potestatem in ecclesia Dei. Neque hoc nouum sanè fuit. Quin ecclesia sempervnum summum pontificem ac totius ecclesiæ pastorē Petro succedentē agnouit. Quòd si reliqua omnis potestas Petro concessa siue ad remittenda peccata, siue ad quæcunque alia reip. Christianę necessaria munia, non ad Petrum solùm, sed ad successores pertinet: certè, quod dictū est, super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eā, illud rursum, Tibi dabo claues regni cælorum, illud itē, Pasce oues meas, illud deinq;, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ad summos pontifices, qui Petro in ecclesia succedūt, est referendum. Priuilegiū qnippè in fide

Vide Pighium lib. 2. de eccle. Hier. c. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non errandi ob ecclesiæ vtilitatem Petro concessum est. Idcò enim, cùm dixisset Christus, ego rogaui pro te, vt nó deficiat fides tua, subdidit protinus, & tu confirma fratres tuos. Verùm hæc in genere dicta sint, iam in specie, quæ ad hanc cótrouersiam pertinent, ea euidentiùs explicabuntur.

¶ Caput Quartum, in quo ostenditur, quòd Romanus episcopus ille sit, qui Petro & in fidei firmitate, & in componendis religionis controuersijs diuino iure succedat.

SEquitur, vt doceamus Romanam sedem eam esse, vbi Petri & soliditas & auctoritas deo auctore collocata sint. Quod quoniam non hæretici modò impudenter, verùm etiam catholici nonnulli imprudenter inficiati sunt, diligentissimè est nobis corroborandum. Tam enim diligenter, & si minùs verè, sed tamen accuratè, non modò fundatam verũ etiam extructam opinionem, non est facile diruere. Si opinio tamen dicenda est, quæ adeò certis argumentis refelletur. Et quidem hac de re quãuis plura dicta sint à Caietano, cùm alijs in locis, tum in libello de Romanæ ecclesiæ primatu, quia tamen vel ob styli quasi ingenitam obscuritatem, vel ob id forsitan, quod minùs attentè à plerisq; legitur, nihil etiamnum viris doctis & ingeniosis persuasit: oportebit nos de rebus eisdem iterum disputare. Explicabuntur autem hæc fortasse iciuniùs, his enim vbertas orationis adluberi vix potest. Veruntamen de rebus grandioribus atq; ad exponẽdum difficilibus, omne quod dilucidè dicitur, egregiè & præclarè dicitur. Locum igitur arduum explanaturi, testibus primùm id faciemus, quorum audita testimonia, locum dubitationi non relinquant. Nolo autem quã plurimis possum testimonijs lectorem onerare: sed grauissima & apertissima solùm adscribam. Ordiar autẽ ab ipsis summis pontificibus, quorum de hac re clara iudicia & certa sunt. Simpliciter autem adscribentur, ne inquit, & ait Sepius interponantur.

Anacletus in epist. 1. de oppressione episcoporum. Difficiliores quæstiones & maiores causæ ad sedem Apostolicam referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione saluatoris, vt maiores & difficiles quæstiones semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem Apostolorum, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam. Et in 3. epistola de Patriarchis & primatibus explicat, quidnam per sedem Apostolicam intelle xerit in hæc verba. Hæc sacrosancta Romana & Apostolica ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, &c. 21. dist. c. Sacrosancta.

Euaristus. Ad sedem Apostolicam tanquam ad caput sunt dubia referenda. Id verò dixit Euaristus episcopis Aphricanæ regionis, cùm illum de fidei quæstione cõsulerent. Dixit etiam eos in hoc normam patrũ secutos. Ab incunte igitur ecclesia Romanus Põtifex magister fidei est agnitus. Quod erat Petri proprium munus. Alexander huius nominis primus in epist. ad omnes orthodoxos. Huius sanctæ & Apostolicæ sedis apici summarum dispositiones causarum & omnium negotia ecclesiarum ab ipso Dño tradita sunt, quasi capiti. Probat verò hoc eodẽ Matt. testimonio, Tu es Petrus. &c.

Sixtus primus ad Gallicanas ecclesias & Eleutherius ad easdem affirmant à sanctis Apostolis

ctis Apostolis esse institutum, vt episcoporũ iudicia ad sedem Apostolicã referãtur. Scilicet, quia maiores ecclesiæ causę, &c.

Pius primus in epi. ad omnes ecclesias. Hanc sanctam sedem Apostolicam omniũ ecclesiarum caput dominus esse præcepit dicẽs principi Apostolorum Petro, Tu es Petrus, &c.

Victor in epist. ad Theophilũ, ad Romanum episcopum episcoporum omniũ causas ab apostolorũ tẽpore pertinere definit. Probatq; illo testimonio, quæcunq; ligaueris, &c. Citat etiam in hoc, institutũ Apostolorũ, in quo Romana Sedes vocatur vniuersalis apostolica ecclesia. Eundẽ quoq; Apostolicũ canonẽ nomine ecclesię refert in hoc ipsum Sixtus. 2.

Zepherinus in epis. ad episcopos Sicilianos. Maiores ecclesiæ causæ à sede apostolica & non ab alia, sicut apostoli statuerunt, sunt terminandæ, iuxta illud: quęcunq; ligaueris, &c.

Marcellus ad episcopos Antiochenæ prouinciæ, idem confirmat ex illo, tu es Petrus, &c. Asserit etiam ex diuina iussione & apostolorum traditione ad ecclesiã Romanam, tanquam ad caput, referenda maiora ecclesiæ negotia.

Eusebius ad episcopos Campaniæ & Tusciæ, cùm affirmasset Romanam ecclesiam Petri priuilegio esse dotatam: subiicit. Prima salus est, rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Nec potest Domini nostri prætermitti sentẽtia dicẽtis, Tu es Petrus, &c. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probãtur effectibus. Quia in sede apostolica extra maculã semper est catholica seruata religio.

Melchiades in epist. ad Hispaniarum episcopos. Priuilegiũ episcopos iudicandi dñs beato claui gero Petro sua vice solũmodò cõmisit. Quod eius prærogatiuũ suæ concedit sedi futuris hæreditandum temporibus. Quod vtiq; priuilegium à tẽporibus apostolorum statutum est seruare: & illęsum manet vsq; in hodiernum diem: Nequando membra à suo discrepent capite, & schismata oriantur.

Marcus ad Athanasium. Sancta Romana ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Petro apostolo opem ferente, in futuro manebit sine vlla hęreticorum insultatione firma & immobilis. Hæc apostolorũ viua traditio. Hæc sãcta & apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia, quæ per omnipotentis dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, sed illibata finetenus manet, secundùm ipsius domini pollicitationem, Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua. Quo eodẽ testimonio probat idem, Lucius ad consulta episcoporũ Gallorum & Hispanorũ: & Fœlix ad Benignum.

Iulius in epist. ad orientales episcopos. Conciliorum conuocandorum iura & maiores causas ad sedẽ apostolicam euangelicis apostolicisq; institutis referri oportet. Id à sanctis apostolis & successoribus eorum: id à Nicæna synodo definitũ est. Affert verò hic pontifex ad illud confirmandum testimonium Christi à cæteris repetitum, Tu es Petrus, &c. illam quoq; rationem, ne mẽbra à suo capite dissideãt.

Idem quoq; Iulius in epistola ad episcopos congregatos Antiochię. Sanctam Romanam ecclesiam & apostolicã ipse Dominus decenter allocutus est inquiẽs, Tu es Petrus, &c. Habet enim potestatẽ singulari priuilegio sibi concessam, & domini ore sacrata atq; desuper exaltata est. Et sicut beatus Petrus primus fuit apostolorũ omnium, ita & hæc ecclesia suo nomine consecrata domino instituente prima & caput est cęterarum, vt ad eam quasi ad matrem & apicem omnium maiores ecclesiæ causæ referantur. Astruit verò in Nicæna synodo esse definitum, non debere præter sententiã Romani pontificis vllo modo aut concilia celebrari, aut epi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scopos damnari: cui maiora ecclesiarum negotia ab ipso Domino speciali priuilegio tradita sunt. Citat verò in huius rei cõfirmationem. 18. caput Nicæni concilij in hæc verba. Omnes episcopi in grauioribus causis liberè apostolicam appellent sedem, atq; ad eam quasi ad matrem confugiant: cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas antiqua apostolorũ auctoritas reseruauit. Citat rursum 19. caput eiusdem Nicæni concilij in hæc verba. Quãquam accusati pontificis causam comprouincialibus episcopis scrutari liceat, non tamen inconsulto Romano pontifice definire: cùm beato Petro apostolo non ab alio quàm ab ipso domino dictum sit, Quæcunq; ligaueris super terram, &c. En Nicænum concilium non obscurè, quæ potestas beato Petro à domino data est, eam in Romanũ pontificẽ asserit esse transmissam. Nec obstat sanè, quòd hæc capitula in nostris nunc exemplaribus non habentur. Tum, quoniam Iulius ipse sub graui iuramento testatur, ea in scrinio Romanæ sedis haberi. Fuit autem Iulius huius nominis primus, qui hoc testimonium perhibet, vir integra & incorrupta fide. Tum, quoniam aduersus eos scribebat epistolam, quorum plerique Nicæno concilio ipsi interfuerunt: nec vllo pacto fieri potest verosimile, q̃ canones ijs obiecerit, q̃ facilè ꝓbare possent fuisse à pontifice confictos. Tũ, quoniam id etiam testantur Athanasius & põtifices Aegyptiorum, Thebaidis & Libiæ in epistola ad Fœlicem, qui concilio quoq; eidem præsentes fuerunt. Scimus, inquiunt, in Nicæna magna synodo ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absq; Romani pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari. Tradunt autem in eadem epistola eiusmodi capitula & alia plura necessaria ab hæreticis incensa nobisq; sublata. Eundẽ item canonem nomine Nicæni concilij protulerunt in sexta synodo Carthaginensi Faustinus, Philippus & Asellius Apostolicæ sedis legati ex literis Zozimi Rom. Pon. Testatur etiam Athanasius in epistola ad Marcum Papam fuisse. 70. capitula Nicæni concilij, id quod Marcus ipse eidem rescribens planè confirmat. Et Fœlix Papa in epistola ad episcopos Aegyptios queritur ea capitula de quibus nunc agimus hæreticos expunxisse. Sed & Pelagius. 17. d. cap. multis. id quod nos probare nitimur, dicit sanctam synodum statuisse, Nicænam videlicet intelligens. Quod expressit Innocentius Primus ad Victricium seu Victorinum cap. 3. & Leo ad Theodosium Iuniorem. Nõ ergo dubitari potest, quin nostra hæc sententia fuerit à Nicæno cõcilio definita, quẽ admodum Iulius pontifex asseuerauit. 16. dist. ca ptuagint.

Videtotam epistolam, in qua Romanus episcopus eã put omniũ dicitur & doctor orthodoxæ doctrinæ.

Damasus ad trium conciliorũ Aphri canorum episcopos. Summas causarum definiri absq; sedis Romanæ auctoritatẽ non licet. Synodumq; sine eius auctoritate fieri non est catholicũ. Nec vlla cõcilia rata leguntur, quę non sunt fulta apostolica auctoritate. Est enim firmamentum à Deo fixum & immobile omnium episcoporum apostolica sedes & vertex ecclesiarum: supra quam Christus vniuersalẽ construxit ecclesiam, ait enim, Tu es Petrus, &c. Vide eundem quoq; in epistola ad Prosperum & cæteros Numidiæ orthodoxos episcopos.

Innocentius primus in epistolis ad Cõcilia duo Carthaginense & Mileuitanũ. Congruè apostolicæ sedis arcana consulitis antiquæ regulæ formam secuti, quã toto semper ab orbe nostis esse seruatã, præsertim quoties ratio fidei ventilatur. Breuiter, quoniam omnium verba referre molestissimũ esset, idẽ omnino cõfirmãt Leo Epi. 54. ad Anastasiũ & epist. 67. ad episcopos Viennẽsis prouinciæ, Gelasius ad Anastasiũ Augustũ & in decretis, quę cũ. 70. episcopis tulit, & in epistola ad episcopos Dardaniæ, Vigilius in decretis suis capi. vltimo, Pelagius. 2. ad episcopos qui 19. dist. in Dominico.

qui conuenerant in ciuitatem Constantinopolitanam, Diuus Gregorius in epistola ad Augustũ. Anglorum episcopum, alijq; multi pontifices, quorum testimonia habes. 12. dist. &. 17. &. 19. &. 20. &. 21. &. 22. &. 80. d. c. vrbes. &. 96. d. cap. benè. Et. 24. q. 1. per multa capita. &. 25. quæstio. 1. & de electione capit. significasti. & de Priuileg. c. Antiqua. & de Baptis. c. Maiores. & de elect. in. 6. c. fundamenta. & in extraua. Vnam sanctam. Quam extrauagantem innouauit & approbauit concil. Lateranense sub Leone decimo. Cùm ergo omnes episcopi Petro in ecclesiæ Romanæ sede succedentes vnanimi consensione asseruerint, fidei soliditatem Petro collatam, ad Romanos pontifices, tanquam ad legitimos successores, pertinere, certè, si Irenęi Canon verus est, qui hoc negauerit, ecclesiæ auctoritatem ipse negat. Quę causa idonea fuit, vt si quæ ecclesiæ à Romana sede defecerint, nõ aliter à summis pontificibus ad vnionem ecclesiasticam fuerint receptæ, quã sub huiusmodi confessionis forma.

Libr. 1. con. Valen.

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrũ nullatenus deuiare. Et quia nõ potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & hæc quæ dicta sunt rerũ probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculã semper est catholica seruata religio: anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam & apostolicam ecclesiã suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus apostolicam sedem, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas: Profitemurq; secretatos à communione ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes sedi apostolicæ eorũ nomina inter sacra recitanda non esse mysteria, qui videlicet sanctæ Romæ. & Apost. ecclesiæ priuilegia cassare nituntur. Hãc cõfessionis normam præscripsit Bonifacius secundus in epist. ad Eulalium Carthaginen. episcopũ, hanc Ioannes Constantinop. episcopus fecit, cũ ecclesia Cõstantinopolitana Romanæ, à qua Acatio auctore defecerat, vniretur. Eandẽ Ormisda Papa ad episcopos Hispaniæ misit, vt si qui ex schismate venientes ecclesiasticam communionẽ ab eis exposcerent, secundùm illam professionis formam admitterentur. Hãc deniq; Adrianus Papa dedit ad. 8. syno. generalẽ. Satis igitur persuasum esse debet, nisi valde sumus pertinaces, in Romana sede Petri auctoritatem & firmitatẽ esse sitã.

Cap. Quintum, vbi conclusio eadem ostenditur sanctorum veterum testimonijs manifestis.

NEc verò audiẽdi sunt illi, qui reprehẽdunt & irridẽt, q̃ eorũ hic testimonia referamus, quorũ tãquam in propria causa iudicũ meritò & optimo iure detrectare aduersarij possunt. Nõ enim pontificũ Romanorũ causa ist hæc propria erat, sed ecclesiæ gentiumq; oũm communis. Atq; in ijs testibus quidã Latini erant, alij Græci: partim Hispani, partim Affricani, partim Galli & Germani, quibus ferè hominibus ecclesiæ Romanę causa nõ solũ propria nõ erat, sed erat etiã aliena. Fuerũt quoq; in his viri plurimi adeò graues integrique doctrina, vita, moribus, vt eorũ fides suspecta esse nec debeat nec verò possit. Accedit, quòd nonnulli ex his vel apostolorum fuere discipuli, vel illi certè secuti proximi, cui nullam fictionis notã inurere nisi impijs & perfrictę frontis hominibus permissũ est. Sed ne vllus tergiuersãdi locus relinquatur, libet quoq; sanctorũ veterum, qui Romani pontifices non fuere, testimonijs vti. Nam ijs causam cur aut ignorarent aut fingerent nullam profectò habuerunt. Irenæus lib. 3. aduersus hære. c. 3. Sed quoniam omnium eccle

Universidad de Deusto
Biblioteca

siarum numerare successiones valde longũ est maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ ecclesiæ. eam quã habet ab Apostolis traditionẽ & annunciatã hominibus fidẽ perueniẽtẽ vsq; ad nos, indicantes confundimus oẽs eos, qui prẽterquã oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiã propter potentioré principalitatem necesse est omnẽ conuenire ecclesiã, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab apostolis traditio. Hactenus Irenæus. Qua re persuasus Augustinus contra epistolã Manichæi. c. 4. Multa sunt, ait, quę in ecclesię gremio me iustissimè tenent. Tenet ab ipsa sede apostoli Petri, cui pascendas oues suas dominus commendauit, vsq; ad præsentem episcopatum sacerdotũ successio. Hanc etiã apostolicam cathedram & principatũ in Romana ecclesia agnoscit idem Augustinus in epist. 162. ad Gloriũ & Eleusium, &
2.q.7.c.pu in epist. 106. ad Paulinũ, & in Ioann. tract.
to. 24.q.1.c. 56. & lib. 2. contra Pelag. & Celesti. & lib.
Pudenda. 2. contra Donatis. c. 1.

24.q.1.c.lo Cyprianus lib. 1. epi. in epistola ad Cor-
quitur do- nelium, & lib. 4. in epist. ad Pupianũ, & in
minus & tracta. de simpl. Præl. eandem sententiam
93.d.c.Qui apertissimè tenet.
cathedrã.

24.q.1.c.4. Ambrosius quoq; eiusdẽ rei testis est cla
Quæ di- rus in lib. de excessu fratris sui Satyri. c. 7.
gnior, & & sermone. 47. de fide Petri.
22.q.2.c4. omnes. Cyrillus apud D. Tho. in libello cõtra errores Græcorũ multò euidẽtiùs quàm auctores cæteri huic veritati testimoniũ perhibet. Nec mireris, q̃ in libris Thesau. è quibus locailla à diuo Tho. referuntur, ea nunc reperire non licet. Detruncarunt enim hæretici librum illũ, & quæ in eo ad Romani põtificis auctoritatẽ pertinebant, hæc eraserunt oia. Quod idem in cõmentarijs Theophilacti super Ioannẽ
Ioan.21. hæreticos fecisse à viris hodie catholicis & deprehẽsum & patefactũ est. Quanquam non omnes libri Thesau. latini facti sunt. Nam in syno. 6. citatur. 32. liber, qui nobis non est redditus.

Maximũ quoq; refert D. Tho. eandẽ sententiã non asserentẽ modò, verumetiã eo argumento cõfirmantem, quòd Paulus apostolus ad Petri magisterium venit; formã videlicet futuris præstãs, vt ad Petri successores Romanos Pontifices in simili causa recurrerent. Hieronymus insuper in epistola ad Damasum de nomine hypostasis huius rei testis locupletissimus est. Cuius verba retulit Gratianus. 24. quæstione. capit. Quoniam vetusto. Nam quod ea. causa & q.c. Hęc est fides. refertur, ex explanatione Symboli ad Damasum, cõsultò prætereo: quoniã Erasmus eã epistolam Hieronymi esse negat. Sed bene habet, quòd illa ad Damasum de nomine hypostasis Hieronymi sine controuersia est. Adde, quòd lib. 1. apolo. aduersus Ruffinũ, proeodem habet, quempiam Romanam fidem tenere & catholicum esse.

Bernardus quoque à nobis facit in epistol. 131. ad Mediolanenses, & 166. ad Innocentium, & 189. ad eundem, & 237. ad Eugenium, & 242. ad Romanos. Referrẽ alios, nisi hi satis abundè essent ad eius rei faciẽdam fidem. Quid enim? tot tantorumq; patrum consentiens, conspirans continuataque sententia, quem non coget. ea, quæ dicuntur cõprobare? Præterquàm quòd ea sentiunt, quæ sanctarum etiã synodorum testimonia confirmant, id quod capite sequenti demõstrabitur.

¶ *Caput sextum, vbi conciliorum clarissima testimonia referuntur: quibus ecclesiæ Romanæ vis & auctoritas comprobatur.*

His duobus capitibus superiorib⁹ nec summorũ omnium verba pontificũ nec veterũ sanctorum adscripsimus, ne longior

longior atq; adeò molestior fieret oratio. Tantùm loca indicauimus, quæ quum videat lector, tum planè intelligat, nihil nos obscurum, nihil ineptũ, aut quod ad rem non faceret, attulisse. Nunc synodica hac de re non iudicia solùm, sed verba quoq; referemus: vt aduersarij nube etiam horum testium grauiùs opprimantur.

Primum igitur sit concilij Nicæni testimonium, quod quoniam capite quarto adscriptum est, non est operæpretium hic resumere.

Alterum sit concilij Chalcedonensis, quod retulit D. Thomas in opusculo contra errores Græcorum, in hæc verba. Veneramur secundũ scripturas & canonum diffinitionem sanctissimum antiquæ Romæ episcopum, primũ esse & maximum episcoporum. Et infra. Si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petrã refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi, secũdùm claues à Domino sibi datas: & omnia ab eo diffinita tenẽtur tãquam à vicario apostolici throni. Ac re vera in huius synodi actione. 1. Leo dicitur Apostolicum gubernare thronum, & sedes Romana caput omnium ecclesiarum. Et actio. 2. cùm esset lecta epistola Leonis Patres clamauerunt, Anathema qui ita non credit: Petrus per Leonẽ locutus est. Et in acti. 3. Romanum episcopum dominum nostrum vocant, eiq; acclamantes apostolicum & vniuersalem appellant: & eius doctrinam vt beati Petri amplectuntur, atq; vniuersa concilij dogmata optãt sedis Apostolicæ auctoritate cõfirmari. Et cùm Leo Dioscorum condemnasset, synodus ait, Sanctissimus archiepiscopus magnæ Romæ vnà cum ter beatissimo Petro, qui est petra & crepido catholicæ ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum episcopatus dignitate. Et in epistola synodali ad Leonem gratulantur patres, q̃ tantum antistitẽ apostolicæ sedi, vnde religionis nostræ fons & origo manat, Dñs dederit. Atq; hæc in conci. Chalced. quidem, ea verò, quæ D. Thomas refert, in huius temporis exemplaribus non habentur. Sed ab hæreticis erasa Gregorius queritur lib. 5. epistol. epistola. 14. ad Narsem comitem.

Tertium testimoniũ extat in synodo quinta generali apud Cõstãtinopolim celebrata. In sententia siquidem illa, quam contra Anthymum pronũciauit Mennas Constantinop. archiepiscopus, cui videlicet omnes cõcilij patres subscripserũt, hęc verba ipse idem Mennas adiecit. Nos apostolicam sedem sequimur, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius cõmunicatores cõicatores habemus, & condẽnatos ab ipsa & nos cõdemnamus. Synodus ergo quinta generalis Mẽnæ iudicio subscribens, apostolicæ sedis decreta tãquam certa amplectitur. Non enim aliter eos in vniuersum catholicos haberet, qui Romanæ apostolicæq; fidei communicassent, nec illos damnaret omneis, quos apostolica sedes damnauisset.

Aliud testimonium grauissimum habes in sexta synodo generali actione quarta. Vbi scribitur professio fidei, quam Agatho Romanus episcopus ad concilium misit. Quam etiam repetit Agatho idem in suggestione synodica, sic enim ibi appellatur, cui innumerabiles episcopi subscripserunt. Atque hæc suggestio, nequis calumnietur, probata est ab omnibus concilij patribus actione. 8. 13. & 17. Verba autem professionis synodicæ hoc modo habent. Beati apostoli adnitente præsidio hæc Apostolica eius ecclesia nunquã à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Huius auctoritatem, vtpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia & vniuersales synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt: omnesque venerabiles patres Apostolicam eius doctrinã sunt amplexi, per quam et probatissima

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi luminaria claruerunt, quam & sancti doctores orthodoxi venerati & secuti sunt: hæretici autē falsis criminationibus ac derogationū odijs insecuti. Hæc enim Apostolica Christi ecclesia per Dei gratiā à tramite apostolicæ traditionis nūquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt ab exordio Christianæ fidei percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet: secundùm ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, Petre Petre, ecce Sathan expetiuit vos, &c. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu confirma fratres tuos. Quod apostolicos pontifices meos prædecessores confidenter fecisse semper est cognitum. Hactenus Agatho. Rom. episcopus. Et actione. 18. ipsa synodus apertè profitetur, Romanum episcopum Agathonem successorem esse in sede principis apostolorum.

In septima etiam synodo generali act. 2 lecta est epistola synodica Adriani primi, qua definit ecclesiam Romanam caput esse omnium ecclesiarum. Recepta verò epistola est atq; probata à concilio generali, vt patet ead. actio. 2.

In octaua quoq; synodo generali habetur libellus Adriani huius nominis secūdi ab ipsa synodo acceptus & cōfirmatus, qui illam fidei confessionem cōtinet, quam in capitis quarti fine posuimus. Patres verò huius. 8. synodi Romani pontificis doctrinæ in hæc verba consentiunt. Sequentes in omnibus Apostolicam sedem speramus, vt in vna communione, quam sedes apostolica prædicat, esse mereamur: in qua est vera & integra Christianæ religionis soliditas. Quare non consentientes sedi apostolicę, eorum nomina inter sacra mysteria non sunt recitāda. Hactenus Patres. In eadem rursum synodo approbata est epistola Ignatij Constantinop. Patriarchæ ad Adrianum, vbi eadem hæc res apertè docetur. Approbatus quoque est libellus ecclesiæ Romanæ & synodus item Nicolai, in quibus eadem doctrina est. Sed & in postrema sessione canone. 21. Romanam sedem vocat synodus sedem Petri principis apostolorum.

Hunc scilicet in modū refert Turrecremata. lib. 2. c. 109.

Act. 1. syn. 8

Synodus Romana insuper sub Symmacho assentitur, Romanæ sedis præsulem merito beati Petri apostoli per vniuersum orbem primatum obtinere sacerdotij, & statutis synodalibus solere tribuere firmitatem. *96. d. c. Sanctus.*

Præterea synodus alia vniuersalis, cui Nicolaus præsedit, si quis, ait, dogmata, vel decreta pro catholica fide aut ecclesiastica disciplina à sedis apostolicæ præsule promulgata contempserit, anathema sit. Quam ferè sententiam Lucius. 3. accepit. c. Ad abolendam. de hæreticis. *25. q. 2. c. Si quis.*

Leo quoque huius nominis nonus in epistola Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham astruit, sanctam Romanam & apostolicam ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum, ad quam maiores causas esse referēdas, concilia inquit, oia & sanctus sanctorum rex regum confirmāt. Præterea cōcilium Lateranen. sub Inno. 3. sic habet. Nolumus quicquā abbati Ioachim derogari, cùm omnia scripta sua assignari mandauerit, apostolicæ sedis iudicio approbanda, vel etiam corrigenda, firmiter cōfitens se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ disponēte domino cūctorum fidelium mater est & magistra. Quod idem concilium Lugdunen se sub Gregorio docuit. Ex domini itaq; institutione Romana ecclesia fideliū magistra est, ac proinde Romanus episcopus Petro succedit in ecclesiæ magisterio. Idē tradit concilium Lugdunēse sub Inno. 4. Idemq; omnino tradit concilium Tridentinum. Sess. 7. in hæc verba. Si quis dixerit, in ecclesia Romana, quæ omnium ecclesiarū mater est & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, Anathema sit. *De sum. Trin. De manus. De sum. Trin. 6. De bonit. unica. in. 6.*

Conciliū verò Lugdunēse sub Gregorio dicit

c. Vbi periculū. de elect. in. 6. Clemēti. unica de sum ma Trinit.

dicit Romanum pōtificem esse vicarium Iesu Christi, successorem Petri, rectorem ecclesiæ vniuersalis.

At concilium Viēnense sub Clemente asserit, dubia fidei declarare ad sedem Apostolicam duntaxat pertinere.

Præterea patres concilij Florentini, definimus (inquiunt) sanctam Apostolicam sedem, & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum: et ipsum pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis apostolorum, & verū Christi vicarium, totiusq; ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: & ipsi in beato Petro pascendi & gubernandi vniuersalem ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse: sicut in gestis oecumenicorum conciliorum continetur. Hactenus concilium Florentinum. Sed conciliorum testimonia satis multa retulimus, rationibus modò Theologicis ea, quæ posuimus, corroborāda sunt: idq; magis Romanum pontificem, cùm de fide iudicat, errare non posse.

¶ Cap. Septimum, Rationibus Theologiæ probat Romanum Pontificem fidei controuersijs finiendis errare non posse.

ROmanum Pontificē in Petri locum, fidem auctoritatemq; succedere, ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnouit. Quod, quoniam totius orbis cōsensione vsuq;, firmarū erat, ne Ariani quidem negare potuerūt, vt Sozomenus libr. 4. histo. trip. ca. 15. & 16. prodidit. Ad Romanam porrò sedem episcopos ecclesiarū in causis quibusq; grauissimis prouocasse, ab illius ore fideles, fidei semper oracula petijsse, illius iudicium catholicos oēs in religionis controuersijs expectasse, illius denique & vim & auctoritatem sacra omnia efflagitasse concilia adeò certum & manifestū est, vt sim ego ineptus, si velim ostendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, cōflatur et efficitur id quod quærimus argumētum, quo ex multis magnisque haud facilè quis dixerit aliud, aut euidētius, aut certius. Si enim legum Christi interpres nullus senior est, q̄ perpetuus ecclesiæ vsus, ecclesia verò in fidei religionisq; quæstione ac cæteris grauissimis cōtrouersijs non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Colonienſem, Toletanum aut Bracharensem episcopos, sed ad Romanum omni semper ætate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem vt successorem Petri, ita quoq; doctrinæ apostolicæ magistrū quæstionūq; de fide iudicē habemus? Nam si aliquem eiusmodi post Petrum, ecclesia instituēda atq; in veritate continenda reliquit Christus, nimirūm aut hic est, aut nullus est. Quippè cùm de aliarū ecclesiarū episcopis nulla quæstio sit, quin nō fuerint loco Petri, vniuersalis ecclesiæ doctores pastoresq; à Deo dati. Romanus igitur episcopus, ecclesiæ vsu interpretante, ille est, cui Dñs in Petro ait, super hanc petrā ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; solueris, &c. ac rursum, pasce oues meas, & iterum, ego rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos.

Quid? quòd ipso etiam rerum experimento comperimus, Christi de Petro & successoribus vaticinia in ecclesia Romana manifestiùs impleri? Hanc enim constat, fixam & immobilem, orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide & auctoritate Petri permānisse. Et cū cæteras Apostolorū ecclesias, vel ab infidelib⁹ occupatas sine fidei vestigio, vel ab hæreticis aliquando affectas viderimus: at aduersum hanc vnā Romanā sedē nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec Pagani, nec hæretici prævalere potuerunt. Pugnatum est siquidem veheméter non à Græcis solùm, sed ab alijs pleriſque totius orbis episcopis, vt hoc Romanæ ecclesiæ priuilegium labefactaretur. Atq; habebant pro se illi quidem & imperatorum arma, & maiorem ecclesiarum numerũ: nunquã tamen efficere potuerũt, vt aut Romani pótificis potestatẽ abrogarẽt, aut in alium transferrent episcopũ. Quin imò qui à Romana quidem Sede defecerunt, hi schismatici semper in ecclesia sunt habiti: qui verò huius sedis de fide iudicia detrectarunt, hæretici. Quæ profectò omnia satis ostendunt, non humano, sed diuino decreto ecclesiam Romanam & cæteris esse præpositam, & Petri priuilegia iure sibi suo vendicasse, & eam demum petram esse, supra quam Christus vniuersalem ecclesiã, aduersus quã portæ inferi prævalere nõ posſũt. Quod ni ita esset, quî potuisset ecclesia Romana tot tamq; magnis principibus repugnantibus, tã multis hæreticis contradicentibus, tã varijs ecclesijs defectionem molientibus obsistere? Quòd si cómentitia vanaq; opinione hoc Romani episcopi priuilegiũ Theologi asseruissent, non tam stabilis sentẽtia permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnà cum seculis ætatibusque hominum inueteraſſet. Etenim videmus opiniones fictas atq; vanas, viris præsertim eruditis aduersantibus, diuturnitate extabuisse. Opinionum enim commẽta delet dies, fidei iudicia confirmat. Adde, quòd Apostolicarum traditionum synceritas non posset ad nos vsque seruari, alias ecclesias hæreticis episcopis toties occupãtibus, nisi vna sedes Apostolica inter tot orbis tumultus fixa intemerataque consisteret. Adhæc cùm concilia & prouincialia & generalia sine Romani pontificis auctoritate nonnunquam errauerint, nunquam autem si Romani episcopi auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet, conciliorum atque adeò totius ecclesiæ firmitatem à Romano pótifice deriuari. De quo, quoniam in loco superiore multa diximus, illinc lector assumet, quæ ad huius argumenti explicationem pertinebunt. Atque si definienda fidei quæstione Romanus episcopus errare posset, redditur statim incerta nobis multarum hæresum condemnatio: pleræque enim non sunt damnatæ per generalis concilij, sed per Romanæ ecclesiæ iudicium & decretum. Præterea, si inter patres concilij est controuersia vel de intellectu sacrarum literarum, vel de vnoquolibet libro an canonicus sit, necne, vel de alia huius generis quæstione, ad hanc litem componendam iudicem ponere necesse est, cuius tamen, si errare possit, incertum iudicium erit. Iudex autem inter patres concilij dissidentes nullus in ecclesia nisi Romanus episcopus est agnitus.

Præterea, ecclesiæ consuetudo hoc manifestè declarat. Nunquam enim admissa est apellatio in causis fidei à sede Romana, sed hæreticos ab ea iudicatos ecclesia semper hæreticos etiam iudicauit. Et certè si Romanæ sedis iudicium fallax esset, concilij verò esset verax & certum, naturæ rationi veræque Theologiæ is aduersaretur, qui appellationem à pontifice ad concilium denegaret. Quo vno argumento ostendit Gelasius Sedem Apostolicam de tota ecclesia iudicare, ipsam verò ad nullius pertinere iudicium. Iam illiusmodi appellationes in fidei præsertim dogmate ecclesia nescit, nam ijs hæretici solùm vtuntur. Quòd si ad singulos hæreticos condemnandos opus esset congregare generale concilium, cùm id sæpenumerò non modò difficile verùm etiam impossibile sit, licebit profectò interim hæreticis impunè viuere, donec synodus è tota ecclesia cogatur. Id si alienũ esse constat à Christi prouidẽtia, fateamur potiùs Romanæ sedis auctoritatem satis esse ad hæreses reuincendas. Ita fiet, vt huius tribunalis de fide iudicium certum

tum omnino habeatur. Quid, quòd non solùm ecclesiam catholicã credimus, sed etiam Apostolicam? At ecclesia Romana patrum fideliumq; consensu Apostolica dicitur: cùm reliquæ omnes iã inde à multis annis hoc cognomen amiserint.

Sed quæris, Erit ne hæreticum asserere, Romanam ecclesiam degenerare quoq; vt cæteras posse, & Apostolicam etiam sẽ dẽ à fide posse Christi deficere? Huic quæstioni breuiter respõdemus. Nolumus hîc nos ecclesiæ sententiam præuenire, sed si ad generale concilium referatur, hæreseos nota errori illi inuretur. Nec enim video, cur, quid ipse sentiam de hac re non audeam dicere. Quam eò meliùs cernere mihi videor, q̃ & eam propiùs diligentiusq; contẽplor, & sine affectu perturbationeq; contemplor. Quòd si in hoc erro, q̃ Romanæ sedis priuilegia à Christo illi cõcessa & tueor & contrà dicentes hæreseos nomine cõdẽnandos esse credo, non solùm tutò, sed libenter erro: nec mihi errorem vtilem, quo etiam delector, sine rationis præsertim vi extorqueri volo. Nam me non solùm ratio ac disputatio impulit, vt ita crederem: sed nobilitas etiam summorum Theologorum & auctoritas. Hieronymus prophanum esse & peritum dicit, qui cathedræ Petri & Romanæ sedis fidem non fuerit secutus. Cyprianus alienum ait esse, prophanum esse, hostem esse, qui vniuersalis ecclesiæ non tenet vnitatem, hoc est, lumẽ vnum, vnde multi radij: radicem vnam, vnde multi rami: fontem vnum, vnde multi riui: petram vnam, supra quam ecclesia ædificata est: vnum pontificem, qui cęteros omnes sua & vi & auctoritate cõtineat. A quo, si radium tollas, extinguatur: si frãgas ramum, intereat: si præscindas riuum, arescat. Sic enim ille declarat. At, qui in fidei controuersia Apostolicæ sedis fidem iudiciumq; detrectat, is nec vnitatem tenere potest, nec lumen, nec radicem, nec fontem. Atque Cyprianus idem, qui cathedram, inquit, Petri, su-

De nomine Hypostaseos ad Damasum.

De simp. Prælatt.

Lib. 4. epist. 9. nona.

pra quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse non confidat. Ambrosius pro eodẽ penitus habet, catholicum esse, & cum Romana ecclesia conuenire. Gregorius sic sedis Romanæ auctoritatem in religionis fideique causa existimat esse amplectendam, vt qui noluerint, ab eius petra, supra quam Christus vniuersalem fundauit ecclesiam, soliditate conuellantur. Leo exortẽ diuini mysterij eum esse affirmat, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere, & impiam præsumptionem, quæ petræ istius firmitatem Deò ædificante constructam nititur violare.

Li. 8 exce. fra. sui. Sanct. c. 7.
12. d. c. præceptis.
19. d. ita dominus.

Nicolaus finit, quòd qui Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omniũ ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur. Nam fidem, inquit, violat, qui aduersus illam agit, quæ est mater fidei. Hãc verò Nicolai sententiam noli quæso lector contemnere. Quæ scilicet actione. 1. & 7. Synodi octauę confirmata est. Vbi & cõdemnati sunt Phocius & Michaël, qui hoc sedis Romanę priuilegium quatefacere nitebantur. Quòd si in hæresim labitur, qui Romanum episcopũ Petro successisse negat, & ecclesiam proinde Romanã cæteris esse præpositam: ecquid de illo sentiendum est, qui priuilegia Petro ob ecclesiæ vtilitatem à Christo data, priuilegia, inquam, quæ Petro vt Pontifici, doctori & pastori concessa sunt, ea ad successores quoque pertinere negauerit? At enim, doctrina sana oues pascere, fratres in fide confirmare, vniuersas gentes per os illius audire verbum Euangelij & credere, supra illum ædificare ecclesiam, vt portæ inferi non prævalerent aduersus eam, non Petro vt priuato homini, sed vt reip. Christianæ præfecto congruebant. Quocirca ambigi inter catholicos nec debet, nec verò pot, quin Romanæ sedis de fide & religione iudicia certa sint. Præterea, qui negaret in ligando atq; soluendo eãdem potestatem in Romano nunc episcopo inesse, quam

22. d. c. oẽs.

Petro

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petro Christus contulisse creditur, is iure ac meritò haberetur hæreticus: qui ergo firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos his, qui Petro succedunt, denegauerit, hic hæreticus iudicãdus erit. Adhęc, faciamus, ambiguam esse aliquam inter fideles de religione controuersiam. Tum quærimus, si Romana eademq; Apostolica sedes, vt dissidentium ecclesiarum lites disceptationesq; componat, è Petri cathedra tribunaliq; pronunciet: an sequi illius sententiam debeamus, an nõ? Si sequimur, Romana sede errante, ecclesia tota in illius errore versabitur. Si non sequimur, vbinam illud est, quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatũ & in cælis? Vbinam rursum illud, Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere? Quod igitur, saltem in rebus ambiguis, ligauerit successor Petri, id ligatũ erit, & quod in quæstione de fide proposita docuerit, hoc gentes non audire habẽt modò, verùm etiam credere. Non hîc refero, quæ Leo in huius rei confirmationem dicit. 20. d. c. de libellis. non quæ Damasus & Adrianus. 25. q. 1. c. violatores. & c. generali. Illud referam, quod in concilio Complutensi confirmato à Sixto. 4. condemnatus est Petrus Oxomensis nomine etiam hæresis, in eo quod asseruit, ecclesiã vrbis Romæ errare posse. Quem item errorem eodem quoque hæresis nomine damnauit Sixtus idem in extrauaganti aduersum Petrum Oxomen. edita. De qua quoniam in relectione de pœnitentia satis multa diximus, eò lector reuocandus erit. Coactus est igitur ille sententiã recantare in hãc formam. Consentio sanctæ matri ecclesiæ Romanæ & sedi Apostolicæ, & ore accorde confiteor illam me fidem tenere, quam dominus Sixtus papa auctoritate Apostolica & Euangelica tenet. Et omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuncio. Hactenus ex conci. Complu. Martinus verò quintus in fine concilij Constantien. sacro, inquit, approbante concilio mandamus archiepiscopis, episcopis, &c. vt qui de sacramento corporis & sanguinis Domini, vel de baptismate, seu peccatorum confessione, pœnitẽtiæ pro peccatis iniunctione, vel reliquis ecclesiæ sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentit ac docet, q̃ sacrosancta Romana ecclesia docet & obseruat, eos tanquam hæreticos iudicetis. Concilium ergo Constantien. illos esse hæreticos iudicauit, qui Romanæ ecclesiæ fidei & doctrinæ refragarentur. Illud postremò addam. Cùm ex traditionibus Apostolorum ad euincendam hæresim argumentum firmum certumq; trahatur: constet autem, si testimonia rationesq; hoc loco positas cum ijs regulis conferas, quas in. 3. lib. posuimus, Romanos episcopos Petro in totius ecclesiæ pontificatu & fidei magisterio successisse, ab Apostolis esse traditum, cur non audebimus, assertionem aduersam tanquam hęreticam cõdemnare? Sed, vt dixi, nolo ego ecclesiæ iudiciũ anteuertere. Quanquam non video anteuertere: cùm iam ipsius ecclesiæ sermo nostram omnem comprobarit de Romanæ sedis auctoritate sententiam. Sed hoc vix ægrè dico propter viros quosdam & doctos & pios, qui nos contradixerunt. Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos ecclesiæ ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum põtificem Petro in fidei doctrinæq; auctoritate succedere, aut certè astruunt Summum ecclesiæ pastorem, quicunq; tandem ille sit, errare in fidei iudicio posse. Vtrumq; scilicet hæretici faciũt, qui verò illis in vtroq; repugnãt, hi in ecclesia catholici habentur. Quamobrem non equidem intelligo, quónam consilio fideles quidam hæreticorum q̃ catholicorum opinionibus fauere malint, nam hæretici video quid sequantur: Nempè viuendi docendiq; licentiam, & in his omnibus impunitatem. Volunt sine capite corpus, vt neq; pes neq; mens suum officium faciant. Volunt sine pastore vnoues, vt cùm lupi ipsi sint, pastores tñ esse videantur. Volunt sine iudice lites, vt dissidiorũ nullus finis sit. Atq; ita cùm amoto arbitro aduersus doctos dimicent, victores à turba iudicentur. Turbari demũ omnia volunt, quoniam, vt in Hispanorũ prouerbio est, turbatum flumen piscatorum est lucrum. Nos autem communem catholicorum sententiam sequamur, turò enim sequimur, quoniam communis catholicorum est. Præterquam quòd ea sentiunt, quæ sacrarum etiam literarum testimonia confirmant, pontificum decreta finiunt, veterum sanctorum chorus concinit, conciliorum patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus ecclesiæ vsus obseruat. Quapropter, si ea quæ dixi, sole ipso illustriora & clariora sunt, si omnia dixi hausta ex ecclesiæ scripturæq; fontibus, si tota oratio nostra certis Theologiæ rationibus integrisque & incorruptis testibus omnem sibi fidem cõfirmat: assentiamur tandem, ex Apostolicæ sedis auctoritate firma Theologos argumenta sumere ad fidei Theologiæque dogmata comprobanda. De quinti igitur loci firmitate tantum dixerimus. Nunc aduersariorum argumentationes refellamus.

¶ *Cap. Octauum, Vbi argumenta capitis primi refutantur.*

ATque in illis argumentis, quæ à principio sunt posita, Theologi nonnulli, minimè mali illi quidem, sed non satis acuti, quoquomodo possunt tergiuersantur. Romanam quippè ecclesiam à Romano Pontifice discernunt: aiuntq;, hunc in fide errare posse, illam non posse. Sic sibi videntur omnia propemodùm argumenta diluere. Nam pleraq; ex illis non ecclesiæ Romanæ, sed summi Pontificis fidem impugnant. Atqui, ecclesiam Romanam isti non Romanum episcopum ab errore vindicant. Verùm, si de errore in fidei iudicio atq; decreto loquimur, vt verè loquimur, nullum ego discrimen inter Apostolicam sedem & Apostolicæ sedi insidentem inuenio. Primùm, quoniam, cùm ad sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, nõ singulos Romanæ ecclesiæ fideles interrogamus, nec ecclesiam ipsam Romanam in concilium cogimus: sed põtificis maximi iudicium quęrimus, ciusq; sententiam expectamus.

Rursum, quoniam non Romanus populus est, qui ecclesiam vniuersalem docet ea, quæ ad fidem attinent, sed Romanus episcopus. Nec potestas iudicandi de causis fidei, ligandi, soluendi, pascendi, in populo Romano est, sed in Romano pastore vicario Iesu Christi. Concilia quoq; non exigunt cõfirmationem & robur ab ipsa Romana plebe, sed à plebis Romanæ antistite. Præterea, priuilegium firmitatis, vt antè probatum est, Petro fuit peculiariter datum. Ego, inquit, rogaui pro te Petre ne deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos. *Luc. 22.* Et iterum, Tu es Petrus & super hãc petram ædificabo ecclesiam meã. *Matth. 16.* Quocirca si veræ Theologiæ rationem sequimur, quæ capite tertio explicata est, in Petro & successoribus primùm firmam certamq; doctrinam asseremus, mox verò in ecclesia Romana, cuius Petrus cum successoribus & caput & fundamentum est. Atq; illud etiam animaduerto, q̃ sicut omnibus simul episcopis docentibus errores falsos, necesse esset sanè totam ecclesiã vario errore versari: ita si pastor ecclesiæ Romanæ, errorem fidei contrarium doceret, oues quoq; errante pastore dispergerẽtur. Testimonia demũ, quæ retulimus, id ferè probant, summum ecclesiæ pontificem, Petri successorẽ & Christi vicarium, cùm de fide pronunciat, errare non posse. Quò magis illos reprehendendos iudico, qui se dirempturos cõtrouersiam putauerunt, si Apostolicã sedem ab Apostolico *Vide lib. 3. c. 5. q. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsule secernerent. Non recipit istam responsionē ratio, aspernatur, repellit. Illud potiùs sumit, errorem esse duplicem: alterum personalem, alterū iudicialem. Nec enim scholæ propria vocabula, etiā si minùs Latina sint, auersari debemus, sed malle, qđ Augustinus ait, apertos q̄ nitidos habere sermones. Error itaq; personalis priuatus est cuiusque error: iudicialis est publicus. Edidit Innocentius huius nominis. 4. in libros decretalium commentaria, si in his quicq̄ erratū est, hominis nimirum est, non pontificis, quanuis ea commentaria à pontifice edita sint. At si idem Innocentius in iudicio de fidei quæstione definiret quippiā, quod reuera falsum esset, iam hic error à publico ecclesiæ censore proficisceretur: esset́q; proinde iudicialis.

8.d. Sedulo.

Ad primā respon.

Qua ex re primum argumentum facilè refellitur. Nec enim historia fide digna docet Ioānem. 22. post summum adeptū pontificatū de eiusmodi re aliqđ definisse: quin potiùs quum ad huius rei definitionem se pararet, vt Benedictus vndecimus in extra. sua ait, morte præuentus definire nequiuit. Nec, si antequam esset pontifex errorem illum habuerit: hæreticus censendus est: sicut nec Irenæus, nec Chrysostomus, nec Theophilactus, nec Bernardus, quos re nondum expresè per ecclesiā definita, illius opinionis fuisse, sunt qui contendant: verè ne an falsò contendant, non est diei locíq; huius disputare.

Secundum soluitur.

Ad secundum etiam eodem modo respondetur. Non enim Celestinus quicquā definiuit. Verba quippe Innocentij tertij sic habēt. Licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur. Sensisse, ait, nō definisse. Sed ne Innocentius quidem definit quicquam, sed explicat sententiam & opinionem suam inquiēs, non credimus, quòd in hoc casu is qui relinquitur, possit ad secundas nuptias transire. Quod profectò verum est: quanquam per illam Innocentij decretalem non est firmiter definitum. Nec enim statim si aliquid iuris vo-

c. Quanto, de diuor.

lumine continetur, fidei dogma esse credendum est. Quod penultimo superioris libri capite latiùs explicatum est.

Tertio si latis.

Tertio verò argumento nullum negotium est respōdere. Nam verbum, iudico, frequenter in ea significatione vsurpatur, vt idem sit, quod sentio seu opinor. Quo modo Alexāder accipit, cùm ait, quosdam prædecessores suos aliter iudicasse.

Quartū latur.

At, quartum argumentum longè difficillimum est, nec potest ita breuiter expediri. Apertè enim Alexander docet, cōsuetudinem illam ciuili etiam lege confirmatam, quæ testamenta minùs solēnia rescindit, & à diuina lege, & à patrū institutis, & à generali ecclesiæ cōsuetudine alienam. Quòd autem ex auctoritate pōtificia hoc sanè loco pronunciet, illud est euidens argumentum, q̄ sub interminatione anathematis prohibet, nequis eiusmodi audeat rescindere testamenta. Vnde & capite proximè sequenti iudicibus mandat, vt in id genus causis tres duosve solummodò testes exigant, nec ciuiles leges, sed canonica decreta sequantur. Si ergo iusserit ecclesiæ pontifex & anathematis interminatione iusserit, vt nemo ea irritet testamenta, quæ duorum, vel trium testium sunt testimonio firmata: nimirum non vt priuatus quis homo, sed vt publicus ecclesiæ iudex eam quæstionem definiuit. Atqui non est Dei Euangelijq́; præceptum, quod tamen Alexander videtur astruere, vt omnes causæ tribus duobusvè tātùm testibus absoluantur. Alioqui, non solùm Leo quartus, sed Syluester etiam in Synodi Romanę capite. 3. legem euangelio Deoq́; contrariam edidissent. Decreuerūt enim, vt, nisi in. 72. testibus, non damnaretur episcopus. Qua ex re intelligitur, legem ciuilē, quæ tollendis è repub. fraudibus cauet, vt testamenta non valeant, nisi quæ septem fuerint testibus obsignata, non esse legi euangelicæ aduersam. quēadmodum ne illa quidē, quæ, vt conflatæ in episcopos inuidiæ occurreret, statuit, vt ad episcopi condemnationem

2. Quæst. 6. Nullam. 2. quæst. 6. Præsbit.

nem duo solùm testes nō sufficerent. Atq; si mortalium vita esset mediocriter instituta, moreśq; ad naturā non ad auaritiam compositi, duorum hominum testimonium idoneum profectò erat, vt quæcūq; in iudicio causa finiretur. Sed sicut iuramētum à malo est, non illius, qui iurat, sed eius, qui verum dicenti non credit: sic plures q̄ duos testes requirere, à malo quidem fuit non requirentis legis, sed hominis defraudātis. Sed hæc differere, non est huius aut loci, aut tēporis. Illud propriè huc pertinet, an Alexander errauerit.

Et quidem in decretis pontificijs duo cum primis distinguenda sunt. Vnum est, tanquam intentio conclusioq́; decreti: alterum quasi ratio & causa à pontifice reddita eius rei, quam cōstituerit. Atq; in conclusione pontificeś summi errare nequeūt, si fidei quæstionem è apostolico tribunali decernant. Sin verò pontificum rationes necessariæ non sint, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis nos à Pontificibus redditis tanquam pro aris & focis depugnamus. Alexander igitur non definit, consuetudinem illiusmodi esse diuinæ legi contrariam, sed, quod iuris peritis ferè placere video, iubet, vt in legatis pijs duo, vel tres solùm testes à iudicibus exigā tur. Hæc decreti huius conclusio est, hic finis: nec dubium est, quin rem eam pontifex iure quodam suo potuerit præscribere. Sed si in eius præscripti cōfirmationem Deuteronomij lege vtitur, hanc quippè diuinam nuncupat, si ad canonum statuta reuocat, si ecclesiæ morem affert, non est operæpretium rationes illas ad viuum resecare. Quēadmodum si concilia quædam definiant, duas esse in deitate personas patrē & filium, afferātq; in hoc illud quoq́; Genes. testimonium, Pluit dominus à Domino, non protinus in fidei iudicio errāt, quanuis ex illo loco parùm aptè Trinitas comprobetur. Extat item synodus, vbi de perpetua Mariæ virginitate pronūciatum est. Ea re suadenda referunt patres portam apud Ezechielem clausam. Irrideat si quis vult, sed ridebit tamen frustra. Non enim semper patres in fidei quæstione causas afferunt necessarias, sed interdum verosimiles. Quòd si etiā pontifices huiusmodi ponendis causis quandoq; falluntur, ne calumniandi sunt quidem, tantum abest, vt in de loci huius auctoritas infirmetur. Porrò autem, si valere quicquam iudiciū meum potest, neq; in conclusione Alexāder, neq; in causis errauit. Nam suis in vtroq́; foro subditis ferebat leges, Hostiēnsibus nempè ciuibus ac iudicibus Vellenen. Non ergo legē ciuilē, qua imperatores in regionibus suæ ditioni subiectis vtūtur, improbare volunt Alexāder: sed volunt iudices etiam laicos in ecclesiæ patrimonio nō secundùm imperatorū leges, sed secūdùm statuta canonum de testamentis iudicare. Nec enim æquū esse censet, vt in rebus temporarijs adiudicandis tam sint soliciti sacri canones, q̄ sunt leges ciuiles: honestiusque esse credit, in ciuitatibus & oppidis, quæ in ecclesiæ iure ac dominio sunt, non legis ciuilis sed canonum consuetudinem obseruari. Quo fit, vt, si decretalis huius ratio prestiùs teneatur, nō solùm in terris Romanæ ecclesiæ subiectis, sed in quibuscūq; alijs, quæ sub episcoporum ecclesiarumq́; dominio sunt, lex hæc Alexandri debeat seruari, non in his modò, quæ pietatis causa ecclesię relinquuntur, verumetiam in alijs quibuslibet legatis. Honesta ergo Alexandri lex est, sancta, legitima. Sed ne in causis erraui quidem. Nam licèt nō sint necessariæ, non sunt tamen prorsus ineptæ. Consuetudo, inquit, quę plures q̄ tres duosvè testes postulat, primùm aliena est à diuina lege, veteris scilicet instrumenti, quæ duos solùm tresue, vt plurimùm testes exigebat: aliena etiam à patrum institutis, hoc est, à more iureq́; canonico, vbi in rebus præsertim temporarijs duo testes sufficiunt: aliena denum à consuetudine ecclesię generali, quæ in eiusmodi causis duobus, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribus testibus est contẽta. Aliena autem, non quasi contraria, sed tanquam noua & extranea: ob idq; parùm in ecclesiæ iudicio probanda. Quòd si hanc animi syncéritatem dexterãq; de testibus opinionem, si hanc veteris legis ac iuris canonici consuetudinem principes seculi in tribunalibus suis sequi nolint, sed, vt fraudes tollãt, maiorem testium numerum in testamentis ciuium suorum exigãt, suo quidem iudicio liberè possunt vti, nihil enim Alexander impedit per illã epistolam decretalem: quæ nimirum eos solùm ligat, qui ecclesiæ in vtroq; foro fuerint subiecti. Sed de 4. argum. satis superq; dictum est.

Refellitur quintum. Quintum verò facillimè diluitur exijs, quæ in quarti argumenti refutatione sunt dicta. Causas enim pontifices quãdoq; adferũt, non quę cogant, sed quæ suadeãt. Nã, quia leges quasdã Synagoga olim à Deo habuit non modò ad gubernandum vtiles & accommodas, verùm etiam ad plebis cuiusq; mores ac religionem instituendã propemodùm necessarias: ecclesia eas Christi in suum vsum vendicauit. Quãobrem & summi pontifices & iuris periti horum auctoritate confirmati, leges aliquot veteres probatas rursum ac denuò restitutas ab ecclesia, diuinas vocant. Non q; Dei nunc præcepta sint, cùm lex illa vetus sit abolita, sed q; Dei præcepta fuerint, seruanda etiamnum à nobis, nó ex vi quidem veteris legis, quod falsò pontificibus doctissimis impingebatur, sed ex ecclesiæ noua institutione. Quæ tamen nouæ ecclesiæ institutio seu restitutio potiùs ex veteri diuina lege probabiliter suadetur.

Ad sextum respon. Ad sextum argumentum Turrecremata respondet libr. 2. ca. 112. nullam esse inter pontifices illos pugnam. Quin Ioannes exponit Nicolaum. Nam post verba prædicta Nicolaus subiunxit, nec his quisquam putet obsistere, q; interdum Christus loculos dicitur habuisse: infirmorũ enim personam Christus suscepit in loculis. Id verò est, quod Ioannes. 22. definuit, nempè hæreticum esse negare, Christum & Apostolos aliquid habuisse in communi: q; contrarium ex Luc. 22. Ioann. 4. & 13. Acto. 4. constaret.

Septimũ refellitur. Ad septimũ primò dicitur, quòd neuter ibi pontifex definiuit ciusmodi contrauersiam. Respõdent enim sæpè pontifices ad priuatas huius, aut illius episcopi quæstiones suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiã ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credẽdum. Certè, vt de Pelagio taceamus, Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quidem quæstionem attineat, decreuit. Non enim illi proposita fuerat quæstio, an Baptismus in nomine Christi collatus esset validus, sed an baptizatus à Pagano, vel Iudæo verum baptismi sacramentum suscepisset. Obiter autem & in transcursu, cùm huic quæstioni proposita responderet, de suo, non interrogatꝰ, adiecit, baptisma in nomine Christi conferri. Qua in re falli sine dubio potuit. Imò adeò falsus est, vt in. 4. Sentent. libro magnis argumentis ostendimus.

Deinde duo hi pontifices fortasse non pugnant. Nam Nicolaus intelligitur docuisse, quod in simili necessitate, qualis Apostolorum tempore fuit, si cætera paria sint, baptismus in nomine Christi nũc etiam ratus erit. Pelagius autem definit, citra eiusmodi necessitatẽ non valere. Quẽadmodum si nunc deesset balsamum, aut liber & calix qui tangeretur, & confirmationis & ordinis sacramenta manu solùm imposita conficerentur, vt ætate Apostolorum à principio statim fieri consueuit. At vbi non esset similis necessitas, nec ordinatio fortè nec confirmatio sine eiusmodi sacramẽtorum materia valeret. Hæc autem de baptismo in nomine Christi communem secuti opinionem diximus. Primùm enim nusquam, vt ego quidem sentio, baptisma in eam formam administratum est, Ego te baptizo in nomine Christi. Quod & D. Ambrosius & plerique alij videtur intellexisse. Sed si qua eiusmodi forma Apostoli

ma Apostoli vsi sunt, ea fuit, Ego te baptizo in nomine Iesu Christi. Act. 2. 10. & 19. Deinde, non necesse est apostolos sub alterutra illarum forma baptismi sacramentum contulisse. Nec si scriptura dicit, quicquam in Christi nomine fuisse gestum, statim cogimur existimare, his conceptis verbis rem gestã administratãq; fuisse. Exẽpla sunt in diuinis literis plurima. Illud est in promptu, In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Item, Cæsis denuntiauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu. Acto. 5. Itẽ, Paulus dicitur fiduciali ter egisse in nomine Iesu. Acto. 9. Hebræis porrò id in alicuius nomine fit, qd auctoritate ac virtute cuiuspiã transigitur. Quare qui regis loco & tãquã illius minister qdpiam agit, hic in nomine regis eam rem dicitur agere. Rectè igitur qui tanquã Christi administri in aqua & spiritu homines sanctificabãt, eos in nomine Christi baptismi gratiã exhibuisse interpretamur. Non ergo necesse est sentire, q; apostoli baptismi formam à Christo præscriptam immutarũt. Nam & hodie nos verè in Christi nomine, hoc est, loco, vi, & auctoritate baptisma cõficimus. Ac si præscripta illa formula nominis Iesu Christi apostoli baptizarũt, non putandi sunt tũ Spiritus sancti patrisq; nomẽ omisisse: sed in nomine patris & filij eius Iesu Christi & Spiritus sancti baptizasse. Quod alterius loci est demonstrare. De septimo igitur argumento satis.

In octaui argumenti explicationem multa quidem dici possent, sed nos in pauca conferemus. Sanè Gratianus. 32. quæst. 7. audaciùs sanè multò quàm disertiùs ait, illam Gregorij sentẽtiam Euangelicæ & apostolicæ doctrinæ esse contrariam. A quo ego longè dissentio. Nam, vt Romanorum pontificum auctoritatem negligamus, non possumus tamen vtriusque Gregorij & primi & tertij contemnere definitionem. Cùm fuerint ambo tum doctissimi tum etiam sanctissimi. Itaque non errarunt, quod Gratianus falsò existimauit, sed locuti sunt potiùs de ea, quæ ante matrimonium per infirmitatem inepta erat ad copulam coniugalem, hoc est, vt scholæ verbis vtamur, quæ erat impotens ad soluendum debitum. Cuius simile exemplum habes de frigidis cap. consultationi. Atque ipse idem Gregorius hoc modo sententiam suam explicat in epistola ad Rauennatem archiepiscopum, referturque à Grati. 33. quæst. 1. cap. Requisisti. Nec desunt huic argumento aliæ etiam responsiones, sed hæc & planior & expeditior est. Quam quoq; Glossꝰ. sequitur. 20. dist. cap. De libellis. in verbo, iunioris.

In nono argumento nobis Lutherani, præsertim Oecolampadius, Bucerus & Caluinus insultant. Sed pueriliter tamen. Quoniam librum illum Gelasij Romani pontificis non esse, magnis argumentis à me & animaduersum & patefactum est. Primùm enim auctor opusculi dicit, esse recẽtem altercationem de veritate duarum naturarũ in Christo. Non autem erat recens tẽpore Gelasij, sed olim profligata à Leone & concilio Chalcedonen. vbi Eutychis & Nestorij exposita sententia est. Rursum in toto libro nec Leonis, nec concilij Chalcedonensis meminit. Id quod maximè fecisset, si auctor esset Gelasius. Nã in epistola ad Faustũ huius cõcilij auctoritate libẽter vtitur, libentiùs hîc vsurus, vbi aduersarios posset tantæ synodi testimonio reuincere. Ac certè cùm Damasum contra Arium citauerit, citasset ac multò etiam magis Leonem contra Eutychem, si post tempora Leonis scripsisset. Atqui Gelasius multis annis fuit Leone posterior. Quid, quòd auctor ille Damasum nomine episcopi Romani nullo alio honoris titulo retulit, quod à more posteriorum pontificum, cùm priorum testimonia referunt, valde est alienum. Præterea eius operis auctor ad probandam vtriusque naturæ in Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto veritatem, inter magistros ecclesiæ catholicos censet Eusebium Pamphili eiusque testimonijs vtitur. Quem tamen apertissimum impietatis Arianæ propugnatorem fuisse, Hieronymus affirmat in epistola ad Pammachium & Oceanum, cuius initium est, Schedulæ. Quin etiam tanquam Arianus Eusebius hic cum suis operibus damnatus est actione. 5. &. 6. septimæ synodi generalis. In asserenda item Christi vtraque natura è patribus Latinis auctor ille solum Ambrosium refert: qui si esset Gelasius, Hilarij, Hieronymi, Augustini, testimonijs vteretur, nec quosdam Græcos ibi scriptores excitasset, qui Latinis demortui semper & sunt & fuerũt. At Gelasius scripsit de vtraq; Christi natura aduersus Eutychen & Nestorium. Non inficiamur, sed quinque libros scripsisse legitur, non hoc paruum opusculum, quod ementito titulo circunfertur. Gennadius quoque contra Eutychen scripsit, cur magis hoc opus Gelasij quàm Gennadij fateamur? Fuit etiam Gelasius quidam episcopus Cæsareæ Palestinę, quẽ Hieronymus tradit, quædam eo tempore scripsisse, sed celasse. Huic ego opusculum tribuerem, nisi quòd purum & politum sermonem dicit eum Hieronymus habuisse, qualem in hoc libello equidem non agnosco. Nisi bono & elegãti auctori contigit malus & impurus interpres. Falluntur autem qui opus hoc Gelasio pontifici Romano tribuunt, ex verbis illis, cùm sedem apostolicam vestra dilectio vnanimiter teneat, constanter prædicet, sapienterq; defendat, quo loco legendum esse fidem apostolicam, vel me non demõstrante lector probaturus est. Nec nouum est sanè, vt nomine pontificum Romanorum libri eiusmodi proferantur. Nam actione. 5. synodi. 7. Iconomachi duos libellos prodiderunt auctore Vigilio Roma. Pont. Sed falsò tamen. Atq;, vt opus constaret esse Gelasij, nihil tñ affertur. Cùm enim edunt libros de re qualibet Romani pontifices, sentẽtiam suã, vt homines alij docti, exprimũt, non tãquam ecclesię iudices de fide pronunciãt. Nonũ igitur argumẽtũ saus, vt arbitror, euidẽter confutatũ est.

Decimũ autem refutando, quæ Caietanus in illo. 27. quæstionũ opusculo dixit, non sunt hîc ea nobis resumenda, ne acta agamus, quod vetamur veteri prouerbio. Quod nũc instat, id diligẽter explicãdum est, quid videlicet consequẽtię sit, vt si super Petrum Christus ecclesiam ædificauit, Romana statim sedes cæteris esse præposita diuino iure intelligatur. Inde enim plana quoq; erit illa collectio, si Petri fidei iuxta Christi orationem non defecit, maiores ecclesiæ causæ ad Romanum sunt episcopum referendæ. Video autem, eiusmodi res planè & perspicuè expedire non posse, nisi doctum & intelligentem virum. Cuius rei tantæ tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse præ me fero. Ea enim exponenda in hoc me opere suscepisse constat, non quæ essent peruia & omniũ sermone trita, sed quæ vix adhibita etiam diligentia à doctissimis quibusq; intelligerẽtur. Quòd si succedat conatus, iure est laudãdus: sin verò non succedat, non est certè reprehendẽdus. Sed hæc hactenus. Rem iam ipsam explicemus. Primùm autẽ illud cõmemorandum est, quod aliàs sæpè diximus, quæ Petro dicta in euangelio à Christo sunt, non vt homini priuato, sed vt ecclesiæ præfecto, ea ad successores quoque sine vlia quaaut literę inuersione pertinere. Quemadmodum, quæ dñs apostolis cõmendauit æquè congruentia fidelibus vniuersis, eadem futuris Christianis omnibus in sensu literali cõmẽdata sunt: iuxta id qđ Christus ipse Marci. 13. explicuit inquiẽs, quod vobis dico, omnib⁹ dico: vigilate. Vigilare quippè ad oẽs æquè pertinet: quare, etiam si Christus id nõ adeò diserte fuisset interpretatus, vt ille explicuit, ita nos quoq; necessariò explicaremus. Pari itẽ ratione, quę dñs apostolis locutus est, ad ipsos quidem spectantia

Decimũ sic refutatur.

Vide Cai. de primat. eccle. Rom. c. 13.

spectãtia quatenus ecclesię sacerdotes: hęc non ad fideles oẽs, sed ad reliquos futuros in ecclesia sacerdotes catholici referimus. Quale illud est Luc. 22. Hoc facite in meã commemorationem. Cùm enim dominus pane & accepto & fracto, eleuatisq; in cælũm oculis deo gratias egerit, calicẽq; simul & acceperit & leuauerit, sine dubio Eucharisticum sacrificiũ, hoc est, gratiarum actionis Iudæorum ritu obtulit: ni si stultus fuit & ingratus, qui, cùm referre patri summam gratiam posset, quæ ab illo nobis acceperat summa dona eidem referendo, minimè retulisset. Iubens itaq; Apostolis suis Christus, vt hoc ipsi facerent, quod scilicet illum videbant facere, nimirum id præcepit, vt hostiam Eucharistię & gratiarũ actionis offerrent. Quod & Cyprianus ad Cecilium & Irenæus lib. 4. c. 32. diuinè exposuerũt. Quia ergo sacrificium facere sacrificorum & sacerdotũ proprium munus est, quod eo loco Dominus apostolis commẽdauit, id propriè ad futuros ecclesiæ sacerdotes spectat: nõ ad vulgus etiam mulierculariũ, quod hæretici credidere. Porrò quæ iisdem Christus, quia pastores ecclesiæ futuri erant, mandasse legimus, hæc ipsa episcopis & pastoribus succedentibus ad literam credamus esse mandata. Huius rei exemplũ est illud Matth. 18. Quæcunq; alligaueritis, &c. Et illud itẽ Ioan. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spm̃ sc̃tm̃ &c. Hanc verò regulam si sacris literis explicandis tenuerimus, vitabimus proculdubio permixtam illam & tenebricosam confusionem, quam in scripturæ intelligentia hæretici patiuntur. Quorsum hæc? Nempè, vt ea, quæ Petro in euangelio dicta sunt, aptè ac prudenter distinguamus: & si quid illi, vt priuato, congruit, hoc ad singulos fideles spectare existimemus.

De com. d. 2. c. Scripturæ.

Matth. 18. Cuiusmodi illud est, si peccauerit in te frater tuus corripe illud inter te & ipsum solum, &c. Sin verò quicquam illi conuenit, vt apostolorũ principi & ecclesiæ pastori, hoc citra controuersiam putemus ad succedẽtes in ecclesiæ pontificatu esse referendum, idq; in genuino literæ sensu. Nam & quæ legislator ciuilis suis delegatis præscribit, non ad eum solum cui viua voce loquitur, sed ad cæteros, qui illi in eodẽ officio succedunt, referuntur.

Deinde illud quoq; magnoperè aduertendum est, Romanum pontificem Petro succedere, non esse per se quidem in sacris literis reuelatum, sed aliunde cõstare: ex eo scilicet, qđ historiæ grauissimæ prodidere, Petrum apostolũ suam cathedram Romæ demũ collocasse, ibiq; cũ esset episcopus, fuisse defunctum. Hoc Velenus, hoc Sebastianus Francus, hoc hęretici quidam alij negant: quinetiam aiunt Petrum ne Romam quidem inuisisse. Quod tamen, cũ historici omnes graues prodiderint, malitiosè negatur. Nõ enim existimandi sunt isti, quod verbis negant, id mẽte sentire: nisi pueri et pueri stultu esse credũtur. Quid enim tã stultum tãq; puerile dici potest, q̃ si ea non esse olim in rep. gesta negemus, quæ gesta esse vir quisq; ante nos grauissimus affirmauit? Quòd si eius rei, de qua disserimus, auctores quęris: Dionysius vnus est in epist. ad Timoth. Dionysius Corinthiorum episcopus alter est apud Euseb. lib. 2. eccle. histo. c. 25. Tertius testis est Clemens in epist. 1. Quartus est Anacletus in epistola de ordinatione episcoporum. Quintus est Marcellus. 24. q. 1. capi. Rogamus. Sextus est Leo in concione prima de festo Petri & Pauli. Septimus est Gelasius cum concilio. 70. episcoporum. Octauus est Innocen. 3. in cap. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi. Nonus est Nicolaus. 3. cap. fundamẽta. de electi. in. 6. Decimus est Leo nonus in epistola synodica ad Petrũ Antiochenũ Patriarchã. Vndecimus, Constãtinus in edicto ante Nicænã synodũ. 96. d. cap. Constantinus. Duodecimus, Epiphanius Hęresi. 27. quę est Carpocratis. Tertius decimus Irenęus li. 3. cõ. Valẽ. c. 3. Quartus

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.q.7. Beati.

decimus, Tertullianus li. 4. aduersus Marcionem. & libro de præscr. hære. Quintus decimus, Ambrosius in oratione contra Auxentiũ de Basil. trad. Sextus decimus, Hieronymus in lib. de vi. illustri. in Petro. Decimus septimus, Egesippus. 3. libro. de exci. Hiero. c. 2. Decimus octauus Augustinus lib. 1. contra Iuli. Pelag. Postremus, Eusebius lib. 2. eccl. hist. c. 14. & 15. lib. quoque. 3. c. 2. & 25. Quibus locis etiam refert, Origenem, Caium, Papiam. Tamuerò multis & incorruptis testibus qui nó credit, is aut stultum aut hæreticum certè se esse demonstrat: vt publicam Romanæ vrbis vocem, loca item ipsa vrbis prætereamus, quæ etiamnum vitæ mortiq; Petri testimonium perhibent. His itaque positis, difficilis & perobscura quæstio facilè explicatur: quæ quidem, vt dixi, doctissimos viros ita implicuit, vt se expedire nó valuerint. Quòd enim pastor post Petrum à Christo in ecclesia suffectus, potestatem Petri ordinariam habeat, ac cætera priuilegia propter ecclesiam Petro cócessa, ex euangelio habetur: iuxta ea, quæ primo documento animaduersa nobis & demonstrata sunt. Quòd verò ille, quẽ Christus Petro mortuo suffecit, Romanus fuerit episcopus, è re gesta colligitur. Nam si Petrus semper Antiochiæ sedisset, vt cœpit, sine dubio episcopus Antiochenus illi legitimè in pontificatum successisset.

Sed & id postremò considerandũ, est enim res magna ac diligẽti contẽplatione dignissima, nó illud modò ad doctrinã catholicã pertinere, quod Apostolis expressè reuelatũ est, verũ hoc etiam, quod ex altera propositione reuelata, & altera certa in lumine naturali, syllogismo collectioneq; euidenti cóficitur. Vt Christũ dominum habere volũtates duas duoſq; intellectus, vtriusq; item actiones & creatam & increatã, aut Christum etiã ridere suapte natura, vt homines cæteros posse: in sacris fortè literis nõ habetur expressum. Sed quoniã traditũ in illis est: filium dei esse hominem, & naturali ratione constat, omnem hominem habere voluntatem intellectumque creatum, operationesque vtriusque potẽtiæ etiam creatas, omnem item hominem, vt flere, ita quoq; ridere posse. qui vnumquodlibet horũ negauerit, is hæreticus iudicabitur. Propterea quòd negando cõsequens, scilicet filium dei habere intellectũ intellectioneq; creatã, negat proinde antecedẽs, ex quo illud colligebatur, hoc est, filiũ dei esse hominẽ. Esto aliud exemplũ. Concilium Nicænũ in fide non errasse, aut Chalcedonẽse, aut Ephesinum, nec in sacris libris nec in apostolorum traditionibus explicatũ est. Sed id solũ, concilia in spiritu sancto legitimè congregata errare nõ posse. At, quòd concilũ Nicænũ, Chalcedo. Ephesinum legitimè fuerint coacta, ex diuina reuelatione non creditur. Creditur tamẽ ex humana fide & traditione historiæ fide dignæ, per quã habemus, eas synodos indicentibus & cõfirmantibus veris ecclesiæ pastoribus ex vniuerso orbe conuenisse. Vnde licèt earũ rerũ certitudo ac veritas, quæ in eiusmodi concilijs definitæ sunt, ex duobus quasi principijs pendere videatur, quorum alterum reuelatum à Deo est, concilia videlicet legitimè congregata certissimæ veritatis esse: alterum verò sola certitudine naturali credatur, per ea quæ scriptores graues & incorrupti memoriæ prodidere. At hæreticus erit, qui negarit earum synodorum scita atq; decreta, non aliter ac si negaret euangelium. Esto quoque aliud exemplum apertissimum. Quòd sacerdotes nostræ huius ætatis à veris episcopis ritè fuerint consecrati, non est sacris literis proditum: sed res gesta potiùs est, quæ ex verbis & animo consecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio, quòd humana certitudine tenemus, videlicet hos sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in ecclesia nunc sit verum

verum Eucharistiæ sacramentum. Quod qui inficiaretur, hunc ecclesia existimaret hæreticum. Tametsi illa solũ enunciatio vniuersalis per reuelationẽ accepta sit, omnes veros sacerdotes, si rectã intentionem habeant consecrandi, verũ Eucharistiæ sacramentũ cõficere. Sed, quòd ij, q modò viuũt, sint eiusmodi, nó euãgeliũ solũ, sed grauis & cõstãs naturę ratio simul cũ euãgelio probat. Ad eũdem profectò modũ, qui negauerit Romanum pontificem eãdẽ habere potestatem, quã Petrus à Christo accepit, fidei aduersarius cẽsendus est, quanuis ex euãgelio nihil aliud proximè colligatur, quã Petri successores eundem habere cũ Petro principatũ. Quia si huic euangelicæ conclusioni illam addas, episcopum Romanum esse Petri successorẽ, quã ex historijs à traditione virorum grauissimorum accepimus, manifestè colligitur Romanum episcopum & cæteris episcopis superiorem esse, & eandem habere in ecclesia potestatẽ & auctoritatem, quã habuit Petrus. Aptè igitur summi pontifices atq; prudenter testimonia illa euangelica ad Romanum episcopum sedemq; apostolicam retulerunt.

Quòd si sententia hæc nostra minùs viris doctis fuerit probata, quanquã haud scio cur probetur minùs, habemus tamen adhuc aliã huius rei explicandæ formam: vnde liqueat, pont. Roma. ex diuina institutione fuisse Petri in ecclesiæ totius pontificatu successorem, atq; adeò Romanis episcopis ea testimonia conuenire, quæ Petri probant & primatum & fidem. Diximus quippè retro, fidem nostram nõ solũ scripto, sed etiam traditione contineri. Ita, licèt Romanos episcopos Petro succedere in sacris libris non habeatur scriptũ, ab apostolis tamen ecclesiæ quasi per manus traditum est. Iã, quòd hæc fuerit apostolorum viua traditio, ex his scilicet vijs manifestè cõstat, quas in tertio libro nos vel aperuimus, vel indicauimus. Nó enim singillatim sunt nobis explicãda omnia, ne longa oratione negotium lectori facessamus. Certè huius rei illud est euidens argumentum, quòd non ante Phocã modò & Constantinum, non ante Nicænã solũ synodum, verum etiam ante quemcunq; post Neronem imperatorem, ante quodcunq; ecclesiæ conciliũ, ante quoscunq; post Petrum pontifices maximos, semper à viris ecclesiasticis Romanus episcopus Petri successor est agnitus. Atque apostolicam traditionem fuisse non obscurè tradit Anacletus Petri discipulus in epistola prima de oppressione episcoporũ, Sixtus primus ad Gallicanas ecclesias, Eleutherius ad easdem, Victor in epistola ad Theophilum, Sixtus secũdus in epist. ad Gratum episcopum, Zepherinus in epist. ad episcopos Sicilianos, Marcellus ad episcopos Antiochenæ prouinciæ, Melchiades ad episcopos Hispaniarum, Marcus in epist. ad Athanasium, Iulius ad Orientales episcopos. Nec verosimile fit, vt rẽ tam necessariam ad ecclesię vnitatem continendam, Christus dominus Apostolis suis nõ reuelarit. Si enim Moysi locus ille reuelatus est, quẽ Dominus elegerat, vt inde à Iudæis diuina oracula peterentur: quantò magis credendus est Christus Petro manifestasse, quisnã esset ille locus, vbi cõstituerat regni sui & principatum & sedẽ collocare? Atq, si vt trãsferretur ecclesia Hierosolymitana in ciuitatẽ Pellam voce dñi sunt apostoli admoniti, vt Euseb. 3. lib. eccl. histo. c. 5. & Epiphanius li. 3. con. hære. c. vltimo referunt, multò magis credemus, vt è ciuitate Antiochena Romam emigraret Petrus, cathedrãq; inde transferret, Dñi cis oraculis fuisse cõmonitũ. Quod si ita est, vt reuera est, nec aliud nisi absurdissimè credi potest, iã hinc fideles intelligãt, vnde illa vox Lutheranorũ fuerit, qua inter cęteros articulos Viuomarciæ propositos hũc etiã posuere, vt abrogaretur Romani pótificis potestas, quã sibi sumit supra cæteros epos. Intelligant rursum, quidnam illimo liantur,

Vide Inno. 1. ad concilia Carthag. & Milcuitã. Et Gelas. ad Anastas. Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erasmus in cesura epi. Hiero. quæ inscribitur de obiatio. alta. Beatus Rhena. in libru Tertulliani de præl. hære. Matthæus Palmerius & Hermánus.

liantur, qui Romani episcopi monarchiã asserunt fuisse post diui Hieronymi tempus exortam. Nam qui Phocam scribũt instituisse, Romanam ecclesiam omniũ esse ecclesiarum caput, piè quidem fortasse id, nullius enim animum ego iudico, sed imprudenter tamen scripserunt. Intelligant etiam vnde Diuus Thomas lib. 4 aduersum gentes. c. 76. affirmet, eorũ præsumptuosum errorem esse, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem vniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscẽtes. Intelligãt demũ, qua ratione Leo decimus Lutheri articulum. 25. cõdemnauerit in hæc verba. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus. Decimo igitur argumento, quoniã in eo exponendo difficultas erat maxima, non potuit à nobis verbis paucioribus responderi.

it. refellitur

Ad vndecimum verò. sic respondeo. Non est profectò admittendum, fidem etiam personalẽ Petri defecisse. Nã Petri iudiciũ in fide publicũ falsum asserere, hęresis est manifesta. Sed cũ apostolorũ nemo in fidei doctrina errare posset, id peculiare Petri priuilegium fuit, vt eius nec personalis quidem fides deficere potuisset.

Mar. 16.

Quòd enim quidam afferunt Christum Dominum recumbentium vndecim exprobrasse incredulitatem, &c. hoc Petrũ apostolum ne tangit quidem. Nam cùm Lucas. c. 24. scripsisset, mulieres vndecim apostolis eã, quæ à Domino audierant, annunciasse, nec illos credidisse mulieribus, sed earum verba deliramenta iudicasse, protinus subdidit, Petrus autem cucurrit ad monumentum. Non enim cucurrisset, nisi credidisset. Et coniunctio aduersatiua, qua euangelista vsus est, satis ostendit, Petro verba mulierum non esse visa deliramenta. Atque, oratio Christi pro Petro fusa id apertè demonstrat, Petri fidem non defecisse. At exponunt aduersarij, oralle dominum, ne fides Petri deficeret finaliter, sic. n. loquũtur, sed nullius discipuli fides hoc modo defecit. Ita oratio Christi nó in singulare Petri priuilegiũ cederet, quod non solùm Chrysostomo, Theophilacto, Ambrosio, Bedæ, sed cõtextui etiã contrariũ est. Cũ verò Ambrosius Petrũ fidem amisisse ait, nomẽ fidei pro fidelitate accipit, quam scilicet amico suo Christo non seruauit. Quanquam illud etiam est frequens, vt fides pro fidei confessione vsurpetur. At ridiculum est, vt si Christus collegium apostolicum increpasse dicitur, singulos increpasse intelligatur. Quasi verò non à prophetis sæpè populus arguatur, in quo multi essent, ad quos reprehensio nullo modo attineret. De qua re libro. 4. vberius disputatũ est. Id verò quod de Anastasio & Honorio additur, non paruam ingerit quæstionẽ. Quoniam si oratio Christi non ad Petrũ modò, verùm ad posteros quoq; Romanos episcopos referenda est, qua ratione Petri fides nec publica nec priuata deficere potuit: eadem etiam nullius successoris deficiet fides nec in iudicijs publicis nec in colloquijs aut consensione priuata. Sin verò cùm ad posteros oratio illa refertur, intelligenda solùm est de fide publica scilicet in quæstionibus fidei decernendis: temerè profectò & inconstanter eo testimonio videmur Petri fidem etiam personalem vindicasse.

Contra auctorem cõmenta. in Psalm. quæ Hieronymi titulo circũferũtur: in illud Psal. 88. Perfudisti eum cõfusione. Luc. 22.

Huic loco Albertus Pighius Cãpensis nõ aliter potuit occurrere, quã oẽs Romanos põtifices erroris nota liberãdo. Ita cõtẽdit nullum vnquã in hæresim incidisse. Atq; vt Anastasiũ in libertatem assereret, Gratianum vexauit contumeliosissimè, iurisperitis turpissimè maledixit, vt verò Honorium tueretur, sextæ generalis synodi exemplaria falsarios corrupisse, multis coniecturis suadere nisus est. Deinde etiam in eam opinionem inclinauit: vt crederet epistolam Honorij ad Sergium à

4. libro de Hierar. c. 3

Græcis

In diatriba de epist. 6. 7. Syno.

Græcis de more fuisse vitiatam: Synodũ autẽ in eo iudicio deceptam. Quin adeò duorum conciliorũ sexti & septimi acta omnia calumniatus est, ac pro sua certè virili amborum labefactauit & auctoritatem & fidem. Hæc verò Alberti opinatio, noua quidem in ecclesia est, sed eà etiam ratione confirmari potest, quòd non est verò simile, vt homini, qui hæreticus esse posset, fidei, summam Dominus commiserit. Rectum enim est regula sui & obliqui, vt Aristoteles docet, quare si fides Romani pontificis dirigere ipsum non valet, multò minùs, vt videtur, alios in fide rectos efficiet. Quid, ęp imbecillus in fide, fratres in fide confirmare nequit? Si igitur Romanus episcopus iuxta Christi pollicitationem fratres suos cõfirmaturus est, firmum ipsum esse oportebit. Quanuis autem multis in locis dicat Pighius, sicut hic dicit, satis probabiliter de summi pontificis auctoritate: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere: cui veritatem tueri ac retinere sententia est. Dicit itaque ille multa multis locis de hac re quidem, sed aqua hæret, vt aiunt. Defendat Liberium Pighius, quem tędio victum exilij in prauitatem hæreticam subscripsisse, auctor est Hieronymus in Chronicis. Excuset Marcellinum, quem timore fractum idolis sacrificium obtulisse, memoriæ proditum est. Victorem vindicet, quem Pauliniastæ suum esse mentiti sunt, vt scribit Euseb. 5. lib. eccle. hist. c. 2. Anastasium liberet, quem sine certo & probabili testimonio Gratianus hæreseos insimulauit. At, Honorium quomodo ab errore vindicabit? Quem hæreticum fuisse, tradit Pśellus in carmine de septẽ synodis, Tharasius ad summos sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & sanctæ vrbis, vt 7. synodo actione. 3. scriptum est, Theodorus cum synodo sua Hierosolymitana in confessione fidei, quæ habetur eadem actione tertia, Ephiphanius respondens hæreticis in conspectu concilij eiusdem actione. 6. tomo. 2. tota demum ipsa. 7. synodus actione vltima & in epistola ad omnes sacerdotes & clericos. Adrianus quoq; Romanus ipse pontifex in actione. 7. Synodi octauæ generalis, de Romano (inquit) pontifice quenquam iudicasse non legimus: licèt enim Honorio ab orientalibus post mortem Anathema sit dictum, sciẽdum tamen est, quòd fuerat super hæresi accusatus: propter quam solùm licitũ est minoribus maiorum suorum motibus resistere. Hactenus Adrianus. Vbi etiam addit, sententiam in Honorium latam ex Romani Pontificis consensu fuisse. Id quod exploratum est in. 6. syno. generali actione, quarta. Vbi Agatho in epistola ad concilium Honorium ipsum anathematizat. Beda item, de natura rerum c. 67. in sexta synodo (ait) Macharius cum suis sequacibus simul & præcessoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pyrrho, anathematizatus est. In libro præterea pontificali refertur Leo secundus sextam synodum suscepisse, in qua condemnati sunt, Cirus, Sergius, Honorius. Atque in fine sextæ synodi ponitur epistola Leonis ad Constantinum, vbi post susceptum cõfirmatumque concilium Anathematizamus (inquit) Cirum, Sergium, necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed prophana proditione immaculatam fidem subuertere conatus est.

Præterea illud caput. si Papa. 40. distin. quod pro nihilo habet Campensis, nos maximi habere debemus. Quoniam ille vnus casus, in quo oues pastorem suũ iudicare possunt, scilicet cùm fuerit hæreticus, habetur, vt alia loca præteream, in quinta synodo Roma. 218. episcoporũ, in hæc verba. A multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum est, vt oues pastorem suum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tauerit,præsumat. Idem tradit Anacletus in epistola.3.de patriarchis & primatibus inquiens.Pastor ecclesiæ, si à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus,quàm distinguẽdus,quia rectores ecclesiæ à domino sunt iudicandi. Idẽ Eusebius docet ad episcopos Aegyptios, referturq;.2.q.7.c.oues.Idem Ioannes Papa in epist.ad Zachariam. Idem in 8.syno.traditum est,vt nunc nunc referebamus. Refert etiam Burchardus.li.1.c.13.138.139.Calixtum,Clementem, Gagum in hanc eandem sententiam.Non est igitur negandũ, quin summus põtifex hæreticus esse possit,cuius rei exemplum vnum & item alterum forsitan proferetur,at quòd in fidei iudicio contra fidem definierit, ne vnum quidem proferri potest. Itaq; obiectioni positæ hoc responsum habeto. Aliud est in Petro,quod spectat ad hominis priuatam excellentiam,aliud quod pertinet ad communem ecclesiæ vtilitatem. Quòd negarit Christum,hominis erat, quòd cõfirmaret fratres,erat ecclesię. Illud proprium,hoc cõmune erat. Similiter, quòd fides Petri propria semper interiùs seruaretur, hominis priuilegium erat, quòd vero alijs confirmandis solidam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret,ecclesiæ publicum priuilegium erat.Romanus igitur episcopus non fuit hæres aut priuilegiorum aut culparum Petri propriarum:quæ videlicet ex accidenti,publicæ Petri potestati cõiungebãtur,sed successit in his,quæ spectabant ad ecclesiæ cõmunes & necessarias commoditates. Nã priuilegia Apostolis à Christo cõcessa,aliter ad ipsos,aliter ad successores referũtur. Quippè in Apostolis fuerunt etiam priuilegia personalia amplioris gratiæ quàm in posteris.Vt, verbi causa, per illa verba, quæcunq; ligaueritis super terram,&c. & per illa, sicut misit me pater & ego mitto vos,&c.intelligimus,potestatem generalem in vniuersum orbẽ Apostolos suscepisse.Ita pares Petro dicuntur.21.dist.c.In nouo. & 24.q.1.c.loquitur. Sed episcopi posteriores non successere Apostolis in potestate generali extraordinaria,sed in ordinaria,quam singuli in suis ecclesijs Apostoli habuerunt. Vt Simeon Iacobo in ecclesia Hierosolymitana, &c. Esto aliud exemplum. Ex verbis illis, ego rogabo patrem,& alium paracletum dabit vobis,vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis: rectè quidem Theologi colligũt,Apostolos post spiritus sancti aduentum in gratia confirmatos.Cæterùm non ita transijt hic spiritus in episcopos succedentes,vt in eis æternum maneat per gratiæ confirmationem,Quod Apostolis ex priuilegio personali donatum est, sed id solùm transijt ad posteros ecclesiæ pastores, quod necessarium erat ad ecclesiæ cõmunem vtilitatem.Sic omnino priuilegiũ fidei indeficientis,quod in Petro personale etiam fuit, ad episcopos Romanos trãsmissum est,non in eo,quod Petri erat peculiare,sed in eo,quod commune erat ecclesię.Vnde & aliæ obiectiones repelluntur, quæ pro Alberti sententia positæ sunt. Non enim fides interior Romani pontificis ecclesiæ est necessaria: nec illius occultus & priuatus mentis error ecclesiæ Christi nocere potest.Quapropter non est necesse, vt in interioris fidei conseruatione Romanis pontificibus Deus semper assistat.At, q, dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda sunt,dumq; ecclesiã Christi in fide dirigunt, non deficiant, sed diuina manu teneãtur:id ecclesiæ opus est, idq; proinde Romanis episcopis etiã imbecillis & aliàs priuatim errantibus nõ negabitur: ne videlicet per publicæ potestatis errorem ecclesiam faciant in communi veritatis ignoratione versari. Vndecimum igitur argumentum abundè,ni fallor,confutatum est. At postremo argumento refutando illud non sunt lectores admonendi, est enim in promptu, malos vrbis mores,si quos fortè vrbs malos habeat, *Postre. obiectur.*

beat,non esse huius loci defendere. Non sumus tam rudes & stupidi, quàm Lutherani nos esse calumniantur.Oculos etiam nos eruditos habemus,sed modestos tamen. Scriptum est enim,quòd Patris nudata verecunda boni filij auersi veniendo texerunt.Auersari autẽ id dicimur, quod reprobamus.Quid autem est,filios verenda patris superiecto dorsis pallio auersos operuisse, nisi vt Gregorius ait, bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicere,vt tamẽ hæc ab alijs occultent? Operimentũ,inquit, auersi deferunt,quia iudicantes factum & venerantes magisterium,nolunt videre quod tegunt. Sic magistrorũ vitam discipuli probi iure apud se taciti reprehendunt, & eos,etiam cũ displicent,venerantur.Super cathedram, inquit Christus,sederunt scribæ & pharisęi: quæcunq; dixerint vobis facite,secundũ verò opera eorum nolite facere. Sed hæc hactenus.Illud est potiùs lector admonendus, vt animaduertat, Romanas consuetudines,alias esse Romæ cum tota ecclesia communes:quas videlicet ex apostolorum Petri & Pauli traditione creditur accepisse. De quibus Augustinus in epist.ad Ianuarium, numero.118. multa, sed plura fusiùs Innocentius primus in epistola ad Decentium tradit. Aliæ verò sunt consuetudines, quas ecclesia Romana vel à se habuit priuatim institutas,vel à Petro quidẽ Apostolo accepit, non tamen in vniuersum orbem promulgandas. De quibus Augustinus disertè loquitur in epis. 86. ad Casulanũ,& in epist. 118. 119.ad Ianuariũ. Priores igitur consuetudines, quas ecclesia Romana non modò tenet,verùm etiã ab vniuersa ecclesia docet esse seruandas, omnino tenere debemus: vt Iulius. 11. d. cap.nolite.& Innocẽtius ea.d. c. quis nesciat.&Calixtus.12.d.c.non decet.& Gregorij ea.d.c.præceptis.docuerũt.Posteriores verò ecclesiæ Romanę consuetudines non oportet priuatas ecclesias sequi, vt Diuus Augustinus locis positis tradidit, & Nicolaus.12.d.c. Scit. & Gregorius ea. d.c.nouit. Idemq; omnino traditur.31. d. c.quoniam. &.c. aliter. In vna enim fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa:vt habetur de con.d.4.c.de trina. Atq; de huiusmodi consuetudinibus & Ambrosius & Hieronymus intelligendi sunt in ijs locis,quæ sunt obiecta.Illud vero,quod ex Trullana synodo affertur,facilè diluitur. Quoniam,vt superiore libro latiùs explicatum est, synodus hæc nullã habet in ecclesia auctoritatem, in his præsertim,in quibus cõtra ecclesiam Romanam Græca se contentione erexit. Nec conciliorum conatus de legibus aut feredis aut abrogandis quicquã valet,nisi summi pontificis decreto & sententia confirmetur. Et consuetudinem illam de ieiunio sabbati ex his esse constat, quas in posteriore genere collocauimus: vt etiã Ambrosius dicit.12.d.c.illa. Quocirca:vanè de hac re à Concilio Trullano ecclesia Romana reprehenditur. Sextus igitur liber hunc in modum absolutus sit, quẽ plus fortasse nimio longum fecimus: tametsi non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Gene. 9.

Ex Mora. 622.

dist. illa.

¶ *Sexti Libri finis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE SANCTORVM AVCTORITATE, QVAE SEXTO loco continetur, Liber septimus.

Caput primum.

SAnctorum auctoritas sexto iam loco nobis constituenda est, quã hæretici, maximè Lutherani de gradu deiicere moliuntur. Ac primùm quicquid antiqui sancti asserunt, incertũ esse suadent D. Aug. plurimis testimonijs, quæ retulit vniuersa Grati. 9. dist. decre. ex procœnio libri tertij de tri. ex lib. ad Vincen. victo. 2. ex epistola ad Hier. 19. ex epistola item altera ad Marcelli. 7. ex epistola rursum ad Vincen. 48. ex epistola quoq; alia ad Fortuna. 111. ex lib. de nic̃. 2. de bap. contra Dona. cap. 3. His enim locis omnibus sui Augustinus similis idem dicit, hoc est, præter auctores sacros, qui libros scripsere Canonicos, alios omnes ita legendos, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; polleant, non ideo verum sit putandum illud, quod asseruerint, quia ipsi ita senserunt: sed quia nobis vel auctorum sacrorum testimonio, vel probabili ratione id persuadere potuerunt licereq; proinde contrà atque illi sentire, & salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere. Hoc autem Diui Augustini testimonium tam constans tamq; multis locis nõ obscurè repetitum si verum esse credimus, fatea mur necesse est, nullum omnino à sanctis auctoribus firmum argumentum sumi posse, ad fidei theologiæ vè dogmata corroboranda. Id quod Diuus Thomas Diui Augustini auctoritate confirmatus 1. parte. q. 1. ar. 8. ad. 2. arg. planè testatur in hæc verba, Auctoritatibus canonicæ scripturæ vtitur sacra doctrina ex necessitate argumentando, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiæ probabiliter arguendo. Atque eius rei causam etiam subdit, quòd innititur fides nostra reuelationi factæ ijs, qui canonicos libros scripserunt, non autem reuelationi si qua fuit alijs doctoribus facta. Quòd si duo hi testes clarissimi contemnuntur, si ratio quoque D. Thom. contemnitur, rationibus certè alijs minimè contemnendis id ipsum confirmari potest. Nam si in libro canonico vna quælibet falsitas inueniretur, quemadmodum superiore quodam loco argumentabamur, totius libri certitudo interiret. Cùm ergo in libris sanctorum scriptorum vnam, & item alteram falsitatem liceat reperire, vel in his etiam, quæ ad fidem pertinent, fit consequens, vt sanctis scriptoribus certãm fidem habere nõ sit necessarium, Scio, inquit Hieronymus, me aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam vt homines aberrare.

Num. 1.

Præterea, ne de singulorum auctoritate disseratur, quam incertam esse satis exploratum haberi potest, maius aliquid aduersarij conficere argumentando volunt. Nempè sanctos scriptores, etiam si pleriq; in eandem sententiam conueniãt, probabilem quidem fidem facere posse, certam non posse.

Nam plurimi ex eis asseruere, mundi huius partes omnes non eodem simul die, sed multis potiùs fuisse editas, ornatas, absolutas. Asseruit certè id Bas. homilia 2. exameron & alijs sequentibus. Euse. in principio suæ chronographicæ, Chrys. homilia secunda super Genesim; Dama. lib. 2. suæ theologię, Ambr. lib. 1. Exameron. cap. 7. Greg. 32. moralium cap. 10. Sed & mag. senten. in. 2. dist. 12. & 13. Hieronymum in hanc sententiam citat. Posset autẽ facilè tum Bedá, Rabb. Strab. tũ alios huius ordinis viros commemorare, qui communi sensu opera illa, quę Geneseos 1. cap. enarrantur, sex diebus succedentibus condita esse intellexerunt. At communis hic sanctorum consensus nullum argumentum certum theologis subministrat, quin vnius Aug. opinio cæteris omnibus aduersa probabilis semper in ecclesia est habita: non itaq; ex communi sanctorum sententia firmum argumentum promitur, quo conclusiones theologicę aut etiam fidei dogmata confirmentur. Atq; huius rei, vt in eodẽ versemur, vlriad quoq; exẽplum proferre possumus. Plurimi nãq; ex sanctorũ scriptorũ numero tradiderunt, Moysen dei naturam, dùm in hoc mortali corpore viueret, apertè &, quod dici solet, ad faciem nõ vidisse. Tradit ita Hier. ad Damasum papam in sextũ cap. Isaiæ, Greg. Nazanzenus. 2. lib. suiæ Theologiæ, D. Greg. 18. moralium cap. 36. Chrys. homilia. 14. in Ioannem, Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 22. Euseb. Papa in. 1. suæ epistolæ decreta. Dio. in lib. de mystica Theo. cap. 1. Orig. lib. 1. periar. c. 4. At opinio Augu. contraria non modò non est reiecta, verũ etiam habetur apud Theologos probabilissima. De communi igitur sanctorum consensione nihil certi in theologia conficitur, id quod hoc etiam argumento confirmari potest.

in cpist. ad Theophilũ aduersus loannitas ro. 1. num.

Augustinus sequutus est Basilũ ho. 1. Ex. & Ambrosiũ l. 1. Ex. c. 2.

Num. 2.

Sancti nanque omnes, qui in eius rei mentionem incidere, vno ore asseuerarũt, Beatam virginem in peccato originali cõceptam, hoc videlicet Ambr. astruit super psal. 118. concione. 6. hoc Aug. super Psalmum. 34. in illũ versiculum, Ego autem cum mihi molesti essent, &c. & lib. secundo de baptismo paruulorum capit. 24. & 10. super Genesim; ad literam capit. 18. & lib. 53. contra Iulianum cap. 9. hoc Chry. super Matthæ. hoc Eus. Emis. in. 2. concione Natiuitatis Domini, hoc Remigius super Psalmũ vicesimum primum, & Maximus in sermone de Assumptione Beatę virginis astruxere. Idem quoque affirmat Beda in homilia super Missus est. Anselmus in lib. cur deus homo cap. 16. Bernard. in epistola ad Lugdunenses. 174. Erardus episcopus, & martyr in concione quadam de Natiuitate Beatæ virginis, sanctus Antonius Paduanus in concione etiam de Natiuitate eiusdem sanctæ virginis, sanctus Barnardinus in sermonum suorum opere tertio in tractatu de Beata virgine concione. 4. Diuus Bonauentura. 3. senten. distinctio. 32. quæstio. 1. artic. 2. Diuus Thom. 3. parte. quæst. 27. articu. 2. Diuus Vincen. in sermone de Cõceptione Beatæ virginis. Diuus Anton. 1. parte. tit. 8. 2. Dama. lib. 3. sententiarũ suarum, Hugo de sancto victore de sacram. parte 2. cap. 4. & dum nullus sanctorum contra venerit, infirmum tamen ex omniũ auctoritate argumentum ducitur: quin potiùs contraria sententia & probabiliter & piè in ecclesia defenditur. In Argumentum illud Achillicum, quo Erasmus omnium etiam sanctorum testimonio non se existimat obruendum, siquando vniuersis repugnauerit. Cuius sententiæ ratio etiam illa suffragatur, q̃ sancti vniuersi, præter auctores sacros, qui libros scripsere Canonicos, humano spiritu libros suos ediderunt. Nã si spiritu sancto inspirante ipsi etiam locuti sunt, nihil videtur obstare, quo minùs eorum libri in Canonicis habeatur. Infimus igitur hic locus est, quo sanctorum auctoritas continetur. Humana enim veritas firma & certa esse non potest. Omnis quippè homo mendax. Osiander verò. 1. lib. Anno. in armoniam euangelicam illud argumentum addit, quòd omnes veteres commentatores à tẽpore apostolorũ, id quod Matthæus

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Christo affert, ex Aegypto vocaui filiũ meum, in genuino literę sensu ad Israëlem referunt, iuxta allegoriam verò ad Christum. Cùm tamen, vt ait, allegoria, vtcũque fingatur, constare nõ queat. quòquo enim te vertas, nihil simile videtur esse, prę terquàm quòd vtrique fuerunt in Aegypto. Ita cõtendit, literę sensum à principio capitis de Christo Dño esse, qui Rex Israëlis est, & aurorę meritò cõparatus. Quòd si in sacrarum literarum expositione sancti omnes errant, horum certè auctoritas firmum argumentum theologis exhibere non potest. Ecce argumenta quibus aduersarij nostri locum hunc aggredi & expugnare contendunt.

Caput secundum.

Num. 1. NObis autem pro eius defensione vehemẽter pugnandũ est, illudq; in primis ponẽdum, de auctoritate sanctorum, tripharìam disputari posse. Primùm de vnius aut alterius proprio placito, quale fuisse videtur Augustini de opere sex dierum. Rursum de communi plurium sanctorum consensu, à quo tamen vnus aut alter sanctorum desciuerit. Postremò de omnium vnanimi concordiq; sententia, nam de his omnibus facta in argumentis mentio est.

Augustinus secutus est Orig. 1. Peri. Origenes verò Clem. Ale. 6. Stroma.

Num. 2. Id rursum considerandum est, sanctorũ testimonia referri posse vel ad philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones aut fidei aut Theologiæ comprobandas. Erant enim ex sanctis scriptoribus quidam non in sacris literis modò & alijs quæ ad Christianam pertinebant disciplinam, eruditi verũ etiam in his, quæ philophi tum de natura tum de moribus docuere.

Num. 3. Illud demum & quidem diligentissimè est aduertendum, inter auctores etiam ecclesiasticos duo esse disputationum genera. Alterum earum rerum, quæ verè ad fidem spectant doctrinamq; catholicã: Alterum earum, quæ citra iacturam pietatis ignorari non ab imperitis modò, versũ à doctis etiã possunt, quod nec fidei dogmata sunt, neque ex illis deriuantur.

Hæc autem duo rerum genera non est facile discernere, quoniam & si nonnulla, quæ alioqui per se quidem ad fidem pertinebant, vt Apostolis, Propheus, atque euãgelistis reuelata, in dubium venire possint, antequàm sint ab ecclesia definita: sed id tamen per ignorantiam fit, qua videlicet excusantur, qui ea vertunt in quęstionem, quæ aliàs diuinitus sunt tradita, vt processionem spiritus sancti à patre & filio tanquam ab vno principio ante ecclesiæ definitionem Græci quidam negare sine culpa potuere, tametsi euangelium id Apostolique tradiderunt. At hæc nos sub priori genere complectimur: quippè cùm fidei catholicæ dogmata non ex accidenti imprudentium hominum ignorantia, sed ex diuina reuelatione hoc sanè loco metiamur. Illud ergo asserebamus esse difficile ad discernendum, ecquę res sub illud primum genus, ecquæ autem sub hoc secundum sua quasi sponte, & natura veniant. & quidem generaliter vnaque comprehensione in promptu definire licet, in illo primo rerum genere omnia ea contineri, quæ apostoli vel scripto vel verbo ecclesiæ tradiderunt: illa rursum, quæ inde certa connexione probantur existere. Quemadmodum in secundo genere ea sunt, quę neque à Christo neque ab apostolis accepimus, neque ex ijs certò colliguntur, quæ Christi & apostolorum auctoritate retinemus. At omnia hæc speciatim certa definitione præscribere vix possumus, quanquam exemplis peculiaribus quædam horum indicare possumus. Vt verbi causa, an gratia, qua iustificamur, qualitas quædam sit animo impressa, quæ ipsi præstet & esse & viuere, vnde qualitates aliæ consequantur, hoc est, virtutes quædam tum theo

theologicæ tum morales infusæ, per quas animus diuinas & supernaturales habeat actiones, inter scholasticos quidem disputatur. Item an Sacramenta, quæ causa gratiæ & virtutum esse dicuntur, huiusmodi effecta vi quadam, & qualitate inexistente diuinitus indita efficiant nec ne, magna multorum dissensione certari solet. Huius generis verò quæstiones inposteriorum ego numerum redigo, neque sacrarum literarum testimonia de his qualitatibus intelligenda esse existimo: neque controuersiam catholicorum cum Pelagianis de gratia ad credendum, ad sperandum, ad amandum, ad implendum legem, ad perseuerandum, de qualitatibus potissimùm esse, sed de Dei auxilio gratuito & speciali. Rursum, si quis fortè curiosè disserere voluerit, an euangelista Ioannes è vita iam excesserit, an potiùs cum Elia & Enoch maneat viuus, vtque iam mortuus fuerit, an caro eius viderit corruptionem, an proximè fuerit suscitatus, vtrinque rationes afferre poterit: & salua fide vtrumlibet vel probare vel improbare. Nam tametsi statutum sit omnibus hominibus semel mori, sed vnum aut alterum ex illa generali lege per priuilegium eximere, non perinde sacris literis aduersatur: vt non queat in dubium reuocari. Tria verò hæc principia, quoniam per se ipsa rationi consentiunt, non est opus diligentiùs persequi: nam si quæ sunt perspicua, in quibus non est controuersia, viri docti argumentari non solent: perspicuitas enim, vt ait Cicero, argumentatione eleuatur. His itaque omnium assensu approbatis prima conclusio est.

Caput tertium.

Num. 1. SAnctorum auctoritas siue paucorum siue plurium cùm ad eas facultates affertur quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat: sed tantum pollet, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit.

Primum quidem, quòniam sancti auctores non erant adeò soliciti in Philosophiæ dogmatis perscrutandis, quin philosophorum libros, vt totos sese diuinæ sapientiæ dederent, aut valere sinebant, aut etiam interdum à limine salutabant. Gregorius quippè Nazanzenus & Basilius tredecim annos omnibus libris secularium remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dedisse referuntur à Ruffino libro ecclesiasticæ historiæ suæ secundo. cap. 9. & Hier. in procemio commentariorum. 3. lib. super epistolam ad Galat. plusquam quindecim anni sunt, inquit, ex quo in manus meas nusquam gentilium literarum quilibet auctor ascẽdit: & si quid fortè inde dum loquimur obrepit, quasi antiqui per nebulam somni recordamur. Et de studijs nostrorum paulò pòst, quotusquisque, ait, nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros nouere vel nomẽ. vix in angulis ocio si eos Senes recolunt. Rusticanos verò & piscatores nostros totus orbis loquitur, vniuersus mundus sunt. Hactenus ille. Plura exempla non quæro, cùm manifestius hoc sit quàm vt pluribus indigeamus.

Accedit quòd ex sanctis, antiquis nonnulli Physicen & Metaphysicen vel non habuere quidem, vel certè leuiter attigerunt. Alij verò magna ex parte fuere Platonici priusquam conuerterentur ad fidem. Quamobrem cùm in Philosophiæ quæstiones incidunt, aut vulgi & Rhetorum opiniones sequuntur, aut etiã quas à Platonicis acceperant, in Christianorum scholam inuehunt. Ita viri docti errores fortè quosdã (quod ad Philosophiã quidem humanam attinet) in sanctis antiquis deprehendunt. Atque huius rei exempla proferre facillimum esset, sed non libet etiam in his paruis maiores nostros

Universidad de Deusto
Biblioteca

designare.

Num. 2. Secunda conclusio, Vnius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his quæ ad sacras literas & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmũ verò nõ potest. Ita despicere, & pro nihilo habere impudentis erit: suspicere & habere pro certo, erit omnino imprudentis Atque hanc conclusionem demonstrat ratio illa manifesta, cui nulla prorsus via occurri potest. Quòd cùm sanctorum quisque, his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo errarit, quod ad fidem spectare postea demonstratum est: apertè constat ex huiusmodi auctoritate exploratam fidem fieri non posse. Quo in loco admonẽdi sunt hi, qui præceptis Theologiæ nullis acceptis post bonas, quas vocant, literas statim ad sanctorum veterum lectionem appellent animum. Non enim quæcunque ibi legerint, ea sunt probanda omnia. Nec quenquam hoc errore duci oportet, vt si quid Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamque huius temporis fecerint locutive fuerint idé sibi arbitretur licere.

Primùm, quoniam res nonnullæ non erant tunc adeò in ecclesia definitæ, vt nunc esse videmus. Deinde, quoniam magnis illi & diuinis bonis quandam licentiam faciendi dicendique assecuti sunt, quæ non est passim cuilibet permittenda. Atque etiam si nostra hac ætate illi fuissent, quędam profectò aliter & facerent & loquerentur. Quid? quòd, vt antè dicebamus, in rebus quoque ipsis, quæ ad fidem attinent, sancti nonnunquàm errauere? à quibus si ne transuersum quidem vngue discedendum sit, necesse est sanè in magnos quandoque errores fidei etiam aduersos incurrere.

Num. 3. At Gela. 15. distinct. decre. cap. sancta Romana probat opuscula Cypriani, Chrysostomi. Gregor. Nazanzeni, Basil. Ambrosiij. Nihil ergo in his fidei catholicæ contrarium reperitur. Alioqui cur Ruffini opera non eodem modo ibi probata sunt, sed potiùs reprehensa: quod Hieronymus eum in quibusdam de arbitrij libertate notauit? Cur item Origenis libri damnantur, non etiam Ambro. aut Cypria. si hi quoque in nonnullis fidem orthodoxam contrà dixerunt? Aut igitur damnẽtur omnes, in quibus error aliquis doctrinæ sanæ contrarius inuenitur, aut probentur omnes quamlibet vno, & item altero errore sint aspersi. His videlicet argumentis Gloss. 9. dist. decre. docet, ea Diui Aug. testimonia, quibus certa fides veteribus derogatur, intelligenda esse secundũ illa tempora, cũ scripta sanctorum patrum authentica nõ erant, libet enim verba Glossæ vsurpare. Sed hodie, inquit, iubentur omnia teneri vsq; ad vltimum iota. Verùm hic error ab alijs confutatus nõ desiderat orationẽ meã. Quid enim? An Num. 4. hoc agere Gelasius voluit, in veterũ libris nõ esse quicquam erroris? Atqui laterem, vt aiunt, lauerit quisquis isthuc conetur. Hanc siquidem fœlicitatem deus in solis diuinis voluminibus inesse voluit, quẽad modum Aug. grauissimè ac verissimè tradidit. Cætero qui nemo quantumuis eruditus & sanctus nõ interdum allucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoq; labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hęreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore & sensũ pœnę et doloré fuisse negauit. Sãctus fuit, qui in Chiliastarũ dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterij culpã vxorẽ repudianti alterũ matrimonium cõcessit. Sanctus fuit, qui animis piorũ vsq; ad iudicij diem veram fœlicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animã hominis ex traduce esse putauit. Sãctus fuit, qui aiam Adæ ante corpus fuisse editã opinatus est. Sancti fuere, q angelos multis ante mũdũ corporeũ æternitatibus creatos esse existimarunt.

runt. Atque horum opuscula à Gelasio comprobata sunt. Hos ego tamen reuerentiæ causa proprijs nominibus non appello. Malo enim antiquitati sanctitatique parcere, quàm otioso lectori facere satis. Legentur itaque à nobis patres veteres cum reuerentia quidem, sed vt homines cum delectu atque iudicio. Quòd si quis aliter sapit, nec sanis consilijs acquiescit, hic iam non sanctorum religione, sed sui ipsius amore capitur. & sub veterũ nomine nouas opinationes inuehere conatur. Qua de re Vincẽtius Lirinen. O rerum, inquit, mira conuersio. Auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores verò hæretici iudicantur. Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli. Quod quidem mihi diuinitus promulgatum videtur esse iudicium propter eorum maximè fraudulentiam, qui cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerunque veteris cuiuspiam viri scripta paulò inuolutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo congruant: vt illud, quod proferunt, nec primi, nec soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam odio dignam iudico. Quòd sancti cuiusque viri memoriam tanquam sepultos iam cineres prophana manu ventilant, & quæ silentio operire oportebat, rediuiua opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit. Longè aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam reuerendi patris nec suis temerare oculis, nec alienis patere voluerunt: sed auersi, vt scribitur, texerunt eum. Quod est, erratum sancti viri nec adprobasse, nec prodidisse. Hactenus Num. 5. ille. Ac rursum. Quid, inquit, si in ipsa vetustate duorum, aut trium error deprehendatur? Curabimus omnino, vt paucorum insciticæ vniuersalis concilij decreta præponantur. Quæ si desint, collatas inter se maiorum sententias lector consulat eorum, qui diuersis licèt temporibus & locis, in vnius tamen ecclesiæ catholicæ communione ac fide permanentes magistri probabiles extiterũt. Et quidquid non vnus aut duo tantùm, sed omnes pariter vno eodemque consensu apertè, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit: id sibi quoque intelligat absque vlla dubitatione credendum. Hęc Vincentius Lirinen. non minùs prudenter quàm verè dicit. Quibus ex rebus Caluini Num. 6. calumnia facilè retunditur, qua apud regem Galliæ Franciscum, vt Lutheranorum impudentiam excusaret, Catholicorum innocẽtiam traduxit. Cùm enim Lutheranis verissimè ac grauissimè obijceretur, quòd patrum essent vbiq; & contemptores & aduersarij: multa, ait Caluinus, ignorarunt sancti illi viri, sæpè inter se confligantur, interdum etiam secum ipsi pugnant. Tum deinceps quotquot patrum errores colligere potuit, falsò etiam illis affictos enumerat, quæritq; cur nos item à patribus discedamus? Nos autem D. Augustini partitione primùm vtimur, qui libro aduersus Iulia. 1. capit. 2. alia sunt, inquit, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores salua fidei compage non consonant: alia verò, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta. In prioribus illis à patribus nos quandoque discedimus: in posterioribus Lutherani. Ac nos quidẽ modestè ac reuerẽter oculos à patrum errore auertimus: Lutherani autem patres, aut irridendos, aut certè despiciendos propinant. Deinde nos ab vno interdum aut altero patrum dissentimus: at Lutherani ab omnibus consentiẽtibus sæpè dissentiunt. Aliud est autem vnius, aut duorum sanctorũ priuatũ dogma repellere, quod hac secunda conclusione aliquando licere dicimus, aliud verò contra omniũ communem fidem & doctrinam dicere, quod quatenus liceat & quomodo, sequẽtibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

conclusionibus demonstrabitur. Si priùs tamen explicatum fuerit quid sibi ecclesia velit, cùm sanctorum patrum libros approbat. Id nanque à nobis in hac fortè disputatione desideratur. Nondum enim argumenta diluimus, quę illius Glossę opinionem confirmabant.

Num. 7. Ecclesiastici auctores etiam probatissimi nõ eodem gradu & loco sunt omnes. Nec magnoperè conandum est eorum hic stultitiam refellere, qui libris canonicis Hieronymi, aut Augustini opuscula æquarint. Quemadmodum autem res à Deo conditæ probatę quidem fuere vniuersæ (vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona) sed rerum variæ differentesque naturæ non eundem locum, vim, stabilitatem accepere. Nam sunt corpora cælestia & corpora terrestria. Sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. 1. Corinth. 15. Sic sanè scriptores ecclesiastici probati sunt, qui scilicet Spiritus sancti illustrati luce, ecclesiam ipsi illustrarunt. Sed alia tamen claritas Matthęi, alia Hieronymi, alia Isaiæ, alia Ambrosij. Atque auctores canonici, vt superni, cælestes, diuini perpetuam stabilemque constantiam seruant. Reliqui verò scriptores sancti inferiores & humani sunt, deficiuntque interdum, ac móstrum quandoque pariunt præter conueniẽtem ordinem institutumque naturæ. Quin ergo probatur Eusebius Cæsarien. episcopus? Quin Ruffinus? Quin Origenes? Nam & hi ecclesiã Christi suis literis illustrarunt. Nempè aliud fuit errare in rebus obscuris, & quæ non erant eo tempore explicatæ ac definitæ: aliud in apertis, & quæ tunc etiam in ecclesia firmissimè credebantur. Illud aut Cypriano, aut Ambrosio, aut Augustino accidit: hoc Origeni, Eusebio ac Ruffino. Cyprianus item, Ambro. Hierony. in nullo à sanctæ Romanæ ecclesiæ consortio deuiarunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius gratia semper fuere participes, vt Gelasij verbis etiam vtamur, at Origenes deseruit vnitatem, & fons Arij iure ac merito existimatus est. Hinc schismaticus à Gelasio dicitur. Hinc etiam Eusebius Origenis laudator nimius, Arij fautor acerrimus reprehenditur. Nam Ruffinus vir alioqui religiosus præterquam quòd in libero arbitrio re videlicet manifestissima errauit: Origeni Origenisque discipulis vehementer fauisse conuincitur. Fuit autem ecclesia semper non solùm cauta, sed etiam acris & seuera in Origenistas, vtà quibus grandem in doctrina ecclesiastica pestem fuerit experta. Sed de secunda conclusione satis. Iam pergamus ad reliquas.

Num. 8. Tertia conclusio, Plurium sanctorum auctoritas, reliquis licèt paucioribus reclamãtibus, firma argumẽta Theologo sufficere & præstare non valet. Id quod ex secundo argumento antè posito satis ostenditur. Angelos quoque esse corporeos, Augustinus ac pauci quidam alij inter veteres sanctos asseruerunt: & quanuis opinio hæc falsa sit, sed tanquam fidei aduersa ex communi veterum sententia euinci non potest. At Thomas Vualdẽ. in procemio doctrinalis fidei anti quæ docet, quòd maior pars patrum ab apostolis senserit, id esse catholicæ ecclesiæ fidẽ. Idem quoque Vincentius Lirinen. tradit in libr. aduersus prophanas nouationes. Vera sunt hæc, non inficior. Sed tunc, cũ vnius aut paucorum contrariam sententiam ecclesia penitus explosit: vt illorum qui putarunt ab hæreticis veniẽtes esse iterum baptizandos: illorum etiam, qui Melchisedech non hominẽ quẽpiam, Sed Spiritũ sanctum esse dixerunt. Vtrũq; enim horum post ea tẽpora ecclesia semper exhorruit. Porrò autẽ si vnius, aut paucorum opinatio non fuerit ab ecclesia reiecta, tum plurimorum auctoritas, quẽad modum

modum diximus, nihil certum firmumque conficiet. De tertia igitur conclusione hactenus.

Num. 9. Quarta conclusio, Omnium etiam sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidẽ probabilem facit: certam tamẽ non facit. Quam ego conclusionẽ postremo illo argumẽto abũdè probatam existimo. Quòd enim ea cõtrouersia non sit ex illarũ numero, quæ catholicam fidẽ, aut ꝓmouere, aut immouere possint, vel ex eo perspicuũ est, q̃ beatã Virginem à peccato originali fuisse penitus liberam è libris sacris iuxta germanũ literę sensum nusquam habetur. Quinimò lex generalis in eis traditur, quæ vniuersos filios Adam carnali scilicet propagatione creatos sine vlla exceptione complectitur. Nec verò dici potest, per traditionem apostolorum id in ecclesiam descẽdisse. Cùm huiusmodi traditiones non per alios quàm per episcopos illos antiquos & sanctos auctores apostolis succedentes ad nos vsq; peruenerint. At constat, priscos illos scriptores nõ id à maioribus accepisse. Traderent eñ bona fide & ipsi posteris suis. Non igitur ad fidem illud attinere potest, quod neq; in sacris literis, aut apostolorum traditionibus inuenitur, neq; ex eis certa valet cõnexione confici. Cęterùm, q̃ opposita etiam assertio, hoc est, Diuam virginem peccatũ originale à parentibus contraxisse, non sit in numero dogmatum catholicorum, manifestissimè colligitur ex eo, q̃ à lege vniuersali per singulare priuilegium vnã Dei matrem excipere, sacrarum literarum fidei nullo pacto aduersum est. Alioqui cùm sacræ literæ in vniuersum clament, non videbit me homo & viuet, Deum nemo vidit vnquam, qui Paulum aut Moysem excepisset, sacras literas contra pugnasset. Atque ea causa est, nisi toto cælo animus meus errat, quamobrem nec Sixtus quartus, nec concilium Lateranen. sub Leone. 10. nec synodus Triden. sub Paulo & Iulio tertijs inchoata eam quæstionem definierunt. Neutram enim ex illis opinationibus poterant tanquam dogma catholicum approbare. Ita is errauit qui asseruit, erroneum esse aliquem præter Christum à lege illa originalis peccati liberare. Errauit ac multò etiam magis Basiliense concilium, cùm definiuit, doctrinam illam, quæ docet Beatam virginem Mariam nunquam originali subiacuisse peccato tanquam consonam scripturæ sacræ ac fidei catholicæ amplectẽdam fore, nulliq; de cætero licitum esse in contrarium docere. In pari quippè errore versantur, qui alterutram partem ad catholicam fidem attinere posse credunt. Difficile est hoc dicere. Credo, si in concione quæratur, at hoc loco & disputatione facillimũ. Non enim hîc cum vulgi imperitia certamus, sed eos instituimus, qui veræ germanæque Theologiæ solidam & expressam effigiem tenere cupiunt, nec fugientes vmbras persequi. Propositum est autem, veri reperiendi causa & contra nostros & pro alienis etiam dicere: &, cùm res postulat, vtrosque nullius accepta persona reprehendere. Atque in eo opere maximè, quod ad ecclesiæ publicam vtilitatem cudimus, priuatis non debuimus affectibus inseruire. Nec deerunt post hæc etiam ex viris planè doctis, qui me obiurgent; erunt etiam qui vituperent: quòd in quæstionem multis nominibus inuidiosam consultò & cogitatò inciderim, vt rem aliàs grauissimam nullius in Christiana religione esse momenti asseuerarem. At ego & beneuolos obiurgatores placarẽ, & inuidos vituperatores confutare possum: vt alteros reprehendisse pœniteat, alteri didicisse se gaudeant. Non mihi, fateor ingenuè, alia via patuit ad illud Erasmi argumentum eludendum, quo sanctorum auctoritatem acutè ille quidem tentauit eludere. Nec fuit integrum, quod hæreticis semper proprium fuit, antiquorum patrum libros corrumpere, & bonam

Universidad de Deusto
Biblioteca

& bonam etiam partem voluminum detruncare, vt ore saltem reclamante licèt conscientia possem, Bernar. Aug. Ambro. aliosque item patres in ea fuisse opinione negare. Quid enim prodest, si verum scire cupis, sanctorum testimonia membranis inscripta radere, cum animo insculpta abolere non possis? Porrò si, vt sanctorũ auctoritatem in doctrina catholica tueremur, quod erat ecclesiæ Dei apprimè necessarium, quorundam opinationes, ne dicam factiones, asseruimus non esse ad fidem & mores necessarias, quid est, per Deum obsecro, quòd nos ea de re valeat quisquam aut admonere amicè, aut inimicè insectari? Atq; hæc quidem hactenus in quartæ conclusionis confirmationem dicta sint. In qua etiam causa habemus testem satis idoneum & grauem Vincen. Lirinen. in libro aduersum prophanas nouationes. Vbi antiqua, ait, sanctorum patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed sorum in fide regula magno nobis studio & inuestiganda est & sequenda. Id quod quinta cõclusione explicandum est. In qua, quoniam huius loci cardo vertitur, & si multa præterea eunda, multa tamen dicenda sunt & ad cognitionem sacrarum literarum vtilissima, & ad scholæ vsum necessaria.

Num. 10. Quinta igitur conclusio est. In expositione sacrarum literarum communis omnium sanctorum veterum intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborãdas. Quippè cùm sanctorum omnium sensus Spiritus sancti sensus ipse sit. Quam ego conclusionem magnis quidem argumentis cõfirmatu rus sum, & quæ, nisi me fallit animus, controuersiam decernere ita possint: vt inter catholicos vltrà referri quæstio nequeat. Aggrediar autẽ ad eam rem, si priùs pauca quasi de fama Caietani dixero. Ego virum hunc, vt sæpè aliàs testatus sum, semper feci maximi. Plurimùm enim ecclesiã Christi suis literis iuuit. Longum est autem hominis commẽdare siue eruditionem, siue ingenium: molestum etiam vniuersa ipsius opera commemorare. Illud breuiter dici potest, Caietanũ summis ædificatoribus ecclesiæ parẽ esse potuisse, nisi quibusdã erroribus doctrinam suam quasi cuiusdam lepræ admixtione fœdasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenij dexteritate cõfisus, literas demum sacras suo arbitratu exposuisset, fœlicissimè quidem ferè, sed in paucis quibusdam locis acutiùs sanè multòq; fœliciùs. Nam & vetustæ traditionis parum tenax, & in sanctorũ lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui nõ suo sensu illa, sed maiorum traditiõe, vera scilicet verbi Dei claue, aperuerunt. Ita, quùm pluriima scripsisset egregiè, verùt ad extremum omnia, & nouis quibusdã scripturæ expositionibus aliorũ, quæ vel grauissimè dixerat, aut deuauit, aut imminuit certè auctoritatẽ. Inuitus quidẽ facio, vt doctissimum virũ nomine etiã expresso reprehẽdã, sed, cũ nominis ac gloriæ celebritas hoc loco à Lutheranis obijceretur, notandam temeritatem putaui. Atq; error, in quem incidit, est eiusmodi, vt eũ ego submouere omni ratione debeam, nec sine summi tamen viri aperta reprehensione possim. In initio siquidem commentariorum in Genesim, si quãdo, inquit, occurrerit nouus sensus textui consonus, quãuis à torrente doctorum sacrorum alienus, æquum seprębeat lector censorem. Et paulò pòst, nullus, ait, detestetur nouũ sacræ scripturæ sensum ex hoc q̃ dissonat à priscis doctoribus; non enim alligauit Deus expositionẽ scripturarũ sacrarum priscorum doctorũ sensibus: sed scripturæ ipsi integræ sub catholicæ ecclesiæ cẽsura. Alioqui spes nobis & posteris tolleretur exponẽdi scripturam sacram, nisi transferendo, vt aiunt, de libro in quinternũ. Hactenus ille. Ac re vera sequi maiores nostros per omnia & in illorũ vestigijs nos quoq; pedes nostros figere,

Sit à priscorum sententia discrepet & abhorreat, ut si uerè cõtrarietur, nonens sit necesse est. De hoc autem Caietanus loquitur, ut patet. Num. 11.

figere, vt pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud, quàm ingenia nostra damnare, iudicio nos priuare nostro & facultate inquirẽdæ veritatis. Sequamur veteres, bene habet, sed vt duces nõ vt dominos. Non enim fidei nostræ dominaturi sunt, nec illis ita debemus esse addicti & mãcipati, vt sacris literis exponendis nullũ habeamus arbitriũ. Hoc scilicet argumẽto Caietanus moueri potuit, vt quintæ cõclusioni aduersaretur. Nam Lutherus crassioribus cõiecturis cõmbueri solet. In prologo siquidẽ assertionis suorũ articulorum patrũ auctoritate dicit neminẽ esse cogendũ, quòd in omniũ scriptis multi inueniantur errores, sæpè sibi ipsis pugnẽt, sæpè inuicem dissentiãt, & scripturas torqueant. Leges autem interpretandi verbi Dei nullas patitur. Quòd verbum Dei non debeat esse alligatum, sed liberum. Quodq;, eiusdem sit leges condere & interpretari. Quare homines legum quidem humanarum certos interpretes esse posse, diuinarum autem nullo modo. Hanc eandem sententiam tenuit Vuitcleffus apud Thomam Vualden. lib. doct. fi. anti. doctri. 3. eandem quoque Petrus Abailardus tenuit in ipso statim suarũ disputationum exordio: vt auctor est Diuus Bernardus in epist. ad Innocen. numero. 190. Ecclesiasticorum doctorum, inquit Bernardus, vnam omnium de hac re Petrus Abailardus dicit esse sententiam, & ipsam ponit ac spernit, & gloriatur se habere meliorem, non veritus contra præceptum sapientis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri. In eadem etiam erroris naui fuere Arius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, vt septima synodo actio. 1. Anathematismo. 7. Basilius ipse fatetur. De Ario certè eiusq; discipulis habes testem Alexandrum Alexandriæ episcopum lib. 1. histo. tri. cap. 14. Nestorius autem dum eloquens fuisset, & se putaret doctum, libris antiquorum interpretum dedignaba tur incumbere, omnibusq; se meliorem putabat esse, vt lib. 12. hist. trip. cap. 4. refertur. Eadem etiam via ingressus est Paulus Samosatenũ Eusebio auctore lib. 7. ecclesiasti. historiæ. c. 26. Seueriani quoq; eadẽ via ingressi sunt, vt idem Euse. lib. 4. eccle. histo. c. 29. testatur. Quid verò Vincentius Lirinen. aduersus prophanas nouationes de Origene referat, nõ pigebit adscribere: vt vel hoc vno exemplo viri pij sacris literis exponendis discant esse modesti. Cùm igitur is auctor Origenis ingenium, eruditionem, eloquentiam, virtutesque alias admirabiles extulisset: hic idem, ait, tantus ac talis dum gratia Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget sibiq; satis credit, cùm paruipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria contemnẽs quædam scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit vt de se quoque diceretur: si surrexerit in medio tui propheta, &c. Deute. 13. Hæreticorum itaque & schismaticorum communis fuisse videtur Caietani illa sententia. Nec ego hìc tamen hæreticos volo argumentando reuincere. Quid enim illis facias, qui eadem impudentia & apostolicæ sedis iudicia & conciliorum dogmata & apostolorum traditiones & sanctorum omnium doctrinam contemptere? Aduersus Caietanum omnis oratio susc ipitur à nobis, qui, vt erat ingeniosus, nostras rationes expenderet: vtque erat pius, auditis grauissimis testimonijs minimè refragaretur. Atque nobis vnum sat erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. Sed Caietanus auctoritatem contemnit, ratione pugnat: patietur igitur rationes meas cum sua ratione contendere. Quanquam à philosophis quidem rationem philosophicæ conclusionis iure forsitan postularis, in sacrarum autem literarum intelligentia maioribus nostris debes nulla etiam ratione reddita credere: & quas sententias de lege, de fide

Num. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de fide deq; religione ab illis accepisti, defendere. Ego verò eas defendam semperq; defendi. Nec me ex eo sensu, quem à patribus accepi, vllius vnquam ratio, aut docti, aut indocti mouebit. Sed age ratiocinemur, ostendamusq; in expositione sanctarum scripturarum concordem antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse catholici. Sed priùs tamen quid maiores nostri de ea re senserint, explicemus. Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo quid didicerim nō modò Theologorum ratiocinationibus, verùm etiam testimonijs antiquitatis.

Num. 13. Epist. 5.37. dist. c. Relatum.

Clemens in primis ad discipulos Hieroso. Relatum est, inquit, quosdam docere, non secundùm traditionem patrum, sed iuxta sensum suum. Multas enim ex his quæ legunt secundùm ingenium hominum verisimilitudines capiunt. Ideò diligenter obseruandum est, vt lex Dei non secundùm propriam intelligētiam doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quē sibi quisq; sponte præsumpsit. Quod fieri nō oportet. Nō enim sensum, quē extrinsecus attuleritis, alienū & extraneum debetis quærere, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideò oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secūdùm veritatem sibi traditam seruat: vt & ipse posita ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Hactenus Clemens. Qui & lib. 10. recogniti. (si liber hic modò recipitur) documentum hoc à Petro apostolo se accepisse testatur.

Dionysius item. 1. ca. lib. de cælesti Hierar. Ad sanctissimarum, ait, scripturarum intelligentias prout illas à patribus accepimus contuendas pro viribus pergamus. Accedit eodē testis locuples Irenæus, qui etiam scribit lib. 4. cap. 63. expositionem legitimam scripturarū per traditionem maiorum accipiendam.

Hære. 61.

Epiphanius rursum, cùm hęreticos, qui se vocabant apostolicos, refutat, scripturę, inquit, speculatione indigent, ad cognoscendam vniuscuiusq; argumenti vim & facultatem. Oportet autem & traditione vti, non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Hęc Epiphanius. Traditioné autem sine dubio vocat intelligentiam & sensum à patribus acceptum. Illam enim clauem verbi Dei esse, auctor est Petrus, apud Clementem libro. 10. recogni. hanc autem legisperiti habuisse dicuntur, ad quos, scilicet traditiones Moysis & seniorum quasi per manus venerant.

Clemens verò Alexandrinus Stroma. lib. 7. qui aduersus ecclesiasticam traditionē scripturas interpretantur, hos regulā veritatis amisisse affirmat. Et postea eodem quoq; lib. de hæreticis differens, gloriæ, inquit, tenētur desiderio, q ea quæ ex sua natura cōueniunt sermonibus diuinitus inspiratis tradita à beatis apostolis & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias tractationes, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni. Nam inter eos viros qui tanti erant in ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum à Martione, Prodico & similibus, qui non sunt ingressi recta via? neque enim eos, qui præcesserunt, superare poterant sapientia, vt aliquid adinuenirent ijs quę ab illis verè dicta sunt. Sed bene cū eis actū esset, si scire potuissent ea, quæ priùs sunt tradita. Atque Origenes tractatu in Matth. 29. Quoties hæretici, inqt, canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere, Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & ecclesiastica traditione, necaliter credere, nisi quemadmodum per successionem ecclesiæ Dei tradiderūt nobis. Hæc Origen.

Ambrosius quoq; tertio ad Gratianū de fide libro, seruemus, ait, præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus, librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, *Alij legunt* *designare.* signatum

Cap. 7.

signatum à confessoribus, & multorū iam martyrio consecratum?

Hieronymus insuper in epist. ad Euagrium, reuolui me, inquit, ad veterum libros, vt viderem quid singuli dicerent, vt tibi quasi de multorum consilio respōderem. Et deprehendi, horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse, vt dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananæum. & post multa, quæ narrare longissimum est, Habes, ait, quæ audierim, quæ legerim de Melchisedech. Meum fuit recitare testes, tuum sit de fide testium iudicare. Quòd si omnes repuleris, tuum certè illum spiritualem interpretem non recipies, qui tanto supercilio & auctoritate Melchisedech Spiritum sanctum pronunciauit, vt illud verissimum comprobarit, quod apud Græcos canitur: imperitia confidentiam, erudi tio timorem creat. Et in Danie. 12. cap. Scripturæ, inquit, sanctæ intelligentiam absq; Dei gratia & doctrina maiorum sibi impenetrabilem vel maximè vēdicant. Et in epistola illa ad Pauhinum celebri multis & testimonijs exemplisque & rationibus elegantissimè docet, neminem in scripturis sacris sine præuio & monstrante semitam posse ingredi. Id quod Clemēs Alexan. 5. Strom. lib. docuerat. Et Cicero, in vniuersum nulla ars, inquit, literis sine præceptore & interprete percipi potest. Is autem ad sacras literas sine doctore aggreditur, qui neglecto sensu antiquorum patrum, arcanam scripturam ex suo interpretatur.

Vide etiam eundē Aug. in prooem. lib. de doct. Christ.

His etiam similia concinit Augustinus in libro de vtilita. cred. ad Honoratum. c. 7. cùm enim sacros iste libros sine aliena ope & legere & intelligere se posse arbitraretur, ita ne est Augusti. ait? Nulla imbutus poëtica disciplina Terentium sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta possit intelligi, tu in sanctos libros sine duce uruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam. & cap. 17. Si vnaquæque disciplina inquit, quanquam vilis & facilis, vt percipi possit, doctorem aut magistrū requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm diuinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere? Hactenus Augustinus. Gregorius etiam lib. 28. mora. cap. 9. hanc etiam conclusionem confirmat, exponens de sanctis doctoribus illud, super quo bases illius soli datæ sunt.

Vnum his Cassiodorum adijciam in procœmio lib. diuinarum institu. differentem in hæc verba. Ad diuinā scripturam ascendamus per expositiones probabiles patrum, velut per quandam scalam visionis Iacob, vt eorum sensibus prouecti, ad cognitionem dñi efficaciter peruenire mereamur. & lib. eod. cap. 11. Sunt nonnulli, ait, qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid noui vt periti videantur, inueniant. Et cap. eiusdem libri. 25. Cuncta, inquit, quæ antiqui expositores probabiliter dixerunt, solicita mente tenenda sunt: illa verò quæ ab eis intacta sunt relicta, ne infructuoso labore fatigemur, primùm rimanda sunt, quas virtutes habeant, aut ad quæ nos instituta perducant.

Adde huc quoque Grego. Nazan. & Basil. qui vt libr. 11. Eccles. histo. Ruffinus tradit, diuinarum scripturarum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorū scriptis & auctoritate secuti sunt. Quos & ipsos ex apostolica successione intelligentiæ regulam suscepisse constabat. Hactenus ibi. Atq; hæc satis erant homini modesto, vt in nostram sententiam induceretur. Nam clarissimis monumentis cōtestata cōsignataq; antiquitas quem non moueat? Certè cùm Clemētem, Dionysium, Irenæum, Epiphanium, Nazan. Basil. Ambro. Hierony. August. Cassiod. Bernar. audio vnū idem proferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidem & sanctissimorum attamen

Cap. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum,me audire sententiam: sed Catholicæ Ecclesiæ,cuius illi fuere columnę præcipuæ.Nec enim aliud viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, q̃ quod communiter ecclesia catholica sentiebat.Sed habemus præterea grauiores testes ad huius rei fidem plenã & integram faciẽdam. Dixerit enim fortasse quispiam testimonia ferè illa,quæ retulimus, aduersum Lutheranos magis q̃ Caietanum facere. Non enim hic adeò fuit insolens, vt aut omnino veterum magisterium contemneret,aut eorũ in sacras literas cõmentaria. Negauit solùm communem antiquorum intelligentiam certam esse lineam,ad quam intelligentias nostras semper dirigere debeamus. Id quod nondum adhuc videmur refelliſſe. Verùm, vtcunque hæc habeant, placet mihi iugulum causæ petere,ac propiùs conferre pedes, vt Caietani error certissimis argumentationibus refutetur.

Num.14. Primùm autem in synodo sexta generali sess.11.ob id damnati sunt Origenistæ, quòd easdem expositiones, quas hic nouas Caietanus infert, conati fuerint contra maiorum traditionem inuehere. Multa alia, ait Sophronius,extra apostolicam atque paternam traditionem asseruerunt paradisi plantationem proijcientes,in carne Adam formatum fuisse nolentes, ex eo Euam formatam fuisse vituperantes, serpentis sonitum refutantes. Hactenus ille. Est autem probata hæc Sophronij epistola Synodica actione. 13. eiusdem sexti conci.generalis.

Deinde Canon.19. Synodi Trullanæ sic habet.Oportet eos,qui præsunt ecclesijs,clerum & populum docere ex diuina scriptura colligentes intelligentias & iudicia veritatis,& non trãsgredientes iam positos terminos,vel diuinorum patrum traditionem. Sed etsi ad scripturam pertinẽs cõtrouersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo ecclesiæ luminaria & doctores suis scriptis exposuerunt, & maiorem ex his laudem assequantur,quàm si ea quæ à se dicũtur, componant. Ne dum quandoq̃ ad id hæsitant, ab eo quod conuenit excidant. Hactenus concilium Trullanum.

Adhæc, cùm de intelligentia illius testimonij Ioannis Euangelistæ,ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum,&c. inter fideles quæstio esset exorta,eaq̃ ad Viennen. Conci.referretur,Clemens concilio præsidens ita loqui tur. Nos ad sanctorum patrum & doctorum communem sententiam apostolicę considerationis aciem conuertẽtes, sacro approbante concilio declaramus,&c. Sedes ergo apostolica & Vienn. concilium cùm de fide & intelligentia sacrarum literarum pronunciant,sanctorum communem sensum tanquam Thesei filum tenent,eosq̃ quasi duces intelligentiæ sequuntur.

Ioan.19.

Clem.1. de sum. Trini.

Concilium quoq; Lateranen.sub Leone decimo actio.11.præcipit omnibus,qui Euangelicam veritatem populum docturi sunt,vt sanctam scripturam iuxta interpretationem doctorum,quos ecclesia,vel vsus diuturnus approbauit, explanent. Nec quicquam eis proprio sensu contrarium aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ à præfatorũ doctorum interpretationibus non discordant.

Est præterea idem definitum apertiùs in synodo Tridẽ.sess.4.in hæc verba.Decreuit sancta synodus ad coercenda petulantia ingenia, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram scripturã ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, aut etiam contra vnanimem consensum patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat.Hactenus concil.Tridẽ. Poteram huc addere decretum quintę synodi ex Iudone titulo.11.lib.2.c.14.Alterũ etiam simile concilij Meldẽ.ca.11.ex Burch.libro.1.

bro.1.cap.61.sed multa prætermittimus,ne disputatione longa negotium lectori facessamus. Sed enim è sacris quoq; literis ad eiusdem rei confirmationem habemus testimonia non pauca. Ac primum illud ex Ecclesiastico.c. 8. non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.Deinde illud apostoli ad Ro.12. non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuiq̃ sicut Deus diuisit mensuram fidei:habentes donationes secundùm gratiam differentes, siue prophetiam secundùm rationem fidei,&c.Illud verò constat Prophetæ vocabulum Apostolo vsurpari nõ modò pro eo,qui futura videt atq; prænũciat,verùm etiam pro eo qui Spiritus sancti dono prophetarum, Christi,apostolorũ,oracula intelligit & exponit.Iubet autem Paulus, vt qui eiusmodi munus in ecclesia susceperit,primùm quidem nõ plus sapiat quàm oportet,sed ad modestiam & tẽperantiam sapiat:deinde,vt prophetiam habeat secũdùm rationem fidei.Hoc est.Ne sacris literis exponendis humani acumen ingenij, aut naturæ vim rationemq; sequatur, sed eas iuxta fidem à maioribus acceptam,& huius fidei proportionalem rationem interpretetur. Nam philosophos quidẽ poteris forsitan exponere iuxta rationẽ scientiæ nulla etiã adhibita fide,at sacros libros, sobriè sine maiorum fide & doctrina non poteris. Sed & qui explicando Aristotele veteres omnes peripateticos pro nihilo haberet, & his magna consensione reclamantibus ex philosophi sententia paradoxum nusquam auditum noua nobis interpretatione præscriberet,parum ille sobrius haberetur.Multò verò etiam magis qui in apostolorum libris suopte ingenio nouas quasdam sententias comminiscitur, easq̃ apostolorum discipulis & antiquis omnibus interpretibus aduersas hic non est profectò cur satis sanus habeatur. Sed de se-

Num.15.

cundo testimonio satis.

Tertium.1.ad Corin.14.habes,Prophetæ,inquit, apostolus,duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Ne quis autem à reliquis temerè dissentiat: non est autem,ait, dissensionis Deus sed pacis,idest,non eius qui à consentiendi vnitate defecerit, sed eorum,qui in consentiendi pace permanserint, vt Vincen. Lirinen. exposuit. Sicut in omnibus,inquit, ecclesijs sanctorum docco,hoc est, Catholicorum.Quæ ideò sanctæ sunt, quia in sanctorum communione persistũt.Ac ne quis tandẽ harum rerũ iudiciũ ad se vnum despectis cæteris reuocaret, paulò pòst addit. An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? Si quis videtur esse propheta,aut spiritualis,'cognoscat 'quæ scribo vobis', quia domini sunt mandata. Mandatum vtiq; est, vt si quis est spiritualium rerum magister, summo studio vnitatis cultor existat: vt nec opiniones suas communibus reliquorum omnium præferat,& ab vniuersorum sensibus non recedat. Id fiet autem,si duo præcepta teneantur. Vnum,vt sacrarum literarum interpres semper in priores spectet: à quibus verbum Dei processit in posteros. Huius enim rei apostolus Corinthios monet inquiens, an à vobis verbum Dei processit? Alterum, vt ne sensum suum tenaci contentione defendat, sed priùs reliquos ecclesiæ doctores consulat, vt si viderit omnibus id probari quod sentit, tutò iam teneat:sin reprobari, tutò iam deferat. Hoc enim significat apostolus dicens, aut in nos solos peruenit? Sic enim mihi planè videor Pauli sentẽtiam interpretari.Quòd si hoc apostoli testimoniũ videbitur cuipiam ad suadendum magis quàm euincendum idoneum: cum illo non existimarim equidem contentiosa disputatione certandum. Nec enim vel ipsi credimus, omnia argumenta quibus vtimur,esse palmaria. Quartum porrò eiusdem apostoli testimonium grauissimũ est.Habetur au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem ad Ephe. 4. in hæc verba. & ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, vt non simus iam paruuli fluctuãtes, & circũferamur omni vẽto doctrinæ in nequitia hominũ, in astutia ad circunuentionẽ erroris. Quæ quidẽ Pauli verba, quoniam in tertio loco vberiùs explicata sunt, leui nunc brachio attingemus, quantumq; satis erit ad id, de quo nunc agimus, confirmandum. Ex his itaq; verbis planè intelligitur diuinæ prouidẽtiæ fuisse, vt non solùm prophetarum, apostolorum, & euangelistarum codices haberemus: verùetiam sanctorum doctorum in illos commentaria. Ob eã enim certè causam, post prophetas, apostolos, & euangelistas ecclesię à Christo doctores dantur, vt illorum sacros hi libros interpretentur. Hos ergo in ecclesia Dei diuinitus per tempora & loca procuratos quisquis in scripturæ sensum eundem conuenientes cõtempserit, non hominem contemnit sed Deum: à quo in id illi fuere destinati, vt populum Christianum sacras prophetarum, apostolorum euangelistarumq; literas edocerẽt. Quòd si sancti omnes dum illas interpretarẽtur, errarũt: Deo auctore erraret ecclesia, cùm doctores sibi à Christo datos sequeretur, & in sacrorum codicum intelligentia eorum vestigijs insisteret. Nec me clam est Paulinum Augustinumq; in epistolis. 58. & .59. Prophetas in hoc Apostoli testimonio non eos accipere, qui ante domini aduentum futura prædixerant, quorum nos scripturas vt canonicas ac diuinas retinemus, sed illos, qui in ecclesia Christi tẽpore apostolorum prophetandi gratia eminuere. At, quoniam vtrosq; ecclesiæ à Christo datos negare non possumus: nihil mirum videri debet, si neutros ab apostoli verbis excluserimus. Sed quærat hic forsitan aliquis. Cùm sit perfectus scriptu-

Vincen. Li rinen. & quærit & respondet.

rarum canõ sibiq; ad omnia satis superq; sufficiat, quid opus est vt ei sanctorum & intelligentia iungatur & auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sui & altitudine & obscuritate non vno eodẽq; sensu omnes accipiunt, sed aliter atq; aliter alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines, tot illinc sentẽtiæ erui posse videantur. Aliter nanq; illam Nouatus, aliter Sabellius, aliter Arius, aliter Donatus exponit. Quocirca necesse est, vt propheticæ & apostolicæ interpretationis linea propter tam varij erroris anfractus secundùm normam aliquã dirigatur. Ob id ergo post prophetas, apostolos & euangelistas, sanctos quoq; doctores accepimus: quò eorum catholicam, hoc est, vniuersalem intelligentiam, tanquam ecclesiæ regulam à Deo præscriptam sequeremur. Præclarè igitur illud adiectum est. Ad cõsummationem sanctorum, in ædificationẽ corporis Christi, ne simus paruuli, &c. Ac de verbis quidem apostoli hactenus. Nunc Salomonis vnicum testimonium addemus, quod si diligentiùs expendatur, multùm conferet ad eam rem, de qua disserimus, corroborandam. Verba sapientium, ait, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi. Quæ per magistrorum concilium data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras. In quẽ locum Hieronymus, exceptis, inquit, his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, & à concilio atque consensu probata sapientium, nihil tibi vendices, maiorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes. Hæc Hieronymus. Nos verò, quis ille vnus pastor sit, per Ezechielem intelligimus. Suscitabo, ait, super ea pastorem vnum, qui pascat ea, ipse erit eis in pastorem. Ne autem existimares q̃ ipse per se Christus hoc semper esset facturus, per Hieremiam monet inquiens, dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos sciẽtia & doctrina. Quòd autem verba sanctorum data fuerint ab illo pastore vno, talis tantusque omnium

Aduersus quos dicta sit recẽsitrare.

Ezech. 34.

omnium consensus ostendit, nec enim intelligere idem omnes vna mentẽ possent, nisi vno eodemque Christi spiritu in ea vnitate continerẽtur. Vnde diuinè ait Salomon, per magistrorũ conciliũ data esse à pastore vno. Sanctos quippè antiquos sapientes fuisse, nemo negat, ecclesiæ fuisse magistros certò constat, à Deo fuisse ecclesiæ datos, Christi erga ecclesiam prouidentia manifestat: datos esse vt apostolorum, prophetarum euangelistarumque oracula exponerẽt, Paulus innuit: ab vno pastore tam multos atque adeò diuersis & loco & tempore fuisse procuratos, sententiæ vnitas & concordia monstrat. Vt nihil aliud quàm magistrorum cõcilium liceat intueri, quod ab vno veritatis spiritu fuerit cõgregatum. Certè, vt Augustinus lib. aduersus Iulianum. 2. dicit, si episcoporum synodus ex toto orbe congregaretur, vt controuersiam decernerent circa sacros libros exortam: nec tales possent facilè sedere nec tot. Quia nec sancti vno tempore fuerunt. Tu nunc Caietane pater, si filio patrem appellare licet, appello, te Caietane, inquam, appello, te in concilium voco, te nõ in lycæũ aut Academiam induco, sed in sanctorum patrũ pacificum honorandumque conuentum. Pone tibi ob oculos, rogo te, tã numerosam seriẽ eruditissimorum virorum, quos in hunc vsque diem tot seculorum consensus approbauit: quos præter admirabilem sacrarum literarum peritiam vitæ quoque pietas mira commendat. Aspice illos, obsecro te, quodammodò aspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi. Itáne nos fili Caietane in sacrarum expositione literarum simul omnes erramus? Itáne nobis omnibus, quos ecclesiæ Christus præceptores dedit, spiritus intelligentiæ defuit? Itáne tu vnus aduersum nos pugnare audes, & ecclesiam credis vnius sensum hominis secuturam, huius verò grauissimi sanctissimique senatus commune iudicium deserturam? Vtrum plus tribuendum esse iudicas, tot eruditorum, sanctorum martyrumque præiudicijs, an tuo singulari priuatoque iudicio? Respondebis nè ad hæc, aut omnino hiscere audebis? Videre mihi videor Caietane pater modestiam tuam ingenijque candorem atque adeò in sanctos religiosam reuerentiam & pietatem, & quasi coràm esses audio vocem tuam aures meas circumsonantem: vicimus vtrique. Vterque nostrum palmam refert: tu mei, & ego erroris. Sed nescio bone lector quò me impetus animi & nimius disserendi calor euexit. Nam & Caietanus eo iam diu loco est, vbi omnes sine mea disputatione vicit errores: & ego non consueui eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Sed nos, vt cœpimus, persequamur, & Theologiæ quoque rationibus hunc errorem confutemus. Licèt enim ad fidem in Theologia faciendam auctoritas plus polleat quàm ratio: quippè cùm ea sine ratione satis habeat momenti, ratio sine auctoritate non multùm valeat. Sed auctoritati tamen ratio coniuncta quantum volet habebit ad faciendam fidem virium. Et nos iam inde à principio pollicebamur hanc cum Caietano causam ratione magis quàm testimonijs transacturos.

Num. 16.

Num. 17.

Primùm autem, qui nouam hanc exponendi sacras literas rationem suscitant, hi, præterquàm quòd veteres obterunt maiorum laudes, cum vanis hominibus tum magis hæreticis exemplo sunt, vt nouis falsisque commentis sacrarum literarum vera sensa contaminent. Quòd si semel admissa fuerit hæc licentia, vt libros sacros pro suo quisque arbitrio interpretetur, horreo dicere, quantum abolendæ religionis periculum consequatur. Etenim vna qualibet particula sanctarum scripturarum humanorum ingeniorum libertati permissa, alia quoque atque alia & omnes iam quasi ex more reliquæ humanitus tractabuntur. Porrò autem si

Universidad de Deusto
Biblioteca

totam scripturam diuinam hominum quorumlibet ingenio arbitratuque exponi liceat, nihil firmum relinquetur. Sed sit ibi deinceps errorum lupanar necesse est, vbi erat ante castæ & incorruptæ sacrarium veritatis, quemadmodum Vincent. Lirinen. non minùs verè, quàm eleganter asseruit. Quin etiam præter incommoda, & multa & magna, quæ futuris in ecclesia fidelibus hæc opinatio affert, ecclesiam, quæ nos antecesit, erroris grauissimi nota liberare nequit. Cùm enim siue concionatores, siue scriptores omnes, qui sanctis antiquis succesſere, sacræ scripturæ sensum populo tradiderint iuxta doctrinam à sanctis acceptam: populus autem sensum eundem fidenter acceperit: nimirum qui concordem sanctorum veterum expositionem reijcit, intelligétiam, quam hactenus ecclesia habuit, reijcere conuincitur. Exempli causa ponatur aliquid quod pateat latiùs. Sancti omnes exposuere, Euam è costa Adæ, vt litera sonat, fuisse conditam. Id quoniam sacerdotes sequentes ita inuenere à sanctis expositum, populo Christiano sedulò significarunt, & populus ipse bona vtique fide credidit. Ita efficitur, vt sanctis antiquis errantibus in illius loci interpretatione, tota ecclesia in eodem fuerit errore versata. Atque sanctorum & ecclesiæ ignorationem esse coniunctam Nestorius plane intellexit à concilio Ephesino damnatus in hæc verba. Inuecti sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quòd sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicunque ante se magisterij munere præditi diuina eloquia tractauissent. Totam etiam nunc ecclesiam errare, quæ, vt ipsi videbatur, ignaros doctores sequeretur. Hactenus Ephesi. concil. refertur autem à Vincen. Lirinen. in libello illo verè aureo aduersum prophanas nouationes.

Adde, quòd, vt iam pridem dicebamus, in his, quorum cognitio non pertinet ad populũ, Ecclesiæ fides, fides maiorum est. Cùm igitur è scriptura sacra veram & synceram intelligentiã accipere non spectet ad plebem, nisi Lutheranorum insaniam sequi volumus, patrum certè nostrorum in libris sacris intelligentia, ecclesiæ intelligentia ipsissima est. Quamobrem si sancti omnes antiqui diuinis literis intelligendis errarunt, Ecclesia dubio procul errauit: idque Deo præcipiente. Peccaret enim populus, si scripturæ iuxta sanctorum omnium sensum expositæ repugnaret: in his præsertim, quorum iudicium non ad plebem, sed ad maiores spectat.

Præterea ab omnibus sanctis communi vnaque mente idem sentientibus non potuit Dei verbum recedere. Vt videlicet oés simul haberent aliquã scripturã pro canonica, quæ canonica non esset, aut ediuerso aliquam communi consensu explo derent quæ canonica esset. Ergo nec vera intelligentia verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Vtrumque enim ecclesiæ promissum est & spiritus & verbum: & si vtrumlibet omnibus sanctis doctoribus defuisset, Ecclesiæ quoque pariter defuisset. Illud autem, quod priore loco assumptum est, si minùs intelligitur, ex alijs fidei dogmatis percipi potest: in quibus sanctos simul omnes errare non posse magnis argumentis ostensuri sumus: nec ita multò pòst, sed pauca antè dicenda sunt. Quod verò & verbum & spiritus intelligentiæ in ecclesia cõiuncta sint, quemadmodum posteriori loco assumebamus, per Isaiam dominus in hæc verba testatur. Spiritus meus qui est in te & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo & vsque in sempiternum. Semen verò Christi fidelium ecclesiam esse negabit nemo, qui vel parum fuerit in sacris literis exercitus. Quis est igitur, qui res à Christo Isa. 59.

Christo in ecclesia copulatas audet errore diuellere, & aut verbum aut verbi sensum sanctis omnibus ac proinde ecclesiæ tollere?

Præterea vt Hieronymus in commentarijs super primum caput epist. ad Galaat, ecclesia Dei quæ à posteris apostolorum fidem audiuit: non accepit hominis, euangelium, sed Dei. Doctores enim ecclesiæ, inquit, non tam ipsi docent, quàm in ipsis Deus, qui ad sanctos loquitur. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Qui autem dij sunt, tradunt dei euangelium & non hominis. Martion & Basilides & cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei euangelium: quia non habent spiritum sanctum, sine quo humanum fit euangelium, quod docetur. Hactenus Hieronymus. Et eodem loco statim, nec putemus, inquit, in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Alioquin & diabolus, qui loquitur de scripturis, & omnes hæreses inde sibi consuunt cerulea. Grande periculum est in ecclesia loqui, ne fortè interpretatione peruersa de Euangelio Christi hominis fiat euangelium, aut, quod peius est, diaboli. Hæc quoque Hieronymus. Quæ vt conferamus in pauca, hanc rationem habent.

Si à sanctis antiquis apostolorum successoribus fideles sensum scripturæ falsum accepere: certè non receperunt Dei euangelium, qui non est in verbis scripturarum, sed in sensu: non in litera occidente, sed in spiritu viuificante: non in membranis, sed in cordibus. Id quod non Hieronymus modò, verùm etiam Hilarius in libro ad Constantium Augustum tradidit. Et si lex spiritualis est, & spiritu indiget vt intelligatur, quod in primo iam loco abundè monstrauimus, ecqua rogo tanta dementia est, spiritum sanctum mihi vni affuisse dicere, sanctis omnibus defuisse? Age enim, vt à diuinis ad humanas rationes nostra defluat oratio, si in scripturæ interpretatione quicquam tribuitur ingenio & eruditioni, quid Græcorum ingenijs aut acutius aut perspicacius? quid in literis sacris exercitatius? Nec verò Latinis sanctis defuit ingenium, nec literarum sacrarum peritia defuit. Nolumus enim modò aut Latinos Græcis aut Græcos Latinis anteponere. Vtrosque constat & ingenio & eruditione valuisse. Quòd si in hoc iudicio magis spectatur vitæ sanctimonia, quis homo recens veteres illos ecclesiæ primarios viros excellet? verùm aiunt. Sed homines erant. At ego & nouicios istos interpretes homines esse reor. Audio. quid multitudo facit ad sensum spiritus? Respõdeo, Quid facit paucitas? sed & in his quę vel apud homines fide creduntur, nonnihil facere solet testium multitudo, maximè seniorum. Nam veterrimi quique solent esse grauissimi. Iuniores autem quasi pueri, si speciem afferant veritatis, non est illa quidem protinus repudianda: vetustas tamen suo loco conseruanda est. Maxima enim est vis & auctoritas vetustatis: & vbi cũ nouitate certet, est illa sine dubio præferẽda. Sed nescio quomodo à rationib? grauissimis ad has leuiores oratio nostra delapsa est. Iã ad illas redeamus, easque ipsas cõcludamus aliquãdo. Num. 18.

Illud ergo vrgentiùs & instantiùs premebamus, qui sanctos veteres in vniuersum omnes sacræ vno quolibet scripturæ loco exponendo errasse affirmat: eũ catholicę ecclesię huncipsum errorem attribuere. Id quod hoc etiam argumẽto confirmari potest. Vbicunq; est enim ecclesiæ corpus: ibi etiam est spiritus veritatis, vt Irenæus docet, imò Christus Dominus inquiens, ego rogabo patrem & aliũ paracletum dabit vobis vt maneat vobiscũ in æternum spiritum veritatis. Docet quoq; idem apertè Paulus ad Eph. 4. & 1. Cor. 12. Spiritus autem in corpore non eadem Num. 19. Lib. 3. cap. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus corporis partibus tribuit functiones, quemadmodum Apost. ad Ro. 12. & priòris ad Corinthios capit. duodecimo, elegantissimè persequitur. Alij nanque datur per spiritum sermo sapientiæ, alij prophetia, alij interpretatio sermonum, &c. Nec enim in ecclesia omnes apostoli, nec omnes prophetæ, nec omnes interpretantur, &c. Certum est autem, quòd sacrarum literarum intelligentia sanctis doctoribus, siquibus maximè, per spiritum data est. Qui ergo spiritum veritatis sanctis omnibus in scripturæ sacrę interpretatione negat, hic sine dubio eundem spiritum ecclesiæ tollit. Quemadmodum qui ab oculis videndi munus aufert, hic reliquas etiam
Lib. 11. omneis corporis partes obscurat. Nam si oculus non fuerit lucidus, totum corpus tenebrosum erit. Atque hæ sunt quintæ conclusionis causæ grauissimæ. Possunt enim esse aliæ leuiores. Certè patrum optimorum & sapientissimorum exemplum non omnino leue est: qui quanquam erant acerrimo ingenio, scripturæ tamen sanctæ interpretationes ita illi referunt, vt à maioribus didicisse, non vt ex se reperisse videantur. Ad quam legem nos non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti esse debemus. Ac de quinta conclusione dictum est satis.

Num. 20. Sexta conclusio. Sancti simul omnes in fidei dogmate errare non possunt. Hanc primùm ostendit diuus Augustinus, lib. aduersus Iulianum primo. capi. secundo. Cùm enim Iulianum vellet sanctorum testimonijs in dogmate fidei, de quo erat controuersia, reuincere: non omnium, inquit, de hac re sententias commemorabo, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si vllus in eis vel Dei timor vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ superauerint. & posterius, alia sunt, ait, in quibus inter se etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autè vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Et lib. secundo aduersus eundem ita loquitur. Hoc probauimus catholicorum auctoritate sanctorum, ac per hoc non est consequens, vt falsum sit. Tales quippè ac tanti viri secundùm catholicam fidem hoc verum esse confirmant, vt vestra fragilis & argutula nouitas sola auctoritate conteratur illorum. Præterquàm quòd ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa teste tur. Sed nunc auctoritate primitus eorum vestra est contumacia comprimenda, vt dum tales homines Dei in fide catholica errare potuisse non creditis, ausus præcipites refrenetis. Et paulò inferius, ego te, inquit, ante istos iudices constituo, quos non amicos meos & inimicos tuos in hac nostra disceptatione constitui cognitores, nec quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi: sed sanctos & in sancta ecclesia illustres antistites Dei non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis (quanquam & in his nonnulli ex eis docti fuere) verùm omnes sacris literis eruditos nominatim sicut oportebat expressi, vt in eis timeas non ipsos, sed illum qui sibi eos vtilia vasa formauit. Qui tunc de istà causa iudicauerunt, cùm ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacui erant. Quod inuenerunt in ecclesia tenuerunt. Et posterius. Vsqueadeò, ait, permiscuit imis summa longus dies, vt videant Pelagius, Celestius, Iulianus, & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Cyprianus? Sed qualiscunque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, (si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis) & quodammodò audio vocem tuã qua respondes. Absit, vt audeam cæcos istos viros vel

cogitare

cogitare vel dicere. Et in fine libri tandem, qui sanctos reiicit, eos vniuersam Christi ecclesiam reiicere testatur. Et Vincentius Lirinensis, necesse est, inquit, omnibus catholicis, qui sese ecclesiæ ligitimos filios probare studeant, vt sanctorum patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, prophanas verò nouitates detestentur, horrescant, persequãtur. Cócilio enim Ephesino diuinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibi cõsentiens sanctorũ patrũ tenuisset antiquitas. Hactenus ille. Nec Ephesina solũ synodus ita sensit, sed Constãtinopolitana sexta actione. 12. in hæc verba. Et dixit sancta synodus. Omnino necesse est non solùm secundũ sensum, sequi sanctorum patrum dogmata, sed eisdem vocibus vti cum illis, nihilque penitus innouari. Et iterum, sanctorum patrum dogmata tanquã legem sanctæ Dei suscipiunt ecclesiæ. Nec obstat, has sententias Sergij esse non synodi. Tũ, quoniam si hæreticus ipse Sergius publica ecclesię cõsensione victus hãc nostrã cõclusionẽ negare nõ potuit, certè inimici nostri sunt iudices. Tũ, quoniam synodus act. 17. & 18. sanctos ipsos patres tanquam regulam sequitur. & synodus Latera. sub Marti. 5. cano. 12. & 13. quę omnes consonantes ecclesiæ patres respuunt, ea catholica & apostolica ecclesia respuere dicit, & quæ credunt, credere. Id quod non modò Aug. Vincen. conciliorumq; grauissimis testimonijs, verum etiam inuictissimis rationibus confirmari potest. Nam si sancti in aliquo fidei dogmate falsi sunt: & populi, qui eos sequebantur, falsi fuissent. Constat enim populum Christianum ante nos fidei sanctorum doctorũ acquieuisse. Neq; enim aliter fidem in Iesum habere poterat, nisi haberet etiam in sanctos eius. Gratias ago deo meo, ait Paulus ad Philemonem, audiens fidem quam habes in Domino Iesu & in omnes sanctos eius. In quæ verba Hieronymus, quicunque, inquit, deo credidit, aliter eius fidem recipere nequit, nisi credat & in sanctos eius. Non est enim in deum perfecta fides, quæ in ministros eius infidelitate tenuatur.

Præterea cùm quædam ad fidem pertineant, quod & si sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpius, quæ plebs penitus ignorat: si sancti omnes in fide rerum huiuscemodi decepti fuissent, ecclesia certè fuisset decepta. Adhæc, sanctorum omnium fide repulsa, magna ex parte Christi & Apostolorum traditiones repellentur. Non enim aliunde apertiùs quàm ex sanctorum veterum testimonijs pleraśque Apostolicas traditiones agnouimus. Vnde in septima synodo generali. actio. prima. Anathematismus septimus Basilij pœnitentis sic habet. Qui doctrinas sanctorum patrum & traditionem catholicę ecclesię contemnunt: quique causantur & voces Arij, Nestoris, Eutychis & Dioscori iactant dicentes, quòd nisi satis ex veteri & nouo testamento instructi essemus, sanctorum patrum & catholicæ ecclesiæ traditiones sequeremur, execratio. Hæc igitur duo ita sunt connexa atque coniuncta, vt diuelli ac dissociari non possint, doctrina sanctorum patrum. & ecclesiæ traditio. Quisquis vnum istorum tentarit labefactare, alterius quoque fidem concutiat necesse est. Atque eiusdem synodi actione. 6. Tomo quinto Epiphanius pro synodo sic ait. Quòd si is qui hanc expositionem contra venerandas imagines edidit, asserit, se à sanctis patribus, qui circa ea tempora floruerunt, nõ fuisse receptum: quomodo ea, quæ sancti patres non probauerunt, nos qui indigni sumus vt discipuli eorum nominemur, recipiemus? Neque synodus hæc inodò, verùm reliqua concilia omnia, omnes pontifices ac sancti doctores hac via & ratione vniuersas hæreses refutarũt. Nõ enim cõmodè aliter poterãt, nisi & i scripturis ipsis canonicis & in reliquis fidei decretis maiorũ sentẽ

tiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam, vt acceperant, tenuissent. Qua de re, libet prorsus verba Vincentij Lirinẽsis adscribere. Sacra, inquit, vetustatis auctoritate prophanę nouitatis conteremus audaciam. Neque hoc sanè nouum, siquidem mos iste semper in ecclesia viguit, vt quo quisque floreret religiosior, eò promptiùs nouellis adinuentionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, summatim nónulla ac breuiter perstringemus: vt omnes luce clariùs videant, beatorum apostolorum beata successio qua via semper ingressa nouas doctrinas refutarit. Intelligebant enim viri sancti atque prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, qua fide à patribus susceptа forent, eadem filijs consignarentur. Idque esse proprium christianæ modestiæ ac grauitatis, non sua posteris tradere, sed à maioribus accepta seruare. Ducatum quippè præbet nobis religio, non nos religioni. Nec maiorum sensa quà volumus trahemus, sed potiùs quà illa trahunt retrahũtque sequemur. Hactenus ille. Vnum verò idemque præcipuum eius rei quam dixerat, exemplum affert ex Ephesino concilio, vbi cùm de sanciendis fidei regulis contra Nestorium disceptaretur, decretum est, vt sanctorum patrum in medium sententiæ proferrentur. Quod cùm ita factum esset, Nestorius tanquam catholicæ vetustati contrarius damnatus est, Cyrillus verò tanquam sacrosanctæ antiquitati consentaneus est probatus. Sed, vt ipse idem dixerat, exemplis talibus plena sunt omnia. Sic enim Hieronymus Eluidij dogma reuicit. Sic Basilius ad Amphilochium spiritus sancti diuinitatem asseruit. Sic Augu. Donatist. & Pelagianos refellit. Sic Paulus Samosatenus à celebri quodã scriptore superatus est. Sic Theodoritus Alexandrini Concilij definitiones comprobauit. Sic Leo Papa apud Leonem imperatorem Eutychem huiusque sectatores confudit, astruxitque à sanctis doctoribus consentientibus nullos nisi impios & hæreticos discrepare. Sic Agatho Papa ecclesiasticum dogma de duplici Christi voluntate & operatione firmauit, nempè sanctorum scriptorum consentientibus testimonijs. Quibus ea solùm ratione hæretici respondere se posse existimarunt, si libros deprauassent, & alia ex eisdem sanctis testimonia vel mutila vel etiam conficta in confirmationem erroris adduxissent. Neque enim negare sanctorum auctoritatem integrum vel hæreticis videbatur. Quorsum autem post vetera exempla nunc nouitia proferamus? ex Bernardo epistola. 77. ad Hugonem, ex Innocent. De presbytero non bapti. c. apostolicam. ex concilio Florentino, ex multis quoque alijs, quos ne longum sit, missos in præsentia faciemus. Satis enim nobis, si modò in philosophia christiana aliquid profecimus, positis exemplis rationibusque & testimonijs persuasum esse debet, sanctorum omnium communem sensum certam fidem facere catholicorum dogmatum, ac proinde ex omnium auctoritate certa argumenta depromi Theologicis conclusionibus confirmandis. Id quod sexto hoc demum loco erat nobis constituendum. Constituimus autem longa oratione id quidem, quomodo enim rem tantã verbis paucioribus explicaremus? sed adeò præclarè tamen, vt tenebræ, quas aduersarij veritatis offundere suis argumẽtationibus conati sunt, iam superioris disputationis luce fugatæ esse videantur. Certè primum, secundum & tertium argumentum post ea, quæ dicta sunt, nulla responsione egent. Sed ne ratio illa quidẽ deinceps apposita. Eadem enim non magis contra veteres sanctos quàm contra patres conciliorum omnes atque adeò cõtra totam ecclesiam valet. Ita nos antea duobus illam locis refutauimus. Osiandri ergo & Caietani scrupuli, modò restant, qui si fuerint exemptũ, nihil profectò

Euse. 5. lib. eccle. hist. c. 28.

Lib. 6. hist. trip. c. 20.

6. Synod. 4.

fectò erit amplius, quod sexto loco explicando desideretur.

¶ Caput quartum.

CVm igitur cõtẽdit Osiãder, exposito res vsq; ab apostolis vniuersos in prophetię illius intelligẽtia erasse, primũ nihil nobis contrariũ affert. Nam, vt Vincẽtius Lirinensis rectè dixit, antiqua sanctorum patrum consensio nõ in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regula nobis certò est sequenda, atq; in his præcipuè quæstionibus, quibus catholici dogmatis fundamẽta nituntur. Quod etiã capite superiore paulò latiùs explanauimus. Porrò autem Oseæ Prophetia an in sensu literali an in allegorico ad Christũ referenda sit, ad fidei quæstionem nõ pertinet. Ita quanuis sancti in hoc falsi fuissent, non in re graui, sed quæ parui momẽti in ecclesia est, fuissent falsi. Deinde, falsum est omnes auctores vsq; ab apostolis locum illum in sensu solùm allegorico ad Christum retulisse. Referunt quidem omnes ad populum Israël & ad Christũ quoque referunt, sed non omnes asserunt per allegoriam id fieri. Quin nonnulli affirmant, eundem scripturæ locum plures habere interdum sensus literales. Postremò si dicamus sensum esse allegoricum, nullus est error. Nam obiectioni Osiandri Hieronymus in comm. super Oseam doctè respondet. Vana igitur ista ratio apud eos valet, quiipsi decipi falliq; volunt. Grauiores constantioresque admonendi sunt, vt animaduertant, ne callida altera ratione capiantur. Apertè enim sophisticantem nemo non videt, nisi qui admodum est indoctus: Callidus ille & occultus sophista, ne veritatis specie fallat, studiosè cauendum est. Nec enim facilè agnoscitur. Nec verò existimari velim Caietanum aut in sophistis esse censendum, aut astutè vafrè malicioseve quempiam fallere voluisse. Sed vir ingeniosus & doctus non fallebatur nisi specie quadam obscuræ rationis. Quocirca quoniam vim habet maiorẽ quã cæteri ad decipiendum, maiori cura & diligentia hic sanè cauendus est.

Argumentatur itaque Caietanus, Nõ alligauit deus expositionem scripturæ sacræ priscorum doctorum sensibus, & cætera. Imò verò alligauit, si omnes ad vnum in eandem sententiam concurrerint. Tenentur enim vniuersi catholici sensum ecclesiæ sequi. Sensum autem ecclesiæ fuisse, qui idem fuit doctorum ecclesiasticorũ oim, explicatum est paulò antè satis, vt arbitror diligenter. Nec ecclesia nunc de scripturarum sensu iudicat diuinando, sed ex traditione maiorum eas interpretatur. Quemadmodum enim, si qua alia fidei quæstio occurrerit, ecclesiæ iudicium nihil noui auribus Christianæ plebis infert, sed maiorum antiquã in ea re fidem, & inquirit & sequitur: ita cùm de sacrarum literarum sensu existit aliqua controuersia, nullam nouam intelligentiam à censura ecclesiastica expectare debemus, sed eam, quæ magna facta disquisitione patrum nostrorum cõmunem esse constiterit. Spes, inquiũt, nobis & posteris tollitur exponendi sacras literas, nisi transferendo de libro in quinternũ. Minimè verò gentium. Nam, (vt illud præteream, quod in sacris Biblijs loci sunt multi, atque adeò libri integri, in quibus interpretum diligentiam ecclesia desiderat, in quibusque proinde iuniores possent & eruditionis & ingenij posteris ipsi quoque suis monimenta relinquere) in illis etiam, quæ antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, non nihil nos Christiano populo, si volumus, præstare & quidem vtilissimè possumus. Possumus enim vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastidiis gratiã, dubijs fidem, omnibus naturam suã & naturę suę omnia. Sed quoniã huic Caietani argumento Vincẽtius Lirinen. doctissimè elegantissimeque respondit,

verba

Universidad de Deusto
Biblioteca

verba nos ipsius ascribemus digna illa profectò, quæ aureis literis scriberentur,

Exod. 36. Esto, inquit, ô Doctor quasi Beseleel, & pretiosas diuini dogmatis gemmas excul pe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur te exponére illustrius, quod antea obscurius credebatur. Eadem tamen, quæ didicisti, doce: vt cùm dicas nouè, nondictas noua. Sed forsitan dicet aliquis, nullus ne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur intelligẽtiæ? habeatur planè & maximus. Sed ita tamen, vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in semet ipsa vnaquæq; res amplificetur. Ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud trãsuertatur. Imitetur animarũ ratio rationem corporum: quæ licèt annorum processu numeros suos euoluant & explicét, eadem tamen, quæ erant, permanent. Parua lactentium membra, magna iuuenũ: eadem ipsa sunt tamen. Quot paruulorũ artus, tot virorum. Et si quæ illa sunt, quæ cũ maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione præsperta sunt: vt nihil nouũ postea proferatur in sensibus, quod non in pueris iam antè latitauerit. Quòd si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est, vt totum corpus vel prodigiosum fiat, vel etiam intercidat, vel certè debilitetur. Ita etiam sacrarum literarum intelligentia sequatur has decet progressuũ leges, vt annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate: incorrupta tñ illibataq; permaneat. & paulò pòst. Quodcunq; igitur, ait, in ecclesiæ paradiso dei agricultura patrũ labore satũ est, hoc idem filiorum indu, stria colatur, floreat, maturescat, proficiat, pficiatur. Et prisca illa cęlestis philosophię dogmata à posteris excurentur, limétur, poliantur. Sed nefas est, vt commutétur, detruncétur, mutilétur, humanorumq; ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant. Accipiant licèt euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hactenus ille. Cuius tota oratio eò mihi videtur probabilior, quò magis ex Apostolo ad Eph. 4. videtur esse deprompta. Vbi illam corporalis augmenti similitudinem adeò & apertè & copiosè persecutus est, vt nulla mea oratione opꝰ sit. Tantum fuerunt lectores admonendi. De sexto autem loco hactenus. Iam ad 7. transeamus, hoc est scholæ nouæ auctoritatem. De qua & si nonnihil fortasse noui dicturus sum, ea tamen, quę prios lectores probaturos esse confidam.

¶ Septimi Libri finis.

DE AVCTORITATE DOCTORVM SCHOLASTICORUM, quæ septimo loco posita est, Liber Octauus.

Caput primum.

SEquitur locus huic disputationi vel maximè necessarius, qui scholæ Theologicæ cõtinet auctoritatem. Quam hęretici iuniores non modò eleuant & extenuant, verũ etiam explodunt & exibilãt. Ac signifer impietatis Germanicę Luther us Vuicleffi in hoc, vt in alijs, discipulus in libro quidem aduersus Iacobum Latomum asserit, Theologiam scholasticam esse aliud nihil quàm ignorantiam veritatis inanẽq; fallaciam, quã ad Colo. c. 2. Apostolus præcauet. In libro autem de abrogan. Missa priua. Academias dicit esse Antichristi lupanaria. Philippus vero Melãchthon in Apologia contra Parisien. Lutetiæ natam esse, ait prophanam scholasticen, qua admissa, euãgelium obscuratum, ac fidem extinctam. Breuiter Lutherani omnes ad vnũ scholæ nostræ auctoritatem & mirificè cõtemnunt, & inimicè insectantur. Atq; hinc fortassis tã quam ex primo fonte reliquæ istorum hæreses deriuatæ sunt. Principio namque quod erat facile, scholæ auctoribus contemptis, scholæ quoq; iudicia contempserũt. His neglectis, mox necesse erat, Hieronymus, Aug. Greg. Amb. Basilius negligerentur, quos Theologi recẽtes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum concilia. Vnde cõsecutum est, vt & libros quosdam canonicos, & ecclesiasticã auctoritatẽ Lutherani conciderent. Adeò verũ illud est, qui minima negligit, paulatim defluit. Absit inuidia verbo. Nec enim minima scholæ auctoritas esse potest, quam parui facere nemo sine fidei discrimine potest. Connexę quippè sunt ac fuere semper post natam scholam, scholæ contemptio & hæresum pestes. Quamobrem tuear etiã hũc locum, neq; facilè ac breuiter, vt mihi videtur, expediam. Nam & si facultatem differendi à dialecticis exercitationibus acceptã scholastica in nobis theologia amplificauit, neq; enim mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operam curãq; consumpsimus, at hic sanè, quãquàm in loco proprio versamur, non ad copiam nostram nos in vtramque partem exercere volumus, sed ad nostrum morem tenuiter angusteq; disserere. Sed in omni oratione memento Lector eam me defendere scholæ doctrinam, quæ sacrarum literarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse scholæ doctrinam, quæ se titulis magisterij defendat: miseram etiam, atq; haud scio an multò magis, quę detracta scripturæ sacræ auctoritate syllogismis contortis de rebus diuinis philosophatur. Imò ne de rebus diuinis quidẽ, sed nec de humanis, verũ de his quæ nihil ad nos attinẽt. Intelligo autem fuisse in schola quosdam Theologos ascriptitios, qui vniuersas quæstiones Theologicas friuolis argumentis absoluerint, & vanis inualidisq; ratiunculis magnũ pondus rebus grauissimis detrahentes ediderint in Theologiã commẽtaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cũ in his sacrorum Bibliorũ testimonia rarissima sint, conciliorũ mẽtio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex graui philosophia quidem, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferè è puerilibus disciplinis scholastici tamen, si superis placet, theologi vocantur, nec scholastici sūt, nedū theologi, qui sophismatum fæces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum. Quem verò intelligimus scholasticum theologum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de deo rebusq; diuinis aptè, prudenter, doctè è literis institutisq; sacris ratiocinetur. Quòd & si ita esse pluribus verbis postea disserendum est, illud tamen nunc breui confitēdum est, nisi qui is sit, esse theologum scholæ neminē.

Intelligo etiam in schola fuisse nonnullos quasi ad discordiam natos, qui tū optimè disseruisse se putant, cùm cōtra doctiores dixerint, vt non tam verum inuenisse velle videantur, quàm aduersarios conuincere, concertationibusque & rixis totas chartas implere. Atq; hos, sunt in ecclesia multi, qui tanquam milites aucto rati vel tuentur vel impugnant, & tota eorum de re theologica disputatio, partium studium est contentio atque dissidium. Quos ego probare nec debeo nec possum. Nam quanuis dissentientium inter se reprehensiones non sint vituperandæ, concertationes tamen in disputando pertinaces indignæ philosophia prophana, nedum sacra doctrina, mihi videri solent. Nec enim quod Cicero disertissimè dixit, disputari sine reprehensione, nec cum pertinacia rectè disputari potest. Atq; illud verè à Publio dictum est, veritatem nimiū altercādo amitti. Minimè verò assentior ijs, qui ex circulorum scholasticorum disputationibus ortam esse pertinaciam volunt, irritationēq; scalpendi omnia. Quin istiusmodi malorū existimo in moribus esse culpam, nō in schola. Moderati enim nec contentiosi homines nec pertinaces, quascunq; res sobriè ad temperantiamq; definient. Quod cùm omnibus est faciēdum, qui disciplinam quamlibet profitētur, tum nemini potiùs quàm theologo.

Fuere autem sine dubio in schola mūlti, qui his vitijs declinatis, rem theologicam grauiter sanè ac modestè tractarunt. Nam quos isti pertinaces vocant omniaq; scalpētes theologos, paucos, si verè loqui volunt, significare possunt. Qui etiam mihi, sicui maximè, displicent: sed propter paucorum vitia non est omnium corona traducenda. Quòd & si plerique theologi in his vitijs essent, iniqua esset adhuc ista calumnia. Quemadmodum enim nemo iustus & prudens vniuersos adolescentes accusat, quanuis plurimū sint libidinosi, quoniam libido nō est omnium adolescētum, sed non proborum: sic quoniā ista scholastica pertinacia theologorum leuiū est non omnium, iniquè profectò, vt modò dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quæ non sunt scholæ, sed inertis, vanæ, contentiosæ scholæ. Theologos itaq; scholasticos, qui modò hoc cognomine digni sunt, asserere equidem & vindicare volo, idq; faciam, si prius scholæ propriū institutum & rationem docendi proposi tam ostendam, qua minimè intellecta, nihil rectè aut pro illis aut contra illos dici potest.

¶ Caput secundum.

THeologiæ scholasticæ proprium munus, quantum & à maioribus accepimus, & huius facultatis alumni quotidianis ferè congressibus experimur, illud primū est, vt quę in sacris literis & apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucē quasi è tenebris eruantur. Colligit enim theologus ex principijs fidei à deo reuelatis cōclusiones suas, atq; in principijs ipsis implicitas per argumētationē naturę cōsentaneā explicat. Quēadmodū enim musica facultas ex ijs, quæ sunt in Arithmetica posita, ea ratiocinando connectit, quæ sunt in numeris sonantibus aut consona aut dissona, ità scholæ theologia ex his quæ fides posuit, ea quæ sunt cōsequētia,

tia, naturæ ratione conficit de Deo rebusque diuinis. Quòd si Astrologia, Musica, perspiciendi facultas, atq; aliæ id genus disciplinæ, tametsi ex alienis facultatibus quasi mendicæ, sed habentur in pretio tamen, tanquam vtiles & necessariæ ecquisnam iste malus genius est, scholasticam disciplinam profligare velle, quæ non ex Arithmetica, non ex Geometria, nō ex Physica, sed ex sacris diuinisq; & literis & institutis docet, quid consequens sit, quid cōtra repugnās? Nec verò audiendi sunt, qui scholasticas quæstiones, vt curiosas reprehendunt, & scholæ tementatem insimulant, quòd de rebus longè semotis à captu nostro audeat pronunciare, & tā multa definire, quæ citra salutis dispendiū vel ignorari poterāt, vel in ambiguo relinqui. Huius generis exempla ponunt. Quid discernat pātrem à filio, quid ab vtroque spiritum sanctū, quid intersit inter filij natiuitatem & spiritus processionem, vtrùm spiritus sancti à patre & filio proficiscentis vnicum sit principium, an duo. Ita cēsent id præclari & magni theologi esse, nihil vltrà quàm sacris literis proditum est, definire, hoc est, in theologiæ principijs hærere, mentem à consequentibus & repugnantibus seuocare. Quorum sententia quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm sola disciplinę principia habere definita, conclusiones verò: quæ certo atq; euidenti syllogismo ex illis conficiuntur, aut ignorari velle, aut in ambiguo relinqui? Quod si in Geometria, Physica, Astrologiavè quisquā assereret, verè & iure stultissimus haberetur. Sed de his hactenus. Non libet enim mihi rem exploratā suadere, quod multi & hi docti sæpè fecerūt. Itaq; pergamus ad reliqua.

Erasmus in proœmio suo per Hilarium.

Habet rursum hæc disserendi in schola facultas alium propositū scopum, fidei nostræ aduersus hæreticos defendendæ. Est quippè doctoris scholastici, vt magister sententiarū in proœmio ex Augustino tradit, scire, quēadmodum fides catholica & pijs opituletur, & aduersus impios defendatur. Quòd si scholæ doctor non possit docere fideles doctrinam sanā, & eos qui sanam non habent redarguere, apud vulgus theologus esse aliquādo poterit, re vera nunquā erit. Atq; ob eam causam scholasticorū disputationibus adeò sunt hæretici infensi, quòd intelligunt, catholicā fidem, quā expugnare moliuntur, horū studio doctrinaq; muniri. Agnoscūt sanè lupi canes, eosq; odio prosequuntur: & scholæ nomen istis inuisum est, quæ lupos arcet à gregibus, & eorum insidias porrò cauet. Atq; in hoc genere nihil est quidē admirandum, illorum autem hominum genus mirari non desino, qui cū catholici & habeantur & sint, his plausus tamen excitare solent, qui nesciunt iuuentutē ad linguarū studium adhortari, nisi priùs theologos scholasticos maledictis figant, totisq; concidant voluminibus. At suauissimè maledicunt. Venenum animi linguæ mella tegunt, eoq; perniciosius paratum, quo suauiùs obbibitū. At sunt morosi & prolixi scholastici theologi, si quærimus, anxiè etiam superstitiosi. Sed hęc, vt dixi, morum vitia sunt, nō scholæ. At morositas tamen, & ea vitia quæ theologis obiiciūtur, habent aliquid excusationis, veliustæ, vel quæ probari posse videatur. Nā de rebus multis & varijs non solū in genere, sed singulatim etiam differentes non potuerunt hæc breui oratione cōficere. Hinc autem myriades articulorum, quas isti reprehendunt, quæ si essent adagiorum, non reprehenderent, sed suspicerent. Accedit, quòd perspicuitas non solet esse coniuncta breuitati. Obscuri nanq; fiunt, qui breues esse laborant. Ita perspicui theologi esse cupiētes, longiores aliquāto fuere. Addequòd res difficiles & obscuræ, quas plurimas theologi edisserunt, paucis explicari non queunt. Rudibus quoq; & imperitis scholæ sese attemperat, atq; adeò plura & quærit & definit, quæ doctis hominibus, ijs etiā qui ingenio multùm valent, superua-

14. de Tri. cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

canea viderentur. Scholastico demũ more in vtramq; partem theologi disserẽtes, necesse est, vt quæcunq; docent, longiore ea sermone complectantur. Anxia verò superstitio, quæ dicitur, religio est, nõ superstitio. Nempè non licet apud nos fusq; deq; omnia ferri, sed scholæ norma decretoque vniuersos, qui aut disputare aut scribere de re theologica velint, certis oportet limitibus ac præscriptis lineis cõtineri. Hinc illæ lachrymæ. Illis libertas placet, imò verò licentia dicẽdi scribendiq;: nos cũ de rebus theologicis disputamus, licentiam omnem & temeritatem perhorrescimus. Sed totum hoc scholasticũ disserẽdi genus spinosum est: & pes spinis cõfixus, gressum deinde figere nõ valet. Scilicet tenerrimi istorum pedes sunt: & quos errores non pungũt, pungit disciplina. Quã, vt antè dicere cœperam, ob id odio isti prosequũtur, quòd ars est, quæ doceat tum propugnare fidẽ, tum hæreses expugnare. Id quoniam postremo libro fusius fusè ac diligenter explicaturi, breuiter & sine disceptatione modò ponendũ est. Nec enim decet, omnia eodem loco demonstrare.

Spectat denique ad scholasticorũ functionem Christi ecclesiæq; doctrinã, quã tũ fieri potest, ex disciplinis humanis aut illustrare aut etiam confirmare. Nã, quòd Augustinus docuit, vasa argentea & aurea cæteramq; Aegyptiorum supellectilẽ, etiam si commodatam acceperimus, iure quasi nostra facere possumus, inq; fidelium vsus vendicare: & alienigenam mulierem, vt Hieronymus admonet, rasis crinibus reiectisq; superfluis ad Dei populũ introducere. Id quod si quo decet tẽperamento grauitateq; fiat, nemo vt opinor, tam stultus futurus est, qui reprobet, nisi horum nihil vnquam reputauerit. Discũt theologi à Dauid extorquere de manibus hostium gladiũ, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Discunt à Paulo, vel inscriptionem fortuitam arte torquere in argumentum fidei, & quæ in aliũ vsum scripta sunt, ea ad emolumentũ ecclesiasticæ doctrinæ cõuertere. Discũt cum Daniele ac Moyse Chaldæorum Aegyptiorumq; sapientiam, si non vt sequãtur, at vt indicent atq; conuincant. Nec æquũ est, vt si aduersum Philosophos disputant, ignorent dogmata philosophorum: nam & si quispiam aduersus Mathematicos velit scribere imperitus Matheseos, risui patet. 37. d. c. qui de mensa. Possem persequi multa huius rei argumẽta: sed ea ipsa quæ dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscet autem Lector. Nam & studio rerum nostrarum prouectus sum, & schola est paulò loquacior, ne ab omnibus eam vitijs videar vendicare. De his igitur hactenus. Egi enim secùs atq; initio dixeram: & in loco presso atq; angusto spacia dicendi videor quæsijsse. Sed difficile erat rem & ab alienis conscissam, & à quibusdam è nostris malè tractatam ne leui quidem ratione sarcire.

Tres itaq; fines veræ theologiæ constituendi sunt. Nec enim tantũ de scholastica, sed de omni omnino theologia disputo. Lutheranorũ autẽ hæresis, si sibi cõsentanea esse velit, de scholæ instituto nihil queat dicere, in qua nũquam se exercuisse vel ipsa fatetur. Nemo autem audiẽdus est, qui de ea re, quàm nec vsu nec ratione habet cognitam disputabit. Quòd si tria illa veræ theologiæ sunt cõmunia, ea verò schola omnia præstat, certè in ijs perniciosus est error, qui scholam negligendã esse existimãt. Hæc est enim vera theologia, in qua omnia insunt, quę sunt in theologo requirenda, scientia dei, cœlestium rerũ cognitio, humanarũ prudentia & vsus. Vt cùm hæc adsint, perfecta doctoris Christiani disciplina sit, & sine his esse nõ possit. Quod cùm optimũ maximumq; sit, si id volumus adipisci, theologiæ scholasticæ opera dãda est, sine qua nullam omnino perfectã in Ecclesia doctrinã cõse qui possumus, Ea verò neglecta, qui se

Theo-

Lib. 2. de Do. Chri. cap. 4.

Deut. 21. In epist. ad magnũ oratorem, & ad Damasium de filio prodig. 1. re. 17.

Act. 17.

Theologos esse arbitrantur, tum se denique errasse sentiẽt, cùm eos aut disputatio cum hæreticis, aut grauis aliquis et perplexus cõscientiæ casus experiri coget. Nec verò quisquã scripturæ sanctæ studiosus vereri debet, ne ex scholæ studio, sacrarũ literarum studium retardetur. Nam & ad hunc fructum ferẽdum non modò non retardat, verùm etiam iuuitat atque allectat schola. Nosq; ipsi quicquid ad sacras literas attulim⁹, si modò aliqd attulimus, à doctoribus atq; doctrina scholastica instructi ad eas et ornati accessimus. Sed iã tempus est, vt doceamus, quod est nobis hoc loco præcipuum institutum, an scholasticorum auctoritas firma argumenta theologo præstet, an infirma.

Caput tertium.

INfirma autem ea oĩa argumenta esse, quæ ab scholæ auctoritate deriuantur, illa primũ ratio suadet, quòd nec è sacris literis, nec ex apostolorum institutis, neq; ex ecclesiæ definitione, scholæ auctoritas comprobatur. Cumq; scholasticis auctoribus spiritum veritatis nusquam dominus fuerit pollicitus, errare vt homines possunt, atq; adeò nullum argumentum ex eorum auctoritate firmum erit.

Item nullum est in schola certum dogma, sed partium factionibus plena sunt omnia. Nihil igitur certi ex scholæ auctoritate confici potest. Præterea theologi scholæ omnes asseruere, matrimonium etiam sine ecclesiæ ministro contractum esse verè ac propriè nouæ legis sacramentum. At hæc omnium communis sententia non solùm non facit certam fidem, sed ne probabilis quidem videtur esse. In nulla igitur re alia scholæ testimonium certum erit.

At nos & quid sentiamus, & cur etiam sentiamus, pauciss imis quàm fieri poterit exponemus. Pugnabimusq; pro scholæ auctoritate, non affectu, sed ratione. Quã quam non sumus ignari, multos studiosè contrà esse dicturos. Quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus.

Caput quartum.

QVod fuerit Academiæ theologicæ initium, quis progressus, quos institutores habuerit, quosvè auctores tametsi ad scholæ commendationem attinet, non est tamen huius loci dicere: vbi hoc solũ conamur explicare, quãtum habeat virium ad faciendam fidem argumẽtum ex scholę auctoritate depromptum. Ea igitur re explicanda, sit prima conclusio.

Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alij contrà pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel grauior etiam auctoritas comprobarit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modò graues secum habeat, poterit sanè aduersum plurimos stare. Non enim numero hęc iudicãtur, sed pondere. Hanc verò conclusionẽ probare argumentis non debeo. Nam si quid est euidens, de quo inter omnes conueniat, argumentari non soleo: perspicuitas enim, vt ait Cicero, argumentatione eleuatur. Certè vbi variæ sunt doctissimorum hominum discrepantesq; sententiæ, academicorum temperamentum imitari, & à rebus incertis certam assensionẽ cohibere debemus. Quid enim tam temerariũ, tamq; indignum sapientis grauitate atque constantia, vt idem Cicero elegantissimè tradit, quàm quod nõ satis exploratè perceptum sit & cognitum, id sine vlla dubitatione defendere? Quo loco sanè arguendi sunt scholastici nõnulli, qui ex opinionum, quas in schola acceperunt præiudicijs, viros aliàs catholicos notis grauioribus inurunt, idq; tanta facilitate, vt meri

1. conclusio

Universidad de Deusto
Biblioteca

tò rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, vt quodcunq; maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere: sed non licet tamen eos qui nobis sunt aduersi, temerè ac leuiter condemnare. Alia sunt scholæ placita, de quibus mox dicturi sumus, alia sunt præcepta sectæ, de quibus modò loquimur. Quæ ab illis dissident, ea notam habent, quæ ab his, nõ habent. Nec enim siquid aut scoticis aut thomisticis pronũciatis contrarium est, error illico est. Sed hæc hactenus.

Secũda cõ. Secunda conclusio, Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententia in re quidem graui, vsqueadeò probabilia sumuntur argumenta, vt illis refragari temerarium sit. Nam in quacunque arte peritis credendum esse ratio mõstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in nauigãdi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de Theologiæ dogmatibus diserendi experientibus & exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certè temerarius est. Deinde in Clemen. Vni. de summa Trinitate. Patres concilij Vien. Opinionem illam inquiunt, quæ dicit, tã paruulis quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tã quam probabiliorem, & doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, fore à catholicis eligendã. Si ergo in re, quæ olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controuersa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud patres in concilio fuit, quanto magis nos res omni tempore ab schola præscriptas tenere ac reuereri debemus? Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communis fidem facit concilio, illudq; inclinat, vt definiat huiusmodi opinationem esse tenendam, quid si nõ ex opinione, sed ex certo & minimè circumductili animo quicquam theologi omnes præfinierint? An non existimas concilium Viennense pro eiusmodi dogmatis firmiter in scholæ receptis grauiore censura iudicaturum? Scholæ igitur communẽ consensum non nisi impudenter, & temerè reiiciemus. Prę terea cùm inter ipsos theologos scholasticos magna ferè vbiq; dissensione certetur, ita vt in hac parte iure forsitan reprehendantur, certè non idem omnes asserent, nisi eodem diuino spiritu permouerentur. Nec minùs mirandum est varias scholę factiones doctoresq; tam inter se discrepantes in vnam eandemq; sententiam concurrisse, quàm septuaginta interpretes diuersis (vt ferunt) cellulis inclusos, in vnam eandemq; conuenisse interpretationem. Non igitur poterit esse verum illud, quod scholasticorum theologorum choro idem concinenti fuerit contrarium.

Irenæus Eusebius, Epiphanius, Augustin, Clemens Alexan. Athanasius mar tyr.

Tertia cõ. Tertia conclusio. Concordem omniũ theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis nõ est, at hæresi proximum est. Scholæ porrò placita, si ita vocare libet, in duplici sunt differentia. Altera ad philosophiæ magis rationem expediunt quàm fidei. Altera ad fidem pertinent moresq; christiano populo necessarios. Quæ ab illis dissonant, ea scholastico theologo nõ sunt hæretica. Quæ verò huic posteriorum rerum generi sunt aduersa, ea nos hîc tanquam venena refugimus. Nam ijs hæreseos crimen, vt quod sit ipsum per se atrocissimũ, impingere apertè & simpliciter non audemus. In quo equidẽ sæpè theologorũ requiro prudentiam. Absurdum est enim, vt crimen grauissimũ nisi rebus quoq; grauissimis impingatur. Sed ad rẽ. Illa conclusio, vt est à me posita, primũ ostenditur, quòd nullũ dogma reperietur, quod eadem mẽte oreq; scholastici oẽs certò ac firmiter asseruerint, quin idem in vniuersum ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod inuenire hęretici possunt, proferant, & tacebimus. Quòd si nullum proferri potest, sine dubio, velint nolint, id quod scholę totiº auctoritate firmatur, verũ

verum est, si ad fidem, vt dixi, moresq; pertineat. Adde quòd nullũ tam proprium scholæ decretum est, quod vel ex sacris literis, vel ex apostolorum traditione, vel ex conciliorum, aut pontificum definitionibus non habeat certam originem. Ita qui scholæ decreta refutarunt, hi semper inuenti sunt & fontem, vnde illa manant, repudiasse. Atq;, vt vno verbo dicam, nemo qui in catholicis habeatur, omnes sine discrimine theologos exposit. Quod abundè satis magnum argumentum est, sine fidei discrimine huiusmodi scholæ placita negari non posse.

Præterea siqua in quæstione vniuersi Theologi eadem inter se concinunt, profectò si in eo errant, ecclesiam item errandi periculo exponunt. Siue enim qui confessiones audiunt, siue qui ad populum habent cõciones, vtriq; plebem instituũt, vt à theologis acceperunt. Ita fit, vt Ecclesia eorum in fide cõem errorem dissimulãdo, Christi fideles suo silẽtio deciperet. Error enim, cui non resistitur, approbatur: & veritas, cùm non defenditur, opprimitur, vt Innocentius ait. 83. dist. error. Atq; Deus ipse si theologorum omnium erroré non aperiret, in necessarijs Christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus nisi eos sequi, quos pro illo tempore ecclesiasticæ doctrinæ magistros accepit? An post hæc oĩa scholæ Theologia conténenda est? Crederem, nisi eius auctoritate ecclesia res plurimas definisset. Quippè trecẽtos ab hinc annos, si quas ecclesia hæreses cõdemnauit, si quæ de fide & moribus decreta tulit, in vtrisq; scholasticorum subsidio & diligentia vehementer adiuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est, doctores scholasticos simul omnes in fide & moribus errare non posse.

Præterea, Cùm Dominus dixit, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, nõ modò ad primos Theologos, hoc est, Apostolos verba illa referebat: sed ad doctores etiam in ecclesia futuros quandiu pascendæ essent oues in scięntia & doctrina. Quemadmodum igitur qui theologos Christo succedentes contemnebat, Christum is etiam dominum contemnebat, ita qui theologos iuniores antiquis succedentes despicit, hic Christum quoq; ipsum despiciat necesse est. Vnde Chrysostomus, siue quis alius fuerit, in commentarijs super Matthęum imperfectis homi. 42. Cùm audieris, inquit, aliquem beatificantem antiquos doctores, proba qualis est circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus viuit, sustinet & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, illos contempsisset. Hactenus ille in ea verba Christi, Væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorũ in sanguine prophetarũ. Itaq; testimonio estis vobis metipsis, quòd filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Nimirum phariseorum instar hæretici ratiocinantur. Si essent scholastici doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Basilius, sequeremur eos: si in diebus Augustini, Ambrosij, Hieronymi fuissemus, non essemus socij Manichæi, Nouati, Vigilantij, Pelagij, Iouiniani. Itaque testimonio sunt, quòd filij sunt eorum qui sanctos antiquos contempserunt: cùm iuniores scholæ Theologos pro nihilo putant. Prostremò, vt ad Ephes. quarto Apostolus docet, alios dedit Christus in ecclesia apostolos, quosdam prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorũ in opus ministerij, in ędificationem corporis Christi, donec occurramus oẽs in vnitatẽ fidei in virum perfectum: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circũferamur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ramur omni vento doctrinæ. Quãdiu igitur Christi corpus, hoc est ecclesia fuerit, ad diuinam procurationem pertinebit, vt ij qui in ecclesia sacræ doctrinæ doctores habentur tanquam à Deo dati veritatem in fide teneant, ne populus paruulorũ more circũferatur. Nec verò si hoc Apostoli testimonium æquè pro antiquis & iunioribus facere dicimus, iuniores Theologos
25.q.1.c.7. priscis illis mox æquamus: (scimus enim quantum antiquitati deferendũ est, quantum etiam sanctitati:) sed firmum esse hũc etiam locum, tum ex multis alijs, tum ex hoc apostoli testimonio pro nostra quidẽ virili contendimus. Rectè ne an secùs, aliorum esto iudicium. Nos enim in argumẽto nouo, vbi nullũ, quem imitaremur, habebamus, quæ nobis probabilissima visa sunt, ea lectoribus exposuimus. Si quis verò sic nostra reijciat, vt adducat meliora, volentes ac libentes amplectemur. Nihil autem necesse est, de me ipso dicere mihi. Quanquã nõ est verẽdum, ne vera & aperta d' me prędicãs, nimis videar aut insolẽs, aut loquax. Sed vtcũq; hunc scholæ locũ ego tractaui: gratissimum, vt puto, Theologis feci. Quoniam cũ explicatissimè de ea re disseruerim, discent hodie à me, quibus facillimè rationibus scholasticę Theologiæ asserere & grauitatem posint: & auctoritatem. Atq; hæc hactenus. Nunc obiectiones à principio contra positas repellamus.

¶ Cap. Quintum.

Primùm arg. refellitur. AC primo quidem argumẽto refellendo nõ est opus quicquam præter ea, quæ sunt dicta, adijcere. Ostẽdimus enim, vt opinor, scholasticæ theologiæ asserẽdę: non deesse ecclesiæ scripturæq; sanctæ testimonium. Quæ testimonia nos habuimus, ea iam protulimus: ab alijs fortè post & plura & grauiora proferentur.

Ad secundũ respõdetur. SEcundum etiam argumẽtum nihil minus confutatum est. Diximus enim, id quod etsi sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpiùs, factiones in schola, quasi iuratas, studium contradicendi etsi quæ sunt similia mala. non scholæ, sed hominum vitio contigisse. Alioqui decreta multa sunt inter scholasticos certa & firma, eoq; magis, quò nulla vnquã factio ea in quæstionem reuocauit.

Ad tertium respõdetur. At tertium argumẽtum difficillimum est, egetq; disquisitione non parua.

Quare si longiorem orationem huius argumẽti difficultas exigit, non debet Lectori molestũ esse: nam & orationis longitudo magnitudine vtilitatis pensabitur. Principiò autem theologos oẽs admonitos esse velim, vt sepositis non affectibus modò, sed opinionũ etiam præiudicijs, de causis fidei prudẽter grauiterq; decernãt. Non enim si quidquã in schola bonis etiã temporibus inueterauit, mox fidei dogma existimãdum est. Sũt autem nonnulli qui per eas persuasiones, quibus à principio sunt imbuti, de rebus grauissimis sententiã ferũt temeritate quadã sine iudicio, repentino quasi vento incitati, quæ longè alia esset, si iudicio cõsideratè constãterq; lata fuisset. Hi autem in eo primũ errant, quòd scholæ opiniones à certis constantibusq; decretis nõ separãt. Deinde errant in eo, q̃ duo rerũ genera cõfundunt, vnũ earum, quæ ad religionem attinẽt, earum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem. Ac si sanctorum veterum consensio, vt libro superiore definitum est, nón in omnibus legis *Vid. lib. 1. c. 2. & 3.* quæstionibus sequenda nobis & tenenda est, sed solùm in fidei regula: nec quæuis illorũ etiam in re graui communis opinio fideles astringit, sed firmum constansque iudicium: ecquid de recentioribus scholæ theologis dicere oportet, quos veteres illi longè & vitæ merito & scripturarum vsu & auctoritatis pondere superarũt? Verùm his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me viri multi pij cupiunt commemorare, tametsi causa postulat, tamen quia postulat non flagitat, præteribo. Quoniam verò vtriusq; erroris exempla

pla cùm aliâs sæpè posui, tum in duodecimo libro varia etiam adiuncturus sum. Vno nunc exemplo contentus ero, quod satis erit tamen, vt ij, qui in censuris Theo
4.dist.3. logicis præcipites esse solent, suæ temeritatis admoneantur. Magister ergo sententiarum dixit baptismi sacramentum fuisse ante Christi mortem & à Christo ipso institutum, & ab apostolis ministratũ. Huic D. Thomas, cæterique; scholę Theologi assensi sunt. Nimirũ Diuum Augustinum
In 3ã. tri. dtan. 5. cr. 2. Et in epistola ad Sebastianum. Magister secutus est, cuius opiniones scholam libenter amplectitur. At enim si quispiã fortè contrà fuerit opinatus, baptismã nouæ legis verum & proprium idemq; primum sacramentum non priùs à Christo editum quàm in cruce passus sit: non statim vexare eum graui Theologiæ censura debemus. Sed primùm illud expendere, num Theologi hoc loco quasi re certa & confecta quicquã planè suo iudicio definiãt, an potiùs re nondum satis ad liquidum explorata probabiliter opinẽtur. Deinde id etiam vestigare, pertineat ne ad catholicam fidem, Christũ sacramentum hoc ante passionem suam edidisse, an nõ. Ac magister sententiarũ quidem nihil certò statuit, sed probabiliorem opinionem elegit. Commodiùs, inquit, dicitur, &c.
In epistola ad Sebastianum. Augustin⁹ quoq;, baptizabat Christus, inquit, non per seipsum, sed per discipulos suos. Quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nõnulli arbitrantur, siue quod magis credibile est, baptismo Christi. En Augustinus non certò pronunciat, Apostolos priùs esse baptismo Christi baptizatos, quàm illud baptisma administrarent, cuius Ioannis tertio & quarto capite mẽtio fit. Quin vbiq; docet, nos ignorare quãdo Apostoli fuerint baptizati. Nullo autem pacto fit verisimile, si Apostoli veri sacramenti baptismatis iam inde administri erant, eos non priùs idem sacramentum accepisse. Quo fit, vt vtrunq; iuxtà in opinione non infirmo cõstantiq; decreto situm sit. Præterea

De origine enim ad Timotheum scriptã. lib. 1. cap. 9.

& in forma baptismatis illius scholastici dissident. Nã Magister & Adrianus existimãt, Apostolos tum etiam in nomine trinitatis baptizasse, id quod ego mihi persuadere non possum. Alij verò tradunt, eos baptizasse in nomine Iesu Christi, id quod verosimilius est. Sed hæc in baptismi forma tanta dissensio à certitudine dogmatis aliena est. Non itaque certum quippiam Theologi de hac re statuere voluerunt. Nec Diui Thomæ verba, si quis attentè legat, aliud præ se ferunt. Videtur, inquit, quòd baptismus ante Christi passionem fuit institutus, &c. Quo scilicet, verbo Diuus Thomas vti ferè solet, cùm res non est plana & definita. Itaque existimo D. Thomã, cùm dixerit videri, hoc ipsum sensisse quod dixerit, videri modò, non etiam oportere. Quid autem definisset vir alioqui prudens & grauis in ea re, quam rem ad fidem nihil attinere intelligeret? Non enim aut è literis sacris, aut ex apostolorum institutis colligi certò potest, baptisma, quod apostolis statim à conuersione sua in vsu erat, peccata remittere, gratiam conferre. Nam quod Augustinus refert, qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, id non oportet de baptismi mundicie intelligi, sed de ea, de qua postea, iam vos *Ioan. 13.* mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Quod verò à quibusdã refertur, Ego nesciebam eum, Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto, id nihil etiam cogere, vltro quoque ipsi fatentur, qui eo testimonio abutuntur. At constat apostolos baptizasse Ioãnis tertio & quarto, & non baptismo Ioannis, vt notum est, ergo baptismo Christi. Sic enim Magister argumentatur. Sed hoc argumentum infirmius & incertius est, quàm vt quid firmum certumque conficiat. Baptismus enim Ioannis dupliciter vocari potest,

aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut Ioannis instituto & auctoritate exhibitus, aut baptismus aquæ, quale baptisma Ioannis erat, qui videlicet nihil aliud esset quàm meditatio quædam & præparatio ad nouæ legis sacramentum. Baptismus item Christi, aut sic vocari potest quia Christo iubente & auctore ministratus est, aut quia institutus à Christo ad abluenda peccata. Dicetur ergo, nec absurdè id quidem, illud apostolorum baptisma, cuius Ioan. 3. &. 4. capite mentio fit, non fuisse Ioannis Baptistæ in priore sensu, sed in posteriore tantùm. Fuisse autem baptismum Christi, quoniam illius præcepto & auctoritate apostoli baptizabant. Vnde si quis colligat, iam tum illum fuisse verum nouæ legis sacramentum, pari ratione argumentabitur, vnctionem, qua apostoli ante passionem vsi sunt, iam inde à principio fuisse verum & proprium extremæ vnctionis sacramentum. Quod tametsi nonnulli Theologi asseruerint, nõ tamen expeditũ est. Apud veros sanè grauesq; Theologos, Vnctionem extremam sacramentum esse, fidei dogma est: an ante Christi passionẽ an post fuerit institutum, nihil ad rem existimant pertinere. Quod idem & de sacramentis confirmationis & pœnitentiæ sentiunt. Nec video cur de baptismo nos aliter sentiamus, putemusvè fidei quæstionẽ esse, num ante passionem Christi hoc sacramentũ fuerit institutum. Institutũ enim esse dictu quidem est procliue. Itaq; ferè Theologi loquuntur: sed quis est tandem, qui hoc esse verum idoneis argumentis ostenderit? Quid? quòd Theophilactus in caput Ioannis tertium & Chrysostomus homilia in Ioannẽ. 28. disertè negant, illud baptisma, de quo agimus, sacramẽtum esse, quod peccata remitteret, gratiaq; conferret? Quid? quòd Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, cùm duplex baptisma distinxisset perfectũ & imperfectũ, non obscurè docet, nisi in cruce & resurrectione nullum baptisma perfectũ esse? Quamobrem Ioannis baptisma fuisse imperfectum. Quid? q̃ Leo in epistola ad episcopos Siciliæ inscripta eorum omnino videtur sententiæ subscribere, qui contenderent baptismi sacramentum non quando Christus à Ioanne baptizatus est, sed post resurrectionẽ editum & constitutum? Quæ non eò dixi candide Lector, quò scholæ communes opinationes improbarem. Nos enim ea Theologia plus vtimur, in qua dicuntur ea, quæ non multùm discrepant ab opinione communi. Quid ergo est? Primùm opinionem à dogmate secerni & internosci volumus. Deinde Theologos admoneri, ne affectu animi, qui plerunq; breuis est & ad tempus, sed maturo iudicio de rebus hisce pronũcient, in quibus præsertim non rita facilè expediri potest, ad fidem pertineãt nec ne. Nam si in exemplo, quod modò posuimus, eas rationes scripturæq; testimonia liberet adiungere, quibus à contraria parte aduersus cõmunem scholæ opinationem pugnari potest. quæstio fortèin vtranq; partem adeò ambigua redderetur, vt difficile esset iudicare, vtracũ fide magis & religione consentiat. Sed, vt dixi, nõ disputo nunc, scholæ cõmunis opinio vera ne an falsa sit: quanquam ab instituto nostro non adeò fortasis alienũ, sed id ago, scholasticas opiniones oportere à decretis seiungere, fideiq; quæstiones ab his, quæ modò illuc transferuntur, & sine pietatis iactura põssunt in vtranq; partem disputari. Decreta, arctè tenere debemus, accurateq; defendere: opiniones, non item, sed si non cum Academicæ, at cum Christianæ modestiæ temperamẽto. Pro fide, etiam cum vitæ discrimine pugnandum sit pro his, quæ fidei non sunt, sit pugnandum, si ita placet, sed incruenta sit tamen. Hæc præscripta seruãtem licet magnificè, grauiter animoseq; disserere, licet iudicare constanter, verè, doctèq; & indoctis vtiliter. Quorsum hæc, inquies, nõ solùm lõgè sed lõgis etiam ambagibus repetita? Nempè vt explicaremus, id quod ca. superiore in conclusionibus breuiter significatum est, nos nõ in scholæ opiniones, sed in certa cõstãtiaq; de fide moribusq; iudicia iurasse. Hæc huius loci est defendere, illas alterius & loci & tẽporis. His igitur expositis facilè, vt opinor, tertiũ illud argumentũ refelli potest. Nego enim scholæ certo constantiq; decreto finitum, Matrimonium sine ecclesiæ ministro contractum esse verè & propriè sacramentum. Nego eam rem ad fidem & religionem attinere. Nego omnes scholæ Theologos id asseruisse. Hæc tria cùm docuero, argumentum positum omni ex parte refutatum erit.

Ostendam ergo primùm opinionem communem illam esse, nõ scholę dogma firmumq; iudicium. Qui hoc intelligi potest? Quia de hac re Theologi videlicet ita disserunt, vt nihil finisse velle videãtur. Lege Magistrũ, D. Tho. Scotũ, Bona. Ricar. Palu. Duran. cæterosq; scholæ Theologos, & nisi statim eorũ pendẽtes ac vacillãtes animos deprehenderis: tũ verò meaut stultum, aut temerarium iudicato. D. Tho. Bo. et Sco. Pa. Nam & cùm quærunt, an matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maximè finiendum erat, non definiunt tamen: sed in his referunt, quæ in hominum opinione sunt posita. In materia item & forma huius sacramenti statuenda adeò sunt inconstantes & varij, adeò incerti & ambigui, vt ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam, conetur efficere. Quòd si in forma & materia sacramenti, quæ res in sacramentorũ tractatione, vel grauissima est, ambiguè Theologi inconstanterq; loquuntur, nec definiunt omnino quicquam: cur in ea quæstione, quæ & leuior est & minùs ad sacramenti huius constitutionem necessaria, aliquid eos certũ præscripsisse fateamur? Conciliũ certè Florẽtinũ de materia, forma, ministro sacramẽti matrimonij præstituit nihil, id quod sine dubio faceret, cũ hoc in cæteris omnibus ecclesiæ sacramentis feciſſet, si de ijs rebus videret quid piam esse à Theologis in schola definitũ. Præterea, num Matrimonium sine ecclesiastico administro nouæ legis sacramentum esset, nec propriè & expresè in quæstionem Theologi vocarunt, nec via & ratione, vt solent, vestigarunt, nec argumentis vllis concluserunt. Qui igitur vult, eos sine disquisitione attenta, sine diligẽti tractatu, sine idoneis argumentationibus, certò de rebus Theologicis pronunciasse: hic videat, ne eadẽ operà illis & iniurius sit, & in rebus quoque grauissimis deroget fidẽ. Adde, q̃ in cõciliorũ scriptis ac summorũ Põtificum epistolis decretalibus id obseruandũ est, vt non quęuis simplex aut affirmatio aut negatio certum sit exploratũq; iudiciũ. Sed sunt notæ quædã peculiares, quibus certas conciliorum Pontificumq; definitiones internoscimus: quemadmodum libro quinto latiùs explicatum est. Cap. 5.

His ergo notis ac multò etiã magis schola quoque decretis secernendis vti debemus. Alioqui si quæcunque scholasticorum simplex assertio dogma fidei certum est: maior est profectò horum, quàm Pontificum & conciliorum auctoritas. Quòd si probari nemini potest, illud certè probari omnibus necesse est, Theologos hoc loco & quæstione nihil omnino definisse. Etenim nec sententiam aduersam hæreticam erroneamvè dixerunt, nec quod dixerunt, id firmiter catholicis amplectendum, breuiter nullam notam interposuere earum, quæ certa constantiaq; iudicia indicare solent. Quæ cùm ita sint, id quod primùm conficiendum erat, confectum est: Theologos ea de re, quam modò versamus, nihil certòet constanter decreuisse, sed incerta inconstantiq; opinione probabilem vnius sensum cæteros esse insecutos. Ita casu quodam cõmunis fortè consensio facta est. Cùm contrà vsu quoque venire potuerit, vt si primus asseruisset, nõ omne fidelium coniugium sacramentum esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, sed quod religiosè sacrateque fuisset constitutum, secundus, tertius ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur. Sequitur, vt ostendam, quicquid Theologos opinari contigerit, nihil tamen ad fidem spectare, an eiusmodi matrimonium ecclesiæ sacramentũ sit, an non sit. Quod, vt mihi videor, vno hoc argumento facile & euidenter expedio. Tres sunt res, quibus efficitur, aliquid ad fidem pertinere: aut enim in sacris libris habetur scriptum, aut apostolicis institutis est traditum, aut ex vtrislibet planè certa complexione & consecutione colligitur. Nulla autem harum rerũ efficere potest, matrimoniũ sine ministro prophanè cõtractum esse nouæ legis sacramẽtum. Vbi ego, si Thomistæ omnes, cum Scotistis existant, si cum antiquis iuniores volent contra me pugnare, tamẽ superior sim necesse est. Non enim, quemadmodum nonnulli putãt, omnia sunt in Theologorũ auctoritate. Est quædam tamen ita perspicua veritas, vt eam infirmare nulla res possit. Experiantur hic quantum possunt vires suas, siqui fortè contrà voluerint dicere, & cùm in hac eos causa sacræ literæ, apostolorum traditiones, Scholæ syllogismi destituerint: tum verò nisi rudes & tardi sunt, mecum omnino intelligant, eam quæstionem minimè ad fidem attinere. At argumentabitur quispiam, fidelium matrimonium esse nouæ legis sacramentum, non autem esse maiorem rationem de vno quàm de alio, omne igitur fidelium matrimonium esse sacramẽtum. Appelletur verò hic Theologus, aut hoc etiam nomine dignus putetur? Dum quidem ita argumentabitur, non modò Theologus, sed Philosophus aut etiam Dialecticus omnino habendus non erit. Anne ad hunc modum graues Theologi ratiocinantur? Anne hisce argumentis adducti de rebus fidei pronunciant? Equidem baptisma sacramentũ esse scio, sed si formam sacram ministrumve non habeat: baptismus erit, sacramentum non erit. Vnctionis quoq; sacramentum agnosco: sed sine sacra forma, sine ecclesiæ ministro, vnctio quidem esse poterit, sacramentum verò esse non poterit.

Pœnitentiæ demum sacramentum amplector: at sine forma sacra & ministro pœnitentiam reperio, sacramentum reperire nec debeo nec verò possum. Sic igitur, tametsi matrimonium sacramentum est, non ideò tamen coniugium quodcunq; venerari cogimur, sed id quod formam sacram habeat, & à vero ecclesię ministro consecratum sit. Alioqui, si quodlibet fidelium coniugium Theologis necessariò sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui coniugia, quæ solis nuptiis contrahuntur, negat esse sacramenta? Ac, nisi me fallit animus, rectè negat. Etenim non Magister & Diuus Tho. modò, verùm etiam concilium Florentinum docet, omnia sacramenta verbis constare, quæ si desint, nullum omnino confici sacramentum. Quòd si semel admittimus, formam sacramenti esse posse aliquando nutus verborum loco substitutos, nullo pacto effugere poterimus, quin & mutus sacerdos à peccatis absoluere, & mutus episcopus sacris initiare possit. Atque matrimonium non alijs quandoque nutibus cõtrahitur quàm carnali copula. Cùm enim post sponsalia sponsus & sponsa affectu maritali coeunt, fatentur omnes & iurisperiti & Theologi verum matrimonium confici. At carnis commixtionem nouæ legis propriè sacramentum dicere absurdum est. Spiritus quippe sanctus & sacramenti gratia per coitum non datur. 32. quæst. 2. cap. cõnubia. Non igitur ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse. Nisi quis adeò desipit, vt Caietanum damnet, qui & probabilissimè &, me quidem iudice, verissimè matrimonium, quod inter absentes per literas procuratores contrahitur, sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Caietanum errasse

erasse clamãt, hi non intelligunt nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmãt. Quòd si nullo idoneo & necessario argumento, sed stultis turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atq; adeò damnare quæ probabiliter & verè dicta sunt, tum nos in quiete & silentio taciti illorum stultitiam amentiamq; ridebimus. Concedãt illi, vnum pro altero sacramentum sumere, cùm pro altero contrahit. Concedant, sacramẽta Christi absentibus administrari, eisdemq; & gratiam conferre & peccata remittere. Nos enim, quoniam hæc absurda sunt, concedere potiùs volumus, eiusmodi contractus, qui inter absentes trãsigũtur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, non solùm non esse dogma fidei, omne fidelium matrimonium sacramentum esse: sed etiam contrariam omnino sententiam probabiliorem esse. Quòd si licuit Scoto ac Caietano, vt verè licuit, matrimonia, quæ vel non verborum sed rerum notis, vel per procuratores conficerentur, ab ecclesiæ sacramentis eximere: ecqua religio nos astringit, vt matrimonium, quod ciuiliter & prophanè Iudæorum, Saracenorum, Ethnicorum more sine sacris cęremonijs sineque ecclesiæ ministro contrahitur, sacramentum esse propriè fateamur? Præsertim cùm contraria sententia non modò probabilior, sed & ad catholicam fidem tuendam facilior, & ad Lutheranorũ tela depellenda solidior sit. Age verò, quando me in hunc locum deduxit oratio, quibus ego argumentis persuasus sum, eisdem Lectori persuadere conemur, matrimoniũ eiusmodi sacramentum propriè non esse, quod scilicet & signum sanctificationis sit, & eiusdem sanctificationis in sumentibus dignè causa sit. Quem laborem spero me non frustra susceperturum, cùm videam mecum & rationes & testimonia, & sacramentorum demum naturam totam mirificè consenti re. Illud verò mihi persuasi primùm, quoniam sacramenta propriè dicta sacræ sunt religionis cæremoniæ. Sacrorũ enim vsus ad religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quocirca sacramentum opus est religionis. In sacramentis quoque profitemur, nos salutem à Deo salutari quærere, hæc verò professio, quæ fidei interioris externa testatio est, ad eam virtutem attinet, qua Deo cultum exhibemus. Atque peccata, quæ in sacramentorũ abusu sunt, virtuti religionis aduersantur. Et Augustinus non quodlibet signum rei sacræ definit esse sacramentum, sed quòd sit sacrum signum. Quibus rebus efficitur, vt sacramenta diuini cultus ac religionis sacra quædam opera sint. Cùm igitur matrimonium solis verbis viri & fœminæ ciuiliter prophaneque contractum, licèt rei sacræ signaculum sit, non sit tamen opus religionis sacrũ: certè nõ est propriè sacramentum. Alioqui si rebus satis est significationem affigere, vt sacramenta dicantur, serpens æneus atque manna propriè sint sacramenta, atque adeò in vniuersum omnia, quæ gratia significandi res sacras instituta sunt. Id quoniam absurdum est, consentiamus, verum illud esse quod posuimus, cõnubia sine sacro ministro sineque aliqua religionis sacra cæremonia inita non esse Christianæ religionis sacramenta. *Decimo de Ciui. Dei. cap. 5.*

Deinde, concilium Florentinum enumeratis septem nouæ legis sacramẽtis, hęc omnia sacramẽta, inquit, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. At in matrimonio, quod modò versamus, nullus est sacramenti minister, nullum ergo conficitur sacramentum. Nec verò audiendi sunt illi, qui putabunt, virũ ac fœminã esse sibi vicissim sacramenti ministros. Quos ego manifestis argumentis euincerem, nisi ad alia grauiora se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stinaret oratio. Præterea, fideles non se existimant esse sacrilegos, si non sunt in gratia quo tépore sic prophanè contrahunt, in animis ergo fideliũ inscriptum est, eiusmodi contractum non esse ecclesiæ sacramentum. Nam si sacramentum esset, sacrilegium haud dubiè cõmitteret is, qui in peccato mortali coniugem duceret. Atq; si excõmunicatus matrimonium huiusmodi contraheret, sacrilegus quoq; bis esset, vtpote qui sacramentis ecclesiæ se indignè ingereret, quibus priuatus per ecclesiam est. Quæ omnia quàm abhorreant à fidelium communi sensu, facilè, etiam si ego non admoneam, intelligitur. Adhæc,

Epist. 23. Augustinus in epistola ad Bonifaciũ tradit, oportere res ipsas corporeas, quibus sacramenta constant, imaginem & similitudinem gerere eius sanctificationis, cuius signa & causæ esse dicuntur. Vt baptismus lotione exteriùs administrata spiritualis ablutionis, quam efficit, imaginem & figuram habet. Eucharistia refectione potus cibiq; visibilis inuisibilem refectionem adumbrat. Eodemque omnino modo in cæteris sacramẽtis externa quadam actione & representatione sanctificatio interior deliniatur, & quasi ob oculos ponitur. Matrimoniũ autem huiusmodi ciuile & prophanum nec sanctificationis imaginem gerit, nec ad sanctificãdum sub quadam exteriore sanctitatis specie exhibetur: Non est itaq; propriè sacramẽtum.

Præterea concilium Florentinum docet, idque Theologorum omnium decretum est, omnia sacramẽta verbis constare tanquam forma, qua perficitur sacramentum. Incredibile est autẽ nisi à forma sacra sacramentum perfici. Quemadmodum enim humana forma hominem efficit & albedo facit album, ita prorsus necesse est à forma sacra quodcunq; sacramentum existere. Atqui in matrimonio, quod ciuili more prophaneq; cõtrahitur, nulla verba sacra sunt: nulla igitur est ibi sacramenti ne facies quidem. Nec verò dici potest, verba, quibus vtuntur contrahentes, nempè, ego te accipio in meã, &c. esse huius sacramenti formam. Primò, quia verba eius, qui suscipit sacramentum, materia sacramenti esse possunt, forma esse non possunt. Forma siquidem ab agente existit in passum mediantibus causis administris. Sacramentorum ergo formæ à Deo per sacrorum ministros in eos prodeunt, qui sacramenta recipiunt. Id quod inductione manifestissima liquet in omnibus sacramentis, quæ sine controuersia sacramenta sunt. Tum quia in omnibus sacramentis, licèt materia sit res aliqua naturalis & quæ antè in humanos vsus conferri soleat, forma tamẽ supernaturalis sit oportet, cuius scilicet & vis & significatus non à natura, sed à causa quadã superiore oriatur. Cùm enim sacramentum quiddam supernaturale sit, forma, qua constituitur, per fidem accipienda est, non item per naturã. At illa verba, ego te accipio in meam, vndique naturalia sunt, atque omnibus vsurpata gentibus, quæ etiam sine fide contrahunt. Adde, quòd forma sacramenti significat eum spiritualem effectum, cuius causa sacramẽtum esse dicitur. Nam sacramenta vt in scholæ prouerbio est, efficiũt quod figurant. Significatio autem sacramenti in forma vel maximè elucet. Illa verò verba, ego te accipio in meam, nullius effecti spiritalis signa sunt. Verba insuper, quę sunt sacramẽtorum formæ, diuina institutione præscripta & determinata sunt, neq; possunt hominum arbitrio immutari, quemadmodum D. Tho. in tertia parte demonstrat. At verba, quibus matrimonium contrahendum sit, nulla sunt omnino definita: sed innumeris verborum formis non synonymis, sed varijs & dissimilibus eiusmodi contractus fieri potest. Non ergo verba illa, quibus vtũtur sponsus & sponsa ad contrahendum, forma sacramenti Christiani sunt. Præterea, quando verba aliqua sunt forma sacramenti, si nutus vel scriptura, vel aliud vnumquodlibet

libet signum eorum loco verborũ substituitur, inanis nimirũ actio est. At si contrahẽtes loco verborũ nutus vel scripturam supponãt, æquè cõficiunt matrimonium, acsi verborum millibus vterentur. Quòd profectò, si quis rectè consideret, nõ leue argumentũ est, cur verba contrahentium huius sacramenti materia sint. Nam præterquàm q̃ materiam sacramenti is, qui suscipit, administrare potest, formam nõ potest: cùm in idem fortè sacramentum verba loco materiæ formæq; recurrunt, pro verbis, quæ materiæ vicem habent, nutus aliaq; signa poni possunt, pro verbis autẽ, quæ formæ vice sunt, poni non possunt. Quæ res in pœnitentiæ sacramento facilè cernitur. Verba igitur contrahentium, pro quibus omnino verbis signa quæuis alia substituere licet, materia sacramẽti esse fortasse queant, forma non queant. Id quod hoc etiam argumento confirmari potest. Nomen enim sacramenti pro materia accipi solet, pro forma non item: quemadmodum D. Tho. egregiè diserteq; docet 4. sen. d. 1. q. 1. art. 1. q. 5. ad. 1. & dist. 3. q. 1. ar. 1. q. 1. ad. 2. Baptismus enim, id est, ablutio sacramentum est, non illa verba, Ego te baptizo, &c. Vnctio, confirmatio pœnitentiaq; similiter. Verba autẽ contrahentium sunt sacramentum, vt idem auctor testis est additionum. q. 44. art. 1. ad. 1. Dicimus nanq; matrimonium esse sacramentum. Matrimonium autem contractus ille est, qui ex amborum verbis constituitur. Verba igitur contrahẽtium materia sacramẽti sunt, forma non sunt. Iam illa falsa & commentitia esse quis non videt, quæ iuniores Theologi confinxere, vt ciuilem hunc humanumq; cõtractum Christi & ecclesiæ sacramentum esse tuerẽtur? Quæ quidem plæraq; infidelibus valde nugatoria sunt, fidelibus autem parùm solida. Hic tibi dicit contrahentes ipsos esse materiam sacramenti, hic, non ipsos, sed consensum, alius, gestus & nutus, qui à viro fœminaq; exceptus verbis adhibẽtur, alius, prioris loquentis verba materiã esse affirmat, posterioris formam. Quæ vtinam grauiter, verè, probabiliter dicerentur: ne iure ab hæreticis rideremur. Quorsum autem attinet, in re grauissima tenuiter, ne dicam ridiculè, philosophari? Quorsum in re ad fidem & religionem necessaria tanta varietas & inconstantia? Non enim, vt Hieronymus ait, potest vnquã verum asseri, quod diuersum est. Et rursus, verum, inquit, non esse quod variat, etiã maledicorum testimonio comprobatur. Quid? q̃ materiam nos & formã sacramenti quærimus, hoc est res quasdam religione sacras, hi verò de forma materiaq; cõtractus prophani naturalisq; respondent. Nam, si apud Ethnicos de pacti illius cõuentionisq; materia & forma controuersia esset, non aliter profectò illi ac nostri Theologi loquerẽtur. Ita Lutherus more suo Theologos satis iocosè lusit, q̃ religionis nostræ sacramentum ex his, vel integrum & perfectũ constituissent, quæ penitus omnia in matrimonijs paganorũ reperirẽtur. Ac certè materiã & formã ciuilis naturalisq; contractus, quibus in omni semper lege oẽs vsi sunt, quæq; perpetuò & fidelibus & infidelibus fuere cões, easdem omnino esse materiã & formam, quibus integra & perfecta nostræ religionis constituantur sacramenta, non Luthero dicam, sed vix cuiquã persuaderi poterit, nisi ei, apud quem tantum opinio præiudicata potest, vt etiam sine ratione valeat. Equidem cùm ad respondendum argumentis Lutheri me comparo, quibus ille multipliciter sacramentum hoc conatur euertere, non id defendendum sumo, matrimonium eiusmodi sacramẽtum esse, in quo nulla sacri facies appareat, quodq; vniuocè cum cæteris sacramẽtum esse ne cogitatione quidẽ informari posse videatur. Sed siue nostra opinio vera siue falsa sit, nihil enim moror, si Lutherani de hoc matrimoniorum genere disceptare voluerint, intelligant se in scholæ disceptationes incurrisse. Nec oportere catholicum ad eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum argumenta respondere. Sin verò argumententur, matrimonium cum sacris cęremonijs, cum sacra materia, cum sacra forma, à sacro ministro administratũ, quem admodum in ecclesia Romana semper vsque ab apostolis administratum est, si hoc, inquam, argumententur: sacramentum ecclesiæ non esse, tunc catholicus respondeat fidenter, animosè defendat, securè contrà pugnet. Poterit enim consentaneas causas omni poscenti reddere de ea, quæ est in ecclesia, firma, perpetua, constansque, doctrina. Poterit fidem quoq; nostram & suauiter insinuare fidelibus, & grauiter ab infidelium calumnijs vindicare. Quam ego cum Lutheranis disputationem libentissimo nunc animo aggrederer, si id huius libri institutum pateretur. Video autem me, plus q̃ ratio argumenti positu postulabat, digressum esse. Si digressio tamen dicenda est, vbi quod in vtranq; partem adeò probabiliter disputari potest, hoc nos contendimus non ad catholicã fidem, sed ad scholæ opiniones referẽdum. At ea res verbis paucioribus addici poterat. Poterat sanè. Verùm difficile est, vt in omni loco verba rebus quasi paria & demensa respondeant. Et libuit tandem quamplurimis argumẽtis addicere, sine ecclesiæ ministro coniugij sacramentum nullum esse, vt inde pateret eam quæstionẽ nullo modo ad fidẽ attinere, quod secũdo loco pollicitus sum. Attende nũc Lector, dum illud, quod postremum erat, absoluimus. Non omnes, inquam scholæ Theologi in eam sententiam conuenerũt, quemadmodum in argumento sumitur. Quin etiam nonnulli graues auctores no biscum sentiunt. Atq; in primis Guillermus Parisien. in libro de sacram. tracta. de Matrimonio. c. 9. q. 1. negat, matrimoniũ veri nominis sacramentum esse, & sacramentalem virtutem habere, nisi sacerdotali ministerio cõsecratum fuerit. Nam Magistrum & Durãdum non refero, qui in vniuersum opinantur, matrimonium gratiam non cõferre. Qui profectò hoc loco non errassent, nisi cõmunis opinio in extremo posita eis vehementer improbaretur. Patres item concilij Colonien sis ãpertè inficiantur, clandestinũ matrimonium esse propriè sacramẽtum, atq; ijdem quoq; non obscurè asserũt, aliud esse verbum, quo cõtrahitur matrimoniũ, aliud, quod efficit matrimonij sacramentum. Nec satis esse ad sacramentum ea verba, quibus mutuus consensus exprimitur. Sed aliud verbum requirendum, quod, vt in cęteris sacramentis, accedens ad elemẽtum faciat sacramentum. Quod vtiq; verbum fidei sit, non naturæ. Quorũ in hoc sententiam difficile est factu non probare. In eo non probo, q̃ verbum illud, quo sacramẽti forma cõtinetur, nõ inde petũt, vnde semper catholicis petitum est. Enimuero quibus ritibus quibusq; omnino verbis sacramẽta ecclesiæ conficienda sint, non aliũde verius, tutius, cõstantiùs peti potest, q̃ ab ecclesiæ Romanæ perpetua consuetudine. Sed de his nõ est hîc locus disserẽdi. Alio fortè opportuniùs propriã huius sacramẽti materiam & formã explicabimus. Nũc ad id, quod instituimus. Non ij solùm, quos diximus, nostræ sententiæ assentiuntur, sed Petrus Palud. 4. senten. dist. 5. q. 2. imprudens in eam quoq; descendit. Nam quum vir & fœmina ciuiliter contrahunt, etiam si peccatores sint, nec pœnitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegij. Id quod nullo modo probabile esset, si eiusmodi matrimonium esset verum ecclesiæ sacramentum. Omnes quippè sine cõtrouersia sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine pœnitentia Christi sacramenta percipiunt. D. verò Thomas licèt in scriptus cõmunes ferè opiniones sequeretur, sed à veritate tãdem rationeq; coactus nostræ opinioni subscripsit. Cùm enim in. 4. dist. 1. q. 1. art. 3. docuisset, verba in omni sacramento necessaria esse, quinto id argumento impugnauit in hunc modum. Pœnitentia & matrimonium sunt sacramenta: sed

Vide etiam eundem. capite. 1. de baptismo.

ta: sed de integritate eorum non sunt verba aliqua. &c. Cui argumẽto ille quidem respõdit, q̃ matrimoniũ secundùm quòd est in officium, & pœnitentia secundùm quòd est virtus, non habent aliquam formam verborum. Sed secundùm quòd vtrunq; est sacramẽtum in dispẽsatione ministrorum ecclesiæ consistens, vtrunq; habet aliqua verba. Hactenus D. Thomas. Et. 4. lib. aduersus gent. c. 78. non aliter docet, nuptias sacramentum esse, nisi ad modum, quẽ diximus, per ecclesiæ ministros populo dispensentur. Ea, inquit, quæ per ministros ecclesiæ populo dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundùm quòd consistit in coniunctione maris & fœminæ intendentem prolem ad cultum Dei generare & educare, est ecclesiæ sacramentum. Vnde & quædam benedictio nubẽtibus per ministros ecclesiæ adhibetur. Hæc ille. Ac patrum quidem memoria matrimonium propriè esse sacramentum, ita demum proditum est, si sacerdotis ministerium interueniat. Sic Calixtus in epistola ad oẽs Galliarum episcopos, pdit. Sic Cyricius ad Cumeriũ Tarraconen. episcopũ. c. 4. Sic Nicolaus 31. q. 2. c. Lotharius. Sic Hormisda, Euaristus, Isidorus, quos refert Gratianus. 30. q. 5. prodidere. Sic cõcilium Carthag. 4. c. 13. referturq;. 30. q. 5. c. sponsus. Sic concilij Lugdu. & refertur. 35. q. 3. c. Nulli. Sic concilium Lateranen. de symo. c. cùm in ecclesiæ corpore. Sic cõcilium Constãtien. sub Martino. 5. in fine cõcilij. Sic Clemens de priuile. Religiosi. Sic Ambr. lib. 1. epi. epist. 1. quæ scribitur ad Vigilium. Quorũ ego testimonia, nec adscribo, nec expendo, quoniam, vt dixi, alterius & loci & temporis est disputatio. Certè Euaristus matrimonium clandestinũ sine sacerdote contractũ: tantum abest, vt sacramẽtum ecclesiæ fateatur, vt adulterinum etiã contuberniũ appellet. His adde, q̃ nostræ etiam opinioni subscribunt iurisperiti propemodùm vniuersi. Qui, quum negant matrimonium gratiam conferre, sine dubio id intelligũt de contractu ciuili, quem sacramẽtum latiùs vsurpato vocabulo appellant. At cùm administratio sacerdotalis accedit, non obscurè iurisperiti tradunt, per actum sacerdotis consecrãtis coniugium gratiam cõferri. Ideoq; non licere pro eo pecuniam accipere: quia sacramentum ecclesiasticum est. Vbi iure consulti probabiliùs, vt equidem sentio, quàm Theologi loquuntur. Tametsi Theologi etiam quidam docti sanè & graues inuenti sunt, quibus communis illa reliquorum sententia displiceret. Pro qua si qui adhuc cõtra nos steterint, non habent statim nostra placita damnare, sed idonea aliqua argumentatione refellere. Ego enim etsi non is sum, qui nihil vnquam falsi approbem, sed ea, quæ dissero tamen, non arroganter præiudico, nec reuoco ad arbitrium meũ; sed vel sanctorum testimonijs, vel ratione probabili consentaneaq; confirmo. Sic iure ac merito possum à viris doctis postulare, vt de me nõ nisi causa cognita iudicẽt. Quòd si rationibus, quibus ego ducor, falsam me habere sententiam doceant, gratissimè accepturus sum. Vt verò sine argumentis quisquam sola me asseueratione vincat, fieri certè vix potest. Sed de scholæ auctoritate dictum est satis.

1. 4. consanguineum.

In epi. 1. de ordinatiõe suorum.

¶ *Cap. Sextum, De auctoritate iuris Pontificij prudentium.*

ATq; hic quidem liber concludi iam poterat, nisi Theologiæ iuris pontificij prudentia iungeretur, essetq; proinde hoc etiam loco explicandum, quantum iuris huiusmodi prudentium auctoritas Theologo ad argumẽtandum conferat. Sunt enim quidam vsque adeò in ea facultate doctis infensi, vt illorũ auctoritatem ab vsu prorsus Theologiæ remotã esse arbitrentur. Nos verò huiusmodi doctorũ auctoritas quanti sit Theologo facienda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

paucis oſtendemus,illo principio ſumpto, Theologis,qui pōtificum canones ignorent, nimisq; multa deeſſe ad vſus Theologiæ neceſſarios.

D.An.3.p. Tit.22.c4. 2.§.6. Principio enim ſi à Theologis animarū cura nō eſt aliena, ſed potiùs animas regere eorum quaſi peculiare munus eſt,proculdubiò canonici iuris ſciētia eſt illis neceſſaria.Nam quemadmodum non eſt in abbatem eligendus, niſi qui antè fuerit in regula competēter inſtructus vt.c.officij. de electio.Inno.tradit, ita ne cura quidem eccleſiam gubernandi eſt ei committēda, qui eccleſiaſticas regulas neſcit. Theologus igitur,qui vel epiſcopus vel parochus futurus eſt,niſi canones antè didicerit,quibus fideles debent in Chriſtiana religione & eccleſiæ cæremonijs inſtitui, non habebit profectò ad rem hanc publicam gerendam Theologię officinā ſatis inſtructam. Atque hinc illa ſunt ex Cæleſtino,Leone, Auguſtino,ſeptima ſynodo,cōcilio Carthaginen.cōcilio Toleta.4.cōcilio Aurelianen.4. Quæ partim à Gratiano,partim à Burchardo referūtur. Quibus omnibus locis idem omnino præſcribitur, hoc eſt, ſacerdotes Canonum eccleſiaſticorum oportere eſſe peritos. Epiſcopis item iuris canonici intelligentiam eſſe neceſſariam, facilè oſtenditur ex.c.accedentibus.de exceſſi.prælat. Vbi definit Pontifex, ad Epiſcopum pertinere de cauſis matrimonialibus cognoſcere, publicas pœnitentias.vel iniungere,vel tollere,indulgentias concedere. At hæc omnia niſi ſciat, quomodo & quatenus per ius liceant,nullā ratione ritè agere poteſt. Qua de re quoniam latè diſſerunt Innocen.Hoſtien.Anto.de Butri.Cardin.Abbas,& cæteri iuriſperiti in.c. Cùm in cunctis.de electio.& in.cap. Niſi cùm pridem.de renun.& in cap.1.de conſanguini.& affini.Gratianus quoq;.21.diſt. Coſmus in pragma. ſanctione Gallicana. titu.de collatio.§.taliter. Ioannes de Anania in ca.quia nonnullis.de magiſtris.Auguſt. de Anco. in libr. de poteſtate eccleſ.

Gratia. 18. & 21.diſt. Burchar.libr.2.c.159.

quæſt.108.arti.3. Anton.3. part.titu.5.cap. 2.nos hîc nihil ſuperaddemus. Solùm argumentabimur, canonici iuris cognitionem Theologo eſſe perneceſſariam. Cùm enim Theologi propria functio ſit, exhortari fideles in doctrina ſana,ijdē quippè Theologi, qui magiſtri animarum eſſe dicuntur, doctor verò eccleſiæ non diuinas modo leges, verùmetiam eccleſiaſticas populum docere debeat, abſurdum ſanè eſt,auferre à Theologi munere canonum diſciplinam. Nam licèt in ſcriptura ſacra præcepta viuendi maiori ex parte tradantur,ſed, vt Cardina. Turrecrema. in prooemio Decreti docet, doctrina morum in ſpecie, ſecundùm gradus ſingulos & ordines officiorum eccleſiæ ſine iuris eccleſiaſtici cognitione non habetur.At ſermones morales abſoluti eſſe nequeunt,ſi generatim & non ſpeciatim habeantur, vt Ariſto. in ethicis ſuis monet. Ad diſciplinæ igitur eccleſiaſticæ cumulum theologus nimirum ſacras eccleſiæ leges debet addiſcere. Confirmat autem hoc vel maximè Conci.Lateranen.ſub Innocen.3.in cap. Quia nonnullis.de Magiſtris. Præcipit enim, quòd theologus in Eccleſia Cathedrali ad docendū conſtitutus ſacerdotes doceat in ſacra pagina, & in his præſertim informet,quæ ad animarum curam ſpectare noſcuntur. Atqui in canonibus plurima ſunt inſtituta,quæ ad animarum pertinent curam: canones igitur non habet theologus ignorare.

Præterea, omnis doctrina diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, arguendum, & corripiendum, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. 2. Timoth. 3. At canones eccleſiaſtici inſtinctu Spiritus ſancti ſunt editi, vt Damaſus ait. 25. quæſtione prima. capit. Violatores.

Præterea Theologi à ſummo pōtifice & epiſcopis aſciſcuntur tanquā adiutores & cōminiſtri non ſolùm in prædicationis officio,verūetiam in audiendis confeſsionibus

nibus & pœnitētijs iniungēdis,ac cæteris eiuſmodi,quæ ad ſaluté animæ pertinent: vt tum ex cap. inter cætera.de offi.iudi.ordina.tum etiam rerum experimento docemur.Confeſsiones autem audire,ac pœnitētias,iniūgere ſine iuris peritia vix quiſque poteſt. Nam, quod Caietanus dicit, pœnitentes in excommunicationibus,ſuſpenſionibus,irregularitatibus,alijſq; eiuſmodi pœnis, ad iuriſperitos remittendos eſſe ne cōfeſſor ipſe alterius facultatis onere prægrauetur,id ignoro prorſus, quēad modū ſine magnis incōmodis fieri queat.

In ſumma. verb. confeſſori neceſſarie.

Primùm enim interdum in pœnas iuris incurrunt fœminę, quas pro conſcientiæ remedio iuriſperitorum adire domos abſurdum erit, ac certè parum muliebri verecundię cōſentaneum. Deinde etiam, cùm iuriſperiti & ſcientiā & verba locare ſoleant,ad confeſsionis ſacramentum nō niſi priùs data pecunia erit acceſſus. Adde,quòd homines vel ſacerdoti verentur ſua peccata detegere.Quòd ſi ad iuriſperitos etiam relegentur,ſacramenti huius onus grauius efficietur,quàm vt ferri ab imbecillis poſsit. Sed quid ego incommoda numerare pergo, in quæ confeſſores incidant neceſſe eſt,atq; adeò pœnitētes,ſi cōfeſſores ipſi canonum ſunt ignari? Cū manifeſtiora ſint,quā vt indicare debeamus. Fatendum eſt igitur iuris peritiam theologis magno vſui futuram. Nec adeò lōgè repetita argumenta conquirere opus eſt, cùm paſſim ipſi videamus, quanta canonum multitudine theologorum ſint referta volumina,illorum præſertim, qui indices quæſtionum ſcripſere, quas ſummas nuncupare conſueuimus. Vbi quantum ius canonicū theologis conferat, vel ipſi iudices eſſe poſſunt,qui,quantumuis eximia doctrina polleant,has & legunt,& amant epitomas. Sed & ſumma ipſa Caietani, ſi, quæ ex iuræ canonico multa continet, demas,magna ex parte imperfecta reperietur.

Præterea,cùm ad theologum nullæ cauſæ frequentiùs referantur, quàm matrimonij,ſi non reſpondeat, indoctus habebitur,ſin citra iuris peritiam reſpōdeat, ne dicam impudens, erit imprudens. Nam, vt Alexand.cap. primo.de con.& aff.tradit,cauſæ matrimonij non ſunt tractandæ per quoſlibet: ſed per viros diſcretos, & qui ſtatuta canonum non ignorent. Adhæc,ſummorum pontificum decreta à iure diuino, hoc eſt, à libris vtriuſque teſtamenti dimanaſſe creduntur, id quod habes de tranſla.epi.cap.1. & de accuſa.ca. Qualiter & quando.ſecundo. Cùm ergo Theologia ex eiſdem fontibus ſuos riuulos ducat, ineptè nimirum theologus faciet, niſi opera ſummorum pontificum velit vti: qui cùm multorum conſilijs exquiſitis, tum ſpiritu ſancto ſuggerente ex diuinis oraculis dogmata & leges, ſiue ad fidem ſiue ad fidelium mores, & eccleſiaſticos ritus,& cęremonias collegerunt.

Item theologica facultas non eſt eiuſmodi,vt tantummodò animo rem cernat,ſed etiam aliquid mōlitur & facit.Eſt enim,vt ſcholæ verbis vtar,partim ſpeculatiua,partim practica, quēadmodum Diuus Thomas, prima part. quæſtione prima. articulo quarto. demonſtrat. At iuris canonici diſciplina Theologia quædam practica eſt, vt Aluarus Pelagius docet libro de planctu eccle.ſecundo.articu.20.tum, quia eius facultatis finis eſt, dirigere animas per canonicas leges in ſalutem æternam: tum etiam, quia in ſolo volumine decretalium multi caſus & articuli continentur vtiles & neceſſarij tam in conſilijs animarum & pœnitentię foro,quàm in regendis & diſponendis eccleſijs & rebus eccleſiaſticis. Agit enim liber ille de baptiſmo, de ſacra vnctione, de celebratione miſſarum, de Matrimonio, de ordinibus & cæteris ſacramentis: de ſtatu Monacho. de clericorum honeſtate,de voto,de iureiurando,atque alijs eiuſmodi. De Symonia, de Periurio,de vſuris, de furtis, & reliquis id genus criminibus.

Vide Inno. ſuper prooemio Decretalium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de irregularitate, suspensione, excommunicatione, interdicto, pœnisq; similibus. Quæ omnia si theologus ignoret, non solùm idiota erit, vt cap. ex multa. de voto. Innocentius vocat, sed in multis, præsertim quæ ad actionem pertinent, & ad mores christianos hallucinabitur. Atq; vtinã theologi, qui iuris canonici sunt penitus ignari, vel à decernẽdis conscientiæ casibus abstinerent, ne imperiti risui haberentur, cũ de his nonnunquã respondent vt magistri, quæ nunquã vt discipuli didicerunt, vel certè ea essent modestia prædити, vt iurisperitos consulerent, ne diuinãdo de sensu proprio responderent. Quòd si docere vellemus in quot errores theologi nonnulli ob iuris pontificij ignorationẽ incurrerint, facillimũ quidẽ esset, nisi esset longũ, & aliò nostra oratio properaret. Sẽtiamus igitur, id quod positum est, iuris canonici doctrinã theologo esse valde necessariam, eò vel maximè, quòd summi pontificis, & conciliorum auctoritas, quæ huius doctrinæ voluminibus cõtinetur, theologis arguméta subministrat propria theologicę facultatis: vt abundè duobus antè libris demonstratum est.

Caput septimum.

SEd enim hoc posito non adhuc appareret, cuinam vsui iuris interpretes & professores theologis differentibus esse possint: quæ vè argumenta & qualia, eorum auctoritas theologicis disputationibus administret. Id quoniam nemo, vel leuiter attigit, dicam ego, vt potero, incõditè fortasse, sed tamen vtres possit intelligi. Iuris pontificij volumina circa varia rerum genera versantur. Primũ enim catholicã fidem & profitentur & explicãt, vt in titu. de sum. trini. Deinde de moribus definiũt & religione Christiana, quantum aut ex euangelica lege aut naturæ ratione definiri licet: vt videre est in titu. de vsura, de iureiurando, de diuortijs, de symonia. Præterea differunt quoq; de moribus ecclesiasticis, deq; religionis cęremonijs, & officijs ministrorum ecclesiæ quatenus hæc omnia disponuntur legibus positiuis. Nam scholastico verbo libenter vtimur nec grammaticorum censuras pertimescimus. Alioqui, vt Aristoteles ait, res grauissimæ interdum nitore verborum atq; ornamentis immodicæ diligentiæ deformantur. Atq; hæc mihi causa est, cur sermone eo quandoq; vtor, qui scholæ notus est, ne, vt quidam latinissimè loquentes, ab scholæ theologis iure optimo irridear. Quoniam verò scio, graues sentẽtias inconditis verbis elatas, delicatiorũ præsertim aures offendere, adhibere soleo sermonis munditiam, non odiosam nec exquisitam nimis, tantùm quæ fugiat agreste quorundam negligentiam. Sed ad rẽ. Humanas ego leges de ritibus & moribꝰ ecclesiasticis, quoniam sic vocant, positiuas appellaui. Quales sunt multæ in titu. de celebra. Missa. de cleri. peregri. coniugatis, &c. de ætate & qualit. ordi. de obser. ieiu. & breuiter in lib. 1. decre. de officijs iudicum. & in. 2. de ordine iudiciario. Postremò autem huiusmodi pontificia iura præscribunt pœnas his qui leges, vel euangelicas, vel naturales, vel etiam ecclesiasticas perruperint, vt in titu. de ex co. de rapto. de apostа. de hæreti. licet cernere.

Hoc igitur fundamento posito, sit prima cõclusio. In his, quę ad fidẽ pertinent, iurisc̃ consultorũ auctoritate theologus nõ eget. Quin potiùs eorũ titulorũ expositionem, qui de fide decernunt, legisperitus à theologo mutuari debet. Ratio verò in prõptu est. Siue enim põtifices seu cõcilia, quæ in volumina iuris cogũtur, quicquã definiant, quod ad fidẽ spectare videatur, id certè, vt alio iã loco explicuimus, nõ ex sensu suo, sed ex sacris literis atq; Christi & Apostolorum traditionibus colligãt necesse est. Cũ ergo principia, vnde põtifices & concilia ad quæstionẽ fidei decernẽdam proficiscũtur, propria sint Theologicæ facultatis, cuius est cognoscere, quæ à Deo sunt reuelata, quæq; his sunt, vel cõsequentia, vel repugnantia: planè conficitur, in eiusmodi rebus canonum sacrorũ intelligentiam nõ à iurisperitis, sed à theologis esse petendam. Id quod patres, quibus est fidei cognitio mandata, libenter agnoscunt. Non enim priùs quenquam hæreseos crimine damnant, quàm theologi definierint, quod in iudicium venit, id hæresim esse.

Primum.

Quæ cùm ita sint, non video equidem quónam consilio nunc apud nostros in negotio cognitionis fidei partes postremæ, ne dicam nullæ, theologis permittãtur, iureconsultis verò vel primæ vel etiã omnes. Cumq; præcipuus sit in hoc negotio labor decernere, quid hæresis sit, quid hæreticum faciat, quid fides teneat, quid contrà cum fide pugnet, quantum & quatenus doctrinæ sanæ ac catholicæ aduersetur, id quod reus asseruerit: ad reorum quidem pœnas decernendas, quod posteriꝰ est, decreti sunt in republica iudices, ad illud autem, quod & grauius est, & in fidei negotio prius, nullos habet respublica theologos patres conscriptos, quorum de culpis iudicium, cùm de pœnis iudicant, iurisperiti sequantur. Faxit Christus, cuius hęc causa est, vt principes Christiani, qui huic operi, quo fides & religio continetur, libẽtissimè fauere solent, rem quam semel cœperunt, absoluant, & grauissimo tribunali theologos probatissimos, probatissimos inquam, adiungant, ad huius diuini negotij absolutissimam moderationem. Id enim si fuerit ecclesiæ præstitum, nihil erit, quod in sanctissimo & maximè necessario inquisitionis officio desideretur. Sed de prima conclusione satis. Iam pergamus ad reliquas.

Secunda cõclusio.

Secunda conclusio. In his etiam, quæ ad mores pertinent, quatenus vel lex euãgelica, vel ratio Philosophiæ de huiusmodi præscribit, iureconsultorum auctoritas parum aut certè nihil theologo cõferre potest. Quin rectam & sanam earum rerum cognitionem iurisperitià theologis mutuam accepturi sunt. Nam quemadmodum Musicus ab Arithmetico conclusionũ suarum rationem sumit, quòd hæ conclusiones à principijs Arithmeticæ deriuantur, ita & si quæ dogmata de moribus ius pontificum, vel ex euangelio vel ex Philosophia colligit, ea sanè tanquã à, pprijs principijs accepta theologꝰ agnoscet, rectiusq; & intelliget, & interpretabitur. Qua ex re facilis coniectura est, iurisperitos quosdã in summo erroꝛe, & magna veritatis ignoratione versari, cùm asserũt in materia vsurarum, simoniæ & alijs eiusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad iurisperitos potiùs quàm ad theologos recurrendum. Quo in errore fuerunt Ancharranus in disputatione, cuius initiũ est, Antiquis & modernis temporibus. & Ioannes de Anania in cap. in ciuitate. de vsuris. & Alexander in consilio primo. & Aluarus Pelagius lib. 2. ar. 20. & Hostiensis in cap. penul. de æta. & quali. ordi. Quos tamen non est difficile refellere. Nam cùm theologo sacrarum literarũ cognitio propria sit, quæcunq; de moribus vel in sacris literis continentur, vel ex eisdem per certam connexionem conficiuntur, vbiuis theologus inuenerit, ea tanquam sua vendicabit: iurisperitus autẽ vt aliena mutuabitur. Cũq; rursum Philosophiæ principia à theologis etiam habeantur, vt qui de virtutibus & vitijs, de fine humanę vitæ, deq; actionibus, quibus ad hunc finem peruenitur, longè lateq; disserant, & super harum rerum iactis fundamentis morum fabricam extruant: certè quæ in iure de moribus ex principijs naturæ ratione constitutis præscribũtur, ea theologus quasi suo sibi iure assumet, iureconsultisque exposita & enucleata tradet.

Tertia cõclusio.

Tertia conclusio. In tertio illo genere rerũ, vbi scilicet de moribus ecclesiæ & religionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

gionis inſtitutis per leges tantùm pontificias decernitur, in illo etiam poſtremo, vbi pœnę iuris prę finiũtur, iuriſperitorum omnium communis conſenſus concorsq; ſententia, theologo magnam fidem facere debet, ſi quando incidat quæſtio circa res huiuſmodi. Vt ſi exempli cauſa, veniat in dubium, an hic aut ille homo ſit vel irregularis vel excommunicatus vel interdicto vel ſuſpenſioni obnoxius. Item an delegatus poſsit ſubdelegare, an epiſcopus in his illis vè poſsit diſpenſare, ſcholæ verbis liceat vti, an eccleſiæ paſtor ritè ſit electus, num iudex eccleſiaſticus cauſam in iudicio legitimè definierit. In his aliiſq; ſex centis huius generis theologus inſolentiſſimus erit, ſi quod ignorat, iudicarit: inſolentior, ſi poſteaquã iuriſperitos conſulue rit, omnium auctoritati refragabitur. Etenim, vt aliàs ſæpè diximus, cuiuſque rei peritia non alijs certiùs meliuſque contingit, quàm eiuſdem rei peritis hominibus. Ita, doctiſsimis quibuſque in arte ſua fidem habere opus eſt. Iuris ergo pontificij prudentibus in his quæ propria ſint illius facultatis non credere, erit profectò temerarium.

Deinde in eiuſmodi canonum interpretatione eccleſiæ iudices & adminiſtri, concordem omnium iureconſultorum ſententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel iudicijs eccleſiaſticis, ſuo ſenſu & non communi iuriſperitorũ omnium duceretur, ſine dubio ſuo illũ iudicio eccleſia coërceret. Ita eccleſia vſum iudicum approbando, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in eccleſiæ adminiſtratione ſequuntur. Nec alienum eſt à vera coniectura Chriſtum dominum iuris huius peritis quodámodò etiam adeſſe in legum eccleſiaſticarũ vera interpretatione. Cũ enim ſacri canones inſtigante ſpiritu ſancto ad eccleſiæ ſint vtilitatem editi, vt Damaſus Papa deſinit, conſentaneum eſt, vt eccleſia, cui canones illi ſunt neceſſarij, quò in religione & moribus eccleſiaſticis contineatur, interpretes à Deo ſanos acceperit earum legum & inſtitutorum, quibus eſt adminiſtranda. Parum enim profuiſſet leges mortuas in membranis ſcriptas habere, niſi haberet quoq; reſp. Chriſtiana viuos interpretes, qui rectum earum legum ſenſum aſſequerentur. Deus itaque, quoniam nó deficit in neceſſarijs, non in theologos ſolũ, ſed in iuris pontificij peritos ſpiritum veritatis effudit. Quapropter ex cõcordi omnium ſententia probabiliſsimum argumẽtum ſumere theologus poteſt ad eas quæſtiones decernendas, quæ circa illa duo rerum genera poſteriore loco poſita exorientur. Exorientur autem in vtroq; genere plurimę, quarum definitionem theologis ignorare fas non eſt: his vel maximè, qui aut laicorum & clericorum confeſſiones audiunt, aut etiam Theologiam in academijs profitentur. Hi enim, quoniã de multis, quæ ex iure pẽdent, magnũ munus reſpõdendi ſuſtinent: ſi reſpõſa atq; decreta iurisconſultorum negligant, periculoſè nonnunquã ac turpiter errabunt. Quæ autem cũ viris in ſua quibuſq; arte peritis cõſulũtur, ea aut minimo, aut nullo certè periculo reſpondẽtur. Ac de ſeptimo quidem loco ſatis dixiſſe mihi videor.

De conſti. cap. 1.

Octaui Libri finis.

DE OCTAVO LOCO, QVI RATIONIS NATURALIS argumenta continet, Liber Nonus.

Caput primum.

SEquitur vt doceã, quidnam argumentorum ratio naturalis Theologo ſuppeditet, quod in octauo loco me acturũ pollicebar. Agam autem, quantum res ipſa patietur, breuiſsimè. Eſt enim hic locus latè pãtens, & quanquam non eſt theologiæ proprius, ſed alienus, magnus tamen eſt, & cùm ab ſcholaſticis reliquis tum à Diui Thomæ familia excultus vberrimè. Nõ quòd de loci huius aut vi aut vſu quiſquam adhuc ſcholæ theologus diſputauerit, ſed quòd vniuerſi, philoſophiam cæteraſque naturali ratione partas diſciplinas, vel in ſcholam Chriſtianam inuexerint, vel certè ab alijs inuectas excoluerint, pro ſua quidem facultate quiſq;, ſed in theologorũ, vt ita dicam, grege ſine controuerſia. D. Thomas excelluit. Principio autem in huius loci tractatione duos errores contrarios fugere debemus. Vnum eorum qui vſq; adeò argumentis à ratione ductis addixerunt ſe, vt ſiue diſputent ſeu ſcribant, ſcripturam ſacram ſanctorumq; patrum libros ne legiſſe quidem videantur. Qui parum illis diſſimiles ſunt, quos Euſeb. lib. 5. hiſto. eccl. poſtremo capite commemorat, in tantum ſtultitię prolapſos, vt ſi quis ſermonem de ſcripturis propoſuiſſet, illi è contrario proponerẽt: vtrùm ille ſermo, de quo agebatur, coniunctum an ſeparatum genus ſyllogiſmi faceret. De quibus rurſum Euſebius, derelinquentes, ait, ſanctas ſcripturas dei, geometriam tractant, & qui verè de terra ſunt, de terra loquuntur: & ideo eum, qui de ſurſum eſt, & de cœlis venit, ignorant. Deniq; Euclides apud eos vel maximè in Geometriæ diſciplinis viget. Sed & Ariſtoteles & Theophraſtus ab his in admiratione habentur: Galenus verò à nonnullis eorum adoratur etiam. Ac fuiſſe olim in eccleſia nonnullos, qui rationem auctoritati præferentes, rẽ theologicam ſyllogiſmis abſoluerint: Auguſtinus in epiſtola ad Dioſcorum, numero. 56 Bernardus quoque epiſtola. 189. teſtes locupletiſsimi ſunt. Hoc verò ſæculo fuiſſe etiam in academijs multos, qui omnem fermè theologiæ diſputationem ſophiſticis ineptiſq; rationibus tranſegerint, vtinam ipſi non fuiſſemus experti. Egit autẽ diabolus, quod ſine lachrymis non queo dicere, vt quo tempore aduerſum ingruẽtes ex Germania hæreſes oportebat ſcholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, eò nulla prorſus haberent, niſi arundines longas, arma videlicet leuia puerorum. Ita irriſi ſunt à pleriſq; ac meritò irriſi, quoniam veræ Theologiæ ſolidam effigiem nullam tenebãt, vmbris vtebantur, eaſque ipſas vtinam ſequerentur. Feruntur enim è ſcripturæ ſacræ principijs, cuius iſti vel vmbras non ſunt aſſecuti. Quocirca homines verbotenus in Theologia magiſtri pugnauere illi qdẽ aduerſũ eccleſię inimicos, ſed valde tamẽ infeliciter.

Malè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Malè enim ſe res habet,cũ quod ingenio, & eruditione effici debet,id tentatur à viris,qui & ingenio parum valent, nec ſunt admodùm eruditi. Errabant illi autem à principio ſtatim ſtudiorum ſuorum. Cũ enim facultates eas, quę linguâ expoliũt, mirum in modum neglexiſſent,cumque ſeſe in ſophiſtica arte torſiſſent diutiùs, tũ demum ad theologiam aggreſſi,nó theologiam, ſed fumus theologiæ ſequebantur.Quòd ſi vituperãdi ſunt,qui per ignorantiam errauerunt,quid de ijs exiſtimandum eſt, qui volentes & prudentes in errorem inciderunt? Nam cùm rem perditã & collapſam ſua reſtituere auctoritate deberent, tempori, vt inquiunt, ſeruientes non modò ſophiſmata non profligarũt, verùm etiam auxerunt.Quę nimirum cũ à philoſophia tum verò magis à theologia tollenda ſunt, eaque argutandi ars, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe dialecticam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimũ. Dialectica enim eſt locata in peritia vſuq; partiendi, finiendi, argumentandi, id quod Theologo eſt perneceſſarium, ſophiſticè autem nihil habet niſi argutationes vanas, quarum nullus in theologia fructus eſt.Quin adeò nulla pernicies theologiæ maior inueniri poteſt, quã in ſophiſmatum fęce ſimulatio theologiæ. Ex quo illa abſurda naſcuntur, vt ſophiſtæ theologi eſſe videantur. Quòd ſi quę etiam iſta delectant,ne bellum omnino indixiſſe videar ſophiſmatibus,quorum eſt etiam fortaſſe quidam modus,non intelligo,quid cautæ fuerit viris doctis, vt ſub dialecticæ nomine exponibiles,obligationes,inſolubiles,reflexiuas,aliaq; id genus monſtra in ſcholam intulerint, deviſu autem dialecticæ non fecerint ne verbũ quidem vllum. Nonne igitur ſunt illa pueris vtiliaſint.Nam nos quoq; ſophiſtæ fuimus aliquando, ſed obſecro,ita vtilia habeantur iſta,non vt ornamenta virorum: ſed vt exercitaméta puerorum. Atq; vel ipſi pueri intelligant,ſophiſmatum breuẽ quendam ludum eſſe oportere, aliumq; vſum à dialectica requirẽdũ philoſophiæ Theologięq; maximè neceſſarium. Verũ hæc hactenus. Iam ad propoſitum reuertamur. Qui igitur theologię dogmata humanis metiuntur argumentis,nec ea,quæ à ratione ducuntur, volunt præponderari auctoritate,hi primũ omnem vim theologiæ & grauitatem amittunt, deinde faciunt, vt theologia detracta auctoritate non ſolũ contemnatur, ſed ne theologia quidem ſit.Nã ſi vera& legitima theologia eſt,à fide deſcendat oportet,vbi huius facultatis propria principia eſt fidẽt,quẽ admodũ in huius operis initio conſtituimus.Fides autem tota ſcripturarum & eccleſię auctoritate continetur.Quamobrẽ ſatis exploratum habere poſſumus,quàm malè valeãt ij de re theologica aut ſcribere aut diſputare,qui ſacros libros,apoſtolorum traditiones, conciliorum dogmata,iuris pontificij decreta, ſanctorum veterum doctrinam, vel reiiciunt vel ignorant. Itaq; hoc quidẽ opinantium genus pellatur è medio, eſt enim totũ improbabile & impiũ,qui opinantur aptiora theologo ea argumenta eſſe, quæ ex ratione, quàm ea, quæ ex auctoritate ducantur. Rebus enim antè dictis apertè intelligitur,cùm de deo præſertim diuiniſq; myſterijs diſputatio incidit, argumentis philoſophię præponenda eſſe argumẽta,quę pertinent ad dei fidem, qua nihil theologo debet eſſe antiquius. Sed prioris huius erroris leuitas,quoniam facilè deprehenditur,non eſt pluribus refutanda.

Caput ſecundum.

ALter autẽ error illorum eſt, qui ſolis ſacrarum literarũ teſtimonijs aut interdum etiam ſcriptorum veterũ omnia definiunt, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrentes,quàm ſi eſſent theologię aduerſa & inimica. Hunc autem errorem pluri

plurimis teſtibus ſuadent. Ac primus teſtis citatur Gregorius Nazãzenus, orat.1. in Iulianum,vbi ait, diſciplinam noſtram eſſe Pythagoricam. Atqui apud Pythagoræos tantum auctoritas præiudicata poterat,vt ſine ratione valeret. Alter eſt Hieronymus in.10.Mat.caput,quo loco non vult euangelij doctores humanæ ratiocinationis præſidijs niti. Quia huiuſmodi, vt inquit,virga & baculus arũdineus eſt, quẽ ſi paululum preſſeris,frangitur,& manum perforat incumbentis. Et in.31. caput Hieremiæ,de verbis dei humano ſenſu argumentari,dicit eſſe ſacrilegum. Tertius eſt Auguſti.lib.1.de actis cum Felice Manichæo.cap.10.Cũ enim Felix Manichęũ efferret, quòd docuiſſet diſcipulos ſuos, initium,medium,& finem,& quomodo vel quare factus ſit mundus,de curſu ſolis & lunę,deq; alijs huiuſmodi rebus phyſicis, Auguſtinus contrà ait,quòd ſpiritus paracletus non docet has veritates. Chriſtianos enim vult facere, non Mathematicos. Sufficere autem,vt homines de his rebus propter humanos vſus nouerint, id qđ in ſchola didicerunt,ſcilicet priuſquã ad Chriſti religionem conuerterentur. Propter humanos vſus, inquit, ad vſum igitur Theologiæ,humanæ ratio doctrinæ nihil Catholico proderit. Referuntur etiam à Gratiano.37.diſt.duo teſtimonia, vnum ex Ambroſio,alterum ex.4.concilio Cartha.quibus ſuaderi videtur,humanas diſciplinas, vt pernicioſas vel certè vt inutiles, à Theologia repellendas. Concilium quippè Cartha.4. vetat epiſcopis ne libros gentilium legant.Ambr.autem dicit Aſtrologiam,& alias huiuſmodi diſciplinas nihil valere ad ſalutem, ſed in errorem mittere. Epiphanius quoq; Hæreſi. 76.aduerſus Aëtium diſſerens ait, quòd non reuelat Deus patrem & filium per ſpiritum ſanctũ,his, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinãtur. Qui ergo in Theologiam humanas rationes inuehunt, hi diuinæ reuelationis non poſſunt eſſe participes.

Nec ſolùm teſtimonijs patrum,ſed ſacrarum etiam literarum abutuntur in ſui erroris confirmationem. Principio enim afferunt illud Eccleſiaſtes.1. ego Eccleſiaſtes propoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſsimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea.vidi quæ fiunt cuncta ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. Si ergo occupatio peſsima eſt ſtudium humanæ literaturæ, ſi vanitas & afflictio ſpiritus, non eſt profectò à Theologis expetenda. Deinde argumentantur ex illo Prouerb.5. ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis,&c. Et poſtea,quare ſeduceris fili mi ab aliena,&c. hanc autem humanam ſapientiam interpretantur, quam nimirum eſſe fallacem ad Coloſſ. 2. teſtatur Apoſtolus in hæc verba. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Addunt illud.1.ad Corint. 1.perdam ſapientiam ſapientium,& prudẽtiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiẽs? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi? Nõne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Addunt etiam illud ex eodem apoſtolo.1.Corinth.8.ſcientia inflat. Aliud quoq;.1.ad Timo.6.ſi quis non acquieſcit ſanis ſermonibus,& ei quę ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens,ſed languens circa queſtiones. Quo loco volunt Apoſtolum ſignificare, diſciplinas humanas morbos eſſe, ſolamque Chriſti doctrinam eſſe ſanam. Hanc ſecũdùm pietatem, id eſt, religioni conformẽ & conſentaneam eſſe, illas non eſſe.

Præterea apoſtoli non habuerunt philoſophiã, non eſt igitur theologo neceſſaria. Si enim ſpiritus ſanctus docuit Apoſtolos omnem veritatem iuxta Domini pollicitationem Ioannis.16. & has diſciplinas non docuit,ſequitur non eſſe Chriſtiano doctori vtiles,atque adeò ne verſa-

Bb ri

Rectores lib.1. hiſto. ſuę cap. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri quidem circa veritatem. Præterea, vel philosophia est theologo necessaria, dum imperfectos in ecclesia instruit, vel dum perfectos alloquitur. Imperfectis lac apostolus dat, nec existimat se quicquam inter huiusmodi scire, nisi Christum & hunc crucifixum. Perfectis verò sapientiam loquitur non huius sæculi, neque principum huius sæculi, hoc est, philosophorum. Non ergo Theologus philosophia eget, siue cum paruulis seu cum prouectioribus sermones diuinos conferat.

Pergunt etiam argumentari, quòd si vtilis & necessaria esset Theologo philosophia, hoc esset ob id maximè, quòd nó alia via & ratione melius philosophi Christo repugnantes euincerentur. At hoc constat esse vanissimum. Primùm, quo-
1. ad Cor. 1. niam euacuaretur crux Christi, vt Apostol⁹ ait, si de philosophis & sophistis per humanam sapientiam triumpharet. Rursus, quoniam vt idem Apostolus. 2. Corinth. cap. 10. auctor est, Arma Christianæ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Non ergo theologus, Christi miles, humanarum disciplinarum præsidijs eget, vt fidei aduersarios possit euincere. Id quod exemplo Nicæni concilij facilè de-
Ruffinus. 1. lib. c. 8. monstratur, vbi philosopho superando plus valuit simplicis hominis syncera fides, quàm omnes omnium dialecticorum & philosophorum argutiæ. Certè Hieronymus ad Pamachium aduersus Ioannis errores, argumenta à ratione ducta & de gentilium fonte manantia tanquam genuium arma Christiano dicit esse deponenda. Postremò etiam argumentantur, Christi doctrinam perfectam esse: non itaque Philosophiæ subsidijs indigere.

Caput tertium.

His argumentis nititur illi qui in hoc errore fuerũt. Nam fuisse quosdam testatur Clemens Alexandrinus primo stroma. lib. in hæc verba. Non me autem latuerunt ea, quæ ab aliquibus imperitè tumultuantibus iactantur, qui dicunt oportere in his versari, quæ finem continent: externa autem & quæ sunt superuacanea transilire, quæ nos frustra conterunt, & detinent in ijs quę ad fidem nihil conferunt. Alij autem etiam philosophiam ex malo ad hominum perniciem existimant in vitam esse ingressum, vt quæ profecta sit à maligno aliquo inuentore. Et rursum eodem libro, nonnulli, ait, qui se putant esse ingeniosos, nec philosophiam attingere volunt, nec dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, sed solùm & nudam fidem requirunt, perinde ac si cùm nullam vitis curam gesserint, velint ab initio statim botros accipere. Dicitur autem Dominus vitis allegoricè, à quo cum diligentia & agricolendi arte, quæ fit ratione ac sermone, fructus est vindemiãdus, &c. Lutherus etiam, qui omnes omnium hæreticorum hæreses in vnam fecit Camerinam confluere, non modò asseruit philosophiam esse Theologo inutilem & noxiam, verùm etiam omnes speculatiuas disciplinas errores esse. Scilicet morum philosophiam nouus hic Socrates, mirificè cõplexus est, quæ in cõtemplatione versatur, eam solùm damnat. Cornelius quoque Agrippa vir post hominum memoriam vanissimus in suo illo libro qui de vanitate scientiarum inscribitur, non sicut Zethus ille Pacuuianus philosophiæ solùm, sed omnibus humanis disciplinis atque adeò diuinis bellum indixit. Atque horum hominum ingenium quale esse soleat, non est necesse disputare: est enim in promptu. Facilè siquidem intelligitur, quãobrem isti discipulos

pulos suos à facultatibus, quæ ratione constant, alienos esse velint. Quemad-
Plutarchus de pla. philo. Euse. li. 1. præpa. Euang. ca. 5. modum enim Epicurus reiicit Dialecticam, Alfaquini etiam Machumetis, Saracenos procul ab omnibus disciplinis abducunt, quoniam intelligunt, disciplinas arteſque omnes rationales doctrinæ peruersæ esse contrarias, ita Lutherani, nequando à discipulis errores sectæ absurdissimi deprehendantur, cupiunt eos ab omni cognoscendi ratione seuocare. Sed enim cùm veritas veritati nunquam aduersetur, consentiat semper & subseruiat, iure ac merito scholæ nostræ auctores nobilissimi humanas omnes scientias, tanquam ancillas, ad arcem & ministerium veræ sapientiæ aduocarunt. Id quod Iulianus inuidens, Christianis lege interdixit studijs bonarum artium. Socrates libro tertio historiæ ecclesia. capit. duodecimò. & sextodecimo. Sozome. libro sexto histo. trip. cap. 37. Quapropter mirari non desino, morem reuciendi humanas rationes, cùm in theologia disseritur, in quibusdam etiam catholicorum Gymnasijs insertum esse, haud parua certè iactura ecclesiasticæ disciplinæ, si illa consuetudo inualescit. Erunt enim ij, si ita res procedit, optimi præstantissimique theologi, qui plurima loca memoria tenuerint: &, quod iurisperitis obiicitur, qui elenchi fuerint librorum & indices. Id quod in Germania regnante Luthero accidit, vt sutores, qui nouum testamentum memoriæ mandarant, magni & præclari theologi haberentur: atque adeò mulierculæ, quoniam euangelia & paulinas epistolas memoriter recitare poterant, omnium academiarum theologos ad disputandum prouocarent, audérentque viris concurrere non virgines, sed mulieres corruptissimæ. Talis scilicet est Lutherana theologia, in qua, quoniã nullum acumẽ, nullum ingenij specimen est, optimo quisque splendidissimoque ingenio, quamlibet acie mentis, & veri perspicientia polleat, quamlibet rerum & diuinarum & humanarum ordinem ac connexionem teneat, quamlibet omnium causas, effecta, antecedentia, consequentia nõ animo solùm perlustrarit, sed etiam comprehenderit, nullo tamen apud istos habeatur in pretio. Sed hæc alio loco fortè tempestiuiùs dicentur. Nunc ad id quod erat institutum reuertamur.

Caput quartum.

Aures itaque ad naturæ rationes occludere, si quando à theologis afferantur, id nos in errore maximo ducimus. Si enim cadit in theologum aliquando, vt de rebus humanis philosophetur, quod profectò cadit, nisi ex eo exturpatam humanitatẽ arbitremur, quænam rogo causa est, cur naturales argumentationes à theologia pellamus, ne, vt quæ diuina sit, humanis adminiculis eguisse videatur? Non egeat his, esto, cum suis, hoc est, diuinis quasi lineis cõtinetur. At volumus ne nos Theologũ, qui solùm diuina calleat, in humanis erret, labatur, cæcutiat, hallucinetur? Quid autem interest ratione animi sublata, non dico inter rusticum & theologum, sed inter theologum, & pecudem aut saxum etiam aut truncum aut quiduis generis eiusmodi? Quę verò ista sit mẽs, vel quæ hominis ratio potiùs, si neq philosophiam nec dialecticã habeat, nec vllam omnino humanæ rationis disciplinam? Intelligendum est autem Christianę doctrinæ professores duabus quasi indutos esse personis. Quarum vna est cõmunis, ex eo quòd omnes participes sumus rationis, à qua omnis argumentatio naturæ trahitur, & ex qua ratio inueniendi argumenti naturalis exquiritur. Altera autem quæ propriè theologis est attributa, vnde argumenta expectantur, quæ propria sunt Theologicæ facultatis. Deponat igitur Theologus personam hominis, si ita placet, cùm diuina tractat, cùm verò tractat

Universidad de Deusto
Biblioteca

humana,quæ nam rogo stultitia erit, hominem ex homine tollere? Quanquam, in quacunque disputatione,siue de humanis seu de diuinis differatur, vtralibet personam deponere stultissimum erit. Quid enim stultius esse potest, quàm vel pedem abiicere cùm caput manus suum explet, vel caput tollere, cũ pes munere suo fungitur? Nam nec pes capiti officit, nec ca-
1.Cori. 12. put pedi. Quin etiam, vt Apostolus monet,non potest caput dicere pedibus,non estis mihi necessarij. Sic nimirum, cũ nec humanarum rerum intelligentia diuinarum cognitioni obsit, nec diuinarum cognitio,humanarum intelligentiæ: neutrã debemus in alterius propria functióe abiicere, nisi volumus esse stulti. Porrò qui theologiam sic instituit, vt nihil habeat cum naturæ ratione coniunctum,omniaq; egregiæ disciplinæ dogmata sola scripturarum fide metitur,hic, si in ea opinione persistat,& non interdum naturæ bonitate vincatur, nec Theologiam colere tuerique, possit,nec fidem nec humanitatem. Non humanitatem, sepè enim dicendum est,quia sine ratione humanitas extirpatur;qui autem rationales disciplinas theologo auferunt,hi suam illi rationẽ eripiũt. Quoniam si veritatem, quæ in disciplinis cernitur & hominis intelligentia, à ratione tollas,iacebit profectò vel nulla erit potiùs. Nec fides rursum se ipsa sola sine doctrina,& ratione tutari potest. Nam philosophia,& omni ratione disputandi sublata,cũ fide sancta rusticitas manet: quæ, vt Hiero. ad Paulinum scribit,quantum prodest vitæ merito,tantum simplicitate nocet,si aduersarijs non resistat. Itaq; vacillabit fides,nisi fidelis,quod Petrus ait, paratus sit reddere rationem, id quod sola fide sine ratione, fieri non potest: Theologia deniq; citra naturæ rationem non constat. Cùm enim sit homo rationalis, est illi ingenita ratiocinatio, siue agat secum quid,siue cum altero, siue velit humana seu diuina cognoscere. Quare vbi vbi homines different, rationem naturalem repellere nec debẽt,nec verò possunt nisi homines esse desierint. Ratio enim res omnes continet,quoquo te verteris,præsto est, nulla disputatione excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab vsu Theologię remotam esse volunt, ij omnem à Theologia disputationem excluduntsine qua tamen, quid in vnaquaque re verum sit,discerni & comprehendi non valet. Quocirca hoc quidem constat,vt opinor,Theologis inter Theologos necessariam esse rationem: quæ est disputationis cuiusque fons à natura constitutus. Quid? quòd gratia non tollit naturam,sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit? sacra igitur Theologia, humanæ naturæ rationem non abiicit. Multa etiam in Theologiæ principijs cõtinentur, vt alio quodam loco diximus, quæ nisi naturali ratione & discursu intercueniente,intelligi & explicari nó possunt. In principijs verò ipsis hærere,à consequentibus,& repugnantibus oculorum aciem seuocare,stultum erit. Rationem item si à Theologia submoueas, Theologia ipsa, & rem amittet & nomen. Nec enim quicquam aliud est Theologia, si interpretari velis,quàm sermo ratioque de Deo. Si autem rem ipsam quæras,est, vt à veteribus Theologis definitur, rerum diuinarum
2. Post. lib. scientia. Scientia verò, vt Aristoteles demonstrauit,nõ nisi per syllogismum queritur. Quòd si etiam illud addimus, quod rectè addi potest, nihil esse ferè cuius in scriptura sacra mentio non fiat,non angelum,nõ animã,non aërem,non ignẽ, non aquam, non cœlum,non terram, concedatur profectò verum esse, si ornatè,& eruditè hæc Theologus explicare velit,Philosophiam,hoc est, rerum huiusmodi intelligentiam eum habiturum. Maximum itaque ornamentum Theologiæ tollit, qui ex ea tollit Philosophiam,qua scriptura etiam ipsa diuina, nedum humana ratio excolitur. Ac mea quidem sententia omnis

omnis institutio Theologiæ,humanæ rationis adiumenta desiderat,sed illa imprimis,in qua de rebus naturæ disseritur. Disseritur autem de huiusmodi sæpenumerò. Atque, vt illud omittam, quòd sacra doctrina mores naturæ moderationi cõsentaneos præscribit,vitia rationi contraria refutat, quo loco siue in schola de hisce definias quicquam, siue populo in cõcione persuadeas recta, praua dissuadeas: naturę,rationis, philosophiæ opem contemnere amentis erit: hoc tamen expeditum est,multa in sacris literis haberi, quæ sine Philosophiæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Geographiæ, Astronomiæque subsidijs expediri non queunt. Pleni exemplorum sunt sacri libri,cũ sæpè aliàs, tum maximè vbi rerum naturalium, quasi miracula,quæ in disciplinis humanis explicantur, à Solomone, Dauide, Iob ac cæteris Prophetis in diuinæ, vel potentiæ, vel sapientiæ commendationem efferuntur.
Quod quoniam in tertiodecimo libro fusè fumus ac diligẽter persecuturi, non libet in præsentia exponere. Nunc enim satis est fuisse demõstratum, rationes humanas homini theologo non solùm vtiles, sed etiam necessarias esse. Homo quippè rationem omnem tollens, Theologus ex auctoritate omnia statuens, esse certè nullo modo potest. Quo etiam magis vituperanda est rei maximè necessariæ tam noxia reprehensio. Vna est enim philosophia in rebus humanis, de cuius vtilitate ecclesię scriptores eodem oẽs ore consentiunt, quanquam à Lutheranis ipsa contemnitur, & fallacia quædam atque ostẽtatio esse dicitur. Qui autem hoc dicunt, aut nihil contra naturæ rationem existimant se dicere, aut censent se gigantũ more bellare cum dijs,id est,naturæ repugnare. Si nihil existimant dissonum rationi se docere, quid cum illis disseras, qui rationem naturalem homini theologo eripere, non intelligunt rationi esse contrarium? Sin aduersari quidem rationi putant, errãt in eo turpiter,quòd homini rationali errorem rationi aduersum suadere se posse credunt. Aboant igitur,& quoniam cum hominibus homines nec ratiocinari nec philosophari volũt,ei qui sit ex pecudum genere,sunt enim quidam homines non re, sed nomine, se suamque theologiam insinuent.

¶ Cap. Quintum.

POrrò vt ad illud, quod de ecclesiastico rum auctorũ consensu diximus, reuertamur. Clemẽs Alexandrinus. 1. Stro. lib. & à nobis stat,& multas etiam causas affert,cur Philosophia sit theologo necessaria. Vnam ad philosophos edocendos. Similia enim edocemur simile. Sicut ergo Apostolus Hebræis Hebræus factus est 1.Cor.8.
atque adeò omnia omnibus,vt omnes lucrifaceret, ita theologiæ professor fiat necesse est philosophus philosophis, vt hos conuenientiùs faciliusq; lucretur. Exhibẽda enim cuique sunt,quæ ei conueniunt, & quæ sunt familiaria, vt per propria ad fidem veniat veritatis. Atq; hanc etiã causam. 5. lib. Stro. resumit. Alteram affert, ad refellendos sophistas. Nam quo pacto fallaces philosophorũ argutias refutare possumus, nisi arguendi, & refellendi artẽ persequamur? Tertiam, quòd varia ac multiplex præceptoris doctrina, & delectat, & admirationem adfert,atq; adeò auditores captat. Quod variè item multiformi argumento suadetur, id firmiùs hæret animis discipulorum. Apostolus quoque docere Colo.1.
se ait in omni sapientia, vt exhibeat omnẽ hominem perfectum in Christo. In omni, inquit,sapientia,hoc est,diuina, & humana, vt cuiusuis generis homines afficeret perficeretq; in Christo. Astitit præterea Psal.44.
Regina à dextris Christi circundata varietate. Adhæc, quomodo ferri ac silicis cõcussione ignis,sic hominum doctissimorum conflictu,& disputatione veritas elicitur. Quam ob causam Peripateticorũ mos est de omnibus rebus in vtrãq; par-

Universidad de Deusto
Biblioteca

partem differendi Cicero sibi dicit placuisse. Disputationes autem inter homines humanæ disciplinæ imperitos solent esse ineptissimæ. Quòd si inutilis est sapienti philosophia, quorsum Deus Solomoni philosophiã indidisset? Dedit autem illi Deus horũ, quæ sunt scientiam verã, vt sciret dispositionem orbis terrarũ, & virtutes elementorum, diuisiones temporum, stellarum dispositiones, naturas animaliũ, vim ventorum, differentias virgultorum. Si igitur Dominus harũ rerum sciẽtiam docet, est verò deus, qui vtilia docet, vt Esaias ait, certè illa non potest esse theologo noxia, sed erit potiùs accommoda. Et si hæc sciẽtia vera est, vt dicit Solomon, quid dicet Lutherus, qui speculatiuas omnes disciplinas errores esse affirmat, inanesque fallacias? Pergit Clemens argumentari ex eo etiam, quod Athleta, qui non se priùs instruxit ad certamen, iure contemnitur.

Bap. 7.

Qui ergo ad certandum cũ fidei aduersarijs multiformibus nõ est etiam multiformi disciplina instructus, is non est dignus, qui in perfectis theologis habeatur. Insuper diuidere, inquit, voces, quæ in scriptura efferuntur ancipites, theologo necessariũ erit, ne examphibolia & eludat & eludatur. Hoc autem præstare, sine Grammaticæ artis auxilio nõ poterit. Quòd si Grãmatica semel admittitur, quid ni Dialectica? quid ni Philosophia? An volunt Grammatici sibi solis Theologiam vendicare, cæteros omnes Dialecticos, Physicos, Astronomos, Geometras, ab illius participatione secludere? Id quoniam constat esse vanissimum, fateamur necesse est, humanas disciplinas theologo esse perutiles.

Quòd si non sunt, inquit Clemens, adhuc necesse est illas addiscere, vt ritè valeant damnari. Qua enim fronte de his sententiam ferimus, quæ perspecta, & cognita non habemus? Hactenus Clemẽtem Alexandrinum secuti sumus, non vt interpretes, sed, vt solemus reliquos, iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videtur è fontibus eorum haurientes.

Origenes autem, vt Eusebius auctor est libro sexto ecclesiastico. cap. quinto decimo. Philosophię studia detrectãtibus respondet, se huic quidem operam nauasse diligentem, sed non absque virorum grauissimorum exemplo: Panthæni, Hæraclæ, aliorumque similium, qui cùm essent doctores apostolici, nihilo secius philosophorum libros legere, & in philosophiæ studijs exerceri solebant. Refert etiam Eusebius Origeni morẽ istum fuisse, vt si quos nostrorum adolescentulorum ingenioso videret, traderet eis etiam ea, quibus philosophi discipulos suos velut primis elementis imbuere solent. Dicere verò solitum, non parum ad intelligẽtiam scripturarum emolumenti fidelibus conferri, si in liberalibus & philosophicis literis exercerentur. Nostræ enim philosophiæ partes Græcos anteuertisse: nec debere partes suas omittere veritatem, quia eas sibi prẽueniẽs falsitas vindicasset. Vide etiã Euseb. lib. 4. c. 7. & Sozo. li. 3. hist. suæ. c. 15.

In versione Musculi habentur hæc c. 18. & 20

Theodoritus quoque libr. 8. hist. trip. cap. 8. Didymum refert, Grammaticam, Rhethoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, syllogismosq; Aristotelis didicisse, quod aduersus mendacium arma veritatis existerent. Fortiter enim expugnãtur hostes, quãdo aduersum eos ipsorũ armis vtimur. Socra. 3. lib. c. 16. & Damas. 4. lib. c. 18. Neque statim praua opinione fallaris cõtra hostes hoc esse licitũ, in alijs disputationibus dissimulandũ: quia, vt Hieronymus ad Magnũ ait, oẽs penè omniũ doctorum ecclesiæ libri eiusmodi eruditionis plenissimi sunt. Quod autem ibidem Theodoritus ait, huiusmodi disciplinis veritatem, nempè fidei, non erudiri, id significat, non his Euangelium quasi tignis fulciri, aut inde catholicæ veritatis probationem pendere. Alioquin viri grauissimi ad ea etiam suadenda, quæ fidei nostræ ac religionis propria sunt, naturalia argumenta inseruerunt. Exemplo

plo nobis sunt Eusebius libro tertio histo. eccle. cap. 25. & lib. 9. cap. 8. Melito rursum apud eundem libr. 4. cap. 26. Iustinus quoq; eodẽ Eusebio referẽte lib. 4. c. 8. Tertullianus præterea in Apologe, id qđ Eusebius etiã retulit lib. 2. c. 24. Lucianus deniq; Martyr & summa eruditione vir eodẽ Eusebio auctore, lib. 9. c. 6. Non hic tẽsero Damasce. 4. lib. c. 4. nõn Epiphanium hæresi. 76. nõ Aug. lib. 1. de mo. eccle. & toto primo aduersus Cresconiũ libro, q vt Grãmaticus Dialecticã in Augustino damnabat. Et de vtili. cre. c. 97. & contra epistó. funda. c. 4. & 18. de ciui. ca. 41. non Bedã. 37. d. c. turbatur. nõ Hiero. ea. d. c. siquis autem. &. c. Qui de mẽsa. non Syno. Euge. papæ. c. de quibusdam. non Clemen. c. relatum. Hæc, inquam & alia plura non refero, quoniã libris sequentibus huiusmodi argumentum sum diligẽtiùs persecuturus. Id modò cõstat clarissimos viros, non solùm ad ea suadenda, quę rationi naturæ consentiunt, sed etiã ad ea, quæ lumen naturę superãt, humanis rationibus vsos esse: eisdemq; ab ethnicis calumniãtibus Christianam religionem asseruisse.

Cap. 2.

¶ Caput Sextum.

SEd quoniam hæreticis procliue est, veterum patrũ vsum auctoritatemq; cõtemnere, ostẽdam deinceps, ipsorum quoque apostolorum doctrina & exemplis rationes naturales in Theologiam inuectas. His adductos exteros ad fidem, confirmatos fratres, inuitatos dociles, repulsos repugnãtes. Adducuntur primùm ratione exteri ad fidem & quasi præparantur. Deus quippè, fide in mortalium mẽtes inducenda naturæ incitamẽtis vtitur, vt primo loco fusiùs explicatũ est. Hinc etenim & resurrectionis suæ oculatos testes protulit, & miracula doctrinę coniũxit. Nimirum, vt Apostoli non solùm per verbum, sed etiam per ipsum opus persuaderent fidem audientibus, vt Epipha. libr. 2. hære. 51. docet. & Amb. in commẽ. epist. ad Ro. ca. 1.

Clem. Alexand. lib. 1. & 7. Strom. cap. 8.

Act. 1. 3. & 14.

testis, ait, doctrinæ virtus est, vt quia quod prædicatur incredibile mũdo est, gestis fieret credibile. & Beda lib. 3. in Luc. c. 7. concessa, inquit, primò potestate signorum, misit prædicare regnũ Dei, vt fidem verbis daret virtus ostensa. Signis ergo & miraculis via fidei per sensus & rationẽ sternitur. Sic enim Sergius Paulus vir prudens, cùm vidisset factũ, credidit admirans super doctrina Domini. Sic Centurio vidẽs quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens, Verè filius Dei eratiste. Petrus etiã ac Paulus quò suauiùs audientes ad fidẽ resurrectionis allicerent, ratione naturæ ostendunt locum illum scripturæ, nó dabis sanctum tuum videre corruptionem, de Dauid intelligi non posse, ac proinde de Christo intelligendum. Ac Petrus ipse alio itẽrum loco, Christi resurrectionẽ insinuat audientibus, primùm testium oculatorum certissimo testimonio, deinde euidentia miraculi editi. Nos ait, testes huius sumus. Et mox, in nomine eius, inquit, hunc quem vos videtis & nostis Deus confirmauit, & dedit integrã sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. En Petrus, sensus ipsos citando testes clarissimos veritatis Christi resurrectionem suadere conatur. Nec frustra tamen, multi enim audientium crediderunt.

Matth. 27. Luc. 23. Actо. 1. 8. & 13.

Actо. 3.

Actо. 15.

Confirmantur deinde ratione naturæ fratres. Non enim ait, præcedentibus, sed sequentibus signis: nec sermonem inferente, sed confirmante. Marci vltimo. cap. Ita Hieronymus in. 8. Matth. caput annotat, Dominum, post sermonem illum mõtis egregium miraculum edidisse, vt per hoc præteritus apud audientes sermo firmaretur. Petrus insuper persuasurus fidelibus conclusionem illã de legalibus, de qua in concilio erat controuersiæ Viri fratres, inquit, qui nouit corda Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum sanctũ, &c. Et protinus tacuit omnis multitudo, & audiebãt Barnabam et Paulũ narrantes, quanta Deus fecisset signa in gẽtibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

En quę acciderant res externæ & sensuũ testimonia referũtur in controuersia etiã fidei apud catholicos dirimenda. Atq; in concilio illo, legem de abstinẽdo à sanguine, & suffocato, idolothito & fornicatione apostoli nullo modo tulissent, nisi rationem naturæ sequerentur. Testimonia siquidem nulla suppetebant, quæ ea lege probanda idonea viderentur. Non modò igitur ad externos, qui naturam ducem solam habent, sed etiam ad eos, qui intra ecclesiã sunt, humanis rationibus Theologo licet vti. Id verò eo loco magis, vt antè iam diximus, vbi res naturæ lumine cognoscibiles siue alienis seu nostris pſuadere cupit. Hac enim via Barnabas & Paulus ingressi sunt, vt Acto. 14. legitur. Nam cũ sacerdos & populus Barnabæ & Paulo sacrificare vellent, quod erat naturæ rationi contrarium, naturali quoq; ratione ipsi contradixerunt. Viri, inquiunt, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines annunciantes vobis, conuerti ab his vanis ad Deum viuum, qui fecit cælum & terrã & mare & omnia quæ in eis sunt, &c. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, bene faciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, &c. Quia ergo res naturales testimonium perhibent Deo, queadmodum hoc loco Apostolus asserit, nõ est absurdum, quin etiam est maximè consentaneum, vt Theologus de diuinis quoque disserens, huiusmodi etiam naturalium rerum testimonijs vtatur. Nam & Acto. 17. Paulus idem probat, Deum non indigere aliquo, quòd cæli & terræ sit dominus, & det ipse omnibus vitã & inspirationem & omnia. Probat item Deum non esse longe ab vnoquoq; nostrum, quoniam in ipso viuimus, mouemur & sumus. Ac propheta, Psalmo. 138. ostendit Deum cognoscere nos & intima nostra, quia formauit nos, & posuit super nos manũ suam. Quod idem naturale argumentum habes & psalm. 93. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, id quod antè ponebamus, docules quidem, si infideles sunt, ratione allici inuitariq; ad fidem, sin verò fideles, confirmari: vtrosque autẽ in his, quę naturalia sunt, pſuaderi. Quòd si indociles sũt & repugnãtes, vt euincantur, ratio quoq; natũræ valet. Principes enĩ & seniores videtes Petri constantiã & Ioannis, cõperto q̃ homines essent sine literis & idiotæ admirabantur: hominem quoq; videntes stãtem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Cæcus quoque ille apud Ioannem Iudæos Christo aduersos, naturæ ratione eludit inquiens. In hoc mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Dominus itẽ Matth. 12. eos qui calumniantur, quòd in sabbato curasset ægrotũ, naturali & ratione & exẽplo refellit. & Matth. 22. Saducæos refutat duobus principijs positis. Quorum vnum erat Exodi testimonium illud, ego sum Deus Abraham, Isaach & Iacob: quo posito & aduersariorum consensu approbato, alterum Christus è ratione naturali assumpsit, nempè non esse Deum mortuorũ sed viuentiũ. Quo syllogismo collegit Abrahami, Isaachi, & Iacobi animas viuere, quod Saducæi repellẽtes, resurrectionem mortuorum ex consequẽti negabant. Rationes itaq; naturales cõtra fidei aduersarios multùm valent. Nec sunt arma Saulis, quæ pugilem Christi magis grauent q̃ iuuent, vt quidam ineptè per allegoriam argumentantur, sed; si allegorijs agendum est, sunt potiùs gladius Goliat, quem cùm ipsi è manibus extorseris, suo illum gladio iugulas. Sed aiunt. Si credo quod traditum est, quid opus est operosa disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Egregio verò dilemmate rẽ alioqui lucidissimã obscurare volũt. Non credo: adducor, credo, cõfirmor. Repugno: cõfundor. Ratione nõ dña, sed administra, syllogismo nõ præsidente, sed subseruiẽte, Quid multa? Nõne videmus, cùm reliquorum apostolorũ, tum verò maximè

Acto. 4.

Ioan. 9.

Matth. 12.

Exo. 3.

maximè Pauli epistolas, & aduersarios cõcidere, & fidei domesticos instruere, non scripturarũ modò testimonijs, verũetiam naturæ rationibus? Id quoniã dubium nõ est, maneat, hunc disserẽdi morem à Christo Domino profectũ, ab Apostolis repetitum, à Sanctis auctoribus confirmatum, Theologis nõ solùm vtiliter, sed etiam necessariò vsurpari.

¶ Caput Septimum.

IN hoc tamẽ disciplinarũ genere Theologiæ professoribus & honesto & necessario duo illa vitia maximè vitãda sunt, quæ Cicero cõmemorauit. Vnum, ne incognita pro cognitis incertaq; pro certis habeamus. Qua in re etiam in Theologia multa peccantur. Vt illi, qui Diui Thomę Scotique opiniones vel indiscussas ample ctũtur, proq; his nõ aliter pugnãt, ac pro aris & focis. Quanuis autem, qui nihil certò comprehẽdi posse existimarunt, multa illi absurdè dixerint, hoc præclarè tamen, debere sapiẽtem ea, quæ sibi probabilia viderentur, sequi: quæ cõtrà improbare, atq; affirmandi arrogãtiam vitantem fugere temeritatẽ, quę à sapiẽtia dissideat plurimùm. Sed hoc vitiũ effugere qui volet, non satis est, si ad res considerãdas adhibeat & tempus & diligentiã, nisi ad ea etiã, quæ ignorat, à doctissimis quibusq; interrogãda adhibeat & curam & modestiam. Qui verò in academijs Christiani orbis insignibus literas discũt, hi & eruditissimorum virorum frequenti disputatione instructi, & iuuenum exercitatissimorũ cotidiana cõflictatione vexati, vitium huiusmodi vitare faciliùs possunt. Præclarè autem cum eo agetur, cui præceptor contigerit & eruditus & pius: qui cùm certa ab incertis separet, tum vanis quæstionibus declinatis vtiles & necessarias seligat, doceatq; discipulos esse quandam doctam, vt ita dicam, ignorantiam, sapientiusq; esse, quædam nescire quàm scire. Alterum enim est vitium, quòd quidam nimis magnum studium multamq; operam in res obscuras atq; difficiles conferũt, easdemq; non necessarias. Quo in genere multos etiam è nostris peccasse videõ: vt eas quoq; quæstiones latissimè persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit homo impi⁹, sed in hac re prudens tamen, vt Platonis Aristotelisq; discipulum possis agnoscere. Qui nec quicquam nisi opportunis & loco et tempore tractauere, nec quæstiones vllas persecuti sunt, quæ iuuenum ingenia obruerent, non iuuarẽt. Nostri autem Theologi, importunis vel locis, lõga de his oratione disserunt, quæ nec iuuenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre posit disputationes illas de vniuersalibus, de nominum Analogia, de primo cognito, de principio indiuiduationis, sic enim inscribũt, de distinctione quãtitatis à re quãta, de maximo & minimo, de infinito, de intensione & remissione, de proportionibus & gradibus, deq; alijs huiusmodi sexcentis, quæ ego etiam, cùm nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis & diligẽtiæ adhibuissem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerẽt, qui hæc tractarunt. Quid verò illas nunc quæstiones referamus? Num Deus materiã posit facere sine forma, num plures angelos eiusdem speciei condere, nũ continuũ in omnes suas partes diuidere, num relationem à subiecto separare, aliasq; multò vaniores, quas scribere hic nec libet, nec decet, ne qui in hũc fortè locum inciderint, ex quorundam ingenio omnes scholæ auctores æstiment. Illis igitur vitijs declinatis, quod in rebus naturalibus & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id non modò, vt inquit ille, iure laudabitur: verùm, vt id fiat; erit etiã summoperè necessarium, si Theologi perfecti pleneq; sapientes esse volumus. Prudenter enim Hieronymus Pammachium admonet, vt si adamarit captiuam mulierẽ, id est, sapientiam secularem, decaluet

Universidad de Deusto
Biblioteca

decaluet eam,& illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis vnguibus amputet. Multos enim tunc fœtus captiua dabit,& de Moabitide efficietur Israëlitis.

¶ Caput Octauum.

QVibus rebus expositis, superest vt doceamus, an hic locus in Theologia firmus,an potiùs infirmus sit. Vbi nihil nobis immorãdum esse video,cùm naturæ argumẽtationes constet,vnas certas, alteras incertas esse. Ac certę quidem sunt, quas dialectici demõstrationes vocãt,hoc est,quæ experspicuis exploratisq́, principijs aliquid certò euidẽterq́; conficiũt. Incertæ verò,quæ,licèt probabiles sint,coniecturis tamen hucatq; illuc trahuntur: nullam habẽt persuadendi necessitatem. Firmum argumẽtum illud est,non longè est Deus ab vnoquoq; nostrum,in ipso enim viuimus,mouemur,& sumus. Acto.17. Illud item,qui plantauit aurem non audiet? aut,qui finxit oculũ non considerat? Psal. 93. Atq; illud etiam,edẽtes & bibẽtes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua. Lucæ. 10. &. 1. Cor. 9. Probabile argumentũ hoc est,quo Petrus Actorum. 2. vtitur. Non enim ebrij sunt hi,cùm sit hora diei tertia. Ita patet naturæ argumentationes,quæ in vsum Theologiæ veniunt,interdum infirmas, firmas nonnunquam esse. Nam qui omniũ rerum infinitam volũt esse quæstionem, & nullo loco veritatem fixam constantemq́; persistere, ij & in naturam ipsam & in Deum impij sunt. Sapiẽter siquidem apostolus cùm rationes à natura profectas manifestas esse dixisset,tum demum ad Deum eas auctorẽ reuocauit. Quod notũ est Dei,inquit, manifestum est illis. Deus enim illis manifestauit. Num per angelos? Num per prophetas? Num per apostolos? Mminimè id quidem. Sed inuisibilia Dei,ait, à creatura mũdi per ea quæ facta sunt,intellecta conspiciũtur. Conspicuæ igitur & certæ sunt quãdoq; naturæ rationes. Vani enimq́ sunt oẽs homines,in quibus nõ subest sciẽtia Dei, neq; operibus attendentes cognouerunt,quis esset artifex. A magnitudine eñ speciei et creaturę cognoscibiliter poterit creator horum videri. Euidentes itaq; sunt atq; adeò firmæ naturales quæ dã argumẽtationes. Nõ ergo speculatiuæ disciplinæ, quæ ex huiusmodi argumẽtationibus conflantur & efficiũtur,errores sunt inaneſq́; fallaciæ. Quod Lutherus nõ stultè modò, verũ impiè etiã asseruit. Quòd enim humana sciẽtia atq; sapientia omnis à Deo sit nõ solùm illo Apostoli testimonio, quod modò posuimus,ostẽditur,sed alijs etiam quæ à Clemẽte Alexandrino referuntur. Vnũ est illud, omnis sapientia à Domino Deo est. Alterum illud, vocaui ex nomine Beseleel,& impleui eum sapientia et intelligẽtia ad excogitandum quid quid fabrefieri potest &c. Fabrilis igitur ars atq; omnis proinde humana disciplina ad Deum tãquam ad fontem & primum sapientiæ cuiusq; principiũ referenda est. Ex quo & multis alijs intelligi debet, qui philosophiam errorẽ esse inanemq́; fallaciã aiunt,eos non solùm stultitię,sed etiam impietatis esse damnandos. Deus quippè veritas est, & ab eo error est nullꝰ. Qua ex re facilè etiam intelligitur,cũ Philosophiæ rationes à diuina veritate sint sumptę atq; petitæ,qui illas reijciunt, hos Dei veritati, qua illæ subsistunt,refragari. Nec quod tali fundamẽto nititur imbecillum esse aut infirmum potest. Quocirca frustra homines vani conabuntur philosophiæ naturæq́; rationes euertere. Vtrumq́; enim lumen & naturæ & fidei,quorum altero naturalia, altero supernaturalia videre dicimur,à Deo est. Illa enim,erat lux vera,quę illuminat omnem hominem,& signatum est super nos lumen vultus tui domine,ad naturalem etiam mentis illustrationem referuntur. Ita non minùs à Deo fallere-mur, errantes in naturæ lumine, q̃ si per fidei lumen erraremus. Luminis igitur naturalis

Sap.11.

Roma. 1.

Ecclę.1.

Exo.31.

Ioan.1.

Psal.4.

turalis ducatum, inuestigationem, argumenta, repellere: non modò stultum est, quod Augustinus. 4. de Trini. docet,verũ etiam impium, quod hoc nos loco abundè docuimus. Qui quidem locus concludi iam poterat,nisi priùs argumentis illis respondendum esset, quæ hæretici contrà posuerunt. Prima igitur videamus, deinceps ordine reliqua.

Cap.6.

¶ Caput Nonum.

PRincipio itaq́; veterum nobis auctoritatem opponunt. Quod dum faciũt, veteribus sunt iniurij. Quid enim est aliud humanas scientias omneis à patribus condemnari,q̃ eos fuisse nõ modò imperitos, verũ etiam alienos ab humanitate? Nam, quoniã homo rationis est particeps,consequentia cernit, principia & causas rerum videt,earũq́; progressus,& quasi antecessiones inquirit,similitudines comparat,& rebus visibilibus adiungit atq́; annectit inuisibiles. Qua mẽtis inquisitione inuestigationeq́; efficiũtur naturales in homine disciplinæ,quarũ studiũ q vituperat,haud sanè intelligo, quidnam sit,quod laudandum putet. Quia verò lõgum esset alia loca ex eisdẽ ipsis patribus adscribere, in quibus humanæ doctrinæ cõmendãtur, nõ libet nisi vnum solum ex Augustino referre in illo etiam ipso libro contra Felicem Manichæum,cuius testimoniũ nobis isti, vel maximè obijciunt. Augustinus igitur, quãuis eos hæreticos reprehendisset, qui auderent auctoritatẽ ecclesiæ rationis pollicitatione superare, naturales tamen rationes suo loco & gradu cõmendat inquiẽs. Fidei imperator clemẽtissimus & per conuẽtus celeberrimos populorum atq́; gentium sedesq́; ipsas apostolorũ arce auctoritatis muniuit ecclesiã,& per pauciores pièdoctos copiosissimis apparatibus etiã inuictissimæ rationis armauit. Verũ illa rectissima disciplina est in arcẽ fidei recipi infirmos, vt pro eis iam in tuto positis fortissima ratione pugnetur. Ex quo loco quid Augustino placeat,lectores vident. Cùm enim apud illũ ratio cum auctoritate conferatur,iacet quidem rationis species,valet auctoritas. Sed nusquã ille tamen has duas argumẽtandi virtutes ita seiũgit,quasi possit quisquam,qui nõ idem simul & ratione & auctoritate nitatur, esse theologus. Indoctũ quippè armat fide, doctũ etiam ratione. Non igitur humanas disciplinas naturalesvè earũ ratiocinationes damnãt doctissimi viri,sed illos qui cùm in vnitate catholica nõ sint & Christiano tamẽ nomine glorientur, audẽt imperitos quasi ratione traducere: quia iacere se abiectissimè sentiunt,si eorum cum auctoritate catholica auctoritas conferatur, vt ab Augustino ad Dioscorum scriptum est. Illos etiam damnant,qui Philosophiam Euangelijs præferunt, quibus Auerrois Paulus est,Alexander Aphrodisæus Petrus, Aristoteles Christus, Plato non diuinus sed Deus. Cuiusmodi nos ipsi præsertim in Italia vidimus multos, qui scriptura sacra neglecta, ad horum Philosophorum doctrinas tanquam ad sirenum scopulos adhęrebant,postq́; galeros etiam & insulas, non prophetas,non apostolos, non euangelistas,sed Cicerones,Platones,Aristoteles,personabant. Eos quoq; sacerdotes patres nostri reprehendunt, qui plus nimio philosophorũ libris indulgent. Noluerũt enim illi,quos occupationibus & grauissimis & maximè necessarijs oportebat esse districtos,eos Philosophiæ studijs præpediri. Basilius certè ac Gregorius tredecim annis,vt literis sacris totos se dederẽt,sapiẽtiæ secularis libris omnibus valedixerunt. Testatur etiã de se in epist. ad Gala. Hieronymus, annis quindecim nullum sapientium Gentilium librum ne inmanus quidem ascendisse. Clemens porrò Alexandrinus huiusmodi viris, qui in ecclesia doctores perfecti & absoluu esse debent, Philosophiæ studia causa solùm relaxandi animi in otio permittit. & quoniam ancillas,vt vocarent ad arcem, sapiẽtia misit, admo.

Lib.10. hist. suæ.cap. 9. Ruffinus.

Li.6. Stro.

Pro. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

admonuere patres disciplinas, quas vocãt liberales, Theologiæ subseruire oportere, non dominari. Curaturũ itaq; illarum studiosum, ne ancillarum amatorijs delectatus, dominam, hoc est, veram sapientiam negligat. Quinetiam curaturum, vt si Agar Aegyptia Abrahami complexibus insolescit, eijciatur foras atque exulet, nec sinatur, aut Ismael Isaachi simplicitatem irridere, aut Agar Saræ bonitatem contemnere. Affligat ancillam domina & corrigat, habeat in manibus, vtatur ea vt lubitum fuerit. Sic enim modesta, erit vtilis: quæ, cùm ei præter modum indulgetur, est etiam perniciosa. Fugax est enim vita nostra, & quod plus temporis studijs humanis impartimur, id diuinis adimamus necesse est, quibus nos Christi religio consecrauit. Qui doctrinis item liberalibus nimiùm vacant, ij ferè errores imbibunt, qui vix elui possunt. Qua de re lege quoque cautum est in concilio Lateranensi sub Leone decimo, sessione decima. Est etiam lex apud nostros sanctissima, quæ in huiusmodi disciplinis solùm adolescentes neque omnes, sed ingeniosos exercet. Grandioribus autem natu ingenioq; tardiore studia hæc interdicit. Quòd si legem perrumpunt quidam, aut in Philosophia & dialectica plus temporis & curæ sumunt, quàm æquum est, non est propter istorum vitium aut Philosophia speculatiua, aut scholastica Theologia, quæ illam in vsum suum vendicat, contumeliosè vexanda. Nam ne illa quidem nos fugiunt, quæ vulgi etiam sermone teruntur, Nequid nimis, Modus omnibus in rebus est optimus, & quod versibus persecutus est Horatius, Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines: cæteraq; grauissimè. Notũ enim lectoribus carmen. Vtrumq; itaq; vitium reprehendimus, & eorum, qui Aristotelis Platonisvè libros diu noctuq; versant, & eorum, ac multò etiam magis, qui cùm omni rerum naturalium cognitione vacui sint, vbi primoribus, quod aiunt, labris sacras literas degustarint: tum se Theologos absolutissimos profitẽtur, tum Philosophiam quasi rebus Theologicis tractandis ineptam negligunt. Sed ad sanctorum testimonia satis dixisse videmur.

Clemẽs. 1. Stroma. Gene. 16. et 21.

Hiero. sermo. in Prophetis incultus aliquãdo non placuit.

Sacris verò literis Ecclesiastis primùm testimonium obijcitur. Cuius tamen veram germanamq; intelligentiam facilè assequemur, si libri totius quasi scopum & mentem teneamus. Solomonis autem eo libro præcipuum institutum est, declarare: quisnam sit hominis ille finis, gratia cuius sit conditus, hoc est, quónam loco humana fœlicitas sita sit. Nam cætera, quæ Ecclesiastes ea concione differit, huc demum pertinent & reuoluuntur omnia. Ponit igitur à principio statim generale pronunciatum illud, Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas, quo significat, nulla huius sæculi bona ea esse, quæ finem homini suũ exhibere possint, veramvè illi præstare fœlicitatem. Hoc enim sensu res omnes vanas Sapiẽs vocat. Nec absurdè id quidem. Vanum nanq; id definiri solet, quod fine caret, seu ad finem, qui quæritur, otiosum est. Iure itaq; res illæ vanæ vocãtur, in quibus quietem homo si quærat, non inueniat, fœlicitatem si expectet, frustra expectet, finem suũ si persequi ac tenere cupiat, vanus fiat. Themate igitur in hunc sensum ab initio concionis posito, quo vniuersa huius mũdi bona Solomon complexus est, tum deinde singillatim omnia persequitur, ostenditq; ne non sapientia, non opibus, non diuitijs, non voluptate, hominis beatitudinem esse locandam. Monstrat autem primo capite per humanas disciplinas hominem non beari. Id quàm aptè & diuinè probet, non est huius loci exponere. Tantùm sunt lectores admonendi, vt ne Aristotelis vano versentur errore, qui in contemplatione rerũ supremarum summum hominis bonum collocauit. Qui si loqueretur de mentibus corpore solutis & vitæ futuræ

2. Physic. 4 text.

10. Ethic. 8.

futuræ fœlicitatem quæreret, nobis, id est, Diui Thomæ familiæ aliquid profectò diceret. Sed cùm de immortalitate animi tum hoc tum illud nec idem dicat semper, quidq; potissimùm sentiat, difficile sit intelligere, de altera profectò vita, quã vel non habebat exploratã, vel penitus ignorabat, ecquid dicturus erat homo, aut impius, aut certè varius & anceps, sensuumq; præsidio destitutus, quibus ille administris in iudicio rerum omnium vtebatur? De fœlicitate igitur præsentis vitæ loquitur. Hinc enim in Ethicis & Politicis opes, diuitias, amicos, salutem, cæteraq; huiusmodi, caduca etiam & tẽporaria bona quasi fœlicitatis adiumenta requirit. Et in libr. de bona for. sine exterioribus bonis, quorũ fortuna, vt ait, est dña: negat aliquẽ fœlicem esse. Quamobrem de iudicio Aristotelis dubitari non potest, rectè ne autem dixerit an secùs, de eo fortasse dubitari potest. Verùm qui Ecclesiastis hoc primum caput intellexerit, is iam sine dubio poterit Aristotelis errorem facilè deprehendere. Nam cuiusmodi fœlicitatem habebit superna illa ac supercælestia contemplando animus tanta mole corporis non onustus, sed obrutus? * Cogitationes, inquit sapiens, mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit? Ecclesiastes quoque primo, cuncte, ait, res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Miranda sanè, & digna Solomone sententia, quæ declarat, id, quod Aristoteles quoque ipse seuerè atque prudenter dixit, mentis nostræ aciem non aliter ad ea quę manifestissima sunt caligare, quàm noctuæ oculos ad fulgorem solis. Quo magis Aristotelis consilium, nonnulli, ac rectè illi quidem, admirantur: quòd cùm non ignoraret, quàm infirmæ essent ingenij nostri vires, memoria angusta, fluxa, infidelis: acumen retusum, impeditum, debile: * segnis diligentia & tarda: in eo constituerit fœlicitatem, quod adeò in hac vita tenue est & exiguum, adeò obscuruum & imperfectum, adeò infirmũ & instabile, adeò non per se idoneũ ad beandum, adeò deniq; paucorum hominum: vt nihil propemodùm habere videatur ex his, quæ veræ fœlicitatis definitio continet. Qualis enim fœlicitas est, quæ frequentissimè intercipitur & rebus abiectissimis cædit? Quæ non est commune bonum humani generis, sed quod pauciissimi consequi ac tenere possint? Ad quam si omnes homines, vt par est, ad finem suum conarentur, resp. omnis interiret? Quæ aucta hominis requiem non augeat sed laborem? Quæ hominis desiderium non satiet, sed excitet? Humana quippè mens, quandiu hic vitiatur, rerum cognitione torqueri potest, satiari non potest. Maneat igitur vitæ huius fœlicitatem in primæ philosophiæ vsu, hoc est, in rerum immaterialium cõtemplatione non consistere, vt quam morbus tollere valeat, dolor intercidere, inopia interturbare. Nam si ad hanc Aristotelicam fœlicitatem necessarius est aliorum etiam bonorum quasi concentus, talem nobis fœlicem Aristoteles fingit, qualis, vt arbitror, nemo vnquam erit: &, vt cõfirmare possum, nemo certè fuit. Quid quòd, vt idem Aristoteles in libro de bona fortuna tradit, vbi plurimus intellectus, ibi minima fortuna, vbi autem plurima fortuna, ibi minimus intellectus? Ecclesiastes cap. 9. Vidi ait nec sapiẽtium esse panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumq; in omnibus. Qua igitur ratione fortunæ bona ad fœlicitatem necessaria esse dicemus, quæ casui subiecta insipienti quàm sapienti magis obueniunt? Quantò sapientiùs Solomon hominis finem, qualis in hac mortali vita

Hieronym. in Eccle. vo. lege in quæ Plato. Aristo. reuoluer. fuisti: Zenonem & Cernere dẽ diligentiùs inuenire, & posse ue. rũ esse qd dicitur, Labor stultorũ affligeret eos. Veritatem illi qui deorum studio quæsierunt, quæ non habuerũt ducem, & præsulẽ ueritatis, & humanis sẽ sibus rationẽ sese cõprehẽdere posse sapiẽtiã, eam etiam minimè inuenerunt. De qua in psalmo dicitur: Dixit in cordibus suis imaginem ipsorũ dixisse Deũ. Oẽs enim um-

*brę & diuersas imagines atq; personas si bi in uarijs dogmatib⁹ induerunt, & in urbe suã dñs dissipabit. * Sap. 9.*

Eccl. 7. alta pfunditas, quis inuenit eã? Lustraui uniuersa animo mco, ut, quærerẽ sapiẽtiã. &c. & post ui rũ de mille, &c. & 8. Apposui cor meũ ut scirẽ. &c. & post, & intellexi, quòd omnium, &c. Eccle. 1. qui addit scientiã, addit et laborem. Eccl. 1. non satiatur oculus uisu, nec auris auditu impletur. et. 7 dixi sapiẽs efficiar, & ipsa lõgius receßit à me.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæri potest,in Dei timore & amore constituit.Deum time,inquit,& mandata eius serua,hoc est omnis homo.Atq; sententiæ huic reliqua omnis diuina scriptura consentit.Beatus vir,ait,qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis, & Beati oēs qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.Et beati immaculati in via,&c. Et apud Matthęū dominus,Beati,inquit,qui esuriunt & sitiunt iustitiam.Et beati mundo corde. Nimirum in præsenti sæculo, aut hæc beatitudo est, aut nulla omnino est.Per hanc enim veram & perfectam fœlicitatem assequimur,per hanc etiam summè beato,hoc est, Deo maximè appropinquamus. Quemadmodum autem quò quidque est maximè calido propinquius ac similius,eo calidius est: ita quo qs Deo est in hac vita proximior ac similior, eo beatior ac fœlicior erit.Paulus etiam apostolus non modò Diuus Thomas dixit, dilectionem Dei in hac vita cognitioni scientiæq; præstare.In dilectione itaq; Dei huius vitæ fœlicitas sita est, non in cognitione.Nec si rerum terrestrium atq; cælestium cognitio,quam naturales in homine disciplinæ pariunt, neminem facere fœlicē potest,statim est à Solomone damnata.Sed studium humanæ scientiæ, occupationem vocat pessimā q̄ molestissima sit. Malum enim in scripturis interdum non pro culpa,sed pro pœna vsurpatur. Idem quoq; studium vanitatem nuncupat, q̄ nęc homini finem suum præstat,& ad veram fœlicitatē consequēdam otiosum est. Hoc vero testimonio si aduersum liberales scientias abutimur,vituperemus simul opes,diuitias,regna,artes,oia deniq; quæ sub sole fiunt.Nam eadē de his quoq; Sapiēs dixit,illud qm̄ stultissimum est, fateamur omninò ex verbis Ecclesiastis nihil contra disciplinas humanas conficiposse.

Multò verò minus ex prouerbijs conficitur,nam verba illa planè de cæca voluptate intelliguntur. Quam apud Ciceronem Plato escam malorum appellat, q̄ ea videlicet homines capiantur,vt hamo pisces.Non est Philosophia meretrix illa vaga & garrula,quietis impatiēs, procax,blāda,adulatrix,pręparata ad decipiendas animas, sed, siquid tale est, est illa Thamar, quæ causa prolis sedit in triuio,ad quā studiosus & fidelis Iudas declinauit,indeq; genuit Phares & Zaram, qui in Euāgelijs memorantur.Non sunt Musæ Sirenes,vt est apud Pythagoram.Castæ sunt, nō meretrices,veraces sunt, non fallaces.Qui Sirenum cantibus delectātur, hi sunt in vitio:qui Musas amant,in vitio non sunt.In epistola autem ad Colosſ. eodem Clemēte auctore,non reprehendit apostolus philosophiam veram,hoc est,quæ de naturæ rebus verè sentit, sed Epicuream,quæ videlicet tollit prouidentiam,& in Deorum numerum refert voluptatē,& præter res corporeas nihil esse credit. Huiusmodi ergo aliasq; similes Philosophorum doctrinas condemnat Paulus,quæ ab ipsis auctoribus Philosophiæ nomine vēditātur, cùm nihil re vera minùs sint, sed ignorantium hominum traditiones, quēadmodum eas vocat apostolus. Vera autem & naturalis philosophia nō hominum traditione, sed Dei reuelatione habita est, vt suprà eiusdē etiā apostoli testimonio ostēdimus. Cùm verò eodem ipso capite scriptum sit, hoc autem dico,vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonis, mirū est, cur Lutherus, Philippus,& alij,quos quoniam adhuc in Catholicis habētur, nolo hìc nominatim cum hæreticis lacerare : eloquentiam & omnem sublimem dicēdi characterē non reprehenderint.Absurdū est enim, vt quibus verborū disciplinę placent,his rerum cognitio displiceat.Sed periculosa curiositas,nam hoc dicit quidam, & nimia in definiendis rebus obscuris audacia è Philosophiæ studio sunt nobis natæ. Atq; idē excusatione summæ stultitiæ summæ improbitatis odiū deprecans adjicit, se non in totum Philosophiam damnandam putare. Hoc autem calumniandi genus,qua

Prouer. 1 & 7.

2. & 4. Stro.

Coloss. 2.

1.ad Cor.13
2.2.q.23.6.
1. Nam qd̄ Caietanus ait, dilectionē Dei naturalē eius virtutem non esse, absurdum est.

Esa. 45.
Amos.3.

1. Stro. Clement.

In Cato. Maio.

le sit & cuius hominis, quis nō videt? Certè non aperti, nō simplicis est, nō ingenui, non iusti, nō viri boni: sed versuti potiùs, obscuri,astuti,fallacis,malitiosi, callidi,veteratoris,vafri. Non nascūtur,mihi crede, è studio Philosophię vitia,sed ex errore & ignorantia nascuntur.Quid enim Philosophiæ magis contrariū esse potest, quàm aut vana periculosaq; sectari,aut quod nō satis exploratum sit & cognitū, id sine vlla dubitatione definire? Quid verò sibi vult oratio illa, se non in totum philosophiā dānandam putare? Quam igitur partem philosophiæ dānat? An vt Lutherus, eam,quæ cōtemplatur & cernit? Explicet atq; excutiat intelligentiā suam, vt videat quæ sit in ea species,forma & notio philosophiæ.Nos enim non more vulgi doctrinam Stoicam aut Platonicā,aut Pythagoricam,aut Aristoteliçā,Philosophiam appellamus:sed,vt homines definiendi periti,si interpretari volumus,studiū sapientiæ,si rē ipsam quærimus,rerum humanarū ac diuinarū,terrestium atq; cęlestium scięntiam. Quam non dico in totū, sed ne in partem quidem dānare, vel insignis stultitiæ est, vel malitiæ manifestæ.Augustinus porrò lib.1.de mori. eccle.cath.c.21.curiosam naturæ inquisitionem & nimium quendam amorē terrenæ sapientiæ cauendum intelligit,non verā philosophiā, quæ est amor sapientiæ moderatus.

Iam verò quod ex priore ad Cor.epistola opponitur, nihil illud mouere potest. Nam quod ait,perdam sapientiam sapientum,id perinde est ac si dixisset, sapiētiam sapientiū obscurabo. Quomodo? Nempè illustrādo mundū maiori doctrinæ lumine,ad quam doctrina philosophorum omnis nulla esse videatur.Sicut etiā sol fulgore suo stellarū lucernarūq; lucem dicitur perdidisse.Prudētiam autē prudētium Deus reprobauit, quia nō elegit, sed quæ stulta sunt mūdi,vt confunderet sapiētes. In quem sensum fortes & potentes reprobasse dicitur, quia infirmos & ignobiles elegit apostolos,vt Dei virtus magis in Euangelij prædicatione clareret. Quanquam Clemens.1.libr.&.5. Strom.docet, non esse hic fortè sermonem de verè sapientibus & prudentibus ;sed de his qui sibi sapientes & prudentes viderentur. Sicut non vocatur Euāgeliū stultitia, quòd stultitia sit, sed q̄ ita huius mundi sapientibus visa sit. Nam illud,scientia inflat, sanè illimum intellectu est. Non enim magis scientiā hic damnat apostolus,q̄ opes, regna,pulchritudinem,vires, abstinentiam, virginitatem q; dānaret is, qui hæc omnia inflare testatur.Clemens verò Alexādrinus.2.Stro.libr.de illis hoc exponit,qui se sapientes existimant, cùm tamen superbi sint,nihil re vera scientes , sed languentes circa quæstiones. Quæ intelligētia ex eo probabilior efficitur, quod statim apostolus subdit, * si quis autē se existimat scire aliquid,nondū cognouit, quēadmodum oporteat eū scire. Non itaq; vera scientia inflat,sed quæ videtur esse, nec est tamen, ea inflat. At. 7. Stro. libr. nouē exponit inflare,pro eo quod est,facere vt magnificè sentiāt,qui eam habuerint.Refert verò in hoc illud Ecclesiasticī.4.cap. Η σοφία υἱοὺς αὐτῆς ἐπαίρει, id est sapientia filios suos inflauit,sic enim vertit interpres. Quod alij exaltauit,Hieronymus verò vitam inspirauit.Verbum autem ἐπαίρω eleuare & tollere est.At verò illi testimonio ex priore ad Timoth.c.6.D.Hieronymus in cōmentarijs super epistolam ad Titum.1. c.respondet in hæc verba. Quæritur quare ad id quod apostolus ait : secundùm fidem electorum Dei & cognitionem veritatis iunxerit, quæ iuxta pietatem est: vtrum nam sit aliqua veritas quæ non in pietate sit posita:& nunc ad distinctionem illius inferatur cognitio veritatis,quæ iuxta pietatem est.Est planè veritas,quæ non habet pietatem.Siquis Grammaticam artem nouerit, vel dialecticam:vt ratione rectè loquēdi habeat & inter falsa et vera dijudicet.Geometria quoq; & Arithmetica & Musica

*Id sentit Hieronym. in Esa.c.29 Quin tradit ibi non de quibusq; propheticū esse sermonem, sed de sapientibus & magistris Iudæorum, quos in aduentu Christi Dei iudicio excæcatos cō stat. Pessimè ait, sapientia à sapientibus eius,& intellectū prudentiū eius abscōdetur

* 1.Tim.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habent in ſua ſcientia veritatem: ſed non eſt ſcientia illa pietatis. Scientia pietatis eſt noſſe legem: intelligere prophetas, Euangelio credere: Apoſtolos non ignorare. Abſque pietate verò notitia veritatis delectat ad præſens: ſed æternitatē non habet præmiorum. Hactenus Hieronymus. Sanos ergo ſermones vocat apoſtolus eos qui ſalutem animæ præſtant: pios verò qui pios & religioſos homines faciūt. Hęc humana ſciētia non exhibet: ſed nō proinde eſt Theologo inutilis. At apoſtoli non fuerunt humanis literis eruditi. Fateor. Chriſtus non docuit eos Geometriam, Aſtrologiam, Phyſicam. Et hoc item fateor. Spiritusſanctus docuit eos omnem veritatē, nec Philoſophiā, Arithmeticā aut Geographiā docuit. Verū eſt & id quidē. Chriſtus nobis & apoſtoli nō Dialecticā artē, ſed nudam ſententiam, quæ fide ac bonis operibus cuſtoditur, tradiderūt. Non repugno. Non igitur ſunt diſciplinæ iſtæ Chriſtiano doctori vtiles. Id verò eſt, qđ ego conſtātiſsimè pernego. Apoſtolis ſiquidem, vt ait Clemens, Spiritusſanctus omnia plenè ſuggerebat, quæ erant & ad ſcripturam ſacram intelligēdum & ad docendum cuiuſuis generis homines neceſſaria. Nos autem, qui ſpiritus hoc peculiare donum non habemus, ſi humanarum ſimus literarū rudes & ignari, nec diuinas percipere ſanè poſſumus, nec perfecti eſſe in Eccleſia doctores. Chriſtus etiā & apoſtoli, non docuerunt nos humanas diſciplinas, vt fides noſtra non eſſet in ſapiētia hominū, ſed in virtute Dei: docere etiam nihil voluerunt niſi quod eſſet ad ſalutem neceſſarum. Alioqui, ſi exemplum placet, ignoremus Grammaticam, qm̄ apoſtoli Grammatici non fuere. Simus barbari, quia non fuere eloquētes apoſtoli. Nihil cōſultò ac cogitatò meditatum & præparatum inferamus, qđ apoſtoli hæreticis, philoſophis, Tyrannisq; euincēdis repentè atq; ex tempore ſapientiſsimè loquebā tur. Quomodo autem docti ſint omnem veritatem, Auguſtinus in Ioannem declarauit. Sunt autē ſine dubio humanæ quædam veritates, quas tametſi Apoſtoli non ſunt edocti, nos tamē vtiliter addiſcimus. Quòd enim diſciplinis humanis ſubiecta ſit veritas quam tractent & in qua verſentur, adeò eſt manifeſtum, vt ſtultum ſit & me probare velle, & alios negare. Quo verò tempore, quo loco, quo cū hominum genere diſciplinis humanis Theologo ſit vtendum, nam & hoc in argumento quæritur, alio libro ſumus fuſè ac diligenter explicaturi. Itaque nunc res eas prætermittemus: quarum ratio & maior eſt, et in aliud tempus differenda. Tantùm ergo poſtremum illud argumētum reſtat, cui reſpondere debeamus. Id quod argutè Clemens Alexādrinus. 1. Stro. lib. facit inquiēs. Non per ablationē Philoſophiæ perimitur veritas, ſed ad eam cooperatrix & adiutrix inuenitur: ſicut primus & ſecūdus gradus ei, qui aſcēdit in cœnaculum, & Grāmaticus ei, qui eſt philoſophaturus. Nā & viſus & auditus cōfert ad veritatē, mēs autem eſt, quæ eā appoſitè & naturaliter cognoſcit. Perſpicuitas etiā opem fert ad tradendam veritatem: & dialectica, ne proſternamur ab hæreſibus. Et eſt quidem per ſe perfecta ſeruatoris doctrina & nullius indiga, cùm ſit Dei virtus & ſapientia. Accedēs autem Philoſophia nō veritatē facit potentioré, ſed debilē aduerſus eam efficit ſophiſticā argumentationem: & propulſans doloſas aduerſus veritatē inſidias, vineæ eſt ſepes & vallū. Et quæ eſt quidē ex fide veritas, tāquam panis neceſſaria eſt ad viuēdum. Quæ autem præcedit diſciplina, eſt obſonio ſimilis & bellarijs. Deſinēte cœna ſuauis eſt placentula, vt ait Pindarus Thebanus. Hactenus Clemens. Hactenus etiam nos de octauo loco dixerimus. Ac ſi quæ ſunt fortè reliqua, ea in nono, qui ſtatim ſequitur, differentur.

Socra. lib. 2 hiſto. Eccl. c. 8.

2. Strom.

Lib. poſt mo.

Socrates etiam vide 3. lib. hiſto. Eccl. c. 16.

¶ *Libri Noni Finis.*

DE PHILOSOPHORVM NATVRAM DVCEM SEQVENTIVM auctoritate, quæ nono loco poſita eſt, Liber Decimus.

¶ *Caput Primum.*

QVemadmodum argumenta Theologo ducerentur à Philoſophia atq; ab omni omnino ratione naturæ, ſatis explicatū arbitror loco ſuperiore. Seqtur, vt cætera perſequar, quæ pertinent ad Philoſophorū & hiſtoriæ humanæ auctoritatē. Hi nanq; ſoli duo reſtant ex locis, qui ſunt in initio propoſiti: de quibus dicere aggrediar, ſi pauca priùs de inſtituto ac iudicio meo dixero. Quāuis em̄ libri noſtri non modò in ſcholaſtica pugna & cōcertatione verſentur, ſed multa etiā alia contineant ijs vtiliſsima, qui interiores ſcrutantur & reconditas literas, tamen interdū vereor, ne quibuſdam bonis viris ſcholæ nomen ſit inuiſum, miréturq; in ea illuſtranda tantū me operę & tēporis ponere. Ego autem quādiu res ſcholaſtica per eos gerebatur, qui iuuentutem ad ſcholæ Theologiā incitare ſunt ſoliti, meas curas cogitationesq; omnes in id cōferebam, vt me quāuis via & ratione ab ſcholaſticis conflictationibus liberarē. Non enim exiſtimabam, meam operā ſcholæ Theologis quoquo modo neceſſariam. Cùm autem Academia viros illos ſummos amiſerit, & quidam ex reliquis, qui huius rei tuendæ ſocij eſſe deberent, ſtudia hæc vel tanquā arida contentioſaq; dimiſerint, vel certè vt laborioſa & moleſta declinauerint, Lutherani verò quaſi noxia quoq; reprehenderint: indignum iudicaui illi me otio dare, quod multis ante mihi magnisq; deſiderijs optaram. Itaq; in his ſtudijs ab initio verſatus ætatis, exiſtimaui honeſtiſsimè me Chriſtianæ reip. inſeruire poſſe, ſi animū in ſchola meū, vel repugnantē continerē. Cui cū multum adoleſcēs, diſcēdi cauſa, tēporis tribuiſſē, poſteaquā Theologiā publicè profiteri cœpi, meq; ipſum diſcipulis tradidi, tēpus ferè totum conſumebatur in docēdo, ſcribēdi otiū nō erat. Suſtinebā enim magnū onus nō diſcipulos modò quotidianis & lectionibus & diſputationibus inſtituēdi, verūetiam de multis & verbo & ſcripto reſpōdendi. Accedebāt etiam non infrequētes ad populū cōciones, quibus me, vel neceſſitas adiudicabat vel volūtas. Plures autē res præſertim magnas eodē ſimul tēpore nō modò agere, ſed ne cogitare quidē poſſumus. Quāobrem de hoc opere abſoluendo, in quo tātam difficultatē ineſſe videbamus, vt viro indigeret, non ſolū egregiè docto, ſed nullis alijs negotijs prępedito, oēm omnino ſpem ſępiùs abiecimus. Sed partim diſcipulorum precibus efflagitati, partim amicorum cōuicijs euicti, tuo verò iuſſu potiùs Pater optime, cuius ſtudijs, præſertim in re tā iuſta, cùm difficile eſt, tum ne æquum quidem obſiſtere, ſubciſiuis, vt aiunt, horis opus hoc informare decreuimus, vt ſi quo fortè caſu nequeamus abſoluere, certè inſtituiſſe videamur. Eo verò me minùs inſtituti mei pœnitet, quòd facilè ſentio, vt nihil aliud agam, excitare me homines non ſocordes ad rei magnæ inueſtigandæ cupiditatem. Nos enim ſi non aſſecuti, at id ſecuti profectò ſumus, vt ea his libris explicaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione dignisſima. Sed iam ad inſtituta pergamus. Danda enim opera eſt, vt etiam ſi ad alia aberrare aliquando cœperit, ad hæc reuocetur oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Caput Secundum.

FVisse olim in ecclesia nonnullos, qui Philosophorũ auctoritatẽ ab schola Christiana reiecerint, Clemẽs Alexãdrin⁹ perhibet grauis in primis auctor. Tradit etiã hanc illos persuasionem induisse, ꝙ dñs apud Ioãnem dixerit, oẽs quotquot ante se venissent, fures fuisse & latrones: nec audijsse eos oues. Fures autẽ vocatos aiunt, ꝙ fuerint sophistæ fallaces. Nam sophisticen, quãdam furandi artẽ ipse quoq; Aristoteles dixit. Et Iustinus, cùm docuisset Philosophos similes esse latronibus, & tanquã deceptores redarguisset, per insidias Crescentis philosophi interẽptus est, vt Euse. scribit lib. 4. Eccle. histo. c. 16. Non sunt igitur philosophi audiẽdi, præsertim cũ nostræ semper doctrinæ repugnarint. Nam vt Ruffinus lib. 1. Eccle. histo. c. 2. refert, Ario fauebãt viri in quæstionibus calidi, & ob id simplicitati fidei aduersi. Atq; Epiphanius lib. 2. aduersũ hæreses. c. 69. eo nomine taxat Arianos, ꝙ fuerint noui Aristotelici, & ab hoc Philosopho veneni iaculatiões sibi ipsis affricuerint, relictaq; domini mãsuetudine Aristotelẽ induerint, Ita nec spiritus donũ in se habere digni facti sunt. Et Hiero. aduersum Lucifer. Arianam dicit hæresim argumẽtationum riuos de Aristotelis fonte mutuari.

Paulus deniq; ait philosophos, dicẽtes se esse sapiẽtes, stultos factos esse, traditosq; in reprobũ sensum. Eorũ igitur auctoritas nullius apud nos momẽti esse debebit. His & similibus argumẽtis vetustus error ille nitebatur. Quem tñ iam diu sepultum sine vllo etiã argumẽto Lutherus suscitare conatus est, dãnareq; subinde cũ scholasticos cæteros tũ magis D. Th. quasi auctor fuerit regnãtis Aristotelis vastatoris pię doctrinę, sic eñ loqtur cõtra Latomũ. Videlicet Domitiani exẽplo, philosophos nõ vrbe solũ, sed orbe pelledos esse credit. Nos autẽ qd fides Catholica ratioq; sana teneat, breuiter & sine disceptatiõe docebimus.

¶ Caput Tertium.

PHilosophorũ auctoritas eorum, qui falsa senserunt, nostram non potest adiuuare doctrinam, & latentia cognita facere, vt Augustinus ad Dioscorum verè et sapienter scripsit. Quid enim nobis est, ait, propter defensionem Christianæ religionis, quærere quid senserit Anaximenes, Democritus, Epicurus, Parmenides & Melissus, alijque similes huius farinæ philosophi, quorum doctrina erroribus naturæ rationi contrarijs plena fuit? Non itaq; oẽs philosophi, scholæ nostræ probati sunt, sed illi, de quibus apud Platonẽ Socrates sunt inquit, in mysterijs multi quidẽ, qui gestãt ferulam, pauci verò Bacchi. Magnifica verò vox et magno viro ac sapiente digna, qua docemur, multos vtiq; barba & pallio tenus, sed paucos re vera fuisse philosophos. Paucos igitur hos, qui scilicet naturæ vim & effecta, morũ ac vitæ normam, via & ratione inuestigarũt, magnaque ex parte consecuti sunt, Theologis esse vtiles, hac nos oratione contendimus. Nec video equidem cur huiusmodi philosophos tãto Lutherani odio prosequantur, nisi quòd auctores obscuros intellectuque difficiles perdiscere nec volunt, nec verò possunt. Etenim optimi cuiusque philosophi commentaria, præsertimque Aristotelis, discipulum non modò ingeniosum, sed amantem etiam laboris exigunt. Isti verò cùm parum ingenio valent, tum in laboribus è vita etiam Christiana pellẽdis occupati & sunt & fuerunt. Quamobrem quod in philosophorum libris difficile atq; arduum esse videt, id & horrẽtipsi, & ab eo iuuenum animos alienãt. Quid autem sibi Theophilus Alexandrinus velit, penitus nõ intelligo, cùm in secundo paschali libro Origenẽ carpit, ꝙ philosophorũ argutias tractatibus suis miscuerit, atq; ita ex malo exordio in fabulas & deliramenta processerit, ac Theologicũ dogma ludum & iocum fecerit.

Epist. 56.

In Phæd.

Quantò

Quãtò illud apud Porphyriũ, quanquam ab impio philosopho dictum est, verùs tamen & luculentiùs dictum est, Origenem Græcorũ diuitias omnes ad Christianum dogma locupletandum conuertisse. Sed hæc fortè obscura sunt, cùm lente argumẽtis nullis appositis explicantur. Factis primũ illustranda sunt summorũ virorũ hæc. Deinde patrũ nostrorũ testimonijs. Tum rationibus, apertissimis illis quidẽ, sed quã paucissimis. Cũ enim in huiusmodi causis, quæ scholæ propriæ sunt, verear equidem, nec cui ex scholasticorũ disputationibus, non ex ecclesiæ sensu deprõpta nostra videatur oratio, interdum argumẽta ducta à ratione præstringimus, & veritatẽ, quã sequimur, maiorum potissimũ auctoritate suademus. Intelligendũ est autẽ, cũ proposita sint genera decem, è quibus argumenta ratiocinationesq; manarent, splendidissimũ videri, quod veterũ traditione exemplisq; consistit. Atq, si bono loco res essent quæ more aguntur & institutis ecclesiæ, de his nihil erat argumentandum, illa nim ipsa certissima argumenta sunt. Lutheranorũ verò oratio tota mox erat eũcienda. Est enim inimica ecclesiasticæ regulæ, sine qua nihil rectũ esse potest, nihil constans, nihil verum, sed hæc aliàs. Nunc quod instatagamus. Porrò olim ecclesiæ doctores summi fuere, qui ijdẽ fuere philosophi, Didymus, Iustinus, Origenes, Gregorius Nazanzenus, Basilius, Gregorius Nisenus, Damascenus, Augustin⁹. Tales eñ, cũ habebãtur, ecclesiasticę schołæ prẽfici solere, Eusebius lib. 5. eccle. hist. c. 10. scribit his verbis. Cõsuetudo antiquit⁹ tradita seruabatur, vt diuinarũ scripturarũ doctores in schola ecclesiastica habeãtur, vim dũtaxat scietia, & eruditione probatissimi. Huius officij auctor, & dux tũc satis illustris habebatur Panthænus, qui in Philosophis Stoicis priùs nobiliter floruisset. Tradit quoque Origenes apud Euseb. lib. 6. c. 15. non solùm à Panthæno, sed ab Hæracla alijsq; plerisq; doctoribus Apostolicis Philosophorũ libros legi solitos. Quòd si sanctorũ loca referre voluerimus, q̃busilli philosophorũ testimonijs vtuntur, nõ eorum modò, qui de moribus, sed eorũ etiã, qui de natura scripserunt, verendũ nobis est, ne in causa parũ dubia testibus vtamur minimè necessarijs. Legãt isti oĩa eorũ cõmentaria, quibus, de opere sex dierũ disputatio instituta est, atq; in his vel solis videre poterũt, & quãta fuerit maiorũ nostrorũ perlegendis philosophis diligẽtia, & quãtus sit philosophorũ explicandis sacris literis vsus. Vide aut etiã Hier. in 17. caput Hiere. Et lib. 2. aduersus Iouinia. vbi etiam cũ hæretico disserẽs, varijs philosophorũ testimonijs vtitur: multisq; è philosophorũ cõmentarijs rerũ naturaliũ exẽplis editis planè docet quantũ horũ auctoritas theologo ad argumẽtandũ conferat. Sed de hac re paulò pòst. Nunc id quod erat institutũ persequamur. Sanè vt reliquos præteream, quos stare à nobis aduersarij nostri nõ dubitãt, Epiphanius certè ipse, quem nobis obijciũt, Philosophorum auctoritatem haud semel vsurpat. Docturus enim hæresi. 51. quãnã ratione esset hæretici fugandi, aũt, inquit, hi, qui hæc in consuetudine habuerũt, odore Dictamni, Styracis, Libanotidis, Abrotoni, Bituminis, Thymiamatis, Lapidis Gagatæ, aut cornucerui fugarireptilia, & venenũ iaculantia. Itẽ hæresi. 78. cũ multis argumẽtis suasisset, Beatã virginẽ post partũ virginitatẽ cõseruasse, subdit. Si verò etiã ab alia quadam speculatione ipsas res accipere conuenit, attingemus quoque rationum naturæ cognationes. Aiunt leænam non parere præterquam semel & vnum. Cumque subiecisset causam, quam eius rei Philosophi naturales redderent, colligit, Beatã virginem, quæ Læonem peperit de tribu Iuda, nõ ni semel atq; vnicum peperisse. En Epiphanius, & Christianos instrues, & cum hæreticis de fide certãs, Philosophorum testimonia refert. Quin etiam Paulus nõ solùm cùm ethnicis persuadet,

Vide Arist. 6. anima. et Gellium lib. 13. ca. 7. & Herodo. lib. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiam cũ fideles instituit, Poëtarum & Philosophorum testimonia referre solet, exq; ijs argumenta sumere. Nam ad Athenienses loquens ex Arati Astronomi, Phęnomenis vsurpat illud, ipsius enim, & genus sumus, ad Corinthios verò ex Euripidis Poëtæ Tragœdijs illud, corrumpunt bonos mores colloquia prauã, ad Titum autem ex oraculis, Epimenidis philosophi illud, Cretenses semper mẽdaces, malæ bestiæ, vẽtres pigri. Ac subiicit hic protinus. Testimonium hoc verũ est. Si igitur quæ dicit Apostolus, ea Philosophorum testimonijs confirmat, Pauli etiam non modò aliorum sanctorum exemplo facere nos idem, & possumus & debemus.

Hoc Hieronymus & ad Titũ. 1. et ad Ephe. 5. Menãdro tribuit, Clemens verò Alex. Euripidi.

Alter erat locus, à patrum testimonijs ostẽdere Theologis Philosophos esse vtiles, vbi nihil laboris esse video, cùm testentur hoc plerique quidem non obscurè, sed apertissimè, Augustinus, lib. de doctrina Christiana. 2. c. 40. Socrates, lib. 3. histo. eccle. c. 16. Num locupletiores quæris auctores? Citarem alios, nisi aliò nostra festinaret oratio. Certè Hieronym⁹ in epistо. ad oratorem Magnum nó testatur hoc modò, sed magnis etiam argumentis confirmat. Tertium est propositum, rationibus illud ipsum demonstrare. Id quod faciam planè, & faciam breuiùs quàm res tanta fieri possit.

Multa à Philosophis prudenter fuisse & grauiter disputata, multa etiam breuiter, & cõmodè dicta, multa denique ingeniosè & luculenter exposita, qui negauerint: ij non sunt verbis & ratione, sed vinculis & carcere fatigandi. Atq; si etiam hoc naturæ ratio præscribit, vt quæ viri graues, ingenioſi, eruditi, acutè diligenterq; tradiderint, ea iuuenes memoriæ mandent, fieriq; studeant illorum, & scientia, & prudẽtia docti, necesse est, Philosophorum doctrinam non iuuenibus solùm, sed his etiã omnibus esse vtilem, quibus vllum aliquã do commercium cũ humana sapientia & prudentia futurũ est. Quòd si ita est, idq; nos superiore loco satis ostẽdimus, Theologos ad res multas huiusmodi cõmerciũ habituros, nimirũ, quoad poterunt & licebit, ab eorũ latere nõ discedẽt, qui rectè de moribus & natura sentiunt. Idq; ipsum si ita est, Philosophorũ certè libris theologi dare operã debent: nõ enim alios hodie reperiẽt, qui de rebus huiusmodi aptiùs & sapientiùs philosophẽtur. Verũ autẽ primũ, verũ igitur & extremũ: Nam illud quidẽ absurdũ est, quod quidã dicunt, omnia esse sacris literis prodita, quæ ad rationẽ hominis instituendam videtur esse opportuna et necessaria. Quorũ error, quoniã abũdè ex ijs, quæ suprà diximus, explodituꝛ: nõ est hîc pluribus refellẽdus. Quid enim stultius esse potest, quàm aut in Scriptura sacra liberales oẽs disciplinas traditas credere, aut huiusmodi disciplinis existimare, hominis rationem non benè & vtiliter instituí? Quòd si philosophia Theologo vtilis & bona est, eam autẽ nisi philosophorũ libris adiutus cõsequi nõ potest, nõ vtiq; sunt ei philosophi negligendi. Cũ autẽ herbarum, lapidum, animantium, arborũ, elementorũ, aliarumq; rerum terrestrium cælestiumq; cognitio, sacris literis intelligẽdis sit magnoperè necessaria, quẽadmodũ Augustinus. 2. de doctrina Christiana lib. docet, nosq; etiam sumus idem in tertiodecimo huius operis libro fusiùs demonstraturi, insanus profectò erit, qui in harum rerũ cognitione parãda eos auctores neglexerit, qui & summo ingenio, & magna peruestigatione, & multi temporis experimentis, in his cognoscẽdis elaborarũt. Cũ igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin Philosophi plurimũ Theologis prosint, illud de quo dubitari à doctis etiã potest, iam statuendum est, argumenta è Philosophorum auctoritate petita, certa nè, an potiùs incerta sint.

Lib. 8. & 9.

Caput quartum.

PHilosophorum omnium vna eadẽq; consensio certam fidem facit Philosophici dogmatis. Quod eũ in alijs artibus valet, vt auctores probati tantũ apud eos, qui eam artem sequuntur, auctoritatis habeant, vt inde non nisi temerè discedi soleat, id in Philosophia, ac multò etiam magis valere debet, ne in rerum naturalium cognitione vario discipuli versentur errore, nec habeant vnquam quos sequantur. Benè, inquit Aristoteles libro secũdo de cœlo, sese habet quemq; sibi persuadere, veteres & maiorum maximè nostrorum sententias veras esse. Atque si in omni disciplina & arte, oportet addiscentem credere, vt & Aristoteles idem prudenter admonuit, & Theodoritus magna exẽplorum vi ostẽdit & patefecit: in Philosophia certè perdiscẽda scientiæ huius professoribus, in eandem præsertim sententiam concurrentibus, fidem habeamus oportet.

Lib. decim. Graciæ.

Quanta verò arrogantia erit, quanta temeritas, non cum Platone dicam, Aristotele, Hippocrate, Galeno, Theophrasto, Themistio, Alexandro, Dioscoride cæterisq; huius chori Philosophis, vnum idemq; concinentibus dissentire, quorum scripta & magna cura studioq; elaborata, & posterorum non examinatione modò expẽsa, verùm etiam consensione probata sunt: sed contra sui temporis doctos homines dicere, & singularia placita communibus anteponere. Nempè id est, vt ille inquit, bellare cum dijs, id est naturæ repugnare, maior enim pars eò deferri solet, quò à natura ipsa deducitur. Ex quo intelligitur, non esse alienum, Theologicis institutis ad ea coniectanda, quæ in natura dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, & si morũ quæstio est, vsu peritos: & qd his de vnoquolibet quæstionis genere placeat, exqrere. Quòd si Pictores, & ij qui signa fabricãtur, & veri etiã poëtę suum quisque opus à vulgo etiam considerari vult, vt si quid reprehẽsum sit à pluribus, corrigatur: quantò magis Theologo prudenti non vulgi, sed sapientum Philosophorum iudicio, permultæ de rebus naturæ sententiæ, mutandæ & corrigendę sunt, licèt illi veræ esse videantur? At enim in rebus, quę ad mores pertinent, non doctissimorum Philosophorum modò, sed virorum quoq; optimorũ, nulla etiam causa reddita, valebit auctoritas. Nam, quod Aristoteles doctè, vt omnia ferè, tradidit, quemadmodum de saporibus palatum sanum rectè iudicat, infectum non item: sic vir bonus & iustus bonum à malo rectũ q; à prauo egregiè discernit, contrà autẽ omnis affectus animi perturbati, tollit iudicium veri, idq; adulterat. Adeò illud verũ est, qualis vnusquisq; erit, tale etiam iudicium proferet. Atq; ipse idem Aristoteles planè testatur, non minùs eorum qui sunt experti & seniorum prudẽtiumq; sententijs quàm ipsis demonstrationibus adhibere animum oportere. Tanquam oculũ enim, ait per experientiam habentes principia ipsa rerum agendarum cernunt, & ab ijs perinde atque à natura acti rectè discernunt. Quamobrem sanctè ac prudenter Innocentius, in morum iudicijs sanctorum exẽplaꝛ nos sequi voluit. Grauissimè quoq; Plato in Timæo, fieri, inquit, non potest, vt deorum filijs fides n habeatur, etiam si absq; probabilibus, & necessarijs dicant demonstrationibus. Et Ecclesiasticus, cor ait boni consilij statue tecum, Anima enim viri sancti enũciat aliquando vera meliùs quàm septem circũspectores, sedẽtes in excelso ad speculãdum. Quæ causa mihi semper fuit pater sanctissime, atq; optime, vt in rebus huiusmodi grauissimũ iudicium tuum non minùs expectarem, quàm alterius cuiusq; eruditissimi Philosophi atque Theologi. Intelligebam enim virtutes illas omnes, quas expertus fueram in te, nullo etiam dialectico syllogismo interueniente, id quod rectum esset secuturas declinaturasq; contrarium. Mihi autem hæc oratio susceptа non de te est, sed de proborum genere toto. Neque illam de scientiæ dogmatis, sed de prudentiæ iudicijs potissimũ intellectam

6. Ethi. c. 10.

20. dist. c. de quibus.

cap. 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lectam velim. Iudicia quippè prudentiæ, mutatis moribus permutantur, scientiæ verò decreta, non item. Ab his autem longè dissentio, qui decernendis conscientiæ casibus, sic enim vocant, relictis doctissimis Philosophis ac Theologis spirituales nescio quos homines consulunt, qui visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Multa quoque perfectione exercitationeque virtutum opus est, quemadmodum ait in.4. cap. Ioannis Origenes, vt bona & mala vera & falsa diiudicare possimus. Rari autem illi sunt, qui quod Apostolus ait, exercitatos habeant sensus ad discretionem boni & mali. Sed hæc hactenus. Nunc eò redeamus, vnde huc digressi sumus. Constitutum est igitur Philosophorum iudicium, eorum scilicet qui magna doctrina excellentiáque ingenio valuerunt, in magno pretio esse nobis habendum, si nolumus haberi temerarij.

Hie.15.

Omnino si quicquam est probabile, nihil est profectò magis, quàm naturæ principem naturalis disciplinę doctores aliquos mortalium generi prouidisse. Quis enim adeò esset insipiens, vt academiam vnam quamlibet sine præceptoribus instituere? Certè, quoniam notus in Iudæa deus, quasi diuinæ scientiæ Gymnasium erexit, Rabbinos ibi etiam procurauit. Et quoniam apud Christianos Euangelicæ doctrinæ academias esse voluit, Apostolos quoque, Prophetas, Euangelistas, Doctores dedit, qui eam in Christi repub. doctrinam profiterentur. Quapropter, cùm vniuersis gentibus edocendis naturæ leges ac disciplinas ediderit, non sit verò simile, nullos huiusmodi legum ac disciplinarum magistros instituisse. Atque etiam, si ab alia similitudine argumentari conuenit, Clemens Alexand. Philosophiam ait Græcis à Deo veluti proprium testamentum esse datam. Quemadmodũ ergo nec Iudæorum, nec Christianorum testamenta, ita ne Græcorum testamentum quidẽ absque interprete dereliquit. Quocirca diuinæ hic quoq; procurationis erat, vt nõ omnes simul Philosophi aut in Dei cognitione aut in morum & vitæ regula, aut etiam in rerum naturalium intelligentia, quæ quidem esset ad illa duo priora necessaria, hallucinarentur. Quæ res effecit, vt iuxta Pauli sententiã Græci fuerint inexcusabiles. Qui tamẽ excusari possent, si eorum præceptores non ad veritatem bonitatis instructi satis informatiq; essent auctore naturæ optimo duce atq; magistro. Id verò scripturæ etiã diuinæ testãtur. De deo enim in Psalmo scriptũ est. Quòd docet hominẽ scientiã. Et rursum in libro Iob. Quòd docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. Nimirũ sicut quibusdã animantibus, qui tanquam principes, & duces reliquorũ à natura dati sunt, cõcessi sunt quidã instinctus, quibus ad gregis quisq; sui ducatum rectum vtilemq; ferãtur, ab obliquo retrahantur & noxio: ita in hominũ eorũ mentibus, qui naturã duces sunt cæterorũ, inditas esse notiones credendũ est, quibus in illa, quæ ad imperitorum & rudium populorum doctrinam spectãt, inducantur. Nec enim melior est belluarum cõditio q̃ nostra. Atq; Boëtius magno vir ingenio in primisq; doctus, cõmunes sapientum conceptiones, sic enim appellat, non minoris facit, quàm si communes essẽt omniũ hominũ. Notaq; ipsi sexto aceptimo loco, ad eandẽ quoq; rationẽ ostẽdimus, cõmunia doctorũ ecclesiasticorũ præiudicia nõ aliter esse accipienda, ac si cõmunes fidelium essent cõmunes conspiratesq; sententiæ. Quãobrem id quidem nõ est dubium, quin verũ & exploratũ illud sit, de quo omniũ philosophorũ ratio consentit. Quomodo enim homines & ambitiosi honoris & gloriæ, & cæci ferè auiditate carpendi & plurimis seculis maximisque locorum interuallis seiuncti in vnam sententiam conuenirent, nisi in hãc quasi conspirationem naturæ impulsu quodã agerentur? Ex quo rursum intelligi

pſal. 93
iob.35.

6. Stro.

ligi perspiciq; licet, id quod paulò antè dictũ est, Philosophos ab vno aliquo mortalium magistro excepisse ea, quæ populis ac gentibus vniuersis communi consensione conscripserint. Verissima ergo sunt communia Philosoporum placita, nec ab illis licet, si omnes ad vnum idem sentiant, dissentire. At Hieronymus lib.1. aduersus Pelagianos, cùm aduersarius eã Philosophorum communem sententiã obiecisset, qui vnam habeat, eum omnes habere virtutes: respondet eam quidẽ Philosophorum fuisse sententiam, sed nõ apostolorum, neq; esse illi curę quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Sanè quis sit Hieronymi in dialogo mos, quæ in argumentis eludẽdis figura, ne longũ faciam, hoc loco præteream. Huic enim argumẽto facilè respondetur Hieronymum sententiam hanc eandẽ & veram consensisse, & Philosophorum auctoritate probasse, vt in Esa. cap. 16. Philosophorum ait sententia est, & Apostoli Iacobi, hærere sibi virtutes, vt cui vna defuerit, huic omnes desint. Et in.56. caput eiusdem Prophetæ, virtutes, inquit, inuicem se sequuntur, ita vt qui vnam habuerit, oẽs habeat, & qui vna caruerit, cunctis careat. In dialogo igitur illo non vult Hieronymus se in dogmate fidei auctoritate Philosophorũ vrgeri, quã tamẽ ipse idẽ alijs locis vsurpat.

¶ Cap. Quintum.

CVm verò de vnius aut alterius Philosophi secta disseritur, lõgè diuersa quæstio est. Atq; quò quisq; doctior & grauior est, eò est illius quidem, & probabilior auctoritas, & fide dignius testimoniũ. Sed nulli Theologus ita sese adiudicare debet, vt ab eo ne latũ quidem vnguẽ putet discedendum. Non enim æquũ est, vt apud Christi discipulos tantũ Ethnici vnius auctoritas possit, vt etiã sine ratione vincat. Refert certè in quacũq; arte plurimũ, vnũ in illa excellẽtẽ auctorẽ legere, cui potissimũ te addicas. Nullus tamẽ quamlibet eruditus sentiendi tibi ac dissentiendi auctor futurus est. Nemo enim fuit omniũ, qui nõ, vt homo, interdũ hallucinaretur. Enimuerò quis primas inter Philosophos habeat, quisuè proinde ille sit, cui præcipuã dare operã operæpretiũ sit, varię sunt doctissimorũ hominũ discrepantesq; sententiæ. Nã, vt alios prætereã, in huiusmodi causa aliud Diuo Augustino videri solet, cui caue quenquam anteponas, nec enim doctior vir fuit Augustino quisquã nec clarior. Aliud autẽ videtur D. Thomæ maximo grauissimoq; theologo atq; philosopho. D. Augustino Plato summus est, D. Thomæ summus est Aristoteles, sic ferè res habẽt, vt id doctrinæ genus quisq; maximè probet, cui à teneris annis maximè assuetus est. Exoritur Augustini ratio ex altera parte, nullos esse eorum Christianę magis doctrinę cõcordes quã Platonicos. Plato siquidẽ fuit ex Hebræis philosophus, vt Clemens Alexãdrinus auctor est. Imò verò, inquit Thomas, Peripateticorũ doctrina Christiano dogmati cõsentit plurimũ. Clemens enim Alexãdrinus lib.5. stro. etiã refert, Aristobolum multis libris probasse philosophiã peripateticam ex lege Mosaica & alijs dependisse Prophetis. Ac Diui Thomæ sententia quidẽ & oĩm penè gentium & multorum seculorum vsu probata est. Platonem enim iã inde à multis annis vix in angulis homines otiosi legũt. Aristotelẽ verò magno cõsensu orbis academiæ resonant. In Aristotelem quoq; illud elogiũ vnicum vniuersæ consentiunt gentes per Antonomasiam philosophũ, hoc est, philosophorũ primariũ fuisse. Iure ergo illum amplectimur, cuius de laude omnium sit fama consentiens. Diuo etiam Thomæ ita sunt Theologi scholastici assensi, vt in schola theologiæ, Plato ne locũ habeat q̃dẽ, ita eam Aristote. occupauit. Illud cõstat neminẽ in rebus naturalib⁹ plenè eruditũ esse posse, si solũ Platonẽ legat. Solus autẽ Aristoteles abũdè sat est, vt sit homo in Phi-

1. Stro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Philosophiæ tribus oĩno partibus eruditus. Sanè, ne quis causetur, misero seculo Aristotelem Theologis, Platonem autem meliore ecclesiæ statu placuisse, sciatis, quicunq; est tandem, scholam Aristotelicam Alexandriæ tum etiam vigere solitam, cùm ibi doctores Apostolici vigerẽt plurimùm. Sed enim, vt mihi quidem videtur, nec Augustini nec Thomę cõtenenda est sententia. Nam & ijs cõcedẽdũ est, q̃ Aristotelem amant, & ijs forsitan qui Platonis amici sunt. Quorum iudicium, in eo quod de animi immortalitate, de Dei prouidẽtia, de rerum creatione, de finibus bonorum & malorum, deq; alterius vitæ vel præmio vel pœnis Platonem apertiùs constantiusq; locutum asserant, difficile factu est non probare. Probanda verò magis est Diui Thomę opinio, sedita tamen, vt adhibeatur moderatio quædam, sine qua probari illa non potest. Placet enim quoq; nobis Aristoteles, & rectè placet, modò ne repugnantem etiam illum ad Christi velimus semper dogma conuertere. Id quod interpretes ferè solent. Quivim contextui sæpè afferunt, atq; Aristotelem cogunt, vt velit nolit pro fide catholica pronunciet. Periclitemur autem, si placet, & in ijs quidem exemplis, in quibus erràsse Aristotelem, vulgus Theologorum fortassè non putat. Nec enim hoc loco de æternitate mundi mentiumq; præfinito numero disserendum est. Sed ne de animi immortalitate quidem. Nam illa priora obuia sunt omnibus, hæc autem quæstio in his commentarijs, quos de anima scripsit, accuratissimè est à Caietano disputata. Verũ hæc consideremus, quæ difficiliora sunt, & quæ Aristoteles vafrè verbisque de industria ad imponendum compositis obscurè videtur enunciasse: vt sià doctis fortassе viris iure quandoq; & verè reprehenderetur, haberet quò posset elabi, atque ab amicis excusari. Nec ego hic tamẽ aduersus Aristotelem accusationem instituo virum doctissimum, deq; humanis literis omnibus benemeritum. Sed cùm plériq; ab illo nunc non aliter atque ab oraculo pendere videantur, securéq;, omnia illius opera legere, minuéda est hæc opinio, ne ab huius Philosophi placitis dissentire, piaculi loco sit. Audiimus enim Italos esse quosdam, qui suis & Aristoteli & Auerroi tantum temporis dant, quantum sacris literis ij, qui maximè sacra doctrina delectãtur, tantum verò fidei, quantum apostolis, & Euangelistis ij, qui maximè sunt in Christi doctrinam religiosi. Ex quo nata sunt in Italia pestifera illa dogmata dẽ mortalitate animi, & diuina circa res humanas improuidentia, si verũ est, quod dicitur, nihil enim præter auditum habeo. Cũ homines Aristotelis inflati opinionibus turpiter sibi blãdiuntur, & inde in maximo versantur errore. Sed hæc hactenus. Nunc ad propositum reuertamur.

Euse. lib. 7. Eccle. hist. cap. 32.

Mentes nos angelos repellamus, quorum numerum ex motib⁹ Aristo. præfiniunt.

Primus igitur locus, vbi contra scripturã fidem errasse Aristotelem existimo, habetur de somno & vigilia, quo loco negat deum immittere somnia, redditq; eius rei causam, quòd si deus eorum esset auctor, sapientibus vel maximè, & his quidẽ vigilantibus ea immitterentur.

Alterum exemplum est in tractatu de bona fortuna, vbi res fortuitas diuinæ gubernationi ac directioni subtrahit duob⁹ argumentis persuasus: Vno quòd res secũdę prauis obueniant, quorũ deum habere curã nõ sit verò simile. Altero quòd deus potiùs dirigeret in effecta fortunæ hõmines sapientes, cũ contra ferè videamus, imprudentissimos quosque esse fortunatissimos.

Tertius locus est libro primo de cœlo, vbi quicquid genitum esset, id corruptibile asseruit: nec incorruptibile quicquam, quod non esset ingenitum. Posuerat verò ante omnia varias harum vocum significationes, ne res verbi ignorantia claudere tur. Ratus itaq; se aduersus Platonem bonam habere causam certamq;, proinde sibi victoriam pollicitus contra morem suũ

non

non obscurè, sed quàm fieri potuit apertè docuit, quidquid incorruptibile esset, id ingenitum esse ac perpetuũ oportere, hoc est nullo vnquã modo incœpisse. Sic enim vocẽ ille interpretatur. Qua ex re fieret, vt anima rationalis aut corruptioni esset obnoxia, aut esset certè ingenita ac sẽpiterna.

Quartus locus est libro quinto rursum q; duodecimo Metaphy, quibus locis definit, deum animal esse perpetuum & optimum. Vocat autem deum communi nomine substãtiam quancunq; cœlestem, & diuinam. Nam post hæc incipit inquirere, an illa substãtia sempiterna vna an plures sint. Atq; eodem lib. 12. consentit benè antiquos res illas præstantissimas deos appellasse. Ludit autem per amphiboliam, nũc enim mentem ipsam deum vocat, nũc cœlum cuius anima mens est, id quod libro etiam secundo de cœlo videre licet. Sed ne quis sit admiratus, quòd cœlestes substantias animalia hic Aristoteles nuncupet, nam veterum more substantiam animatam siue anima sensitiua seu intellectiua vocat animal. Itaq; arbitratur deum illum vnum principem cæterorũ extremo cœlo affixum per se mouere ipsum, quomodo cæteræ mentes suos orbes mouẽt, suntq; Aristoteli ipsorũ orbium animæ: vt & D. Tho. 2. con. gen. cap. 70. admittit. Nec Aristoteles aut. 8. Physi aut. 12. Metaphy. hominis intelligentiam ad aliud principiũ reuocat, quàm ad illam primam mẽtem, quę vi sempiterna primũ mobile ciet.

7 de cœ. 13.

Quintus locus est eodem quoq; libro, vbi substãtijs intellectualibus cælorũ motricibus virtutem tribuit infinitam, quòd infinito tempore moueant.

Sextus locus est eodẽ etiam libro, vbi, vt mihi quidem videtur, dei prouidẽtiam præmiaq; & supplicia, quæ probos & improbos in futura vita manent, fabulas esse significauit gratia vulgi continendi in officio cõfictas. Reliqua, ait, fabulosè iã sunt allata ad persuasionem vulgi atq; ad vsum legum vitæq; humanæ vtilitatem. Ecquæ enim rogo illa sunt veteribus tradita, in q̃bus hæc ambo conueniant, vt sint & ad vsum legũ, & ad vitæ humanæ vtilitatẽ tradita, nisi ea, quæ nos explicare voluimus, Aristoteles noluit, ne proborum hominũ eorum vel maximè, qui reip. curam gererent, inuidiam sibi odiumq; conflaret? Nam, quòd Aristoteles Deo rerum humanarum prouidentiam adimat, maxima auctoritate Theologi affirmant Clemẽs Alexan. lib. 5. Strom. & Epiph. 3. lib. aduersum hæreses. c. vltimo. Quos autem locupletiores auctores quærimus, quã sanctos eruditos, in Græcorumq; doctrinis apprimè versatos? Anne ipsius etiam Aristotelis de se testimonium expectamus? Nimirum. 12. Metaphy. lib. verbis artificiosè excogitatis, ne in hoc etiam à more suo discederet, absurdũ esse docuit, deum de quibusdam intelligere, quòd præstet videre aliqua quã non videre. Vbi non dixit absurdum esse deum quædam intelligere, sed de quibusdam intelligere, aut meditari, vt vetus interpres reddidit. Vt non tam simplex rerũ vilium intelligentia quàm prouidentia earũ, & cura significaretur. Sentit itaq; deũ magna curare, parua negligere. Atq; in libello de mundo, si modò eius est hoc opus, deum facit similem magno Persarum regi Xerxi, vel Cambysi, vel Dario, qui ipse p se maxima, & pulcherrima regni obeat munia, minora, & sordida mandet alijs. Ac decimo Ethico. lib. quòd si dij, inquit, curam habent aliquam humanarum rerum, quẽadmodũ existimatur & creditur, rationabile est, eos amãtibus mentẽ honoranti busq; fauere tãquã rerũ sibi charissimarũ curatoribus ac bene agẽtibus. Nota, vt existimatur & creditur, &c. Iã Diogenes Laertius apertè tradit Aristotelẽ Dei prouidẽtiã ad cęlestia vsq; perstringere. Iã, q̃ libertatẽ deo in naturæ reb⁹ Aristoteles neget, viri docti & graues ita magnis argumẽtis suadent, vt superuacaneum sit eas hìc à me rationes repeti, quas in promptu est, ex illorum libris cognoscere. Certè vbi de

Caiet. 2. 2. q. 36. ar. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundi æternitate velis equisque, vt aiunt, cũ Platone certat, si naturæ auctorem liberũ faciat, ridiculus esse videatur. Quid de indignatione ob prospera impiorum cuẽta quã ad bonos mores pertinere secũdo rhetoricorũ libro affirmat? Quid quòd. 7. Polyti. libro præscribit, nihil mutilum, & imminutum orbatumq; natura educendum: scilicet, ne nimia filiorum multitudine res sua illa publica formam speciemq; congruentem amitteret? Propter quã etiã causã præuertẽdos fœtus existimat, aborsumq; ante animationem faciendum. Nã postquam vitam acceperint, nephas putat attingere. Quid de animarũ infinita multitudine? Quam admittat necesse est, ne in Pythagoræ μετεμψύχωσιν, incidat? Illa verò admissa, cũ infinita corpora esse nõ posse existimet demonstratum, resurrectionis articulum nõ admittet. Quid quòd duo principia Aristoteles posuit deum & materiã, nec enim rerum creationẽ ex nihilo agnouit. Cuius quidem rei testes non mediocres, sed haud scio an grauissimos, Clemẽtẽ Alexandrinũ Epiphaniumq; lector noli contemnere. Atq; hęc quidem Aristotelis sensa fuisse, verecũdiùs assero propter Diuum Thomam, qui huius Philosophi solet ferè esse patronus, sed Doc. doctissimi probant illum ita sensisse, quos ego in hac parte secutus sum. Si quis verò pro Aristotelis sensu Apologiam adornet, cũ hoc ego non magnoperè contenderim. Tantùm à Lectore postulo, vt mihi cõcedat, si potest, Aristotelem in his locis errasse, sin hoc non licet per Diuum Thomã, at illud certè dabit, vel cautè eum vt variũ & lubricum esse legendum, vel certè esse in nonnullis placitis reprobandum. Mihi vtrumuis satis est, & tũ hoc tum illud probabilius videtur, nec præterea quicquã probabile. Quãtum ergo philosophi vel simul omnes, vel separatim singuli ad faciendam fidem habeant virium: satis, vt arbitror, diligenter explicatum est.

¶ Caput Sextum.

NVllius verò negotij erit obiectiones contrà à principio positas repellere. Primũ enim facilè intelligitur, nõ eos qui missi sunt, sed illos qui venerunt vel pseudoprophetas vel pseudophilosophos à dño reprobari. Nõ mittebã, inquit, et ipsi currebant. Verosauté Philosophos diuinitus fuisse procuratos satis suprà, ni fallor, argumẽtati sumus. Deinde Græciæ Philosophos alia ratione fures esse dictos cõtendit Clemens, quòd vltra quàm à Moyse, & Prophetis sapientiam subripuerint, gloriolæ aucupandæ gratia quasi suam iactare sunt soliti. Pythagoras quidem discipulus fuit Iudæi cuiusdam Nazareti, vt Alexander in libro de symbolis Pythagoricis scribit. Quin Diuus Ambrosius Pythagoram genere fuisse Hebræum non obscurè tradidit. Certè fuisse circuncisum Clemẽs Alexandrinus auctor est. Hiere. 2.

Clearchus autẽ Peripateticus in primo libro de somno dicit se nosse Iudæũ quẽdam grauissimum non solũ eloquio, sed etiam animo cum quo versatus est Aristoteles. Nam Platonem non solũ à Pythagora, sed à nostris etiam doctrinam accepisse & Augustinus, & Clemens testati sunt, & Ambrosius multis argumentis suadet. Id quod Plato ipse in Timæo ingenuè fatetur. Cũ itaq; ea, quæ à Philosophis rectè & sapienter dicta sunt, nostris nos disputationibus inseruerimus, repetemus nostra tunc, non aliena mutuabimur. Ac de primo quidem argumento hactenus. Nam cætera sunt huiusmodi, vt negotium lectori facturi simus, si ea modò refutemus.

Vide Iosephũ. lib. 1. contra Appi. Alexan. libro.

Caput septimum.

QVoniã verò pertinet quidẽ ad hũc locũ iuris ciuilis auctoritas, & ita pertinet, vt non recondita quadã ratione cernatur, sed sit in prõptu: necesse est vt de illa quoq; pauca dicãtur. Est enim sine dubio iuris legumq; peritia, recta morum & vitæ disciplina:

disciplina: philosophia autem lex vitæ est actratio. Quo fit, vt legum ciuilium peritũ philosophi censendi sint, scilicet qui veram, vt ille ait, philosophiam, profitentur. Ius verò ciuile nulla in parte Theologis prodesse posse, ex eo primũ suadetur, quòd huiusmodi iura discere presbyteris atq; adeò monachis est interdictũ. Repugnat ergo Theologiæ illa facultas, à qua vt clerici abhorreant, lege canonica præscribitur. Cumq; theologia rursum de rebus diuinis sit, ius verò ciuile in rerũ humanarum earumq; temporaliũ administratione versetur, vix intelligi potest, quẽ vsum Theologo de rebus æternis disserẽti, scientia, quæ res temporarias administrat, præstare queat. Ac Cyprianus, fatetur quidẽ põtifices legibus imperatorum vti, sed pro cursu rerum tantummodò tẽporalium. Non igitur viri ecclesiastici, cũ res Theologicas, hoc est, diuinas sempiternasq; tractare volunt, leges imperiales vsurpare debent. Imperatorũ quoq; edicta, quæ ius ciuile continet, Dei quandoq; legibus aduersantur. Dist. 10. ca. Ipsum. 11. q. 3. c. imperatores. dist. 10. c. legat. dist. 96. c. Item.

Non ergo Theologus, ex illis argumentum aliquod idoneum accipiet ad conclusiones theologiæ comprobandas.

¶ Caput Octauum.

SEd illud verius est, iuris humani facultatẽ, in multis theologo commodã esse posse. Si enim illi canonica scientia est necessaria, huic autem peritia legũ adeò coniuncta, & colligata est, vt vix altera possit ab altera separari, theologus sanè vt ius canonicum, ita quoq; & ciuile cũ illo connexũ vendicare debet. Quòd autẽ sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuuentur vicissimq; illas iuuẽt, testatur Lucas. 3. de noui. ope. nun. c. 1. Vnde illud apud Italos, il legista senza capitulo vale poco, ma il Canonista senza lege, vale niente, factũ est iam tritum sermone prouerbium. Rursum, Pontificum iura plerũq; ciuili auctoritate rationeq; vtuntur. A theologo igitur, cui ius pontificiũ familiare esse oportet, non erit iuris ciuilis cognitio aliena. Augustinus præterea nõ improbat, si terreni imperij leges in suum adiutorium hæretici assumant, id enim fecit apostolus. Probandus est igitur, ac multò etiã magis theologus, si aduersum hæreticos cũ vel de rerum temporalium dispositione recta disserit, vel de moribus in rep. aut cõstituendis aut constitutis, legum ciuilium auctoritatẽ asciscit. Id quod Augustinus idem contra Donatistas sæpè facit. Nec enim peculiarem aliquem locum referre libet, cùm tam multis hoc sit à D. Augustino vsurpatum. Ad hæc, in disputatione de iustitia, & iure incidat theologus aliquando necesse est. Quo loco sanè ineptus erit, si ea, quæ grauiter à viris clarissimis de iure dicta sunt, negligere voluerit. Præterea in pactis, stipulationibus, cæterisq; contractibus: in rerũ dominio, præscriptione, testamẽtis, donationib⁹, testibus, iudicibus: aliisq; ex cõmunis huius generis, quoties Theologo opus est, albũ à nigro ęquũq; ab iniquo secernere? Sæpè nimirũ, si eius mun⁹ esse creditur, animarũ cauere periculis earũq; saluti consulere. Iniustitia quippè mortale peccatum est, quare nihil est mirandũ, si qui & multorum cõfessiones audire debet, & de iniustitia plurimis respondere, ab eo legum qualem qualem cognitionẽ ipse requiram. Quid cũ ad restitutionis materiam aptè exactèq; tractãdam de rebus huiusmodi theologus disputaturus est? Nũ iustitiæ & æquitatis in foro etiam conscientiæ rectus arbiter esse poterit, nisi multa à iureconsultis, & ciuili prudentia mutuetur? Minimè id quidem. Nam licèt iustũ iniustumq; internoscere philosophorum Diuiq; Thomæ libris theologus adiutus possit: at id solũ faciet in genere, in specie autem sine iuris aliqua peritia non faciet. Sed hæc videri possunt obscuriora, cũ sine appositione exẽplorũ lentiùs disputãtur. Exemplis illustranda sunt hæc, quæ rationibus subtiliùs quã satis est, disputari videtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Proferam autem aliqua è multis exempla, nam omnia erit operis infiniti. Sit igitur primũ, si pœnitens dicat se habere scrupulum super his aut illis bonis quæ videlicet ex præscriptione longi temporis possidet, quæ ex donatione vxoris alienæ habet, quæ ex testaméto minùs solenni, quæ vè ab intestato obuenerunt. Sit secundum exemplum, si ait pœnitens se habere litem super hac illa vè causa, nescireq; se an cedere debeat liti, an potiùs illá valeat iustè prosequi. Sit tertium. Si quis primogenitus à Theologo quærat, an peccet mortaliter, nisi fratres, iusto matrimonio collocet, nisi æs alienum soluat, quod parens cótraxerit, nisi protogeniũ curet & tueatur. Quid in donatario? An teneatur ad debita? Quid in domino? An à subditis possit solita quædam munera exigere, eosq; ad consueta onera siue realia siue personalia obligare? Placent enim nobis hoc loco quidẽ iurisperitorum illæ voces. Nec semper nos oportet accurata dictione disserere. Quin satiùs est de nominibus parũ esse solicitos esseq; interdum faciles, & negligentes: quẽ admodũ Plato nos & in Theæteto & in Politico admonuit. Verũ hæc obiter. Iam ad illa redeamus. Sed quid opus est plura? An ne speciatim definire quando in iudicijs, in contractibus, in vltimis voluntatibus, ac nonnunquam etiam in delictis cómittatur iniustitia, vjres theologi non excedit? Cũ casus occurrãt innumeri, qui naturæ lege definiri non queunt. Id si ita est, vt est certè, insolentiæ erit maximę in eiusmodi quæstionibus iuris peritiam contemnere. Iuris autem peritia nó aut cõsultiùs inuestigari aut inueniri certiùs potest, quã in iuris voluminibus. Quæ non alia quæcunq; philosophorum volumina nec eloquentia nec prudentia superant. De quinquaginta loquor pandectarum libris. Nã posteriores leges multùm omnino vtraq; in re ab illis declinarũt. Quòd si bibliothecas omnium philosophorum vnus Ciceroni visus est duodecim tabularũ libellus & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare, quid nos credere oportet de illis quinquaginta libris, quibus nó leges modò duodecim tabularum, verũ multæ etiam aliæ continentur de hominum conuentionibus deq; iure & æquo prudenter sancteq; præscripte? Sanctum, inquam, volumen est, & iustitiæ tẽplum meritò illud Iustinianus appellauit. Atq; cũ è sacra morum philosophia ius esse ortum ciuile cõstet, vt fontem, sic certè & riuulos Theologus colet, ne parum sit in Philosophiã ipsam religiosus. Sanè qui ius ciuile theologo negligendum putat, is bonã partẽ moralis philosophiæ reuellit: cuius subsidiũ si quis illi neget de moribus differenti, stultus esse videatur. Quia ergo sæpè vtitur theologus subsidio iuris in disputatione theologica, id circo istam iuris scientiam theologiæ tanquã ancillulam pedisequãq; adiunxi.

C. de ver. de. enu. l. i.

Caput Nonum.

ET quanquam argumentum, quod à iure ciuili ducitur, nec certum fortasse nec exploratum est: sed probabilissimũ est tamen, cũ omne, tum illud magis, quod à legibus Christianæ reipublicæ vsu probatus theologus accipiet. Non enim sine diuino nutu huiusmodi leges Romanis esse datas credendum est. Quin diuinitus per ora principum promulgatas fuisse Ioãnes. 8. prædicat. Et Augustinus inquit, humana iura per imperatores, & rectores seculi deum humano generi distribuisse. Ac Demosthenes, leges inuẽtũ munusq; deorum esse putat. Et Cicero principis legem ad iubendum & vetandum aptam, rationẽ rectam esse, ait, summi Iouis. Et Solomon. Diuinatio, inquit, in labijs regis in iudicio non errabit os eius. Ad dei ergo procurationem pertinuit, vt numine quodam legum Romanarum latores afflarẽtur, quò ad reip. moderationem ea scita præscriberent, quæ essent iusta atq; legitima. Quamobrem si theologus ex illis argumentum sumat

L. nam & ff. de legib. Et. l. ius ciuile. ff. de iustitia & iure.

Prouer. 16.

sumat, nihil abhorrebit à professionis suæ instituto, & si non certò, at probabiliter argumentabitur. Nec enim mihi Ludouicus Viues probari potest, in eo quòd vniuersam legum Romanarum, & vim nititur frangere, & eleuare auctoritatẽ. Plus ille nimio interdum sibi indulget, dũ corruptas disciplinas persequitur. Nec nouitios solùm errores, qui vel irrepserunt vel inuaserunt coarguere, sed antiquorum recepta placita conuellere pertẽtat, maximo quidem semper verborum ambitu, sed viquandoq; argumentorum minima. Dixit ille quidem in libris de corruptis disciplinis multa verè, multa præclarè. Atqui fidenter pronunciauit aliquando tanquam è diuorum concilio descendisset. Multò autẽ viris doctis probaretur magis, si qua diligentia, & dissertitudine causas corruptarum artium expressit, eadem collapsas resti tuisset, sed in tradendis disciplinis elanguit, cùm in carpendis erroribus viguisset. Nec mirum. Nam aliorum errata etiam probabiliter reprehendere facile est id quidem. Artes verò, quas iam inde à multis annis viri quidam & indocti & barbari deflexerunt, ad rectã lineam reuocare, scilicet hoc opus hic labor est. Hucque erat omnino conandum, si quicquam magna laude dignum agendum erat. Aliud est autẽ leges ciuiles præsertim in repub. benè institutas longo vsu probatas reprehendere: aliud errorem interpretum increpare. Quanquã Ludouicus, quod ad iurisperitos attinet, eadem nobiscum sensit. Ait enim. Ac iuris ciuilis veteres interpretes summo olim in honore fuere iure quidem merito magnis q; rationibus. Quoniam ius ciuile, vt à præclaris philosophis grauiter prudenterque editum fuerat, ita illud etiam non nisi graues prudentesq; philosophi interpretabantur. Postea verò quã facultas hæc in eorũ manu esse cœpit, q nulla philosophia, nulla graui disciplina antè instructi ad eã, & ornati accesserant, scientiæ huius splendor omnis deletus est: neq; eius professores habentur in pretio nisi à vulgo, quod litibus plenum est omne. Quemadmodum autẽ Aegyptij sacerdotes mirificè colebantur, quòd multã in mathematicis posuissent operam, Geometria verò Aegyptus tota indigeret, cõfusis per annos singulos agrorum limitibus ab inundãte Nilo: sic cùm lites inũdatione sua orbis Christiani fines puaserint, miscuerint, cõfuderint, necesse est, eos honore fumo affici, q iurgiorum cõponendorum dicuntur esse periti. Comparant nec ne, ipsi viderint, hoc nos certè videmus, minùs ibi esse litium, vbi minùs est huius generis literatorũ. Nouitios itaq; eos iurecõsultos ne ego quidem in vsũ theologiæ vendicare cupio. Nec enim mihi iureconsultus est legulcius quispiã, cautus & acutus, cautor formularum, auceps syllabarum, iniustitiæ æquè, vt iustitiæ patronus. Sed id doceo, ciuiles leges eas vel maximè, quę Christiani populi vsu & more obseruatæ diu sunt, theologo ad argumentandũ esse vtiles. Sed de his satis. Nũc de historiæ auctoritate dicamus. Nam argumenta quæ posuimus, vt iuris ciuilis auctoritatem eleuaremus, faciliora sunt, quã quibus refutandis nostra immorari debeat oratio.

Diodorus in primo.

¶ *Decimi Libri Finis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE HVMANAE HISTORIAE AVCTORITATE, QVAE postremo loco est posita, Liber vndecimus.

¶ Caput Primum.

SVperiorem locum vix dum finieram, & ecce nuntius affertur, parentem meum charissimum Viennæ diem extremum obiisse. Eo verò audito nuntio, si motum me negem, quàm id rectè faciam, viderint sapientes: sed certè mentiar. Motus sum enim tali parente orbatus, qualis, vt arbitror, apud mortales reliquus nullus est. Cũ autem ego illi meas has lucubrationes nũcuparem, scilicet à laboribus, quos eius potissimùm causa susceperam, aliquandiu cessatum est. Mihi enim antè ita iucunda huius libri confectio erat, vt non modò omnes abstergeret laborum molestias, sed efficeret labores molles etiã & iucũdos. At verò postea nihil omnino erat, quo tædium & cura leuaretur. Etenim viuo patre, cùm de locis theologicis aliquid vellem scribere, ille mihi occurrebat non eo solùm dignus munere: sed in cuius etiã nomine vigiliæ nostræ gratiùs apparerent. Nunc autem, quem similem inuenturus sum, vt patris loco substituam? Solebam mihi equidem charissimum parentis vultum sistere. Et quotiescunque scribendum erat, aut ego eram cum illo, aut ille mecum. Ille addebat aculeos, ille torpentem excitabat: ille ne oscitare quidem me sinebat. Tanta erat in absentem etiam patrẽ reuerentia. At modò opus cœptum persequi cupienti aqua hæret, vt aiunt, nec quicquam conor, vbi non labascat animus victus quàm citò. Longo enim à me ille spacio seiunctus non minùs mihi dereliquit moriendo doloris, quàm afferebat viuendo lętitiæ. Sed cùm accepto vulnere otium mihi magnum insperatumq; contigerit, nihil autem agere animus nec deberet nec posset, ad postremum locum omnino appellendus fuit: ne res bene & vtiliter inchoata, eius morte interciperetur, qui etiamnum è superis vigiliarum mearum munus exigit. Nec verò dubitem ego quęrenti, cui scribam, respondere: Patri meo scribo, qui me non ipsi hæc tantummodò dare voluit, sed etiam alijs prodere. Quanta igitur apud Theologos sit historiæ humanæ & vtilitas, & auctoritas explicaturi modò sumus. Orabit autem sine dubio Pater, vt quod iter illo in terris cogente carpsimus, eodem nunc è cœlis fauente peragamus.

¶ Caput Secundum. De historiæ humanæ in theologiam vtilitate.

EMersi iam è vadis, & scopulos prætertecta est oratio mea. A rebus enim difficillimis ad res faciles delapsus sum, ne quę historiæ humanæ auctoritate explicãda potest aut ingenium aut Theologia mea periclitari. Multò verò id minùs, cùm illud explico: quàm sit Theologo humana historia vtilis & necessaria. Nullos quippè hic aduersarios habemus, nulla contra veritatem argumenta sunt. Etenim viri omnes docti consentiunt, rudes omnino theologos illos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est.

Mihi quidẽ non Theologi sõlùm, sed nulli satis eruditi videntur, quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim nobis è thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, & in Theologia & in quacunque fermè alia facultate inopes sæpenumerò & indocti reperiemur. Cùm verò pateat, quandoquidẽ in re quondam gesta Theologicæ disputationis cardinem verti, quis est hic qui neget, interdũ etiam in scholastica disputatione opus esse exannalium monumentis testes excitare clarissimos veritatis? Equidem historiam esse Theologo dissertẽ necessariam, cùm sæpè aliàs, tum maximè in hoc opere animaduerti: vbi quantus mihi fuerit historiæ humanæ vsus, qui superiores libros attigerint, ij facilè iudicabunt. Nam quàm magnus postea futurus sit, non audeo ego in præsentia dicere, ne montes aureos videar polliceri. Certè quantum historiæ cognitione Theologus indigeat, vel illi abundè magno argumento sunt, qui eius ignoratione sunt in varios errores lapsi. Huius generis quidam, exemplum ponunt, quòd Traianum Gregorij precibus à gehenna liberatum non vulgo solùm, sed Diuo etiam Thomæ olim iuueni persuasum est. Persuasum est autem Ioannis Damasceni auctoritate, cui Diuus sanè Thomas plurimũ deferebat. Sed illius fabellæ, inquiunt, argumento nemo adduceretur, si ex temporum ratione intelligeret, Ioannem Damascenum rẽ eius auctorem esse non posse, vt qui plus vno seculo iuxta horum sententiam Gregorium antecesserit. Nam Raphael Volaterranus, Vincentius Valuacen. ac Diuus Antoninus illum tradũt sub Theodosio floruisse. Sed hoc exemplum ineptum est, cùm Ioannes ille Damascenus, qui quatuor de orthodoxa fide libros edidit, sub Constantino & Leone florucrit, hoc est, Diuo Gregorio iam defuncto. Nec in re aperta opus est aut Ioannẽ patriarcham Hierosolymitanũ, aut rerum scriptorem Romanarũ lib. 21. & 22. aut alios etiam historicos excitare, vbi Ioannes ipse Damascenus non obscurẽ indicat, quo tempore extitent. Primùm enim Cyrillum sæpè refert, qui post Theodosium fuit. Synodi quoq; Chalcedonen. aliquando meminit. Quin libr. 3. cap. 10. Petri cuiusdam Gnaphei fecit mentionem, qui sub Iustiniano in quinta synodo damnatus est. Sed & libro. 4. cap. 17. contra Iconomachos scribit, eosdemque in libro hæres. Iconoclastas & Thymoleontes appellat à Leone scilicet, qui sectæ illius præcipuus & auctor & adiutor fuit. Eodem præterea hæres. libro Monotheletharum commemorat Cyrum, Sergiũ, & Eustathium, qui damnati sunt in sexta synodo sub Agathone papa: aduersum quos copiosè etiam scripsit libro. 3. de ortho. fi. cap. 14. & 15. Quæ omnia qui expendat, is facilè intelligat Ioãnem Damascenum post Gregorium extitisse. Nam quod Tritemius ait, duos fuisse huius nominis, alterũ sub Theodosio, qui libros illos Theologiæ cõposuerit, alterum sub Leone, qui pro imaginibus depugnarit, id commentitium totum est, vt ex locis modò excitatis apparuit. Nec verò historiam ego illam probo. Mirum enim est, hominem Græcum rem & nostram & toto, vt ipse inquit, orbe vulgatam Græcis suis prodidisse, quam historia tamen omnis Latinorum ignorat. Sint ergo fabulæ, non repugno, ea quæ de Traiano & Gregorio referuntur. At non ob illam causam tamen, quia prior Gregorio Damascenus fuerit. Verùm hoc in genere Hispanus noster Genesius Sepulueda nuper errauit, homo neq; meo iudicio imperitus, & suo valde doctus, certè & eloquendi arte clarus, & à Theologiæ studio non abhorrens. Qui cùm persuadere vellet, barbaris noui orbis oppugnandis iustam esse belli causam, in eam argumentationem incubuit: quòd Gregorius in epistola libri primi septuagesimatertia, id quod refertur. 23. q. 4. Si non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gennadium cõmendat, qui tantum Christianæ dilatandæ causa reip. bella suscepe-
rit: quatenus Christi nomen per subditas
gentes fidei prædicatione circunquaque
discurreret. Hoc verò Gregorij testimo-
nium quàm sit ineptum ad rem propo-
sitam comprobandam, is quoque ipse
Genesius facilè iudicasset: si ex historijs
didicisset, eos aduersum quos bella Gen
nadius gesit, hostes non imperij Romani
modò, verumetiam ecclesiæ Christique
23.q.4.Si cut. fuisse. Id quod ex alia quadã ad eundem
Gennadium epistola, quæ est in eodem li-
bro numero septuagesimasecũda luce cla
Prosper in chroni. riùs videre licet. Nec dubitari potest Van-
dalos, quorũ reliquię cousq; in Aphricana
prouincia supererãt, Ariana peste affectos:
nec ignoratur Donatistas, quibus Aphri-
ca tum etiam plena erat, præmijs & vi cõ-
tra catholicos nõ solùm disputatione pu-
gnasse. Sed de his exemplis non est hic lo-
cus disserendi, vbi breuiter & in trãscursu
Theologum admonemus, vt ne historiã
ecclesiasticam negligat, cuius & cognitio
magnos fructus parit, & ignoratio parit er
rores. Iam verò Augustinus lib. de doctri.
Christ. 2. ca. 28. ethnicorum etiam histo-
rias ad intelligẽtiam scripturæ sacræ plurimùm conferre tradit, ostẽditq; ex earum
ignoratione quosdã circa scripturas errasse. Videlicet Irenæus & Tertullianus circa
Irę. 2. lib. c. 39. & 40. Tert. in opere aduersus Iudæos. ætatẽ, qua Christus passus est, vario sunt
quidem errore versati, sed ob eandem cau
lam tamen. Historias enim humanas hoc
loco neglexerunt, quibus cognitis cares fa
cillimè expeditur. Quanquam vterq; erro
ris sui ex euangelio quoq; poterat admo-
neri. Atq; Erasmus, * quas tenebras super
Vide Euse. lib. 1. eccle. histo. c. 10. Epipha. hæresi. 51. Augustl. lib. de doct. Chri. 2. c. 28. vniuersam terrã factas planè scribit Euan-
gelista, * eas ipse super Iudęam tãtùm fusas
intelligit, fallæq; intelligentiæ causam po-
Irenæ. l. 4. 0 anno Christũ passum esse dixit: Tertullianus in 30. nit neq; veram neq;, si vera esset, satis ido-
neam, qp si hæ tenebræ tanto spatio conti-
gissent per vniuersum orbem, aliquis cer-
tè seu Latinus seu Græcus scriptor eius rei
meminisset. Nam epistolam, qua Diony-
sius astruit eclipsim illam se diligẽter & vi
disse oculis, & animo considerasse, quasi
nomine Dionysij confictam deridendam
propinat. At verò nec quam Philosophiæ
& doctrinæ laudem Dionysio Ariopagi-
tæ eripere conatur Erasmus, eam ego in
hoc opere asserere instituo, nec id etiam
reprehendo, quòd Diuum Hieronymum
eius interpretationis auctorem facit, cui
non alius quisquam scripturæ interpres
apertiùs contradicit. Illud ago, nisi huma
nas historias hũc ignoraret Erasmus, tene-
bras profectò illas aliter, ac verè quidem,
interpretaturum. Phlegon enim Olympia
darum egregius supputator in quatuor-
decimo libro ita scribit. Quarto autem an
no. 202. olympiadis magna & excellentis in
ter omnes, quæ ante eam acciderant, defe-
ctio solis est facta. Dies hora sexta ita in te
nebrosam noctem versus, vt stellæ cælo
visæ sint, terræq; motus in Bithynia Nicæ
næ vrbis multas ædes subuerterit. Quem
annum cũ passione dominica cõcurrisse
Eusebius in chronicis patefecit. Lucianus
quoq; presbyter Antiochenus vir morib⁹
& eruditiõe præcipuus cum gentibus de
fide Christiana disputans requirite, inquit,
in annalibus vestris, & inuenietis tempo-
ribus Pilati, Christo patiente, fugato sole
interruptũ tenebris diem. Auctor est Eu-
sebius libr. nono eccle. hist. cap. 6. Tertul-
lianus demum eodem, inquit, momento
dies medium orbem signante sole sub-
ducta est. Deliquium vtiq; putauerunt,
qui id super Christum prædicatum non
scierunt & tamen eum mundi casum rela-
tum in archiuis vestris habetis. Hactenus ille in Apo. cap. 21. Quibus ex rebus
facilè intelligitur, sacris literis exponendis
historias etiam gentilium esse necessarias.
Quæ quanquam ita sunt in promptu, vt
res disputatione non egeat, sunt tamen no
bis in tertiodecimo libro fusiùs explicãda.
Cùm igitur ibi hæc simus exemplis ma-
nifestissimis illustraturi, non est cur quæ
eius libri propria doctrina erit, hoc nos
eam

secutus Cle men. Alex. in. i. Strom. & Lactan tium instit. diu. libr. 4.

** Matt. 27.*

** In annale per matth. c. 27. & sic per acta Apostol. c. 17.*

eam loco importunè anteuertamus. Atq;
vt Geometræ solent non omnia argu-
mentis ostendere, sed postulare, vt quæ-
dam sibi concedantur, quò faciliùs quæ
velint explicent: sic ego interim à lecto-
re postulo, vt mihi concedat esse in libris
sacris loca plurima, quæ sine historiæ hu-
manæ cognitione expediri non queunt.
Quòd autem in disputatione aduersum
fidei Christianæ inimicos rerum gesta-
rum monumenta Theologo peropportuna sint, clarissimorum virorum vsus
In apologe. apertè confirmat. Tertullianus ex ipsis Ro
manorum historijs argumentatur, pessi-
mos quosque sæuos Christianis crudele-
sque fuisse. Bonum itaque esse id quod
mali homines infectarentur. In libro ve
rò ad Scapulam quot rerum gestarum
exemplis vsus est, vt persuaderet ob vexa
tos Christianos multos gentilium præsi-
des tristes exitus habuisse? Quamobrem
qui cum nostris pugnauissent, eos cum
In li. Quòd idola non sunt dij. Deo quoque sine dubio certasse. Cypria-
nus idolorum omnium vanitatem qua hi
storiarum scientia & commemoratione
1. libr. ad uer. Iouinia. coarguit? Hieronymus quot quàmque
varias aduersum Iouinianum historias in
commẽdationem virginitatis castitatisq;
commemorat? Lucianus presbyter,
quemadmodum suprà diximus, ipsos gen
tium annales excitat, vt nostræ etiam fi-
dei dogmata illorum testimonijs asserat.
12. lib. eccl. histo. c. 6. & 11. lib. 2 ca. 2. lib. 3. cap. 7. Eusebius Iudæos & paganos sæpè ex hi-
storijs humanis refutat. Non ergo histo-
ria solùm ecclesiastica, sed ea etiam, quæ
est ab ethnicis auctoribus scripta, Theo-
logo contra aduersarios fidei vtilissima
est. Quapropter rudem esse omnino in
historijs gentilium aut inertissimæ segni-
tiæ est, aut fastidij delicatissimi. Enimuero
quòd commodè ac prudenter, non in con
cionibus dico, sed etiam in disputationi-
bus Theologus exempla proferat, dum
* In apologetico. 1. ad uer. Ioui. li. quidpiam vel iustum esse suadet vel iniu-
stum, quoniam à viris, aut probis, aut im-
probis vsurpatum est: * Tertullianus, Hie
ronymus, alijq; viri grauissimi satis osten
dunt, qui non rarò huiusce modi persua-
sionis genere delectãtur. At exempla pro-
babilia sine historiæ cognitione proferri
qui possunt? Quàm latè igitur historiæ vti
litas fusa sit, apparet: siquidem quacunq;
Theologi ingredimur siue concionan-
do siue disputando, seu sacras literas ex-
ponẽdo, in aliquam historiam vestigium
ponimus. Itaque cùm ad has multas res
Theologo perutiles sint historiarum li-
bri, studiosè profectò ab eo legendi sunt:
ne turpiter in rebus ad se maximè perti-
nentibus erret, eaque ignoret, quæ igno-
rari non sine imprudentia modò, sed ne
sine imperitia quidem possunt. Historia
quippè, vt Cicero verissimè dixit, cùm ma
gistra vitæ est, tùm lux etiam veritatis. De
historiæ ergo vtilitate hactenus dictum
est, nunc de auctoritate videamus.

¶ *Caput Tertium, Argumenta continet, quibus auctoritas humanæ historiæ impugnatur.*

QVanquam, vt paulò antè dicebamus, è locis scopulosis enauiga-
uit oratio, nec ea, quæ in huius loci
explicatione differenda sunt, ingenij vim
aciemque desiderant, egent tamen quæ-
dam horum graui maturoque iudicio.
Qua ex re fit, id quod vix credibile est, vt
in loco facili & explicato perdifficiles &
lubricæ quæstiones existant. In primis e-
nim constituendum est, qualis quantaq;
sit historiæ humanæ auctoritas, & quam
faciat in Theologia fidem: quod nõ adeò
expeditũ est. Deinde, quis auctor proba
bilis ac fide dignus existimari debeat: quę
res est omnium difficillima. Cùm enim
non ex sermone hominum recenti, sed ex
maiorum memoria atque annalium ve-
tustate eruenda sæpè sit veritatis explica-
tio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio eius, quæ in Theologica disputatione versatur: oportebit sanè de historia præsertim veteri iudicare, historicos omnes internoscere, mendacesque à veracibus secernere. Quam facultatem quoniam mihi nec arrogo nec debeo: fateor, me non sine metu ac pudore quodam hanc prouinciam susceпisse munere necessitatis nó voluntatis opere perfuncturus. Non ꝙ mihi in tanto officio tamque graui causa cura defuerit: sed quòd video periculosum esse eo vel maximè loco iudicem vel le fieri, vbi vir ille nimirum exigitur, qui & antiquitatis memoriam innumerato habeat: & prudentia summa grauissimoque iudicio sit præditus. Sed quò citiùs hoc, quod susceпimus, non mediocre munus conficere possimus: omissa, aut ignorationis meæ, aut temeritatis, aut vtriusq; etiam deprecatione ad earũ rerum, quas proposuimus, explicationem disputationemque veniamus.

Principio itaque historiæ humanæ auctoritatem argumentis oppositis impugnabimus. Mox docebimus, ex eiusmodi historia qualia in Theologiæ vsum argumenta ducantur. Tertio loco ostendemus, quinam illi auctores sint, quos in historia Theologi probare debeant. Postremò, argumenta opposita refutãdo finem huius libri faciemus.

Primum ergo argumentum, quo historiæ humanæ fides labefactari potest, est huiusmodi. Ioseph secundùm naturam filium fuisse Iacob, secundùm legem fuisse filium Eli: Africanus in epistola ad Aristidem, Iustinus martyr quæstione ad orthodoxos. 66. Eusebius libro. 1. Eccle. histo. cap. 7. Nicephorus libr. item primo. cap. 11. Ambrosius libr. in Lucam. 3. Hieronymus in primum Matthæ. cap. August. libr. 2. de con. euan. cap. 3. & 2. retra. lib. cap. 5. & 16. Damascenus lib. 4. cap. 15. Beda lib. 1. in Lucam. c. 10. Theophilactus in Lucæ tertium caput, omnesque ferè patres scripserunt. Neque illis subitò reperta hæc, aut sine auctoribus conficta sunt: sed ab ipsis saluatoris nostri propinquis & consanguineis tradita, quemadmodum Africanus affirmat. Hæc verò multis argumentis commentitia esse probat libro primo harmoniæ euangelicæ Osiander: atque, vt sibi quidem videtur, ita probat, vt non modò Diuo Thomæ cæterisque Theologis quasi portenta somnianibus insultet: verumetiam eos insanos appellet, qui hæc primi in lucem ediderunt.

Secundum argumentum est, quòd Ioseph virum Mariæ alteram priùs vxorem habuisse, ex qua filios susceperit, qui fratres Domini in Euangelio dicuntur. Eusebius libr. 2. Eccle. histo. cap. 1. Nicephorus lib. 2. cap. 3. vbi etiam refert Hippolytum eiusdem sententiæ auctorem, Ambrosius in libr. de institu. virgi. cap. 6. Epiphanius libr. 2. con. hære. cap. 51. & 78. Hilarius cano. 1. in Matth. apertè consentiunt. At historiam hanc Hieronymus in Matthæi duodecimum caput tanquam apocryphorũ deliramenta cõtemnit: quinetiam aduersus Eluidium asserit, audaci eam temeritate confictam.

Tertium argumentum, Hieronymus scribit, veterem historiam narrare, quòd Herodias, cuius Matthæus meminit, filia fuerit Arethæ regis: idem quoque astruit Beda libro comm. in Marcum secundo. Eusebiusque Ruffino interprete libr. eccle. histo. 1. cap. 13. At illud esse falsum & Iosephus lib. 18. anti. ca. 5. & Egesippus lib. 2. de exci. Hiero. cap. 12. testes locupletissimi sunt. Quibus etiam assentitur Nicephorus lib. 1. cap. 20. Nihil igitur ex rerum veterum publica commemoratione non certò dicam, sed ne probabiliter quidem suadere possumus. Nam si historias, quæ in his tribus argumentis referuntur, explodere & pro nihilo putare licet: nulla profectò humana historia reperietur, quæ quicquam habeat ad faciendam fidem virium.

In Matth.

Quartum argumentum, Magos, qui Christum

Christum adoraturi ex Oriente venerunt, reges fuisse nedum philosophos, tradunt Cyprianus in sermone de baptismo Christi & manifesta Trinita. Athana. q. 2. ad regem Antiochum, Hieronymus in Psalm. 71, Augustinus sermone. 43. ad fratres in eremo, & de mirabilibus sacræ scripturæ, si tamen hæc opera Augusti. sunt, Chrysostomus homi. 6. in Matthæ. Tertullianus cõtra Iudeos. Doctor quidã antiquus nomine Christianus in. c. Matth. 2. Isidorus in præfatione missæ, quæ vulgo dicitur Moçaraue. D. Tho. in Matthæ. c. 2. & in Ioãnis. 11. c. nam &. 3. p. q. 36. ar. 3. ait, non solùm fuisse sapiẽtes sed potentes. Eiusdem sententiæ fuerunt Albertus Magnus, Diuus Vincẽtius, Nicolaus Liranus, Dionysius Carthusien. Simon de Cassia, Doctor incognitus in psalm. 71. Titelmanus, Ioannes Echius, Diuus Antoninus alijq; ex iunioribus, quos longum est enumerare. Accertè historia esse videtur permanus à maioribus nostris accepta. Sed hæc tamen cõmunis traditio nullã prorsus in ecclesia facit fidem. Quin probabilissimè à Baptista Mantuano alijsq; recentioribus asseritur, Magos reges non fuisse. Non enim id silentio prætermissurum Euangelistam quod ad rem magnoperè pertinebat, nec Herodem, si reges essent, eos adeò imperiosè & inciuiliter exceptu-rum.

Quintum, Magos venisse Hierosolymam diebus à Christi natiuitate tredecim non Hieronymus modò & Augustinus, verumetiam omnes propè auctores & veteres & recentes memoriæ prodiderunt. At Epiphanius hæresi. 51. constanter affirmat, post duos annos à nato Christo Magos ex oriente aduenisse. Cuius opiniõis duæ causę sunt nó omnino pessimæ. Vna, ꝙ in die Purificationis nõ agnum sed turturem aut columbæ pullum Christi mater obtulit: non ergo potuit inuenire manus eius pretium agni, atque adeò ne thesaurũ quidem à Magis acceperat. Altera causa est, quòd Herodes occidit omnes pueros à bimatu & intra secundùm tempus quod exquisierat à Magis. Non est autem verosimile, Herodem bimos pueros interfecturum iuxta tempus stellæ, cuius apparitionẽ diligenter à Magis exquisiuerat, si ab ortu stellæ ad Magorum aduentum non nisi tredecim dies interfluxissent. His adde, quòd ipsi quoque testati sunt, se stellam in Oriente vidisse. Quæ profectò verba plus aliquid significant, quàm regionem, vnde profecti sunt, comparatione tantùm ad Hierosolyma orientalem fuisse. Si igitur, vt planè scribit Euangelista, ab oriente venerunt, cùm non sit obscurum, Hierosolyma longissimo interuallo ab Oriente distare: intra tam paucos dies & stellam vidisse, & consilium de profectione communicasse, & adornasse iter, & ab Orientis partibus per tot regiones ac populos ad Palestinam accessisse prorsus abhorret ab humanæ iudicio rationis.

Hære. 51.

Sextum, Miraculum nuptiarum in die anniuersaria Epiphaniæ fuisse editum posteritati suæ, quod ait Maximus, fidelis mandauit antiquitas. At Epiphanius contrà docet, eodem die, quo Christus natus est, completo iam anno trigesimo filium cum matre conuiuio nuptiali interfuisse. Nihil igitur certum ex temporum publica commemoratione accipere possumus.

Aduer. Heluidi. & in Matth. 14. ea. idem Beda. lib. 2. cõ. in Marcũ.

Septimum, Lex vera historiæ est, vt Hieronymus sæpè dixit, ea scribere, quæ vulgus existimat, quanuis re ipsa falsa sint. Sic enim Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Iesu, & Herodem euangelista contristatum esse ait, non quòd re vera, aut Ioseph pater Christi esset, aut Herodes esset animo contristatus: sed ꝙ illud eo tempore sic vulgò ab hominibus putaretur, hoc autẽ discũbentes existimarent: cũ potiùs illud credẽdum sit, dissimulasse mentis suæ malitiam artificem homicidam, cùm tristitiam in facie & lætitiam haberet

Lib. 7. cap. 2. in Ioã. Chrysostomus.

Luc. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

haberẽt in mente. Ob quam causam vulpes est à Domino appellatus. Vnde & Ioseph. lib. 18. anti. lib. ca. 7. asserit, ab Herode Ioannem esse occisum, quia timebat ne auctore Ioãne defectionem populus moliretur. Ambiguum igitur omne argumentũ est, quod ex historia petitur. Nam vulgifermè opinio falsa est: et poterit ois eiusmodi argumentatio refelli, quòd historicus non veritatem rerum, sed vulgi opinionem expresserit.

Euseb. lib. 1. Eccle. hist. cap. 11.

Octauum, Augustinus sermone. 71. de immolatione Isaac, antiquorum, ait, relatione refertur, quòd Adam primus homo in ipso loco, vbi crux fixa est, fuerit sepultus. Et Cyprianus in sermone de resurrectione Christi Adam, inquit, sub loco, quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis. Atq; Paula & Eustochiũ in epistola ad Marcellam eandem historiam tanquam habitantium ore celebratam narrant. Ita eam refert quasi minimè dubiam Epiphanius lib. 2. cont. hæres. c. vltimo. At Hieronymus in Matth. 27. caput & in. 5. cap. epist. o. ad Ephes. quasi fabulam irridet, quòd Iosue. 14. c. Adam in Cariath Arbe dicatur esse cõditus. Opinionem verò Hieronymi Isidorus sequutus est.

Clem. in. 1. Stro. Euse. in Chroni. Theodore. in primum Zacha. ca. Hier. in p. œmio super Aggæũ. et in. 1. Zachariæ. c. Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei. cap. 26. Dani. 9. & 2. Para. 26 & 1. Esd. 1. In. 7. Dañ. cap.

Nonum, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsarien. Theodoretus, Hieronymus & August. ex annalium ratione colligunt, septuaginta desolationis annos in secundo Darij Histaspis fuisse complectos. At hoc non modò falsum & commentitium est, sed sacris etiam literis aduersum: quæ non implicitè & absconditè sed patentiùs, & expeditiùs continent, septuaginta illos annos statim ab initio regni Cyri absolutos. Nullum ergo idoneum argumentum ex temporum ratione promitur.

1. Esd. 3.

Decimum, Hieronymus auctor grauissimus historię prodit, quòd in secundo Darij anno templum ædificari cœptum est. At verò exploratè perceptum est & cognitum, Zorobabelem sub Cyro templi fundamenta iecisse. Imbecillum ergo est quodcunq; argumentum ex historia humana depromptum, quanlibet historiæ auctor grauis sit.

Vndecimum, Pleriq; historici & ij nobiles tradiderunt, Artaxerxem ædificationem templi impedijsse. At contrà scriptura tradit, tẽplum ædificatum esse præcipiente Cyro, Dario & Artaxerxe.

Ioseph lib. 11. c. 3. Archi. 1. p. lib. 4 cap. 2. Hermanus in Chronicis. 1. Esd. 6.

Duodecimum, Iosue post mortem Moysis. 26. annos imperasse, auctores sunt Iosephus lib. 5. an. cap. 1. Sabellicus Aenea. 1. lib. 4. Nauclerus Chronographiæ suę generatione. 28. Nam Eusebius in chronicis atque hunc secuti Isidorus, Seuerus Sulpicius & Ioãnes Carion. 27. annos Iosue imperio tribuerunt. Quæ si vera essent, non esset vera summa. 480. annorum, quæ ab exitu filiorum Israël de Aegypto ad templi ædificationẽ. 3. Reg. lib. ca. 6. colligitur.

Tertiumdecimũ, Si qua historia Theologo probanda est, ea erit maximè, quæ omnium ecclesiarũ ore celebratur. At eiusmodi multæ nullæ faciunt prorsus in Theologia fidem. Etenim, vt ea prætereamus, quæ ridiculè & falsè de Cirico & Iulita, De Gregorio, de Catherina martyre, deq́ue vndecim mille virginibus referuntur: certè historia Thomæ Apostoli apocrypha & commentitia est non solùm Gelasio. 15. dist. cap. Sancta Romana. sed etiam Augustino lib. 22. con. Faust. c. 79. & libr. vnico adúer. Adimantum. cap. 17. & libr. 1. de ser. do. in mon. cap. 38. His adde Marthæ & Mariæ Magdalenæ fabulam, quæ narrat ad Mariam quidem Magdalum, ad Marthã verò Bethaniam forte hæreditaria peruenisse: cùm contrà scribat Ioannes Bethaniam Castellum Marię Marthæq́ue fuisse.

Ioan. 11.

Quartũdecimum, ea historia reliquas videtur excellere, quæ à summis pontificibus probata est. Constãtini verò donatio, lepra, baptismus, sanitas, non modò historijs celebrantur ecclesiæ: verùmetiam per summos pontifices approbantur. At hæc ficta

In extrau. vnigenitus. de pœni. & remi. quæ est Clementis. 6. & in c. fundamẽta. de elect. in. 6.

ficta esse omnia multi viri doctissimi contenderunt. Nulla igitur ecclesiastica historia Theologo idonea argumenta ministrat.

Quintumdecimum, Nemo in ecclesia sticis viris est, qui historiæ probabilis auctor haberi queat. Non Philo in temporum breuiario. Nam in eo libello quanuis exiguo tot mendacia sunt, vt sint numeratu difficillima. Non Iosephus. Primùm quia multa tradit sacris literis vehementer repugnantia. Deinde, quia tertium Esdræ librum in historia sequitur, quem Hieronymus non aliter quàm somnia reijcit. Postremò, quia in temporibus rerum notandis vario fuit errore versatus. Ecquis ergo in ecclesia auctor historiæ certus habebitur? An Aphricanus? Sed huius historia Gelasio apocrypha est. An Eusebius? Sed huius quoq; historiam tanquam apocryphã idẽ Gelasius reprobat. Sed in historia tripartita Sozomenus princeps habetur. At hunc damnat Gregorius inquiẽs, In historia Sozomeni de quodam Eudoxio aliqua narrantur. Sed ipsam historiam sedes apostolica recipere recusat: quoniã multa mentitur, & Theodorum nimium laudat, atq; vsq; ad vltimum sui diem magnum ecclesiæ doctorem fuisse prædicat. Si igitur hi, qui primas in historia ecclesiastica partes habent, incertũ ac mẽdaces auctores sunt: nimirum neque ex his neque ex alijs, quorum minor est auctoritas, idoneum sumet Theologus argumẽtum ad suas conclusiones corroborandas.

11. dist. Sancte Romane.

Lib. 6. epist. 31.

Sextumdecimum, Innocẽtius. 20. dist. c. de quibus. solas ecclesiasticas historias in causis ecclesiæ finiendis approbauit. Ethnicorũ ergo de rebus gestis monimenta parum in Theologiæ vsum valere possunt. Id quod concilium Florẽtinum sessione septima cõfirmat in hæc verba. Romanorũ, aut Græcorum historia nequaquam in synodo vti debemus.

Decimumseptimum, In Assyriorũ monarchia Berosus commendari supra cæteros solet. At huius auctoris nulla extat historia. Nam, quæ Berosi nomine est ab Annio edita, eam fictam esse viri eruditi deprehenderunt. In Persarum verò rebus gestis commemorandis præfertur Metasthenes, qui veros & publicos Persarum annales, vt fertur, secutus est. At huius etiam monimenta multò falsiore titulo Annius edidit. Metasthenes siquidẽ iste Annianus octo solùm Persarũ reges fuisse tradit, cùm tamen fuerint quatuordecim, quos ordine & Hieronymus in septimum Danielis caput & Eusebius censet in chronicis. Iam Græcarum rerum historia quid nisi fabulas continet. quas illi passim pro veris historijs edunt? Cicero quippe auctor est grauis, quòd testimoniorum religionem Græca natio non coluit. Scipio item apud Liuium non aliter historias Græcas ac fabulas refert. Vtrè quoq; dixit Fabius, Græcis historijs pierunq; poeticæ similem esse licentiam. Vt iure illud ex Satyra vulgi etiam sermone teratur, Et quicquid Græcia mendax audet in historia. Atque Iosephus in proœmio lib. de Bello Iudai. veritatem à Græcis in historia negligi testis est. Id quod in 1. cont. App. libr. confirmat. Sed & è nostris Hieronymus cùm Græcas historias oppositisset, non debemus, inquit, eorum auctoritati acquiescere, quorum mẽdacia detestamur. Sanè, vt taceam de reliquis, Herodotus & Xenophon, quos historiæ parentes Græci habent, confictis ferè narrationibus abutuntur. Quid in imperio Romanorum? An vlli extant annales publici, quibus credere debeamus? Minimè gentium. Sed quisque pro affectu suo res illorum gestas scripsit. Laudationibus porrò, quod Tullius ait*, historia rerum Romanarum est facta mendosior. Quædam autem in Liuio esse, quædam in Sallustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo, quorum fides manifestis testimonijs labefactari possit, Flauius Vopiscus *verisimè dixit. Nihil ergo fideiethnico

In oratione pro Lucio Flacco.

Dece. 3. o. clauo lib.

Lib. 2. Offi. instit. cap. 4

Iuuena. Satyr. 10.

In 27. cap. Ezech.

Vide Iosephum lib. 1. contra Appionem, Cicero lib. de legibus. 1 apud Herodotum, inquit, historiæ patrem & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ.

* De claro. orato.

* In uitam Aureliani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum historijs habendum est: vtpotè quæ nullam habeant non modò certam, sed ne probabilem quidem auctoritatem.

Postremum argumentum historias omneis generaliter & ecclesiasticas & profanas impugnat. Illud est huiusmodi. Fidem humanam idcirco Aristoteles virtutum intellectualium numero exemit, quòd iuxtà ad falsum & verum inclinat. Theologia ergo, quæ tota veritate perpenditur, non accipiet ab humana fide adiutorium, nec verax cum fallaci ad argumentandum consociationem contrahet: quoniam tale argumentum ex ea parte, qua humanæ fidei innititur, æquè falsitati ac veritati innitetur. Confirmat autem hoc, vel maximè, quòd homines mendaces sunt, fallereque & falli omnes ad vnum possunt. Siue igitur pauci, seu plures historici quicquam affirmnet, imbecilla ea omnis argumentatio erit, quæ in testimonia hominum inclinata recumbit. Quocirca argumentum quodcunq; ex humana historia petitum imbecillius est, quàm vt in Theologia vllam omnino faciat fidem. His argumentis loci huius auctoritas impugnatur. Nam si quæ sunt alia, erunt autem fortasse plura, similia sunt atque adeò similiter refellentur.

¶ Caput Quartum, quòd auctoritas humanæ historiæ aliquando probabilis quandoque etiam certa sit.

SEquitur vt explanemus, qualis quantaq; sit humanæ historiæ apud Theologos auctoritas: nam hoc secundo loco nos acturos pollicebamur. Quod quò magis intelligi possit, illud principio ponendum est: Necessarium esse homines hominibus credere, nisi vita pecudũ more degenda sit. Eam rem quoniam Theodoretus in opere de cura Græc. affect. libro primo, Augustinus item in libro de vtili. cred. ad Honora. cap. 12. & de fide rerum inuisibilium. c. 1. &. 2. diligentissimè persecuti sunt: non erit nobis hic magnoperè laborandum. Atque Augustinus quidem planè asserit, non amicitiam modò, verùm omnem omnino humanam societatem interire: nisi amicus amico, maritus vxori, parentibus filij, fratres fratribus, ciuibus ciues, socijs socij fidem habeant. Multa ille affert, quibus ostendat, necessitudinem & pietatem duo generis humani sanctissima vincula violari atque dissolui, nihilque prorsus in hominum consociatione incolume remanere: si nihil credere statuerimus, quod non idem possumus quasi manu tangere ac tenere perceptum. Humanæ itaque vitæ necessarium esse, hominũ dictis homines sine vlla etiã dubitatione credere. Theodoretus verò fidem esse ceu primariam artium basim disciplinarumque omnium crepidinem probat etiam manifestè. Nec enim, vt cætera taceamus, pueri elementarij vllam omninò possunt disciplinæ puerilis facultatem adipisci, nisi & nomina literarum & syllabarum nexus fide à præceptoribus ac ceperint. Vt illud Isaiæ in omni etiam & arte & ætate verissimum comprobetur, Nisi credideritis, non intelligetis. Præclarum est igitur Aristotelis illud, in omni facultate atque doctrina oportere addiscentes credere, experimentis quippè cotidianis hoc nos nullo admonente discimus, quòd cognitionem ac rerum intelligentiam præcedit fides, subsequitur autem fidem scientia quæcunque veri. Qua ex re fit, vt naturæ auctor in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impresserit: siquidem non minùs fides necessaria est hominis & vitæ & disciplinæ, quàm aut igni locus supremus, aut terræ imus, vt benè habeant, necessarius est. His autẽ propensiones quasdam & quasi appetitiones natura indidit ad fi-

Isa. 7. iuxta 70. interp.

1. Elench.

nes

nes & perfectiones necessarias. Quamobrem qui humanam fidem ex hominum animis euellere conantur, ij nõ solùm stulti sunt, sed gigantum more cum dijs bellant, hoc est, cum natura pugnant. An verò quicquam tam puerile & stultum dici potest, quàm si ea, quæ viderunt alij, negemus esse: quia ipsi non vidimus? Credere igitur necesse est, nisi pueris stultiores esse volumus. Quibus positis sit prima conclusio.

Præter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in Theologia fidem. Hæc, quoniã cuiq; per se est obuia & manifesta, non est nostris argumentationibus comprobanda. Flauius porrò Vopiscus verè falsèq; dixit, neminẽ historicorũ non aliquid esse mentitum: vnde fidenter se historiã aggredi habiturus mendaciorum comites.

Secunda cõclusio. Historici graues ac fide digni, quales nonnulli sine dubio & in ecclesiasticis & in secularibus fuere, probabile argumentum Theologo suppeditant, cũ ad ea quæ sua sunt corroborãda, tum ad fallas aduersariorum opiniones refellendas. Quæ cõclusio satis per se etiam videtur exposita. Nec enim est hominis bene instituti & ad vitam humanam rectè compositi viro graui rem credibilem asserenti non credere. Rem credibilem dixi, quoniã quædam à Plinio alijsq; historicis vel grauissimis referuntur, quæ cùm vix credibilia sint, si ea fuisse negemus: non ideo historiæ auctoritatem labefacimus. Vterq; igitur & qui citò credit, & qui ad credendum nimium est tardus, iure reprehenditur. Multò verò hic magis si cum pluribus historicis probatis grauibusq; dissenserit. Si nanq; in duorum ore, vel trium stat omne verbum, cur aduersus hanc legem plurimis testibus rem eandem olim gestam contestantibus fidem Theologus abrogabit? Præsertim cùm testimonia ex vetustate desumpta hoc potentiora ad probandum sint, quòd ea sola, vt Fabius ait, criminibus odij gratiæq; vacãt. Nequirum Innocẽtius auctor est grauis, in humanis historijs nonnihil probabilitatis inesse: cùm lege edita præcepit, vt in causis ecclesiæ finiendis illarũ auctoritate quauis cætera argumenta deessent, ecclesiastici iudices vterẽtur. Sed plericq; nostra hac ætate peruersè, ne dicam impudenter, res, quas esse gestas grauissimi auctores testati sunt, in dubium vocãt. Qui si idoneas causas probabilesq; redderent, audiendi fortasse essent. Cùm verò reddant nullas, contemnendi sunt: vt qui communem hominum sensum exuerint, iudiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia reiecerint, vitæ magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis historiam neglexerint.

Burchar. libro 3. c. 128 20. dist. ca. de quibus.

Tertia conclusio. Si oẽs probati aç graues historici in eãdem rem gestam concurrant, tunc ex horũ auctoritate certum argumẽtum promitur, vt theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur. Exẽpla sunt eius rei multa, sed pauca subijciam. Petrũ Romæ & collocasse sedem & pro Christo martyrij gloria coronatũ esse oẽs graues historiæ tradunt: vnde nos certa in quinto libro argumẽtatione confecimus. Romanũ episcopum Petro in põtificatu succedere. Item, concilium Nicænum tẽpore Constantini à Syluestro vero ecclesiæ pontifice esse coactum historici quiq; grauissimi prodidere. Ea nos è re collegimus concilij Nicæni definitiones certas esse. Quòd certum sit, synodum ecclesiæ generalem Romano Pontifici cõprobatam errare nõ posse: certum quoq; Nicænam eiusmodi esse, cui nec vniuersitas pastorum ecclesiæ defuerit, nec Romani episcopi cõprobatio. Plurima sunt eiusmodi, quę cõmuni historicorũ cõsensione tradũtur. Hæc non modò negare, sed in his etiam addubitare stultissimum est. Quid enim stultius esse potest, vt eũdem locum diutiùs vrgeam, q̃ si ea genera belluarum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ in rubro mari Indiáue gignũtur, nulla eſſe dicamus: quia nunquam vidimus? Omnia tollamus ergo, ſi ita placet, quæ aut hiſtoria nobis, aut teſtes graues & probati adferunt. Ita ſit, vt mediterranei mare eſſe nõ credãt, nec in inſula nati, in qua lepuſculos vulpeculasq; ſolùm viderint, credant leones & pantheras eſſe: ſi verò de elephanto quis dicat, etiam rideri ſe putent. Hiſtoriæ igitur fides vel certa faueda eſt, cùm in idem auctores vniuerſi conſentiũt. Certa quippè apud homines ea ſunt, quę negari ſine peruicacia & ſtultitia non poſſunt. Præclarè itaq; Ioſephus. 1. contra Appionem lib. illud veritatis hiſtoriæ ſignum certũ eſſe dixit, ſi de ijſdem rebus eadem oẽs conſcribant. Verùm de his, licèt breuiter, diximus, tamẽ quod ſatis eſt. Nã his paucis expoſitis, niſi ego fallor, qualis quantaq; ſit hiſtoriæ humanæ auctoritas facilè intelligetur. Hiſtoria nimirũ & ſi, vt Quintilianus ait, ſcripta eſt nõ ad probandum ſed ad narrandũ: aliquid tamen ſine dubio probat, probabiliter ferè. nã aliquãdo etiam neceſſariè. Nunc argumẽta contra hiſtoriæ fidem poſita diluamus.

¶ Cap. Quintum. Vbi reſpondetur argumentis capitis tertij.

NOn eſt facile contrarias obiectiones excutere, ſed excutiẽdæ ſunt tamen. Atq; in primo argumento quidem non Oſiander modò, verũetiam catholici quidã omni vi & ratione contẽdunt, id, quod de duobus patribus Ioſeph naturali & legali refertur, cõmentum, portẽtum, monſtrum, ſomniũ eſſe. His enim nominibus ſentẽtiam illam Africani notandã putant.
Queſt. 56. Certè auctor lib. q. vet. & no. teſta. ſiue Auguſtinus is fuerit ſeu quiſpiã alius, ſententiã eam aſſerit nec probabilẽ eſſe, nec ad vllam rem proficere: ne ſit qui exiſtimet veterẽ hiſtoriã ſolis iunioribus diſplicuiſſe. Vtũtur autẽ hi ad Africani traditionem infirmãdam argumentis huiuſmodi.

Primò q̃ nullũ vel teſtimoniũ, vel exẽplum nec è ſacris, nec ex profanis Hebræorũ literis erui poſsit, quo talis primogenitus filius defuncti nuncupetur: non ergo mortuus ille pater primogeniti vocabitur.

Deinde, vt demus, inquiũt, quantũuis iniqua conditióne eiuſmodi primogenitum duos patres ſortitum eſſe: adhuc tãmen nihil faciet, vt Euangelicæ diſcrepantiæ ſcrupulus eximatur. Nam legalẽ filium nemo poterat ex vxore defuncti procreare, niſi frater fuiſſet defuncti germanus, ſimulq; cum eo habitaſſet, quẽadmodum Deut. 25. euidẽtiſsimè traditur. Illud verò non contingit niſi ex eodem patre natis: nam qui diuerſos habent patres, ij diuerſas etiam capiunt hæreditates, atq; adeò non habitant ſimul. Nunc autẽ Iacob & Heli, nec fuerunt ex eiſdem patribus, auis, aut proauis: nec ſimul habitare potuerũt, cùm alter cenſeatur in poſteris Nathan, alter in poſteris Salomonis. Nam, quod etiam argumentantur, Ioſeph non fuiſſe vocatum nomine patris legalis, quæ res erat neceſſaria iuxta illam Deut. legem, id exiguum ſanè ac mendicum argumẽtum eſt, cui Auguſtinus &. 5. lib. q. in Deute. q. 46. & lib. 2 retra. c. 12. nullo negotio reſpondet. Mihi verò opinio cõmunis magis placet: quanuis illorum opinio non diſpliceat, qui aſſerunt, Heli Ioſephi ſocerum fuiſſe, eundem qui & Ioakim parentem virginis Mariæ, vt Lucas Genealogiã Chriſti per matrem attexuerit: Matthæus verò per eũ, qui pater putabatur. Nec proinde tã Genealogiam mulierum contra ſcripturæ vſum Euangeliſta texuit. Nam cùm ait, qui fuit Heli, relatiuum ad Chriſtum referendum eſt, vt ſit ſenſus. Et ipſe Ieſus putabatur quidem eſſe Ioſephi, at re vera nõ illius fuit, ſed Heli. Cùm enim ſine virili opera ex virgine matre natus ſit: nullum habuit in terris, cuius filius verè dici poſſet præter Heli, qui auus ſcilicet ipſius maternus erat. Nequis ergo miraretur, q̃ in texenda genealogia Chriſti ab nepote ſtatim traſilierit ad auũ, interiecit

interiecit cauſam: quia Ioſeph, quem patrem Chriſti dicere debebat, non verè erat pater, ſed putabatur. Quanquam & relatiuum ad Ioſeph quoq; referri poteſt: vt intelligas eum fuiſſe Heli non naturalem filium, ſed ad eum modum, quo gener ſoceri filius eſſe dicitur. Itaq; Ioſephũ euangeliſtæ ad parẽtes ſuos retulerũt, alter ad eos, quos ex ſe habuit, alter ad eos quos ex cõiugio ſortitus eſt. Huius opinionis Auguſtinus libr. quæſtionũ euangelicarũ. 2. q. 5. meminit. Hãc tenuit auctor libelli cuiuſdam de ortu virginis, qui Hieronymo falsò tribuitur. Hanc Ioãnes Annius, Ioãnes itẽ Lucidus, Georgius Vuiccelius alijque nonnulli iuniores amplexi ſunt. Huic etiã nominũ ſignificatio conſonat. Nam Ioakim, Eliachim, Heli, idem ferè ſignificant, proq; eodem ferè vſurpãtur. 4. Re. 23. 2. Para. 36. Probabilis opinio hæc ſit. Quis negat? Sed ne ipſa quidem certa eſt. Oſiandri enim argumenta, quæ ille firma eſſe exiſtimat, ſunt profectò infirmiſsima. Obijcit primònuſquã in ſacris literis reperiri, q̃ ille primogenitus filius mortui nuncupetur. Id verò de more impudenter obijcit. Si enim Obed filius Noëmi illique natus eſſe dicitur, cur non dicatur natus Maaloni huiusq; proinde etiam filius? Item, accipiet eam, inquit, frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit. Præterea, ecquid obſecro eſt ſuſcitare ſemen fratri, niſi filiũ illi gignere? Quid? Nonne illud manifeſtũ eſt, Illeſciés non naſci ſibi filios, ſemen fundebat in terrã, ne liberi fratris nomine naſcerentur? Gene. 38. At hæc ipſa loca retulit Oſiander. Retulit quidem, ſed ita tamen, vt apertis teſtimonijs reſpondere nequiuerit, niſi hæreticorum ritu aut vulgatam editionem accuſaret, aut etiam ſcripturæ & verba & ſenſum eluderet. Nam ſanctorum omnium communem intelligentiam pro nihilo habere eſt illi familiare & cum cæteris Lutheranis gentile ac proprium. Iam, quòd ſecundo loco accipit, fratres, de quibus lex loquitur, ſimul habitare oportere, id eſt in eadem hæreditate paterna atque adeò germanos eſſe ab eodemque patre genitos: ſpẽciem fortaſſe veritatis habet, veritatem nullam profectò habet. Fratres quippe in illa Deut. lege non germani modò intelligendi ſunt, verumetiam conſanguinei, qui ſcripturarum vſu fratres appellantur. Id quod non communi ſolùm ſanctorũ omnium ſententia, ſed aperto ſcripturæ teſtimonio comprobari poteſt. Booz enim Maalonis non germanus erat, ſed propinquus. Nec confundimus nos negotium redemptionis cum negotio leuiri, quod Oſiander calumniatur. Sed contendimus, ſummoque omnino iure contendimus, exemplum libri Ruth, ad legem illam Deute. pertinere. Alioqui, ſi eos ſimul habitare interpretamur, qui in eadem hæreditate paterna habitant, cur non magis, nam hoc ſimplicius eſt, eos qui in eadem domo? Ita quanuis fratres germani ſint, niſi eandem domum habeant communem, ea lege minimè tenebuntur. Quod ne Oſiander ipſe quidem quamlibet perfricta fronte conceſſurus eſſet. Exponamus igitur, quod & Hebræorũ mos, & legis ratio exigit, tum etiam fratres habitare ſimul, cùm in eodem oppido, vel ciuitate habitarint. Id verò non duobus ſolùm vterinis, quales Iacob & Heli fuiſſe perhibentur, vſu venire potuit: ſed propinquis etiã alijs, vel remotis. Nihil ergo nos Oſiandri argumenta mouent, quominus fidem Africano habeamus. Illud fortè mouere poteſt, quod in tertia concluſione capitis ſuperioris aſſeruimus, cõmunem ſcriptorum omniũ traditionẽ certò nedum probabiliter pro vera hiſtoria habendam eſſe. Huic autem Africani traditioni hiſtorici omnes eccleſiaſtici teſtimonium perhibent. Igitur non modò probabilis, ſed certa illa doctrina erit, quæ duos patres Ioſeph legalem & naturalem infert. Minimè verò. Multùm enim refert, res geſtas

Philo Annianus tradit, Syris et Aegyptijs Ioakim, Eliachim & Heli eſſe ſynonyma.

Ruth. 4. Deut. 25.

Matth. 22.

Luce. 20.

De verb. ſignif. Nam & rex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua hiſtorici aſſeueratione narrent. Si enim is ipſe, qui primus auctor hiſtoriæ fuit, rem non vt viſam ac certam, ſed vt auditam & incertam ſcripſerit: tunc qui ſimili temperamento rem ceu probabilem referunt, ij quanuis conſentiant omnes, non faciunt tamen hiſtoriæ firmitudinem. Porrò autem Africanus, vnde cæteri hanc hiſtoriam acceperũt, nihil præter auditum habuit: nec referentibus certam habuit fidẽ. Nam poſtquàm rem perinde vt à Iudæis quibuſdam acceperat, ad Ariſtidẽ retuliſſet, huiuſmodi verba, Muſculo interprete, adiecit. Siue itaq; ad hũc modum ſiue aliter habet res iſta, non poterit quiſquam, meo iudicio, clariorem illius, ſcilicet, quæ obiecta erat Euangeliſtarum diſcrepãtiæ, expoſitionem reperire. Quiſquis autẽ æquo animo præditus eſt, idẽ quod nos curabit, etiãſi certum deſit teſtimonium: ob id videlicet, ꝙ meliorem ac veriorem expoſitionem proferre non poterit. Euangelium ſanè per omnia quæ vera ſunt tradit. Hactenus Africanus. Quibus verbis ſatis ille ſignificat, ſi componendis Euangeliſtis ratio alia quæcũq; probabilior appareret, eam ſe libenter amplexurum. Quæ omnino res & Auguſtinum & Thomam videtur compuliſſe, vt præter hanc alias quoq; rationes tollendæ diſcrepantiæ inueſtigarent. Sed de primo argumento ſatis multa diximus.

3. p. q. 31. art. 3.

Ad ſecũdum verò dicẽdum eſt, huiuſmodi quoq; res non tam ex fide hiſtoriæ q̃ ex probabili eorum cõiectura pendere, qui ſacras literas interpretantur. Non eſt enim aliquis probatus auctor, qui aſſerat ſe præter Mariam aliam Ioſephi vxorem aut vidiſſe, aut certis teſtibus accepiſſe. Sed cùm in euangelio fratres Domini legerentur, & religio vetaret filios Mariæ ſuſpicari: ſcripturæ expoſitoribus coniectãdum fuit, quónam id pacto fieri potuerit: vt veritas euangelij cum Mariæ perpetua virginitate congrueret. Ita quidam filios Ioſeph ex alia vxore intulerunt, Chriſtiq; proinde fratres non veros, ſed qui putarentur, interpretati ſunt: nam & Ioſeph non verus erat pater, ſed putabatur. Neq; horum coniectura vana commentitiaq; fuit, nullavè ratione tantùm ad reſpondendum hæreticis excogitata: ſed probabiles habuit cauſas, quæ ſcripturarum etiam teſtimonijs niterentur. Primùm, quia Iacobus Hieroſolymitanus epiſcopus non peculiariter eſſet frater domini cognominatus: ſi cognatiõe ſolùm fratres domini vocarentur. Cùm & Iacobus Zebedæi filius, à quo ille cognomẽto diſtinguitur, ad eũ quoq; modũ frater dñi eſſet. Deinde, non ſimpliciter quidã in euãgelio diceret, Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te alloq̃ui, ſi generali ſanguinis cõiunctione fraternitatẽ definiret. Iacobus nãq; & Ioãnes tunc tẽporis cũ Chriſto intra domũ erant, qui illo modo erãt fratres. Accedit ꝙ apud Marcũ à quibuſdam dictum eſt, Nonne hic eſt faber filius Mariæ frater Iacobi & Ioſe & Iudæ & Simonis? Nõne & ſorores eius hic nobiſcũ ſunt? Filius, inquiunt, Mariæ, frater Iacobi & Ioſe, &c. vt nõ ex Maria, ſed ex Ioſepho fratres intelligerẽtur. Vnde & iuxta Lucã interrogãt, Nonne hic eſt filius Ioſeph? Atq; ſorores, filias Ioſephi Eſther & Thamar intelligendas eſſe Hippolytus ac Nicephorus graues in primis auctores aſſerũt. Fratres ergo ſimiliter intelligẽdi ſunt, Iacobus, Ioſe, Simeõ, & Iudas: quos quatuor filios ex priore cõiuge, cui nomẽ erat Salome, Ioſephũ ſuſcepiſſe ijdẽ auctores ꝓdidere. Accedit etiam, ꝙ Ioſephũ, cũ Mariã vxorem accepit, octoginta annorũ fuiſſe ſenem Epiphanius non ſemel aſtruit. At in tã longa ætate non eſt profectò veriſimile illum ſine coniuge extitiſſe. Hæc auctores illi ſine fidei diſcrimine argumentari atque adeò aſſerere potuerunt. Sed Hieronymus tamen rem diligentiùs animaduertens, vt erat in ſacris literis apprimè verſatus, probabiliorem multò rationem inuenit, qua citra & Mariæ corruptionem & Ioſephi

Matth. 12.

Mar. 6.

Luc. 4.

phi digamiam fratres domini in ſcripturis intelligerentur. Quòd enim Iacobus frater domini vulgò cognominatus Ioſephi filius non fuerit, ex euangelijs videtur manifeſtè colligi. Marcus ſiquidem quos capite ſexto fratres domini vocatos ſcripſerat, eos capite quintodecimo filios cuiuſdam Mariæ ſcribit eſſe, quæ nimirũ vxor Ioſephi eſſe nõ poterat: niſi duas illum ſimul vxores habuiſſe contẽdas, Mariã virginem, & alteram Mariam, quod nulla ratio probat, nulla prodit hiſtoria. Quin hominem pauperẽ, qui vix vnam alere & ſuſtinere poſſet, duarum coniugum onera ſubijſſe, & imprudentiæ, & incontinentiæ argumentũ eſt. Ea vitia viro iuſto tribuere quàm ſit ſtultum, ne dicã impium, nõ eſt, opus lõga oratione ſuadere. Adde quòd hæc eadem à Ioanne Maria Cleophæ cognominata eſt. Erat autem Cleophas frater Ioſephi, vt Euſebius lib. 3. ecc. hiſt. c. 11. ex Egeſippo retulit, ob quam cauſam, niſi me coniectura fallit, ſoror Mariæ virginis appellatur. Nam & leuiri fratres vulgò dici ſolent, & fratrum vxores ſorores. Non igitur, vt ſentio equidem, Maria illa tanquam mater, ſed tanquam vxor Cleophæ nomẽ accepit. Ioſephi itaq; coniux non erat, atq; adeò nec huius filij filij erant Ioſephi, ſed Cleophæ. Verùm quemadmodũ Ioſephus pater Chriſti exiſtimabatur, ſic filij Cleophæ, Iacobus, Ioſe, Iudas, Simeon exiſtimabantur Chriſti cõſobrini Chriſtiq; patruus Cleophas. Qua ratione Maria iſta Chriſti matertera nuncupari poteſt: non quòd verè Mariæ virginis germana fuerit, ſed ꝙ ſoror & habita & dicta ſit. Atqui cõſobrinos fratres etiam dici omnis ſcriptura demonſtrat. Nec prioris opinionis neceſſe eſt argumenta refellere. Nõnulla enim aſſumit, quæ certis de cauſis à pleriſq; aliter exiſtimantur. Vt filios Zebedæi Chriſti eſſe conſanguineos & proinde ſcripturę vſu fratres. Itẽ Ioſephum. 80. annos natũ eſſe, cũ Mariam vxorem accepit. Quæ res dici poſſunt, probari nõ poſſunt. Nã & Acto.

Hilarius in lib. de ortu et obi. ſanct. patrũ dicit, Iacobũ Alphæi filium fuiſſe ſororis matris Domini, unde et fratrem Domini nominatum.

c. 1. Lucas cũ Iacobũ Alphæi, Simonem, & Iudã retuliſſet, ſubdit. Hi oẽs erant perſeuerantes in oratione cũ Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Conſtat autẽ Iacobũ Alphæi, Simonem ac Iudam fratres dñi appellatos. Sed de his diſputatũ eſt ab alijs diligentiùs. Nos in præſenti non id agimus. Tãtùm dicimus, ex diuerſis opinionibus, quas in ſcripturarũ interpretatione orthodoxi ſequuntur, minimè hiſtoriæ fidem periclitari. Hæc quippè ſola oratio erat ſecundo arguméto confutando neceſſaria.

At tertiũ ſic deluitur. Nõ fuit Herodias filia Arethę regis, ſed Ariſtobuli, ſicut Ioſephus multis in locis teſtatus eſt. Id quod nomẽ quoq; ipſum indicat. Eſt enim quaſi patronymicũ ab Herode, nihilq; proinde aliud ſignificat quã filiam, vel neptem, vel aliquam è poſteris Herodis. Quãobrẽ cũ Aretha rege Arabũ nihil videtur habere cõmune: cũ Herode magno, cuius fuit neptis, cõmune habet genus. Quod autem Hieronymus tradit ex vetere hiſtoria, pace tanti viri dixerim, in ea re ſine dubio fallitur. Apparet eũ ſanè, vel in hiſtoriã quãpiam auctoris incerti incidiſſe, ob id enim quidam veterẽ hiſtoriam appellatã volũt, vel certè in Euſebij Latinã incidit, quã Ruffinus fecit ſua traditione vitioſã. Quòd autẽ res planior fiat, verba loci illius ſubſcribemus. Concordi verò teſtimonio etiã Ioſephus de hoc ſcribit nominatim etiam de Herodiade commemorans, velut de coniugio fratris Philippi viuentis violenter abſtracta, & ſuis ab Herode inceſtis nuptijs ſociata: ꝓpria, & legitima vxore depulſa, quã Herodiadẽ filiã fuiſſe dicit Arethæ regis Arabiæ. Hactenus Euſebius Ruffino interprete. E quib⁹ verbis ſi tollas nomẽ Herodiadẽ poſteriore loco poſitũ, qđ nec Euſebi⁹ habet nec Ioſeph⁹, vera erit lectio atq; adeò germana Euſebij Græci in Latinũ cõuerſio. Nã relatiuũ, quã, nõ ad Herodiadẽ, qđ Ruffinus falſò intellexit, ſed ad ꝓpriã & legitimam vxorem depulſam referendũ eſt: quod rectè Muſculus in noua nũc

Lege. 18. antiq. lib. c. 9.

Lib. 1. eccl. hiſto. c. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpretatione fecit. Verũ de tertio argumento hæc nobis dicta sint.

Ad quartũ ita respõdeo. Quidqd sit de Magis, an fuerint reges necne, qđ in cõtroversia est positũ, certũ illud est nõ ex ea re historię fidẽ labefactari, cũ plurimi auctores Magos reges fuisse tradiderint. Nempè res hæc eius generis est, quam nemo historicorum sese affirmet aut vidisse, aut ex viris fide dignis, qui viderint, audiuisse. Nitũtur itaq; auctores illi non historiæ auctoritate, quam nullam probatã habuere, sed probabilibus coniecturis, quas porrò habuere nonnullas. Qualis est, quòd in Magis videtur impletum illud, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Sabba dona adducent. Item illud, Ambulabunt reges in splendore ortus tui, &c. Quæ in epiphania domini non hodiernũ vulgus, sed antiquus semper ecclesię chorus intonuit. Accedit, quòd, vt Tertullianus ait, Magos reges ferè habuit Oriens. Accedit quòd in reges illud maximè quadrat, Apertis thesauris suis. &c. Extat etiam Claudiani epigramma, vbi Magos appellat Chaldęos reges. Quòd si Claudiani nõ est, certè elegantissimi poëtę est. Hanc opinionem, vt quæ plausibilis sit ac popularis, Christi fideles iam olim libenter induerũt. Neq; operępretium iudico, si quis in contione publica eã dissuadere conetur. Nã dissuadere nihil attinet: ac frustra niti, & nihil aliud quã laborando odium quærere, extremæ dementiæ est. Quòd si paucis fortè quibusdam fidem argumentatione tua feceris, multas tamen in populo querelas, discidia, ac lites induces. Sine ergo plebem probabilissimam opinionem præsertim quę penitus insedit atq; inueterauit, cũ suis maioribus retinere. Quòd si coniecturis alijs permotus contrariam sententiam habes, liceat per me, equidem non repugno. Illud ago, siue hæc siue illa opinio vera sit, nõ inde historiæ auctoritatẽ aut eleuari aut imminui: cùm neutra earũ opinionũ historiæ auctoritati, sed probabili coniecturę innitatur. Quòd enim regũ nomen Euangelista suppresserit, id omnino nihil est. Non enim existimauit euangelij testimonium regio apparatu cumulandum, quòd Magorum sapientiam & grauitatẽ amplissimè ornauerat. In veritate sanè occulta confirmanda regia appellatio obscura, & otiosa erat, Magorum vox præclara & opportuna. Nam quòd Herodes Magos parùm honorificè exceperit, hoc aut Herodiani fastus indicium est, aut Romanæ gloriæ, & maiestatis. Indignum verò est Magni regis tumorem in minutorum inuidiam odiumq́ue conuertere.

De quarto igitur argumento hactenus. Nunc ad quintum respondeamus. Non Hieronymus modò, Augustinus, Thomas ac cæteri ferè omnes auctores, verùm etiam antiqua ecclesiæ traditio tenet, quòd Magi Christum tertiodecimo die, ex quo natus fuerat, adorarunt. Cuius quidem rei cùm causam quærerem quidnam esset, cur tanta id consensione ab ecclesia receptum sit, quanquam veteri traditioni in huiusmodi rebus multum debetur fidei, vt ratio alia non subsit, has causas tamen inueniebam duas, easq́ue ambas ex ipso euangelio collectas. Vnam, quòd Matthæus dicit. Cùm natus esset Iesus, ecce Magi ab oriente venerunt. Sanè si quando Magi venerunt, Christus esset anniculus aut bimus, vt Epiphanius, Zacharias, Faber, Osiander, existimant: nõ dixisset euangelista, Cùm natus esset, ecce Magi. Quod non de re tam sera, sed de subita & improuisa vel certè proxima, & quasi præsenti dici solet. Necdũ, inquit, intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur. Et Poëta. Audiat hęc aliquis, vel qui venit, ecce Palemon. Hinc enim cùm Mariæ dixisset angelus, Ecce cõcipies: &c. intelligens ipsa statim se concepturã, ait: Quomodo fiet istud, qm̃ virũnõ cognosco? Recens ergo natus erat infans qm̃ Magi aduenerunt. Altera causa est hęc. Magi inuenerunt puerum in Bethleem, ergo

Gene. 24

go ante diem purificationis accesserunt. Quia vltra id temporis Christus non fuit in Bethleẽ. Lucas enim descriptis ijs, quæ ad purificationem attinebant, subdit. Vt perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galileam in ciuitatem suam Nazareth. Non ait, in Bethleem, sed in Nazareth. Cur autem Bethleem reuerterentur, vbi adeò nihil habebant supellectilis, vt virgini ad reclinãdum infantẽ non alius quàm præsepe locus fuerit in diuersorio? Nec euãgelista docet, eos venisse vt morarentur, sed vt profiterentur in ciuitate sua. Manserunt itaq́ue ibidem quantum necesse fuit ad implendam legem quæ iubet, vt post circunciśum infantulum maneat mulier triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. Intra quos dies Bethleem venisse Magos rectè credimus, & puerum indicio stellę inuentum adorasse. In ea verò ratione, quæ primũ opponitur, quidam liberalitatem ac beneficentiam virginis animaduertũt, quæ breui aurum acceptum in pauperes erogarit. Alij prudentiam, quòd viaticum parauerit iti Aegyptum. Siue enim Ioseph ante purificationem de fuga ab angelo fuerit admonitus, iuxta illud, Cùm Magi recessissent, ecce angelus apparuit in somnis, &c. siue Magi oraculum de reditu per aliam viam virgini communicauerint: credibile profectò est, fœminam prudentissimam iam inde illud quòd ad fugam & peregrinationẽ opus erat, prouidere. Sunt qui modestiã aduertant. Atque hæc ratio mihi videtur sanctissimè & prouidentissimè constituta. Non decebat eñ, vt quę pauper erat, ea diuitum oblationem subitò inferret. Ab omni fastu, & ostentatione erat virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam sciebat Dei filio placuisse.

Quid? Quòd aurum Deo à Magis oblatũ in sacros fortasse vsus censuit consecrandum? Prima itaque aduersariorum ratio his omnino modis facilè diluitur. Secunda præsisùs videtur vrgere. Si enim diligenter à Magis Herodes tempus stellæ didicit, occidit autem omnes pueros à bimatu, & infra secundũ tempus quod exquisierat à Magis: biennium ergo antè stella Magis apparuit. Non igitur mox à Christo nato aduenerunt. Nam statim recedẽtibus Magis Herodes occidit pueros. Illa enim particula, tunc, non minùs rem præsentem proximamvè significat, quã vocula, ecce, cuius vim paulò antè expendebamus. Ait verò Euangelista. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, mittens occidit. Sed hic nodus bifariàm solui potest. Primũ enim, quod Euthimius admonuit, illa oratio, secũdum tempus, &c. nõ refertur ad id, quod præcesśit, A bimatu: sed solùm ad particulam, infra, cui proximè coniuncta est. Itaq́; continenter legẽdum est, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu. Et ibi facta hypodiastole subiungatur, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Non itaq́; intelligendus est peremisse bimulos secundum tempus exquisitum: sed tãtùm alios minimos, quibus videlicet solis tempus stellæ accommodauit. Sed ais. Cur bimos interfecit, si non secundum tempus stellæ? Respõdeo. Cur in omnibus finibus Bethleem, si in Bethleem iuxta prophetam natus est Christus? Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliauit locum, sic ampliauit & tempus. Deinde, probabile est, id quod mihi semper vero similius fuit, Herodem Romam euocatum, vt accusationi filiorum respõderet, stragem illam puerorũ edere distulisse: quã edidit postea cũ Hierosolyma regressus est. Quòd si necesse esset bimũ Magis ad iter faciendum concedere, quod tamen absurdum est, non protinus necessariò fit consequens, vt biennio post Christum natum aduenerint. Multò enim facilius expeditiusq́ue dicetur, quod Chrysostomo Augustinoq́ue video placuisse, apparuisse stellam Magis tantò ante Christi natiuitatem, quantum

Luc. 2.

Matth. 2.

Ioseph. li. 16. anti. c. 7

Universidad de Deusto
Biblioteca

tũ fuit opus, vt tot regionibus ac prouincijs peragratis puerum haud multò antè natum adorarent. Cũ verò demum quæritur, quî fieri potuerit, vt ab Oriente Magi tã paucis diebus peruenerint: huic quæstioni respõsum facile, & promptum est. Non enim opus fuerit, quod Remigius facit, eam rem nati pueri facultati viribusque tribuere: qui Magos ad se tam breui dierũ spatio perduxerit. Sed Oriens in sacris frequenter accipitur pro terris quæ Orientales ad illam sint, in qua sunt quilo quũtur. Vt ibi, Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente. Item, de Aram adduxit me Balach rex Moabitarũ, de montibus Orientis. Siue ergo Magi posteri fuerint Balaam ac proinde ex Mesopotamia Syriæ venerint, vt Chrysostomo, Hieronymo, & Ambrosio visum est, siue ex Arabia accesserint, quæ sententia Iustini martyris perpetua fuit, seu sapientes alij, vel Persæ vel Chaldæi, quod Magorũ nomen præ se fert: dubitari nõ potest, quin totum illud quicquid erat itineris decem diebus conficere potuerint. Distat siquidem Hierusalem ab Aram centum septuaginta duabus parasangis Persicis & Hispanis, ab Vr verò Chaldęorum ducentis duodecim. Atque cum Laban Iacob fugientem à Mesopotamia in Iudæam insequeretur, septimo die consecutus est illum in monte Galaad, qui est principium Libani. Et ferebat tamen Iacob greges & vxores ac paruulos. At Laban non ante tertium diem fugam deprehenderat. Quid? Quòd in regione illa abundant dromedarij, quos vno die stadiorũ mille iter conficere scribit in vita Apollonij Philostratus? Aristoteles quoque lib. 9. histo. anima. cap. vlti. testatur celeriùs eos currere, quàm Nisæos equos. Nec te illud turbet quod Hieronymus in Hieremiæ. 25. cap. imò Hieremias ipse Chaldæam ait in aquilonis parte iuxta situm Hierusalem collocatam esse. Quia enim inter aquilonem & orientem sita est, modò aquilonaris, modò Orientalis nuncupatur. Hæc fastidioso lectori scio molesta fore: sed erat ostendendum, quam temerè quidam à syncera historiæ fide, & communi sanctorum opinione dissenserint. Verùm de quinto argumento satis. Nunc sequentia refellamus.

Gen. 13.

Num. 23.

Gene. 31.

Libr. 2.

Idem Zacha. c. 2.

Sanè quidem, cùm in sexto argumento Epiphanij sententia contra historiæ fidem ponitur, nihil prorsus mouere nos debet. Primùm quoniam in rerum gestarum temporumque ratione nullos ille graues auctores sequi solet. Atque adeò in earum rerum memoria interdum fallitur. Deinde quoniam hoc saltem loco nulla argumentatione probabili, nullis prolatis veteribus monumentis antiquo ecclesiæ vsui contradicit. Quòd si verum est, vt verum est profectò, Christum passum esse anno ætatis suæ trigesimotertio inchoato per tres menses ac decem fortasse dies, nam de hac re nullam modò quæstionem habere volumus, docuisse autẽ eum tribus annis, & Ignatius in epistola prima ad Trallianos, & Eusebius in Chronicis prodiderunt, certè Epiphanij opinio videtur vera esse non posse. A trigesimo nanque anno expleto vsque ad passionem non nisi duo anni supersunt. Quanuis nodũ hũc solueret Epiphanius, si tẽpus doctrinę Christi nõ à nuptijs, sed à baptismo inchoaret. Quod nos quoque dicere oportet, qui Maximi sententiam veteremq; ecclesię vsum propugnamus. Nuptias quippè anno post baptismum integro elapso factas esse credimus. Qua in re nobiscum dissentiunt quidam: nec sine causa dissentiunt tamen. Primũ enim toto illo anno nihil, inquiunt, scriptũ habemus de doctrina Christi. Quin eo anno nihil omnino docuisset. Quod est credibile nullo modo. In baptismo siquidem filius ac sapientia dei, dux populi atq; magister patris testimonio declaratus est. Nec post euangelij munus euidentissima triadis commendatione testificationeque susce

susceptum otiosus Christus tot diebus vitam in silẽtio degeret. Sed illud, vt par erat, protinus exequeretur. Id quod non coniectura nostra solùm, sed Ioannis etiam euãgelio comprobatur. Ioannes porrò ita disertè rerum gestarum post baptismum tẽpora notat, vt ad nuptias, non dicam annũ, sed ne pauci quidem menses interfluxisse videantur. Altera, inquit, die, vidit Ioannes Iesum veniẽtem ad se, & rursum paulò inferius. Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, &c. Et postea, In crastinũ voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippũ. &c. Deniq; statim in secũdi capitis initio, Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Ecce cùm Ioannes Iudæorum legatis respondisset, postero die vidit Iesum venientem ad se. Quo tempore Iesus nec notus erat, nec discipulos acceperat, vt ex hoc primo Ioannis capite manifestissimè liquet. Sed postero die, hoc est, tribus à legatione diebus duo discipuli Ioãnis secuti sunt Iesum: ac proximo huic die exiens in Galileam Iesus ipse Philippum inuenit. Cùm verò subiungit euangelista, Et tertia die, nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, satis apertè indicat, quàm breue tempus inter baptismũ, vocationẽ discipulorũ ac nuptias fluxerit. Non itaq; annus integer interceſsit. Præterea post secundũ aduentum in Galilæam cœpit Iesus prædicare, vt Matthæi cap. 4. dicitur, Non ergo ante nuptias prædicauerat. Nam illæ factæ sunt cùm post baptismũ primò aduenit in Galilæam. Quòd si annus integer à baptismo ad nuptias interfluxisset, iã tres anni prædicationis Christi nullo modo inuenirentur. Adde, quòd ex ea sententia consequens fieret, vt Christus anno ætatis suæ 34. inchoato fuerit passus. Illud nõ obscurè colligitur, qm̃ si vera esset, quinquies pascha à baptismo ad mortem interuenisset. Primum id esset, de quo nihil habemus in euangelio scriptum, inter baptismũ & nuptias. Secũdum, quod Ioannes statim post nuptias cõmemorat. c. 2. Vbi Christ⁹ emẽtes ac vẽdentes de templo, primùm eiecit. Tertium, de quo fit mentio Ioannis. 5. cũ sanauit paralyticũ. Quartum, cuius idem euangelista meminit. c. 6. inquiens. Erat autem proximũ pascha. &c. Quintũ, in quo passus est Christus, de quo Ioan. 12. &. 13. Nam quòd tertium illud, de quo dubium esse potest, festum paschæ fuerit, non modò Rupertus, sed Irenæus etiam testatur. Ac reuera nomen festi simpliciter pro pascha solet in euangelijs accipi. Vt ibi, Non in die festo. Matth. 26. Item, secundùm cõsuetudinem diei festi. Luc. 2. Item, eme ea, quæ opus sunt nobis, ad diem festũ Ioan. 13. Cùm itaque Christus baptizatus fuerit anno tricesimo ætatis suę inchoato per tredecim dies: erat enim incipiens quasi annorum triginta, vt Lucas affirmat, si quinquies festum paschæ interceſsit, nimirum mortuus est anno ætatis suæ trigesimoquarto. Quod licèt Beda alijq; nonnulli iuniores asseruerint, defendi tamen nulla ratione potest, vt Paulus episcopus Foro sempronięsis lib. 9. 2. par. & lib. 4. eiusdem parus, Ioannes item Lucidus in libro de vero die passionis Christi ostẽderunt. At verò nullæ huiusmodi rationes ab antiqua patrum traditione, quã cõmunis ecclesię cõsuetudo in diuino officio, hymnis, antiphonisq; confirmat, poterunt me mouere. Nõ quòd hæc ad fidem religionem vè magnoperè attineant, sed quòd in rebus, vel vtraq; ex parte probabilibus, vel etiã ambiguis veteris ecclesiasticæ historiæ fides communis me delectat. Sed prima videamus. Anno, quod inter baptismum, & nuptias fluxit, nihil oĩno docuit Christus: cessator ergo fuit maximus, qui post iniunctum munus tandiu fuit otiosus. Sanè quidem eo anno non est publicè concionatus Christus, neque turbis euangelium prædicauit. Sed non fuit interim otiosus. Quin & frequenter ad Ioannem accesſit, vt frequẽs etiã de ipso Ioannes testimoniũ diceret, & priuatim quoq; docuit quosdã, ne ecclesiæ cõcionator repentè ꝓdiret.

Lib. 5. cõ. in Ioan.

Lib. 2. c. 39.

Luc. 3.

Libro de tẽpo. c. 47.

Annus. 34. non fuit annus passionis Christi

Quia pascha illo anno fuit in die Martis.

Ad primũ alterius opinionis argumẽtum.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 1. Non enim discipuli Ioannis illum Rabbi, hoc est, magistrum appellarent, nisi iã docere incœpisset, quemadmodũ Caietanus noster diligenter aduertit. Nã quod aiũt, *Ad secundum argumentum.* ex Ioannis euangelio colligi paucos dies inter baptismum, & nuptias intercessisse: id nullo modo verũ est. Cùm Ioannes aduẽtum Iesu ad baptismum nusquam omnino narrauerit, vt idem Caietanus manifesta argumentatione confecit. Quanquam in eo fallitur, q̃ pro certo asserit, ex quatuor Baptistæ testimonijs, quæ primo cap. euangelista refert, tertium datum esse die proximo post secundum. Secundum quippè, vt mihi videtur quidem, de futuro est, & licèt scripturæ ordine sequatur, tẽpore tamen primũ etiam testimonium antecessit, vt vel Caietanus ipse confitetur. Illud enim, quod à Ioanne legatis Iudæorũ impartitum est, idem omnino ipsum fuit, quod se antè dixisse Baptista meminerat. Estq; multò verisimilius eo tempore nondum Christum à Ioanne baptismum suscepisse. Medius, inquit, vestrum stetit, quẽ vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est. Cũ ergo Euangelista inquit, Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, nec intelligit de aduentu ad baptismum, nec scribit quid postero die à legatione Iudæorum gestũ sit. Sed docet, tertium testimonium altero die post illud, quod primo loco scripserat, datum esse. Nam secũdum obiter est vtriq;, id est, primo, & tertio ab euangelista interpositum, vt explicaretur Baptistam semper fuisse sui in testificatione similem, nec aliud futurum antè dixisse, quàm in præsenti testificaretur. Itaq; tẽporis ordine, vt diximus, illud fuit primum, quod secundo loco Euangelista commemorat. Deinde secutũ est id, quod à principio positũ est. Post hoc proximo die tertium Baptista testimonium dedit, cùm vidit Iesum venire ad se. Sæpè enim post baptismũ, vt suprà dictum est, ad Ioãnem veniebat. Postero autem die quartũ testimonium addidit, cùm interessent illi ex discipulis eius duo, quorum vnus erat Andreas. Cũigitur non constet quantum temporis inter baptismum, & tria illa testimonia de præsenti fluxerit, quanuis omnia illa post baptismum data sint, certè ex euangelio Ioannis non colligitur, paucos dies inter baptismum ac nuptias interfluxisse. Quid? quod cùm ait, In crastinũ voluit exire in Galilęam, & inuenit Philippũ, non Christum fortasse euangelista intellexit, sed Andream, quem primũ dixerat inuenisse Simonem, nunc dicit, postero die inuenisse Philippum, cùm ex habitaculo Christi in Galilęam exijsset. Ob id enim interpres latinus ait. Et dicit ei Iesus, cùm nomen Iesus nõ reperiatur in Græco. Quot autem dies intercesserint inter postremũ illud testimonium Ioãnis coram duobus discipulis tributum, & hunc diẽ quo Andreas inuenit Simonem incertum est. Nã illud quidem apud Matthæum de publica ad plebem prædicatione intelligitur: cũ perspicuum sit, in primo aduentu Christi ad Galilæam, quem solus Ioannes capi. 2. narrat, iam Christum discipulos habuisse. Matthæus autem de secundo aduentu loquitur, quum iam Ioannes erat in carcere. Non igitur de priuata doctrina, sed de publica, & populari intelligi potest. At verò tempus prædicationis Christi quantũ fuerit, non satis à veteribus expeditum est. Eusebius quoq, ipse parum sibi in hac re cõstare videtur. Nã in Chronicis post quintumdecimum annum Tiberij tribus annis scribit dominum prædicasse: idq; astruit à Ioanne etiam in euangelio conscriptum. Cęterùm idem in lib. demon. euan. 8. demonstratione secunda, Ioannis item testimonio confirmat, tribus annis, & sex mensibus Christum prædicauisse. Quòd si ad passionem venit anno Tiberij decimooctauo, vt in Chronicis Eusebius ait, quî fieri potest, vt post annũ Tiberij quintumdecimum, annis tribus, & sex mensibus prædicarit? Atqui post annum. 15. Tiberij inchoatam esse euangelij doctrinam

Ad tertium argumẽtũ.

Ad quartum argumẽtum.

Hieron. in 9. c. Dan. lit. 1. Euseb. c. 9.

è Lucæ. 3.

è Lucæ. 3. cap. pateſcit. Nos autem, si trium annorum doctrinam explere volumus, vnum doctrinæ priuatæ, duos verò publicæ doctrinæ impartiemur. Huic enim totum triennium dare nulla ratio cogit, nulla probat auctoritas. Negamus siquidem, probabiliterq; negamus, festum, cuius Ioãnes. c. 5. meminit, pascha fuisse. Chrysostomus porrò ac Cyrillus affirmant festũ fuisse Pentecostes. Quod mihi, fateor ingenuè, non fit vero simile. Primò, quoniam post pascha Iesus moratus est in Iudæa cum discipulis suis, vt cap. 3. Ioannes scribit, at mora iuxta scripturæ vsum in paucis his diebus, qui ad Pentecosten interfluxerũt, intelligi non potest. Eò vel maximè, quòd postquàm Christus moratus in Iudæa est, abiit iterum illa relicta in Galilæam, quẽadmodum Ioannis cap. 4. dicitur. Ac rursum, è Galilęa venit Hierusalem, quod habes cap. 5. Quæ omnia tam breui tempore, nisi Christum cursorem faciamus, expediri vix queunt. Caieta sanè in quartũ Ioannis caput, haud absurda ratione computat, Christum in Iudæa post pascha celebratum: in quo vẽdentes eiecit de templo, longam multorum mensium moram interposuisse. Non igitur festum illud, quod cap. quinto commemoratur, Pentecostes solenne erat. Deinde, quòd cap. quinto vnum miraculum euãgelista narrarit in pascha patratum, & quòd sexto statim capite ad alterum pascha transierit omnibus & gestis, & dictis vnius anni intermissis, non ita probabile apparet. Festum ergo illud, in quo paralyticus sanatus est, vt rectè Caiętanus existimauit, hyemale fuit. Nihil autem interest, siue dicas fuisse festum dedicationis templi secundi sub Zorobabele, quod celebrabatur tertia die mensis Adar, hoc est, Februarij: siue potiùs festũ sortium, quod Iudæis solenne erat. 14. & 15. die eiusdẽ postremi mẽsis. Tũc enim ordine egregio cap. 6. sequitur. Erat autẽ proximum pascha. &c. Sed in huius argumenti confutationem nimis multa diximus.

Ad quintũ argumẽtũ. Chry. hom. 33. in Ioan. Cyri. lib. 2. in. 12. cap. idẽ aut Lyran°.

In illud 2. Ad hoc quatuor mensis sunt, & messis venit.

Hieron. c. 9.

Septimo verò argumẽto libri secundi cap. decimooctauo respondisse videmur. Sed ibi breuiter: nũc vbi ꝓprius est locus, longiore oratione argumentum illud refellendum est. Non sunt verba Hieronymi in eũ sensum intelligenda, vt existimemus ad veritatem historiæ satis esse, si ea, quæ auctor affirmat, vera à vulgo esse credantur: tum etiam cùm falsa sunt. Alioqui si ad eam regulam liceret scripturæ historias interpretari, diceremus cùm apostolus ait Saulem regnasse. 40. annis, eum vulgo loquentem hoc, quod fama crebrior haberet, dicere voluisse. Quod Beda in. 13. caput Actorum Apostolicorum asseruit, rectè ne an secùs, aliorum esto iudiciũ. De tanto quippè viro non libet in præsenti iudicare. Diceremus rursum, Matthæum virum Mariæ Iosephum appellasse, non ꝓ reuera esset, sed quòd vulgo esse crederetur: turbatum quoque Herodem, & omnem cũ illo Hierosolymã nõre quidẽ, sed opinione vulgi: mortuũ deniq;, si ita placet, esse Christum nõ verè, sed ad vulgi existimationem apparenter. Certè si consuetudinis scripturarũ est, vt opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab hominibus credebatur: omnia, quæ de Nabuchdonosoro, Dario, Cyro, Alexandro, Sansone, Machabæis scriptura refert, poterit quis inficias ire, quòd videlicet auctores sacri ea narrarint, quæ vulgo erãt persuasa, non quę ipsi vera esse crediderint. Quod quàm sit auditu horribile ac pertimescendum, nemo fidelium non videt. Alius est igitur Hieronymi sensus multò & sanior & verior, quẽ ex subiecta partitione facilè lector accipiet. Falsæ vulgi opiniones in duplici sunt differẽtia. Quædam, quæ non nisi verbis falsis significari atque exprimi possunt. Vt Christum esse Ioannem Baptistam, vel Hieremiam, vel vnum ex prioribus prophetis. Atque huiusmodi opiniones semper auctores sacri ita referunt, vt non ex se, sed ex vulgi nomine retulisse videantur. Aliæ sunt vul

Ad sextum obiectionẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gi opiniones falsæ quidem, sed verbis ijs expressiæ ac significatæ, quæ in sensu ali-
Vide Bedã lib.1. in Lucam.ca.7. quo vulgari vera sint. Vt Ioseph esse patrẽ Christi ad vulgi sensum falsum omnino erat, sed verè tamen pater, & sine falsitate dicebatur. Tum quoniam nutritius erat, tum quoniam vir matris erat. Et licèt vulgi sermone, verè tamen priuignus filius vocatur, mater nouerca, vitricus pater.
In quibus rebus, fateor, vera historiæ lex est vulgi opinionem exprimere. Nam si de priore rerum genere sermo sit, in historia profana absurdus est, in sacra etiam impius. Sapientes quippè cũ vulgo loquũtur ferè, sed non sentiunt cum vulgo. Nec mẽdacij tamen rei sunt, quoniam quæ loquũtur, ea secundùm aliquem verbi significatum vera esse intelligunt. Sic Maria virgo dixit, Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, sermone vulgi quidem, sed verè tamen. Sic etiam si nullam habuisset interiorem admirationem Christus, verè tamen admiratus dici posset, cùm speciem admirantis exhibuit, quemadmodum Beda libro secundo in Lucam cap. 24. exposuit. Sic contristatum Herodẽ Matthæus; Marcusque dixerunt, qui tristitiam haberet in vultu. In quem sensum hypocritas tristitiam simulantes tristes quoque appellauit Dominus. *Matth.6.* Vulgata enim dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus vsurpantur. Tametsi in præscriptis exemplis & Christus si Diuo Thomæ credimus, aliquo modo interiùs admiratus est, & Herodes etiam contristatus. Etenim peccatores simul in vitijs tristantur & exultant, gaudent dolentque. At de hoc argumento satis. Iam pergamus ad reliqua.

Ad 8. argumentum. Non debuit sanè tantoperè ridere Hieronymus Adami in loco Caluariæ sepulturam: nec nos viri licèt sanctissimi exemplo historias eiusmodi ridere debemus. Vulgus, video equidem, hisce rebus credendis nimium est facile. Credulitas etiam in optimi cuiusque mentem facillimè irrepit. At viri quidam excellentes, cùm à vulgi facilitate & credulitate declinant, in aduersum quãdoque vitium incurrunt: sunt que tum etiam increduli, cùm in fide nihil est vitij, in incredulitate vitij nonnihil est. Testimonium autem, quod ex Iosue cap. 14. historiæ veteri opponitur, nihil profectò vrget: vtpote cùm nomen Adam eo loco non proprium sit, sed commune. Reddit enim scriptura causam, cur quæ post Hebron, ea ante Cariath Arbah, id est, ciuitas Arbeæ dicta sit: quòd videlicet Arbah, quem Arbeam. 70. vocauere, homo inter gigantes magnus ibi fuerit. Qui sensus præterquàm quòd scripturæ contextui aptissimè iungitur, (quapropter à Chaldæo interprete, Panigno alijsque viris clarissimis expressus est) inde etiam facilè probari potest, quod capite eiusdem libri quintodecimo Arbah pater Enach fuisse dicitur; vt promptum sit cuiq; intelligere, & Arbah nomen fuisse gigãtis proprium, à quo Cariath, Arbah nominata sit, & Arbah patrem primumque fuisse illius terræ gigantum. Omitto hic versionem. 70. qui tametsi magnitudinẽ non ad Arbah, sed ad ciuitatem retulerũt, vt ea vrbs Metropolis intelligeretur, satis tamen indicarunt Arbah nomen esse gigantis proprium, vnde ciuitas illa suum olim cognomentum acceperit. Itaque primi parentis in ciuitate Arbeæ fuisse sepulchrum nec ex eo loco neque aliunde colligitur. Quin illud multò probabilius est, quod publica rerum veterum memoria prodidit, primum Adam ibi iacere conditum, vbi secundus etiam sepultus est. De 8. igitur argumento hactenus.

Nonum argumentum non solùm in Chronographia, sed in scripturarum intelligentia difficillimam quæstionem habet, quæ auctores nobilissimos in varias sententias traxit. Iosephus sanè. 70. illos annos Iudaicæ captiuitatis ad primum Cyri annum computauit. Quem secuti sunt Africanus in quinto temporum volumine, Abulensis noster in secundum Matthæi cap

Sic omnes Hebraicæ editiones. Sed Hieronymus ui deri in Hebraeo utroq; modo nouem accipi posse, reliquis in Latina lingua illã eandem Hebraã uocẽ.

Certè habuerunt aliud exemplar Hebraicum.

Idem efficiũt uerba illa, etiam ie lamentetis & plangetis p̃ hos 70. annos, &c.

Libr. 1. de antiq. Iudæ. cap. 1.

cap. quæstione. 91. Annius cum Philone suo lib. 14. Ioannes Lucidus lib. secundo cap. 11. alijque viri graues, & antiqui & iuniores. Nituntur verò hi scripturæ sacræ clarissimis testimonijs. Primũ est Hieremię cap. vigesimoquinto inquiẽtis, seruiẽt gentes istæ regi Babylonis. 70. annis. Cumque impleti fuerint. 70. anni, visitabo super regem Babylonis, &c. Septuaginta ergo anni Iudaicæ captiuitatis iam tunc expleti erant, cùm Babylon capta à Persis ac vastata est. At rem hanc primo anno Cyri gestam esse, nemo est, qui ignoret. Item Hieremiæ. 29. Cùm cœperint impleri in Babylone. 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum vt reducam vos ad locum istum. Quam vaticinationem primo Cyri anno fuisse expletam. 2. lib. Para. cap. 36. &. 1. lib. Esdr. cap. 1. non obscurè traditur. Atque Hieronymus ipse, quanuis alijs in locis aliter senserit, in hunc tamen Hieremiæ locum non potuit cum manifesta veritate pugnare. Nisi, inquit, septuaginta anni expleti fuerint, Cyro rege Persarum laxante captiuos, nequaquã in patriam reuertemini.

A contraria parte illud primum est, quòd angelus, qui in Zacharia loquebatur, Vsquequo, ait, non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Istum autem annum Darij secundum eundem esse Zacharias cap. 1. testatus est: non ergo 70. anni in primo anno Cyri, sed in secundo Darij completi sunt. Quo argumento Clemens, Theodoretus, Eusebius, Hieronymus, Augustinusque nituntur.
Quòd verò exponunt quidam, Iste iam 70. annus est, scilicet iam diu transactus, vix audiri sine molestia potest. Cùm pronomen, Iste, hanc intelligentiam euidentissimè excludat: quæ si pronomen abijceretur, esset fortasse probabilis. Deinde 70. illi anni, quos prædixerat Hieremias, non transmigrationis Iudæorum, sed desolationis templi ac ciuitatis intelligun-

Transmigrationem hic dico, cũ Ioachim sponte dedidit se trãslatusq; est in Babylonem anno. 8. regni Nabuchodonosori. Quomodo Ezechiel. 1. usurpatũ est, ac rectè quidem, ut Hiero. in Hiere. 24. c. annotauit. Nã transmigrationis uocẽ scio à Iosepho aliisq; aliter quandoq; usurpari.

In præmio super Agg. libr. uc. 4. & 5.

tur. At. 70. desolationis anni non sunt ad primum Cyri annum, sed ad secundum Darij referendi. Annus ergo septuagesimus, de quo est Hieremiæ vaticinatio, non in primo Cyri anno, sed in Darij secundo expletus est. Illud prius, quod in hac argumentatione sumpsimus, ex. 2. Para. cap. 36. probari facilè potest, vbi hæc verba scripta sunt. Cunctis diebus desolationis egit sabbatum vsque dum complerentur. 70. anni, &c. Et Danielis. 9. In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum ego Daniel intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni. Et Hieremiæ. 25. Et erit terra in solitudinem, & in stuporem, & seruient regi Babylonis. 70. annis. Anni ergo septuaginta non transmigrationis, sed desolationis intelligendi sunt: vt Iosephus etiam testis est libro de antiqui. 10. capit. 10. &. 11. & libro. 1. cont. Appio. Desolationis autem annos non in primo anno Cyri, sed in secundo Darij fuisse completos, id enim posteriore loco sumptum est, Esdræ testimonio à Hieronymo comprobatur. Esdras quippè verbis minimè obscuris testimonium perhibet, templum vsque ad Darij tempora deturbatum perstitisse. Septuaginta igitur euersionis annos non ad primum Cyri annum, sed ad Darij secundum computare debemus.
Quibus ex rebus satis profectò intelligitur, quantis omnino tenebris quæstio præsens sacras etiam literas circunfundat. Sed in ratione quoque temporum adeò impedita, & complicata est, vt vix aut nullo certè modo expediri atque extricari possit. Clemens porrò Alexandrinus à desolationis initio, quod decimonono Nabuchodonosori anno, & Sedechiæ vndecimo fuisse. 4. reg. 25. scribitur, ad primum annum Cyri, quo laxata captiuitas Iudæorum est, non nisi triginta annos computauit. Cui numero, vt dixi, Eusebius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theodoretus, Hieronymus, Augustinusque consentiunt. Cuius rei etiam illud argumentum est, quòd si ad imperium Cyri. 70. anni interfluxere, Mardochæus certè ea ætate res tales ac tantas gessisse inuenietur, qua per summam senectutē, non dico Remp. administrare, sed ne inter viuos quidem numerari possit. Fuit nanque ex eorum numero captiuorum, quos cùm Iechonia rege Iuda Nabuchodonosorus transtulit. Quare vel secundùm illos, qui non à desolatione, sed à transmigratione. 70. annos cōputare volunt, expleta captiuitate, hoc est, primo Cyri anno iam Mardochæus erat propemodùm octogenarius. Nisi credamus illum bimum aut trimum in Chaldæam esse translatum. Sed fac anniculum fuisse. Minimùm ergo vnum, & septuaginta annos natus erat, quando laxata per Cyrum captiuitas est. Cyrus autem, vt nobilissimus quisque tradit historicus, aut triginta, aut triginta fermè annos imperauit: Cambyses, & Magi imperarunt nouem. In principio itaque regni Darij Histaspis Mardochæo anni ætatis centum decem accesserant. Ponamus igitur, id quod videtur cum ratione pugnare minùs, Darium fuisse eum, sub quo res Mardochæi gestas scriptura complectitur. Nam illas sub Arthaxerxe Lōgimano aut etiam sub Mēnone contigisse, vt qui multis annis Dario fuerint posteriores, longè incredibilius est. Nullo verò modo probabile ad Cambysen filium Cyri hęc ipsa traducere, qui octo solùm annos tenuit imperium. At post duodecimū Assueri annum quædam Mardochæi gesta historia sacra commemorat. Non ergo Assuerus ille Cambyses fuit: præsertim cùm huius acta actis illius nullo pacto cohęreant. Manet ergo, Mardochæum eo etiam tempore, quo ad centesimum vigesimum secundum annum vitam perduxerat, non imbecillum, ingraueścentem, senióue cōfectum: sed solidum, robustum ac valentem in rebus magnis præclarisque gerendis fuisse versatum. Quod in illis seculis vix credi potest. Vtpotè cùm multò antè nondum hominum ætate adeò inclinata illud propheta dixerit, Si autem in potentatibus. 80. anni, & amplius eorum labor, & dolor. Quas ob res triginta anni, quos ad primum Cyri Augustinus, Hieronymus, Eusebius, Theodoretus Clemensque Alexandri. colligunt, historiæ libri Esther magis conuenire, & quadrare videntur: quàm numerus. 70. qui aliorum opinione colligitur. Nisi Philonis Anniani fabulis delectamur, qui Mardochæum ait decem & octo annis ætatem Isaaci superasse. Verùm enimuerò Iosephus à decimonono anno Nabuchodonosori, quo anno templum deturbatum euersumque fuisse sacræ literæ produnt, ad finem regni Baltasar, cum Babylon à Dario, & Cyro capta est, non solùm 70. annos, sed multò etiam plures enumerat, scribit enim Abilamarodachum, Nabuchodonosori filium annis. 18. imperasse. Nigliśarem deinceps annis. 40. Laborsordachum post mensibus nouem. Baltasaré denique annis. 17. Itaq; præter annos, quibus à templo vastato Nabuchodonosorus vixit, qui fuere non pauci, septuaginta sex alij, si Iosephus vera dicit, ad primū Cyri interceserūt. Berosus autē in. 3. lib. Chaldæorum non nisi. 48. annos à desolatione ad Cyrum supputat. Nabuchodonosorū nanq; ait. 43. annos imperium tenuisse. Huius filiū Euilmarodachū annos duos. Nigliśar, quem maritum sororis Euilmarodachi fuisse tradit, annos quatuor. Labosordachum Nigliśaris filium menses nouem. Nabonidum ex eadem gente annos 17. cuius postremo anno Babylon à Cyro capta est. Que eadem fermè computatio ex Phœnicum historijs habetur, quas Iosephus. 1. contra Appi. libro retulit. At Metasthenes à vastatione Hierusalem ad primum annum Cyri septuaginta annos cōputauit in hunc modum. Nabuchodonosorus, qui templum ciuitatemq; vastauit, imperium tenuit. 46. annis. Euilmerodach filius eius. 30. Reg Assar huius filius. 3. Lab Assar Dach huius frater. 6. Balt Assar horū etiam frater. 5. Si enim acceperis. 26. annos, quibus post euersum templum Nabuchodonosorus vixit, & illis addideris. 44. quibus Nabuchodonosori filius vnus ac tres nepotes imperarunt, cōficies dictum numerum. 70. In ratione igitur temporum quæstio hæc valde implicita est, atque ita implicita, vt ne à viris quidem historię peritis explicari posse videatur.

Nam Iudæi, quippè qui Chronographiæ penitus sint ignari, nihil hoc loco, & quęstione valent nisi mera somnia fingere. In quibus etiam Liranus est, qui suo arbitratu. 70. annos ab. 8. Ioakim patris Iechoniæ, ad quartum Cyri numerauit, tantum vt sententiam suam diceret, nullius grauis auctoris testimonio subnixā, nulla annalium ratione probatam, nullis argumētis persuasam, à sacris etiam literis alienā. Sed hoc in re ambigua ferri potest. Illud quis ferat? quòd nonnulli apud Eusebium à. 13. anno Iosiæ ad primum annum Cyri septuaginta illos annos, de quibus est controuersia, computandos esse astruxerunt. Quid? quòd in hac etiam quæstione illud variū atq; irretitum est, quod vel maximè erat explicatu necessarium, vt huius quæstionis difficultas exponeretur. Nempè an Balthasar filius Nabuchodonosori fuerit an nepos an pronepos. Nam si verū est, qđ Eusebius ait, Balthasar filium fuisse Nabuchodonosori, fratrem Euilmerodachi: nihil absurdum videtur dicere, cùm negat à demolitione templi ad primum Cyri annum plures quàm. 50. annos intercessisse. Sin aūt idem Nabuchodonosori nō filius, non nepos, sed pronepos fuit: tum verò inter euersionem ciuitatis, & primū annum Cyri non nisi triginta annos interfluxisse, nullo modo est credibile. At fuisse pronepotem Hieronymus auctoribus Beroso ac Iosepho in. 5. Danielis caput affirmat. Et refertur de verbo. signific. cap. Nam & rex. Quanquam Iosephus libro decimo an. cap. 13. Balthasar nepotem Nabuchodonosori fuisse scribit. Quod & Metasthenes Annianus asseruit. Quæ omnia idcirco à me tan prolixè sunt posita, vt lector intelligat primùm, huius argumēti quæstio quantis sit difficultatibus illigata: deinde ne in re perdifficili ac perobscura, quam explanare nemo adhuc potuit, sententiam à me expectet perspicuam, certam, constantem: sed probabilem verosimilem, minimè absurdam.

Principio igitur illud pono, quod, nisi ego fallor, satis abundè probatum est, septuaginta annorum initium à desolatione sumendum esse, non à transmigratione, hoc est, non ab. 8. anno regni Nabuchodonosor, cùm Ioachim cognomento Iechonias vltro se dedidit. 4. re. 24. sed ab vndeuigesimo eiusdem Nabuchodonosori, quando Nabuzardan templum, domos, murosq; ciuitatis euertit. 4. re. 25. Id quoniam, vt dixi, ex. 2. Para. cap. 36. primo Esdr. primo, & Hieremiæ. 25. ostensum est, superuacaneum existimo, si eadem iterum resumātur. At Caietanus in. 2. para. 36. caput contrà dicit à Iechoniæ transmigratione. 70. annos computari oportere, quod Hieremias ca. 29. ijs, qui cū Iechonia trāslati sunt, ait: cū cœperint impleri in Babylone. 70. anni visitabo vos, & suscitabo, &c. Verùm satis expeditum est, ea, quæ cap. 29. dicuntur, ad sensum capitis. 25. esse referenda. Non enim, inquit, Cùm cœperint in vobis impleri. 70. anni, sed, Cùm cœperint impleri. 70. anni, illi scilicet, quos

Esther. 2 & 11.

Clemēs, Alexādrin', Eusebius, Hieronymus, Africanus. 30. annos Cyro tribuunt.

Herodo. 19 Solus Metasthenes Annianus 24. assignat: sed à Babylone tamen expugnata. Itaq; re ipsa idē cū cæteris sentit.

Confer principium libri Esther cum initio capitis tertij. 1. lib. Esdr. huius opinionis Ioannes Carion fuit.

Iosephus lib. 11. anti. c. 6. Virum Esther Longimanum credidit, Eusebius in Chronicis Memnonem. Iosephum videtur sequi Augustinus lib. 18. de Ciui. cap. 36.

Iosephus. 6. annos solùm illi assignat. lib. 11. an. iud. ca. 2. Herodotus lib. 3. annos. 7. & menses. 5. cui potius habenda fides, quoniam eo tempore fuit.

Cambyses parum propitius Iudæis fuit, Assuerus multùm.

Cēteſimum trigeſimum ſecundū colliges, ſi à deſolatiōe. 70 annos enumerei, antequā fiat enumerandi.

Euilmarodach legit Hieronymus.

Daniel. 5. Neglisser legit Hieronymus.

Daniel. 5. A transmigratione Ioachim ad primum annū Euilmerodachi filij Nabuchodonosori. 37. ab

Lib. 10. an ti. ca. 12.

nos interfluxisse, scribitur. 4. reg. lib. cap. 25.

Reponit mortē Nabucho. 2. 31 anno post euersionē Hierosolymorum.

Iosephus li. 10. an. c. 7. scribit Ioakim. 8. anno regni sui fuisse à rege Babyloniscaptū. Sed contrà Danielis. 1. dicitur q. annos. 3. regni Ioakim venit Nabuchodonosor. Quid autem eodem anno sit ea pta Eusebius in chronicis docuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædixerat. Perspicuum est autem. 70. annos capitis. 25. desolationis intelligendos esse. Tum quoniam omni populo Iudææ loquitur, vt patet ex initio capitis. Tum quoniam per transmigrationem Iechoniæ non est facta vniuersa terra illa in solitudinem & stuporem. Tum quoniam statim subditur, Et seruiet omnes gentes istę regi Babylonis. 70. annis. Si autem soli illi, qui cum Iechonia commigrarunt. 70. annis seruierunt, quomodo omnibus dicitur, Et seruient omnes gentes istæ, &c? Nę pè etiam vicinæ Hierusalem, &c. Quid? quòd etiam si solitudinis fuissent. 70. anni: desolationis tũ non fuerũt, si à transmigratione Iechoniæ computamus? Aliud quippè est solitudo, aliud desolatio. Non ergo. 70. anni à transmigratione Iechoniæ numerandi sunt. Quamobrę qui, vel à. 13. anno Iosiæ vel etiã ab. 8. Ioakim aut à tertio quoque huius computare. 70. annos incipiunt, eos equidem ab hac disputatione multò magis remouendos existimo.

Primum itaq; fundamentum præclarè iactum est. Deinde non mihi sanè vero simile fit, à desolatione ad primum Cyri annũ non nisi annos triginta interfluxisse, quos Eusebius &, qui Eusebio cõsentiũt, Theodoretus, Hieronymus, & Augustinus numerẽt necesse est, si ad secundũ annũ Darij Histaspis, septuagesimi anni absolutionẽ trahãt. Cõstat siquidem Nabuchodonosorũ patrẽ Euilmerodachi ad quadragesimum quintum annum imperium perduxisse. Quos illi verè Metasthenes Annianus tribuit. A transmigratione enim Iechoniæ ad primum annum Euilmerodach. 37. anni effluxerunt. 4. re. 25. & Hieremi. 25. Iam ergo Nabuchodonosorus hos triginta septẽ annos imperauit. His si addas. 8. annos, quos antè regnarat. 4. re. 24. annos quinq; & quadraginta cõficies. Nec huic sentẽtiæ repugnat Hieronymꝰ, qui in Dani. 5. caput Nabuchodonosorũ ait annis tribus & quadraginta regnasse. Quã sententiã ex Iosepho accepit. 1. cõtra Appionẽ libro, Iosephus verò a Berosõ in 3. lib. Chaldaicorũ. Cõputat nãq; annos integros, non integros excludit. Qui mos est auctoribus profanis sacrisque familiaris. Sic Hieremiæ. 23. scribitur, primum Nabuchodonosori annum eundem regis Ioakim fuisse quartum. Cùm tamẽ anno tertio Ioacim regis Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis in Hierusalẽ venerit, & obsederit eam. Daniel. primo. Eodem autem tertio anno Ioacim Iudæam captam à rege Babylonis Eusebius etiam in Chronicis auctor est. Annus ergo tertius Ioacim primus erat Nabuchodonosori, sed nõ integer: annus verò Ioacim. 11. idem Nabuchodonosori primus integer fuit. Nos porrò annos Nabuchodonosor. 45. licèt non omnes integri fuerint, numeramus. Sicque de annis non integris in tota hac disputatione loquimur. Vnde error Eusebij coarguitur, qui non nisi. 38. annos imperij Nabuchodonosoro assignauit. Ponit enim illius mortem anno à desolatione. 19. cùm in vigesimosexto ponenda esset, si verum est, vt verum est certè, Nabuchodonosorũ post desolationem. 26. annos imperium tenuisse. Nam à. 19. anno, in quo templum vastatum est, ad. 45. ad quem Nabuchodonosorus vitam regnũque perduxit anni sex, & viginti cõputantur. Item si à. 37. annis quos à transmigratione Ioachim Nabuchodonosorus vixit vndecim ademeris, quibus regnauit Sedechias. 26. annos pariter supputabis.

Alij Hidaspim uocãt

Atque hinc etiam error alter Eusebij refellitur, qui Euilmerodacho cæterisque Nabuchodonosori posteris quatuor duntaxat annos imperij reliquit, aut plurimùm sex neque eos integros tamẽ. Certè si à desolatione ad primum annum Cyri triginta anni numerentur, cũ. 26. ex illis Nabuchodonosoro accesserint, quatuor solùm aut quinque restant, quos Euilmerodacho, Neglisari, Labosardacho, Balthasari, imparuamur. Hos enim Nabuchodonosoro ordine successisse non Iosephus modò affirmat, verùm & Hieronymus Berosum proditisse consentit. Quæ res omninò mihi magnam admirationem mouet. Quid enim causæ Hieronymo fuerit, equidem non intelligo, vt Berosо Iosephoq; consentiẽs Balthasar Nabuchodonosori pronepotẽ fuisse crediderit, & cũ Eusebio tũ à fine regni Nabuchodonosori ad primũ Cyri annũ adeò paucos annos cõputarit. Eusebius enim excusari fortè potest, qui Balthasar fratrem Euilmerodachi fuisse, filiũ verò Nabuchodonosori existimauit. Sed cur Eusebium excusem? Cum Matthæus dicat Iechoniam post transmigrationem Babylonis genuisse Salathiel, Salathiel autem Zorobabel. Hic autem in primio anno Cyri iam grandior erat, cùm esset dux & princeps Iudæorũ. At ne intelligi quidem potest, Iechoniam in tam paucis annis ab Eusebio computatis nepotem adeò adultum habuisse. Non ergo à desolatione ad remigrationem. 30 solùm anni intercesserunt. His duabus conclusionibus illam adijcio, A desolatione ad primum Cyri annum. 70. annos interceſsisse. Quam ego conclusionem negare non queo, cùm. 25. cap. Hieremiæ & 36. 2. Para. diligenter expendo. Si quis autem his scripturæ testimonijs aptè ac probabiliter respõdebit, cum eo equidem non magnopere contendam. Mihi profectò, vt dixi, nulla via explicandorum eorum testimoniorum apparet, nisi planè consentiendo, quòd ad primum annum Cyri. 70. desolationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quosdam rei huius summam ita distinguere, vt captiuitatis septuaginta annos à transmigratione ad primum annum Cyri computent: at in secundo Darij anno septuaginta desolationis absoluant. Quod si verum esset, discrepantium opinionum probabilis fanè concordia esset inuenta. Sed nihil falsius inuenio, cùm ad veritatem cœpi reuocare rationem. Transmigratio enim fuit in anno Nabuchodonosori octauo,

Vide Theodore in. 1. Zacha. c4.

Daniel. 5.

vt. 4. Reg. lib. c. 24. scribitur. Desolatio verò in eiusdem regis anno vndeuigesimo facta est. 4. Reg. 25. Vastatio ergo post vndecim annos transmigrationi successit. A primo autem anno Cyri ad Darij secundum sine controuersia plures quàm triginta interfluxerunt. Nullo ergo modo fieri potest, vt à trãsmigratione Iechoniæ ad primum annum Cyri. 70. anni, à desolatione item ad annum Darij secundum septuaginta alij numerentur. Quocirca varijs dissentientium auctorum sententijs omissis, ad argumenta cum tertia hac conclusione pugnantia respondeamus.

Obijcitur primùm, quòd angelus apud Zachariam, cùm de secundo Darij anno loqueretur, Iste, ait, iam septuagesimus annus est. Cuinos argumento ante omnia respondemus, locum illum ab interprete Chaldæo sanctoq; Pagnino multò aliter atque ad scripturæ sensum fortasse aptiùs fuisse cõuersum. Horum porrò versio sic habet. Vsquequo domine non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es istis septuaginta annis? Nimirum enim apud Hebræos interrogatio nõ in illius orationis medio rumpitur, sed ad finem continẽti sermone producitur. Qua ex re fit, vt in editione nostra, tametsi oratio diuisa est, duę tamen interrogationes in vna angeli querimonia intelligantur. Quarum prior illa sit, Vsquequo domine nõ misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Posterior illa, Iste septuagesimus annus est? Quasi angelus in hunc modum conqueretur. Itáne domine promissionis tuæ oblitus es? Num iste est septuagesimus annus, quẽ scilicet & tu nobis tanta benignitate promiseras & nos à te tam ardenti desiderio expectabamus? Ecquid nobis cõfert laxata captiuitas, facultas cõcessa & tẽplum extruendi & ciuitatem, si illud euersum, hæc vastata perseueratẽ? Nec verò insolitum est, vt quædam passim sine nota interrogãdi proferãtur, quæ rectiùs aliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

enunciarentur. Habes exemplum, vt cætera omittam, in epistola ad Romanos capite octauo, cuius nos particulam sic pronũciare solemus, Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui cõdemnet? Christus Iesus q̃ mortuus est, qui resurrexit, q̃ est in dextera Dei, qui etiã interpellat pro nobis. At Augustinus rectissimè indicat, sic legi ac proferri oportere. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? vt tacitè respõdeatur, non. Et item, quis est qui condẽnet? Christus Iesus qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Quasi dicat, absit. Quo in loco vides percunctationibus duabus duas interrogationes adiunctas cùm multum habere venustatis tum acrimoniæ plurimum. Quod ego idem in præsenti de angeli querela sentio. Maior quippè vis in illa inerit, si duabus interrogationibus continebitur. Sed fac, nihil hic percunctatione quæsitũ. An ne idcircò nihil est, quod non dolore expressum videatur? Puto equidem, nec absurdè puto, illa quasi dolentis ac deiecti animi verba esse, quæ nihil minùs conquestione depressa, quàm sublata interrogatione significent. Id quò meliùs intelligatur, exemplis etiam scripturæ illustrandum est: quæ apertè mihi rem totam videntur exponere. Hieremias primùm duas quoque querelæ eiusdem partes facit: quarum vna interrogationem habet, altera non habet. Quare, inquit, via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? Plantasti eos & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Simillimum ex Habacuc exemplum proferam. Quare, ait, non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. Num prophetæ hi aliud conquestione atque interrogatione denotarunt? Num quicquam asseruere dum quæruntur? Non certè plus quàm dum interrogant. Ad eundem ergo mõdum angelum in Zacharia duas suæ querimoniæ particulas fecisse intelligo: quarum prior per interrogationem expressa sit, posterior per conquestionẽ. Non itaq; asserit, illum annum, in quo loquitur, septuagesimum à desolatione esse: sed istum tam promissum, tam desideratum iam diu præterijsse cõqueritur. Nihil enim, vt modò diximus, conquerendo exprimit, nisi quod interrogando expressisset. Iram Dei, scilicet, vltra tempus præfinitum trahi, illa interrogatione questus est, Vsquequo non misereberis. Misericordiam item plus nimio differri questus est illam conquestionem adijciens. Iste septuagesimus annus est. Quod nõ vultu asserentis, sed flentis, voce videlicet queribunda, proferendum est. Verùm de Zachariæ testimonio satis. Opponitur deinde, quòd anni septuaginta non captiuitatis, sed euersionis numerandi sunt. Id quod nos libentissimè concedimus. Sed septuaginta euersionis annos nõ in primo Cyri, sed in Darij secũdo expletos esse: id verò constãtissimè pernegamus nõ nostra opinione nos, sed scripturę testimonio freti. At inquis. Templũ vsq; ad Darij secũdum annum deiectum euersumq; permansit. Si nihil templi factum intelligis: falsum est. Cùm in primis Cyri annis altare fuerit extructũ, templiq; fundamẽda iacta, vt 1. Esd. lib. c. 3. &. 5. scribitur. Sin templũ ais non fuisse Cyro regnãte perfectum. Ita est sanè. Sed ne vsque ad Darij sextũ quidem annum perfectum est, quẽadmodum. 1. Esd. lib. ca. 6. legimus. Quin Iosephus memoriæ prodidit, tẽplũ vsq; ad nonũ annũ Darij non fuisse omni ex parte expletũ. Cui opinioni Iudæi consentiẽtes. 46. annis aiunt templum ædificatum. Atq; idem Iosephus libro eo. c. 5. tradit, templum ne anno quidem Xerxis. 25. esse suis numeris omnibus absolutum. Quocirca si demolitio templi tandiu perdurasse intelligitur, quandiu informatum illud atq; imperfectum mansit: nimirùm septuaginta

3. de Doct. Christ. c. 3.

Hiere. 12.

Habacuc. 1.

Daniel. 9. 2. Par. 36. & 1. Esd. 1.

11. libr. eiusdem cap. 4. Ioan. 2.

septuaginta anni non iam ad secundum, sed ad sextũ, vel nonũ Darij vel etiam. 25. Xerxis numerabuntur. Quid? q̃. 70. anni vastitatis non modò templi, sed vrbis etiã intelligendi sunt? Ego, inquit, intellexi numerum annorũ, de quo factus est sermo ad Hieremiam prophetam, vt compleretur desolationis Hierusalem. 70. anni. Si igitur ad eum modũ annos vastitatis accipimus, cùm Hierusalem in. 20. etiam Arthaxerxis anno adhuc deserta perstiterit, muri dissipati, portæ cõsumptæ, vt. 2. Esd. ca. 2. habes, dicemus vtiq;. 70. illos annos ad Neemiæ quoq; tempora protrahẽdos, cùm ciuitas ab eo est per Arthaxerxis imperiũ instaurata. Nos ergo, tametsi in secundo, vel saltem tertio Cyri anno templi fabricam inchoatã esse credimus, septuaginta tamen euersionis annos tunc expletos arbitramur, non quãdo templum, aut incœptum, aut consummatum est: sed quãdo Iudæis est laxata captiuitas datacq; adeò facultas, vt in patriũ solum remigrarent, altare extruerent, fabricarent tẽplum, ciuitatẽ reficerẽt, ruinas implerent. Quem omnino sensum, vt diximus, à sacris videmur literis accepisse: quę verbũ Hieremiæ primo Cyri anno impletum esse tradiderunt.

In secundo anno Cyri templi fundamẽta posita. Iosephus. 1. cõ. Appi. libr. tradit. Cui ego libenter assentio

At Mardochæi ætas, imò potiùs res præclaræ gestæ cum nostra opinione dissentiunt. Nam si tanta fuit, quãtam ex nobis aduersarij colligunt: non modò summa sed decrepita etiam ac caduca fuit, nec rebus ita magnis gerẽdis idonea. Cuius argumenti responsio illa, quæ à viris doctissimis accepta est, non est omnino contemnenda. Ec quid enim absurdi est, si illis adhuc seculis homo vnus aut alter ætate, temperamento, corporis animiq; vigore longè reliquis sui temporis senibus ante celluerit, cùm etiãnum quidam sint, quorum in summa senectute, nec ingenium, nec memoria, nec cæteræ animi vires non modò labefactatæ, sed ne extenuatæ quidem videantur? Atq; hac responsione illud quoq; argumẽtum diluitur, quod ex Aggæi. 2. trahi potest. Quis in vobis, inqt, est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? &c. In secundo igitur anno Darij quidã supererant annos nati. 116 & eò amplius. Si enim. 70. annis desolationis. 30. Cyri, Cambysis, & Magorum. 9. Darij duos & quinq; vel etiam septẽ addas, quibus ante vastitatẽ vixerant, si templum videre & gloriæ eius post tot annos recordari potuissent, certè summã illam 116. annorum conficies. Atq; hæc responsio quidem minùs absurda iudicabitur, si 30. Cyri anni non à capta Babylone, sed ab Astyage victo numerẽtur. Tunc enim primùm Persarum ac Medorum regnum accepit. Deniq; hoc quoq; respondendũ censeo. Quòd Mardochæus fuisse legitur de eo numero captiuorum, quos transtulit Nabuchodonosor cum Iechonia rege Iuda: non sic accipi oportet, quasi is ipse tunc fuerit inter captiuos numeratus: sed quasi ex illis extiterit, exq; eis duxerit originem. Hoc verò in Mardochæi laude scriptura posuit, q̃ non ex ijs fuerit parentibus, qui Prophetis contradixerunt: sed ex eis, qui Hieremiæ obtemperarunt. Quæ huius loci interpretatio ex primo Esdræ libro cap. 2. colligitur. Vbi numerantur illi, qui ascenderunt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, & in Iudæam reuersi sunt: cùm ex ipsis quidam non in Babyloniam venerint, sed patres eorum. Compertum siquidem ex Matthæo est, Zorobabelem in Babylone genitum fuisse. Sed &. 3. Esdr. libr. cap. 5. ita legis. Sunt autem hi qui ascenderunt ex Iudæa, &c. Nullam ergo vim scripturæ afferimus, si interpretamur Mardochæum de Hierusalem translatum esse: q̃ pater eius translatus sit. Quòd si quis adhuc hanc intelligentiam violentam esse contendat, & sic quoq; respondere possumus. Assuerus ille, de quo in lib. Esther perpetua mentio fit, Astyages fortasse fuit pater Darij Medi. Hũc enim Daniel. c. 9. Assuerũ vocat. Vel

Dani. 9.

Hiero. annum Magorum perpetuò excipit &. 8. solũ Cambysi assignat.

Hiero. communem sententiam sequitur. Assuerumq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum Arthaxerxem à Græcis appellatũ ait. At nec Astyages nec Cyaxares Arthaxerxes uocatus est.

Vel certè Cyaxares huius pater: quem primum Asiæ populos in prouincias distinxisse Herodotus tradit. Fuisse etiam ait, cũ ingenti tenebatur ira, peracerbum. Quæ omnia in Assuerum apprimè cõueniunt, qui in lib. Ester eisdẽ coloribus pictus est. Nec refert hi an alij Medorum reges ante Cyrum Asiæ imperitarint. Scimus enim Ctesiam Gnidium apud Diodorũ in tertio alios atq; Herodotus scripsit, posuisse. Sed Herodotum Eusebius sequitur. Accedit, q̃ nusquam Assuerus iste rex Babylonis dicitur, sed Persarum atq; Medorum. Ante Cyrum autem & Darium auunculum vna erat monarchia Medorum atq; Persarum: Babyloni rex proprius imperabat, vt in primo libro Herodotus scribit.

Narrãt Hebræi, ut in 10. Zacha. c. Hieronymus refert, captiuũ populũ Iudeorum non solùm in Medos & Persas, sed in Bosphorũ quoq; & septentrionalem plagã à Chaldæis esse translatum.

Accedit etiam quòd huic expositioni oĩa consonãt, nec ex ea quicquam absurdi emergit. Nã quòd Mardochæus primùm in Babyloné translatus sit, deinde in Susis appareat, nulla repugnãtia est. Constat eñ fieri potuisse, vt Babylonij quosdam ex captiuis Persis Medisq; vendiderint: vt causas alias omittam, quæ eius rei multæ esse potuerunt. Danielem sanè in Babylonem principio translatum, cõpertum est: at in Susis postea extitisse capite eiusdẽ Prophetæ octauo legimus.* Quantò illud vrgentius aduersarios premit, quod si tempore, aut Darij Histaspis, aut Arthaxerxis Lõgimani illa cõtigissent, quę ipsius Esther narrat historia: nullo modo Esdras Neemiasq; silentio præterijssent. Nam hæc ad Arthaxerxis Memnonis tempora referre, si Mardochæus cum Iechonia commigrauit, somnio q̃ simillimum est. Nec me fugit, Susa regiam aliquando Medorum ac Persarum ciuitatem, in qua Assuerus conuiuium illud instruxit, à Dario Histaspis filio cõditam Plinium lib. 6. c. 27. scribere. Quæ res si vera est, illa de Astyage aut Cyaxare sentẽtia vera esse nõ potest. Sed Plinij nos auctoritas vrgere nequit. Quin multò probabiliùs Strabo in libro. 15. scribit, Susa Thitoni patris Memnonis ædificiũ esse.

*Ratio Eusebij.

Atq; Herodotus lib. 5. vrbẽ Mẽnonis vocari solitã ait. Non Arthaxerxis Mẽnonis, sed illius præstãtissimi iuuenis, qui Priamo è Syria auxiliaturus venit, q̃ etiã in Susis regiã ædificauit Memnoniã ab illo cognominatã, vt Diodorus scripsit in. 3. Susa verò ante Cyrum fuisse condita Daniel certissimus auctor est. Anno, inquit, tertio regni Balthasar, cùm essem in Susis, &c. Quam vrbem metropolim esse regionis Elamitarum Hieronymus verè quidem interpretatur, sed in ea Danielem turrim extruxisse falsò existimat. Iosephus siquidem in decimi libri postremo capite Danielem ait, apud Ecbatana Mediæ turrim eam ædificasse: apud Susa verò primariam Persidis vrbem illa vidisse, quæ Danielis. 8. narrantur. Quanquam Susa propriè nec Persidis nec Mediæ ciuitas est, Sed Susiæ Persis Mediśq; vicinæ. Quæ quoniã non duabus his prouincijs modò: verumetiam Babyloni confinis erat, inq; harum trium regionum medio collocata: ideo reges Persarum atq; Medorum in ea sedem imperij locauerunt. Quod Cyrum fecisse Strabo affirmat: nos alios etiam priores fecisse credimus. Iam si Susa principiũ regni Assueri fuit, vt primo libri Esther capite dicitur, non fuit autẽ, aut Darij Histaspis aut Longimani aut alterius Arthaxerxis cognomento Mẽnonis Susa regni principium: sed vel Thitoni, vel alius regis, qui primus Susa nobilitauit, atq; inde exordium imperij sumpsit, certè non est absurdum Assuerum virum Esther Astyagẽ Cyaxarémue huius patrem intelligere. Vterq; enim Medis etiam ac Persis imperauit, quemadmodum scribit in. 1. lib. Herodotus. Restat vt illud tandẽ exponamus, quî fieri potuerit vt. 70. annos, quos prędixit Hieremias, Iosephus in primo Cyri anno expletos dicat: cùm multò plures ipse idẽ in Nabuchodonosori posterorũq; huius imperio cõputarit. Sed in numeris Iosephi libri mẽda habent innumera. Quæ ego menda viro diligentissimo atq; grauissimo assignare, nec volo

Ptolomæus lib. 6. c. 10. & 11.

volo nec debeo. Librariorum ergo vitio accidisse credẽdum est, vt in Neglisaris regno pro. 20. subiecta fuerint. 40. in Balthasaris aũt pro. 7. posita fuerint. 17. Hos enim duos numeros si correxeris. 70. anni cõstabunt, quos Iosephus à desolatione ad primum Cyri annum scripsit effluxisse. Sic tamen. 70. annorũ summa constabit, si post desolationẽ solos. 25. Nabuchodonosoro tribuas. Quòd vigesimus sextus inceptus fuit nõ absolutus, si excludas itẽ postremũ Balthasaris, quòd in illius initio Babylon in Cyri ditionem venit. Ac si quinque annos Balthasari dedit, sed ex scribentium vitio substituti sunt septendecim, tunc. 70. anni conflantur, nec opus erit eos, qui integri non fuerunt, excludere. Verùm in his minutulis explicãdis ego quoq; mihi ipse displiceo. Sed harum rerum curiosis semel satisfaciendum fuit. Et Gordianus iste nodus, quãuis multo labore verbisq; etiam multis, erat tamen explicatè distinctéq; soluendus.

Decimum argumentum facile est quidem, sed ad scripturæ cognitionem explicatu necessarium. Nõ enim Hieronymus solùm, sed Aggæus etiam scribit, in secundo Darij anno templi esse fundamenta iacta. Atque illud, quod ex commentarijs in Danielem obiecimus, nihil habet omnino quæstionis. Cùm Hieronymus ipse in Isaiæ. 44. caput sua verba fuerit interpretatus. Cyro viuente, ait, templi iacta sunt fundamenta: Cæterùm sub Dario anno illius secundo, templum ædificari cœptum est. Hoc itaque facillimum. Id difficilius, quod Hieronymus, imò Aggæus ipse dicit in hæc verba, Ponite corda vestra à die ista & in futurum: à quarta & vicesima noni mensis, à die qua fundamenta iacta sunt templi domini, &c. Et Hieronymus, A die vicesima quarta noni mensis, in quo tẽpli fundamẽta sunt iacta, &c. Loquitur autem sine dubio propheta de nono mense anni. 2. sub Dario. Huic argumento variè quidem à multis respon-

In Aggæ. secundum cc.

sum est. Lyranus sentit, fundamenta hoc sanè loco appellari partem ædificij inferiorem, quæ cæteras sustentet ac ferat, etiamsi ima non sit, sed fundamentis imis superposita. Beda credit, atq; id receptius est, tẽpli interioris fundamenta viuente Cyro fuisse posita: atrij verò exterioris porticuũ & Gazophylacij in secundo anno Darij. Illud quoq; dici potest, sub Cyro fundamẽta inchoata informataq; fuisse, sub Dario perfecta & consummata. Adde, à Cyro ad Darium. 40. annis interfluentibus fundamenta & temporum iniuria & inimicorum opera fuisse propemodùm euersa & labefacta: sed sub Dario reconcinnata refectaq; fuisse. Vnde & Iosephus Ruffino interprete, scripsit, q̃ sub Dario fundamẽtis restitutis superædificabatur. Atq;, vt quemadmodum sentio loquar, non mihi Aggæus videtur astruere, q̃ in secundo Darij anno templi fundamenta iacta sint. Sed hunc sensum propheta habet. Attendite non solùm ex die ista, quæ videlicet est vicesima & quarta noni mensis: sed à die, qua fundamenta iacta sunt templi, & inuenietis à tẽplo meo inchoato nullos vberiores fructus prædia vestra tulisse. Nimirũ enim negligentibus Dei religionem & cultũ nihil adhuc prosperè euenit. At ex die ista benedicã, &c. Et hic sensus paulò antè fuerat explicatus his verbis: Et nũc ponite corda vestra, à die hac & supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini, &c. Quasi ex eo tẽpore, quo primùm iubente Cyro è Babylone venerint, eorum frugibus maledixerit, nec quicquam eis feliciter terra produxerit, q̃ in Dei opere & tẽpli structura cessauerint. Sed de argumento decimo hæc satis.

Refertur in Glossa. ordinaria. 1. Esdr. 6.

Lib. 11. c. 4.

In vndecimo non est facile expedire, quisnam ille Arthaxerxes fuerit, qui cum Cyro & Dario iusserit templum ædificari. Rabbi Samuel eũdem esse credidit Dariũ & Arthaxerxem. Hoc enim non propriũ nomen, sed regum Persarũ omnium fuisse cognomen: vt Cæsar Romanorũ, Pharao

Aegy-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptiorum. Non itaq; tribus iubẽtibus templũ ædificatũ, sed duobus Cyro & Dario Arthaxerxe. Cui opinioni vehementer coniunctio repugnat, quæ nomen Darij cum Arthaxerxe nõ solùm in Latino, sed in Græco & Hebraico exemplari coniungit. Ineptæ sanè loquendi formulæ sunt, Iulius & Cæsar, Marcus & Tullius, Chencres & Pharao. Huic quoque sententię illud refragatur, quòd pari ratione Arthaxerxis cognomen Cyro fuerat addẽdum, qui rex vtiq; nobilissimus Persarum fuit. Atq; idẽ Rabbi per Arthaxerxẽ, de quo capite. 4. sermo fit, verè, vt ego sentio, non Cambysen sed Cyrum intellexit. Cur igitur scriptura cognomen vtriq; regi commune alteri adijceret, ab altero auferret? Hanc denique opinionem illud minùs probabilem facit, quòd si Arthaxerxes cognomen omnium Regum Persarum esset, id esset absurdum, quod. 1. Esd. 7. scribitur. In regno autem Arthaxerxis regis Persarũ Esdras, &c. Nullus enim peculiariter intelligeretur, non plus certè, quàm si solum regem Persarum sine Arthaxerxis voce posuisset. Sed de hac sententia satis. Pergamus ad reliquas. Iosephus porrò apud Lyranum hunc Xerxem filium Darij interpretatur. Vndecimo quippè anti. Iuda. lib. cap. 5. scribit Xerxem filium Darij pietatis paternæ perinde vt regni hæredem fuisse. Nihilque ex patris institutis circa diuinum cultũ immutasse, sed Iudæos summa fuisse beneuolentia prosecutum. Addit etiã huius tẽpore Esdrã quidẽ argento, auro, & vasis pretiosis, quæ ex vniuersa prouincia Babylonis attulerat, templũ ornasse ac dei cumulasse cultũ: Neemiã verò eodẽ rege concedẽte non modò ciuitatẽ & muros instaurasse, sed & id suppleſſe, quod ad fabricam templi deerat. Verùm hęc sententia duos scrupulos habet. Prior est, q̃ huic regi. 38. annos imperij tribuit. Quain re cum omnium Chronographorum ratione pugnat, qui Xerxu filio Darij non nisi viginti regni annos impartiuntur. Posterior scrupulus est huiusmodi. Primi Esdræ sexto capite dicitur, q̃ Iudæi ædificauerunt & construxerunt & compleuerunt domum Dei Cyro & Dario & Arthaxerxe iubentibus, sed compleuerunt tamen in anno. 6. Darij. Necesse est igitur, vt Arthaxerxes ille, quicunque tandem fuerit, ante annum Darij sextum fuerit. Alioqui quomodo vsque ad. 6. annum Darij construxerunt Iudæi & cõpleuerunt templum viuente Cyro & Dario & Arthaxerxe? Non itaq; in nomine Arthaxerxis Xerxes filius Darij intelligitur. Quæ eadem causa eos etiam vrget, qui hoc loco Arthaxerxem Longimanum filium Xerxis accipiũt, cuius diebus, vt Eusebius est auctor, & Esdras & Neemias ea, quæ templo, ciuitati murisq; deerant, expleuerunt. Ac ne illud quidem verum est, quod nonnulli aiunt: Darium Medum hoc loco accipi oportere, nam Darium Histaspis nomine Arthaxerxis accipiunt. Primum enim nusquàm aut in literis sacris, aut in auctore aliquo historiæ probato legitur, q̃ Darius Medus tẽpli fabricam aut iuuerit aut iusserit. Solus quippè Daniel huius Darij mẽtionem fecit, nec tale quippiam illi asignauit. Deinde cùm Darius hic auũculus Cyri esset, vt plerisque visum est, multoque ætate maior, vt visum est omnibus, nequaquam scriptura sacra contra aliarum omnium morem Cyrum priùs quàm Darium nominaret. Iubente, inquit, Cyro & Dario & Arthaxerxe. Quæ eadẽ ratio vetat, vt Darius hic Medus per Arthaxerxis vocem intelligatur. Quanquam. 70. interpretes Danielis. 7. pro Dario Arthaxerxẽ interpretati sunt, quẽadmodum Hieronymus noster admonuit. Præterea nulla historia neque humana neque diuina Darium Histaspis Arthaxerxem appellauit. Nulla ergo causa est, cur hoc loco Dariũ Histaspis Arthaxerxis nomine intelligamus. Præsertim cùm in toto illo libro per nomen Darij non alius vnquam nisi Histaspis filius intelligatur. Quid autem scriptura

Notum, inquit, sit regi, quòd Iudæi, qui ascenderũt à te ad nos, &c. 1. Esd. 4. Cyro ergo scribebant illi, à quo Iudæi in Iudæam dimissi fuerant. Iosephus ac cæteri hũc Cãbysen interpretantur.

Glossa interlinearis Dani. 9. Darius primum capit Israẽl solus se; sed non probat.

Metasthenes Annij hunc ordinem inuertit.

ptura nobis per nominis ambiguitatem illuderet si in eadem etiam orationis clausula Darij nomen in varios significatus distraheret? Aedificauerunt, ait, iubente Cyro & Dario & Arthaxerxe, & compleuerunt domum Dei istam vsq; ad diem tertium mensis Adar, qui est annus. 6. Darij regis.

Mihi duæ viæ huius quæstionis explicandæ apparent. Vna est, vt teamur id quod nũc nunc impugnatũ est. Arthaxerxem Longimanum hic accipi oportere, qui primus huius nominis in historijs prophanis inuenitur. Quæ eadem sententia Bedæ fuit. Loquitur autem scriptura per anticipationẽ, id quod sæpè aliàs sacri auctores fachitarunt. Non enim oẽs illi tres intelligẽdi sunt templum & ædificasse & complesse vsq; ad sextum Darij annum. Sed tres illi opus cõpleuere quidem, quos Iudæis constat in opere faciundo explendoque fauisse, at ædificatum est, atque aliqua ex parte completum vsque ad. 6. Darij annum Cyro & Dario iubentibus. Tametsi eo anno templum non est omni ex parte absolutum. Quoniam, vt Iosephus ait, Esdras ac Neemias sub Arthaxerxe postea templi fabricam, ornatum, et cultum expleuerunt. Hoc verò solùm à Iosephi opinione nostra discrepat, quòd ea, quæ Esdras ac Neemias gessisse in scriptura referũtur, ille Xerxe filio Darij imperante, nos Longimano iubẽte gesta esse cõtendimus. Illud autem sine controuersia verum est, Cyrum & Dariũ & Arthaxerxẽ eum, cui Neemias atque Esdras placuere, templũ ædificasse, absoluisse, & ornasse.

Altera quoq; scrupuli huius eximendi ratio est: si dicamus, duas illas particulas, & Arthaxerxe, ab Hebræo quopiam adiectas esse in margine primùm, deinde textui, vt fieri solet, insertas. Nec aliunde quàm ex eodem libro exemplum huius erroris petere necesse est. In capite enim. 4. 1. Esdr. 4. sic Latina editio habet. In regno autẽ Assuerj, ipse est Arthaxerxes, &c. vbi tres illę voces, ipse est Arthaxerxes, nõ sunt scripturæ partes: sed ab expositore nescio quo in margine fortasse positæ scribẽtium errore textui nostro interiectæ sunt, cũ nec in Hebræis exẽplaribus, nec in Græcis. 70. interpretum hàberentur: quemadmodum etiam ante nos Lyranus admonuit. Idem quoq; error accidit in Latinis codicibus. 2. Reg. c. 8. vbi verba illa, De quo fecit Solomon omnia vasa ærea in tẽplo & mare æneum & cõlumnas & altare, nec Hebræa exẽplaria habent nec Græca. 70. &c. Quod autem vitũ in Latinam editionem irrepsit, idẽ potuit accidere, vt in Hebræa quoq; irrepserit exemplaria. Qua de re & lib. 2. multa opportunè diximus, & jã nam in sequẽtis argumẽti explicationem quædam haud importunè differemus. Illud nunc dico, me non leui coniectura ductũ de huius loci errore ita existimasse. Iosephus siquidem vndecimo Iudaï. anti. lib. c. 4. hunc ipsum Esdræ locum referens sic ait. Magnis omnium studijs proficiebat templi ædificatio iuxta mandata Cyri & Darij prophetantibus interim Aggæo & Zacharia: absolutũq; est intra septenium. Et lib. 15. c. postremo non alium templi auctorem facit Herodes præter Cyrum & Darium. Non ergo alius tertius in Hebræis veris exẽplaribus habebatur. Verùm hæc hactenus. Cætera diluamus.

Argumentatio duodecima vsq; eo difficilis & obscura est, vt aut nullo modo, aut multò difficillimè dilui possit. Nimirũ enim in historia cũ sacra tum profana ita sæpè librariorum vitio numeri deprauati sunt, vt qui eos ad veram rationem reuocare voluerit, is non dico in scopulosis locis arduisq; versetur: sed in labyrinthum inexplicabilium quæstionũ intret necesse sit, vnde exire non queat, nec si Thesei quidem filũ habeat. Huiusmodi autem errores in historijs humanis prodere superuacaneum erit, nam obuij sunt passim plurimi. In sacris paucos quoldam commemorabo, qui latis sint tamen, vt intelli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gant omnes, quàm lubricum & facile librarijs ſit vel in diuina ſcriptura numerũ pro numero ſubſtituere. Agedũ ergo primum huius rei exemplum proferamus ex libri ſecundi Para.c.15.vbi ita legimus, Bellum verò non fuit vſq; ad tricesimum quintum annum regni Aſſa. Et ueſtigio in initio capitis ſextidecimi, Anno autem tricesimoſexto regni eius aſcendit Baaſa,&c. Quo vtroq; loco pro tricesimo legere oportet viceſimum. Nam Baaſſa anno tertio regis Aſſa regnare cœpit,ſolũq; regnauit annos quatuor et viginti,vt.3.lib. Reg.cap.15.traditur. Non ergo ad tricesimumſextum annum regis Aſſa regnum vitamq; perduxit. Id quod perſpicuum quoq; fit ex.3.Reg.libr.cap.16. Anno,inquit, viceſimoſexto Aſſa regis Iuda regnauit Hela filius Baaſſa ſuper Iſrael,&c.Et poſterius, anno viceſimoſeptimo regis Aſſa regnauit Zamri,qui ſcilicet occiderat He
Cap. 9. la. Quem errorem Ioannes Lucidus in ſecundo temporum libro animaduertit.

Ne verò imperitus quiſquam huius loci vitiũ in Latinæ editionis odium torqueat, æquè ſciat Græca Hebræaq; exemplaria eſſe corrupta.Id quod.2.Para.ca.36. etiam contigit. Vbi in hæc verba exẽplaria oĩa, quæ mihi videre licuit, cõſentiunt. Octo annorũ erat Ioachim cũ regnare cœpiſſet, & tribus mẽſibus ac decẽ diebus regnauit in Hieruſalem: fecitq; malum in conſpectu domini.Quo in loco pro decem & octo librarius aut indoctus aut negligens octo ſubiecit.Sic enim.3.Reg. 24. verè legis,Decẽ & octo annorũ erat Ioachim cũ regnare cœpiſſet,&c. Alioqui quomodo fecit malum in conſpectu domini? Quomodo egreſſus eſt ad regem Babylonis, & cùm eſſet natura bonus,ne ciuitas perclitaretur,vltrò ſe dedidit?4.Reg.24.Ioſephus.10.anti.c.9. Atq; hũc etiam errorem Caietanus prior deprehendit. Nolo enim quicquam aliorum aut induſtriæ aut ingenio detrahere. Verùm ego etiam ipſe interdũ cõiectura ducor ad ſuſpicãdum, auctores ſacros quibuſdã in locis alios numeros poſuiſſe,quàm nunc inueniantur. Verbi cauſa ponamus aliquid,vbi coniecturæ huius argumentum appareat. Primo reg. lib.cap.13.ſcribitur, q̃ filius vnius anni erat Saul,cùm regnare cœpiſſet.Quòd ſi filius anni vnius intelligitur, quaſi puer vnius anni innocens,qui neſciret inter dextram ſiniſtramq; diſcernere: quónam pacto illud accipiemus,Filius viginti & vnius an- Hiere. 52
ni erat Sedechias cùm regnare cœpiſſet? Quid ſi hic etiã numerus ille viginti exſcribentiũ eſſet errore prætermiſſus? An nõ tibi videtur, ſi ita hi per incuriam negligentiãq; feciſſent,falſis interpretãtium expoſitionibus locũ eſſe daturos? Rurſum,qua- 2.reg.5
le quæſo illud eſt,Filius triginta annorum erat Dauid,cùm regnare cœpiſſet,& quadraginta annis regnauit,ſi filium vnius anni innocẽtem interpretamur? In ſimili ergo dicendi forma ſimilis ſit interpretatio. Sed ſimilis eſſe nõ poteſt, ſi vnius anni filius Saulus eſſe dicatur. Quãobrem veriſimile eſt,auctorẽ libri Regũ filium eum viginti & vnius anni ſcripſiſſe: ſed ſcriptorũ vitio maiorem numerũ in Hebræis exemplaribus omiſſum.Quem deinceps errorẽ in Græca Latinaq; exẽplaria aut alij quilibet aut etiam interpretes transfuderunt. Quod idẽ.2.Para.c.15.16.&.36.accidit,ſicuti paulò antè demonſtrauimus.Et quoniã nõ eſt animus ſingula loca diſcutere: vnũ ſolummodò ex Rabani opinione adijciã, vt iam demum ea, quæ ſunt huius argumenti propria, expediãtur. Hieremiæ.52. vulgata lectio ſic habet. Iſte eſt populus, quẽ trãſtulit Nabuchodonoſor, in anno ſeptimo Iudæos tria millia & viginti tres. In anno octauodecimo Nabuchodonoſor,trãſtulit de Hieruſalem animas octingẽtas triginta duas.In anno.23.Nabuchodonoſor,tranſtulit Nabuzardan magiſter militię animas Iudæorũ ſeptingentas quadragintaquinq;.Omnes ergo animę quatuor millia ſexcentæ.Qua ex lectione ſub difficiles & perobſcuræ quæſtiones emergunt,

gunt, quarum nonnullas Liranus mouit. ſed q̃ bellè reſponderit,aliorum eſto iudiciũ. Rabanus in Hieremiam ter Iudæos à Nabuchodonoſoro captos ſcribit, harũq; trium captiuitatum numerũ hìcà propheta cenſeri. Prima fuit,cum Nabuchodonoſor Ioakimum filiũ Ioſiæ vinctũ cathenis duxit in Babyloné.2. Para.36. Nec enim eſt veroſimile, non etiã alios plurimos cũ Ioacimo in Babyloné tranſtuliſſe. Nam & Daniel capite primo verbis nõ valde obſcuris ſignificat,anno tertio Ioacimi quoſdam è Iudæa in Babyloné eſſe trãſlatos.*At Caietanus negat, Ioacimum in Chaldæam aduenisſe. Sanè quidé: verùm infirma ratiõe negat. Interfectus eſt, inquit, Ioacimus in Iudæa & ſepultura aſini iuxta Hieremiæ*prædictionẽ ſepultus eſt ac proiectus extra portas Hieruſalem. Quid tum? Quaſi verò fieri nullo modo poſſet,vt ductus primùm in Babylonem, deinde in Hieroſolyma remitteretur, vbi, cũ fidẽ regi Babylonio datã violaſſet, ingloria morte periret.Nõ itaq; eamus inficias,Ioacimum cum alijs multis in Babyloné eſſe traductũ. Id enim non Rabanus ſolùm,ſed diuinæ etiam ſcripturæ tradũt.

Ioſephus.1. cõ.App. A lex.libr. ex Beroſo refert, Nabuchodonoſorum primo anno regni ſui, quoſdã Iudæorũ captiuos in Babylonẽ addukiſſe. *in.36.c.2. Para. * Cap. 22.

2.Para.36

Secũdam captiuitatem Rabanus ponit in trãſmigratione Iechoniæ,quæ.4.lib.Regũ.24.habetur expreſsè. Tertia quoq; in eodem lib.c.5.expreſſa eſt, cũ Nabuzardã tẽplum etiã vrbẽq; vaſtauit. Trium ergo harũ captiuitatũ,vt Raban⁹ autumat,Hieremias hic ſingillatim ſcribit numerum. Quæ ſi vera ſentẽtia eſt, treș numeri mutãdi ſunt: vt pro ſeptimo anno in prima captiuitate ſcribatur,primo. Illa enim anno primo Nabuchodonoſori contigit, qui idem Ioacimi tertius fuit: quemadmodum paulò antè dicebamus.In ſecũda verò captiuitate pro octauodecimo ſcribendum eſt,octauo.Cõſtat enim Iechoniam in Babyloné octauo Nabuchodonoſori anno cõmigraſſe.4.Reg.24.Pro viceſimo autem tertio in captiuitate poſtrema legi oportet,vndeuiceſimo.Nã vt.4.Reg.25. ſcriptum eſt,Hieremiæ item.52.Sedechias in anno.19.Nabuchodonoſori ductus eſt in Chaldæã. Nec huic ſentẽtiæ repugnat, q̃ lib.Reg.4.c.24.decẽ Iudæorũ millia cũ Iechonia dicũtur eſſe tranſlata.Quoniam Hieremias non vulgus promiſcuũ,aut milites quoſlibet annumerat, ſed principes Iudæ,& eos qui erant in dignitate aliqua conſtituti,vt Ioſephus decimo Iudai.anti. lib.c.8.animaduertit. Vel etiã eos hìc ſupputat Hieremias,quiin libris Regum non fuerant numerati:Primæ ſiquidem ac poſtremæ captiuitatis numerũ auctor libri Regũ omnino prætericrat. In ſecunda autem poſuerat maiorẽ quidem,hoc eſt,decem millia:prætermiſerat minorẽ, quem hìc ſupplet Hieremias, id eſt,animarum octingẽtas triginta duas. Quod Ioſephus intelligẽs in decimo anti.Iud.lib.c.9.vtrũq; numerum cõplectitur,aſſeritq; eos,qui cũ Iechonia ducti ſunt, fuiſſe decem millia numero & amplius octingentos triginta duos.Quanquam primã captiuitatem ad eum annũ refert, quo rex Babylonius Ioacimum interemit, inſepultumq; extra mœnia iuſsit proijci. Tũ enim ſcribit tria 10. lib.c.8.
millia Iudæorum Babyloné in captiuitatem eſſe ducta. Qui annus proculdubiò ſeptimus Nabuchodonoſori fuit.In octauo nanq; Iechonias pro patre eſt cõſtitutus.4.Reg.24.quod ſi accipimus,numerus primæ captiuitatis in Hieremia ſine vlla correctione rectiſsimè cõſtat. Intelligo autẽ locũ Hieremiæ totum poſſe à mendi nota vindicari: ſi dicamus ſecũdam captiuitatẽ anno.18. Nabuchodonoſori fuiſſe, annis ſcilicet integris numeratis. Sicut & prima anno ſeptimo eſt in hũc ſenſum adſcribenda.Alioqui, ſi de annis non expletis ſermo ſit,prima in anno.8.ſecũdá in.19. Nabuchodonoſori fuit.At tertia fuit anno.23.cùm quinto poſt excidiũ Hieroſolymitanũ anno,qui fuit regni Nabuchodonoſori.23.inuaſit Coelen Syriam,Ammonitas Moabitasq; ſubegit, Aegyptios perdomuit,ac repertos ibi Iudæos capti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uos Babylonem abduxit, vt Iosephus auctor est. 10. anti. Iud. lib. c. 11. Sed quoniam Hieremias eos numerare videtur non qui de Aegypto sed qui de Iudæa trãslati sunt: quia rursum eas videtur captiuitates recẽsere, quæ è sacris historijs colligũtur: quia demum eam, quæ sub Nabuzardane fuit omniũ celeberrima tẽpliq; atq; vrbis incendio vel maximè nobilitata, tertio loco videtur scribere, vt eò redeat, vnde est paulò antè digressus: vt numerũ annorum in secunda & tertia captiuitate ad formã. 4. libri Reg. restituẽdum contenderet, ei ego nõ magnoperè repugnarim. Nam si in prima captiuitate Iosephum q̃ Rabanum sequi malis, non equidem improbabo. Ego autem, vt ingenuè loquar, nũquam mihi minùs q̃ in hac digressione placui, quanquàm magis adeò id argumẽti difficillimi explicãdi cupiditate, q̃ vlla alia culpa mea contigit: qui dum monere volo, numerorum quæstiones lubricas esse atq; difficiles, q̃ error in numeris facilis ac lubricus sit, mei penè sum oblitus: feciq; id repentino quasi motu percitus, quod ne meditatus quidem opere ad hoc instituto facturus eram: vt ijs de rebus, quæ maximi sunt negotij, inter refellendũ argumenta disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportunè, quod duodecimi argumẽti difficultas omnis in eo numero annorum sita est, qui. 3. Reg. lib. c. 6. præscribitur, ab egressione filiorũ Israël de Aegypto ad tẽplum à Solomone inchoatũ. Est autem in omnibus exẽplaribus Græcis, Latinis & Hebræis idẽ omnino numerus annorũ quadringẽtorũ octoginta. Quem numerũ exscribẽtiũ errore à vero esse immutatũ, hisce argumẽtis suaderi potest. *Primùm q̃ Iosephus lib. Iudaic. an. 8. c. 3. scribit, Solomoné templi fabricã exorsum esse annis quingentis nonaginta duobus postquã Israëlitæ ex Aegypto excesserũt: mille verò viginti annis postquam Abrahã in Chananæam regionem è Mesopotamia migrauit. Nam si quadringẽtis triginta, qui iuxta Exodũ à migratione Abrahã ad exitum Israëlitarum de Aegypto interfluxerunt, quingentos nonaginta addideris ab exitu ad tẽpli ædificiũ cœptũ: summa illa Iosephi relinquetur annorũ mille viginti, atq; adeò & vterq; sibi numerus et inter se vicissim ambo constabũt. Deinde Iosephus idem lib. 11. an. Iud. c. 4. Ante Saulũ & Dauidem, inquit, remp. Iudices administrauerũt. Qui reip. status plus q̃ quingẽtis annis durauit post Moysis & Iosue imperiũ. Non ergo ab exitu Israël de Aegypto ad initium templi. 480. solùm anni interfuerunt.

Sic Gebenius ac uerè ille quidem trãstulit. Numerus enim 502. qui habetur in uersione Ruffini ex scribẽtium errore est positus. Nisi Iosephus ipse secum pugnet lib. 11. c. 4. Vnde patet Sabellici error Ennea.

t. lib. 9. ubi vulgatũ ad tium scribe affirmat annum tum pli inchoati fuisse ab eo, quo filij Israël de Aegypto exierũt, quingentesimum.

Præterea, Moyses quadraginta annis imperauit. Erat enim annorũ octoginta cũ eduxit Israël, Exo. 7. & cẽtesimo vicesimo ætatis anno mortuus est. Deut. vltimo. Moyses. 40

Adde annos octo interregni, quibus Israëlitæ seruierũt post mortem Iosue regi Mesopotamię. Iudi. 3. Iosephus. 6. lib. an. c. 5. scribit hos fuisse duodeuiginti. Quorum octo seruitutis fuisse lib. 5. c. 7. tradiderat. Interr. 8.

Othoniel iudicauit populum quadraginta annis. Iudi. 3. Othoniel 40.

Adde duodeuinginti annos interregni, quibus seruierũt regi Moab. Iudi. 3. Interr. 18.

Aioth iudicauit populũ octoginta annis. Iudi. 3. Aioth. 80.

Adde viginti annos interregni, quibus seruierũt regi Chanaam. Iudicum. 4. Interr. 20.

Barac & Debora iudicarunt populum quadraginta annis. Iudi. 5. Bar. & Debora 40.

Adde interregnum septem annorum sub Madian. Iud. 6. Interr. 7.

Gedeon iudicauit populum quadraginta annis. Iudi. 8. Gede. 40.

Abimelech tribus annis. Iudi. 9. Abim. 3.

Thola viginti tribus annis. Iudi. 10. Thol. 23.

Iair viginti duobus annis. Iudi. 10. Iair. 22.

Interregnum decẽ & octo annorum sub Philistæis & Ammonitis. Iud. 10. Interr. 18.

Iepte sex annis iudicauit. Iud. 12. Iepte. 6.

Abesan septem annis. Iud. 12. Abesan. 7.

Helon decem annis. Iud. 12. Helon. 10.

Abdon octo annis. Iud. 12. Abdon. 8.

Interregnum quadraginta annorum sub Philistæis. Iudi. 13. Interr. 40.

Sanson. 20. Sanson viginti annis. Iudi. 16.

Heli. 40. Heli quadraginta annis. 1. Reg. 4.

Saul. 40. Saul regnauit quadraginta. Acto. 13. nã Iosephus lib. 6. anti. Iuda. c. postremo ait, illũ regnasse viuẽte Samuele annis duodeuiginti, post Samuelis mortẽ annis viginti.

Dauid. 40. Dauid regnauit annis quadraginta. 2. Reg. 5. & 1. Para. 3.

Solomo. 4. Solomon quarto anno regni sui templi fabricam cœpit. 3. Reg. 6.

4
574

Qui in summam redacti faciunt numerum quingentorum septuaginta quatuor annorum. Quibus si adijcias annos Iosue, Sangar & Samuelis, interregnum quoq;, quod inter Sanson & Helifuisse scriptura dicit, maior vtiq; summa q̃ illa Iosephi cõficietur. Plures igitur q̃. 480. anni ab excessu Israël de Aegypto ad tẽpli fabricam interfuerũt. Mendum itaq; in hoc scripturæ loco inest, suntq;, proinde ad veram rationem codices Hebraici, Græci & Latini corrigendi. Adhæc, si Græca omnia exemplaria fidem aliquam faciũt, vt in eiusmodi rebus ambiguis & numerorum ratione controuersa æquum est, Paulus certè post terram Chanaam filijs Israël sorte distributam tẽpus Iudicum vsq; ad Samuel quadringẽtis quinquaginta annis non multò secus definuit. Sic enim Græca habent. καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου καὶ ἐβασίλευσαν οἱ κριταὶ καὶ ὁ Σαμουὴλ ἔτη τετρακόσια πεντήκοντα. Quæ Erasmus ita conuertit, & deletis gentibus septem in terra Chanaam sorte distributo eis terram eorum, Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta dedit Iudices vsque ad Samuel prophetam. In eundem sensum Pagninus vertit, cæteriq; iuniores omnes interpretes. Nec enim Græca illa aliter reddi possunt. Quòd si quadringentis quinquaginta annis, quos Paulus Iudicibus à distributione terræ ad Samuelẽ impartitur, adda mus Moysis quadraginta, Saul item quadraginta, Dauid quoq; alios quadraginta & quatuor deniq; Solomonis: eandem profectò summam conficiemus cum ea, quæ paulò antè è certis scripturæ testimonijs confecta est quingentorum septuaginta quatuor annorum: vt nouum testamẽtum veteri omninò consentiat. Sed ait Caietanus, Græca omnia exemplaria & Latina esse vitiata: & Græcè τεσσαρακοντα non τετρακοσιοι Latinè tercentis non quadringentis esse legendum. Qui sic? Euincitur, inquit, quoniam aliàs non constabit numerus annorum, quẽ tertius liber Regum. c. sexto definit. Scilicet, quasi non in hoc cõtrouersia sit, an ille numerus an hic scribentium errore sit inductus. Numero sanè tertij libri Regum reliquæ omnes scripturæ dissentiunt. Numero Actorum Apostolicorum scripturæ consonant omnes. Non ergo hic sed ille numerus vitio librariorum est corruptus.

450
40
40
40

Alio. 13.

Confirmat autem hanc sententiam illud tandem, q̃ qui contrariam tueri volũt, numerumq; illum quadringentorum octoginta annorũ retinere ij tantum absurditatum in supputatione sua faciunt, vt vix audiri sine auriũ molestia possint. Nicolaus porrò & Abulensis, qui in scripturæ explanatione habentur insignes, vt summa illis. 480. annorum iusta cõstituatur, primum aiunt, annos Iosue minimè cõputandos, sed in Othonielis quadraginta includẽdos. Eodẽq; modo de Samuele iudicant, cuius annos similiter intra quadraginta Saulis includunt. Mox addunt, annos quibus Iudæi seruierunt regi Mesopotamiæ, alijsq; postea sequenti tempore regibus, eis annis includi, quibus terra quieuisse dicitur, vel etiam Iudex hic aut ille Israëlitis præfuisse. Vnum solùm annorum duodeuiginti interregnum in computationem adiscũt, vt cum tribus annis Solomonis summam. 480. annorum suo belle arbitratu conficiant. Sed, vt dixi, hæc computandi ratio multum omnino absurditatis habet. Vt enim omittam alia, ne in re nota & perspicua multus & insolens

Nico. 3. Rẽgũ 6. Abul. ibidẽ. q. 4. er. 3. lib. Iudi. q. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sim, illud ante omnia expediri velim: ecquo pacto interregnorum anni in eos redigi valeant & contrahi, quibus sub Iudicibus terra à prælijs dicitur quieuisse? Sanè in interregnis aut perpetuum Iudæis bellum contra inimicos fuit, aut seruitus sine Iudice misera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies. Præterea, ecquid de quadraginta annorum interregno isti dicturi sunt, quòd inter Abdonem & Sansonem scriptura commemorat? An. 40. illos annos in Sansonis viginti inclusuri sunt? An potiùs in Abdonis octo? Præterea, cur vnicum interregnum annorum decem & octo accipiunt, reijciunt cætera? Quòd si causam reddere nevnã quidem idoneam possunt, sanè aut interregnum hoc cum cæteris abijciant, & summa erit minor: aut cum hoc, vt par est, admittant reliqua: & summa erit maior. Adhæc, liber Iudicum explicatè docet, terram duce Iuda, qui successit Iosue, minimè quieuisse: sed multis bellis fuisse agitatam, quibus Chananæi ac Pherezæi victi oppressique fuerunt. Nam ductum Iosue prælijs frequentibus turbulentum extitisse, Iosue liber ipse manifestat. Cùm verò rex Mesopotamiæ Iosue Iudaque defunctis filios Israël pugna vicerit octoque annis seruire coëgerit tunc tempora pacata, quietamque terram describere? prorsus est à sensu communi alienum. Quòd si annos Iosue ac Iudæ, illos quoque, quibus rex Mesopotamiæ Israëlitas expugnauit & oppressit, in id temporis trahas, quò terra quieuisse dicitur: nonne turbidos & inquietos annos cum tranquillis quietisque confundes? Nonne etiam scripturę sacræ in aperta narratione vim afferes manifestam? Illa nimirum non obscurè refert, post mortem Iosue, post Chananæos Pherezeosque deuictos, post filios Israël per Othonielem à seruitute liberatos, terram quadraginta annis quieuisse. Quid Paulus? An non post Samuelem quadraginta annos Saulis regno impartitur? Qua ergo ratione Samuelis annos, in annis Saulis includemus? quos triginta octo fuisse Iosephus prodit, fuisse quadraginta prodit Paulus.

Iudi.3.
Actо.13.

Nulla ergo ratione, vt videtur, numerus ille quadringentesimus octogesimus defendi potest. Ab eo siquidem tempore, quo filij Israël terram promissionis incolere habereque cœperunt ad primum Iepte annum trecentos interfluxisse testis est Iepte ipse locupletissimus. Trecentis si addas quadraginta, quibus populus moram in deserto fecit, ac viginti annos Samuelis, qui ex primo libro Regum à quibusdam colliguntur, illos demùm, quos à Iepte ad quartum annum Solomonis antè numerauimus: eadem omnino summa constituetur, quæ bis suprà constituta est, quingentorum septuagintaquatuor annorum. Vt quoquò te vertas, & siue ex temporibus interregnorum ac Iudicum singulorum siue ex Pauli calculo atque ratione siue ex Iepte testimonio & inculpatæ defensionis iudicio verum certumque annorum numerum ab exitu Israël de Aegypto ad templi fabricam efficere pertentes: semper eundem illum inuenias quingentesimum septuagesimum quartum. Porrò autem qui numeri cuiusque summam exiguè nimis & exiliter ad calculos reuocare cupiunt, hi numerum eum verisimum ac rectissimum censent, quem plurimis confectis rationibus vndique constantem, cohærentem, consentaneum sibi cæterisque reperiunt, qui sæpè in vnum collati eandem prorsus summam efficiunt. His argumentis numerus ille, 3. lib. Reg. infirmari potest: qui tamen non modò omnibus exemplaribus, sed vniuersis auctoribus Latinis, Græcis, Hebræis consentientibus cõfirmatur. Verùm enimuerò in numeri huius summa tuẽda & conseruãda vix reperias præsidium aliquod omni ex parte munitum. Eusebius etenim, qui sine controuersia in ratione tẽporum diligentissimus est, hanc summam

1. Reg. 7. Iosephus lib. 8. an. 6. c. 12. traditq; Samuel primùm solus præfuit populo annis duodecim, deinde Saule regnãte annis 18.

480.

480. annorum defendit quidem, sed ita defendit tamen, vt defensionis ratio neglecta esse videatur. Principiò nanque decem annos Helon è quadringentesimo octogesimo numero exemit, quoniã septuaginta interpretes ait illum Iudicem omisisse. Quare coactus fuit viginti septem annos Iosue administrationi dare, vt quadringentesimus octogesimus expleretur. Quòd si decem annos Helon in. 480. numero includeret, cùm Iosue viginti septem attribuerit. 490. annorum summa conficeretur. Incidit autem in codices mendosiores. Nam complutenses eum Iudicem in. 70. versione habent. Codex quoque fuit illi similiter deprauatus in tempore, quo iuxta 70. Heli populum iudicauit. Scribit enim in. 70. interpretatione viginti annos inueniri. Atqui in Hispanensi τεσσαράκοντα, id est, quadraginta reperiuntur. Quem Eusebij errorem sæpè sum admiratus. Si enim. 70. interpretationem sequi libuit, cur quemadmodum decem annos Helon, ita & Heli viginti non ademit? Quòd si visum est Heli annos. 40. retinere, cur decem Helon à numero exemit? Illud etiam incommodi Eusebio accidit, quòd cũ interregna oĩa posteriorum Iudicũ tẽporibus includeret, videretq; ex illis quædã antecedẽtia ineptissimè sequentibus copulariteã rẽ traditionibus Hebræorũ attribuit, nè ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur. Circa annos verò Samuelis ac Saulis eodem in luto cum cæteris hæret. Ambobus cñ nõ plures q̃ quadraginta annos assignat. At totidẽ Paulus soli Sauli impartitur: Iosephº aũt Samueli soli duodecim, regnãte Saule duodeuiginti; Sauli post Samuelis mortẽ viginti. Quo in loco Beda magna me admiratione afficit, primùm q̃ sermonem permittit Paulo cùm vulgarem tùm etiam falsum. Deinde quòd ante Samuelem trecentos nonagintà sex annos Iudices præfuisse eorum librum indicare asserit: cùm in Iudicum libro non nisi trecenti trigintanouem reperiantur. Quare ad explendam summam illam necesse est Moysis quadraginta annos apponas, Iosue verò septendecim. At Iosue septendecim non ex historiæ aut diuinæ aut humanæ veritate, sed ex eorum opinione solùm habentur, qui ad summam illam. 480. annorum numeros quoslibet reuocare pergunt: idque vt faciant, non dubitant historias omnes contrà venire. Quid, quòd Iosephum Beda ait Samueli annos viginti Sauli totidem alios impartiri? Cùm quinquaginta ambobus sine dubio impartiatur, quemadmodum è locis ante citatis manifestissimè constat. Caietanus porrò via longè diuersissima ingressus est. Nam quadraginta annos quidem soli Sauli distribuit: sed vt summa illi. 480. annorum constet, Iosue annos decem septẽ verò Samueli dispertit. Quod præter historiæ fidem suo solùm arbitrio facit. Quid igitur? semper ego alienarum opinionum relator tantũ? Nunquã ne reponã? Sanè, & de meo aliqd exoluere lectori debeo, si quid tamẽ probati nummi exolui possit.

480. 13.

Actо. 13.

Primùm autem non existimo aut fidei aut religionis quæstionem esse, Num. 480. iste annorum numerus, qui in codicibus peruulgatis repetitur, librariorũ vitio scriptus sit, an potiùs idem ab auctore sacro in suo exemplari positus. Ostendimus eñ errorem in numeris promptissimùm esse atq; facillimũ. Ostẽdimus numeros quosdã in libris sacris exscribentium errore vitiatos. Ostẽdimus deniq;, multas esse causas cur hic, de quo agimus, 480. annorũ numerus corruptè esse inductus videatur. Atq; Iosephus & Sabellicus Hebræus vnus Latinus alter, eũ locum illum ex. 3. lib. re. c. 6. referrent, non. 480. annos, sed multò plures posuerunt. Incredibile autem videtur esse, Iosephum, si omnia Hebræa exemplaria. 480. numerum habuissent, ab illo certo ac præscripto numero discessurum. Nec Hugo cardinalis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum sententiam Iosephi retulisset, eam re probandam censuit. Non igitur si quispiam dicat, ab egressione filiorum Israël de Aegypto ad templum inceptũ quingẽtos annos, & eo amplius interfluxisse, ptinus refellendus est, quasi ea res ad fidẽ religionem vè pertineat. Illud deinde sentio, interregnorũ annos verè inter annos Iudicũ effluxisse. Itaq; nõ esse, quod Hebræi falsò tradunt, in temporibus vel priorũ vel posteriorum Iudicum computandos.

Quocirca Iosephus, qm̃ nõ ea solũ tẽpora, quibus Iudices præfuere, computare voluit: sed illa etiã, quæ in interregnis sine Iudice fluxerunt, verè summam quingentorum nonaginta cõfecit annorum. At auctor libri regum interregnorum annis omissis eos tãtùm redegit in numerũ, quos intellexit, dum Iudices administrarẽt, interfuisse. Anni ergo plures ab eo, quo Israel excessit de Aegypto, ad templi initia fluxere. Sed ducum, iudicum, & regũ non fluxere nisi quadringenti octoginta. Aduertendum quoq; ex ijs, qui populo à Moyse ad Solomonem præfuerunt, quatuor esse, quorum tempora nusquam scriptura vetus denotarit. Nempè Iosue, Sangar, Samuel, Saul. Nam reliquorum omnium certus annorũ numerus in ipsis est testamenti veteris libris designatus. E quibus summa colligitur annorum. 419. His si Solomonis adiungas tres, quarto enim anno tẽplum fabricare cœpit, reliqui erũt anni. 58. quos Iosue, Sangaro, Samueli Saulique dispertias.

Iosephus libro. 5. an. cap. 8.

Ac Sangar quidem, quoniam nondum vertẽte anno munere simul ac vita defunctus est, meritò ab huius numeri summa eximitur. Cùm verò Saulo Paulus impertierit quadraginta, dubium non erit, quin decem & octo sint inter Iosue & Samuelem distribuendi. At decem ne ex his Iosue, reliquos autem Samueli assignare oporteat, an contrà pauciores Iosue, Samueli plures: de hac re dubitari potest. Caietano illud placuit, mihi etiam idem visum est. Quoniam Iosepho alijsque probatis historicis lõgior Ductus Iosue fuit quàm Samuelis Iudicatus. Nec nostræ huic opinioni contrarium est, Arcam sub Samuelis tempora in Cariathiarim viginti annis permansisse. Non enim his viginti annis, quod quidam falsò existimarunt, Samuel plebis Israëliticæ iudex erat, sed propheta. Quin scriptura ipsa satis, nisi ego fallor, apertè significat: post vicesimum illum annum cœpisse à Samuele populum iudicari. In Iosue autem tempore computando ita magna auctorum varietas, & discrepantia est, vt nulla ex parte historiæ labefactetur auctoritas: si vbi variæ sunt historicorum discrepantesq; sententiæ, ibi nulla eorum premi nos vrgeriq̃ patiamur. Iosephus Gelenio interprete Iosue viginti quinque annos annumerat. Eusebius viginti septem. Beda, Ioannes Lucidus, alijque nonnulli septemdecim impertiunt. Caietanus decem. Quamobrem cùm nos decem & octo Iosue Samuelique dispertiendos dicimus, nihil sanè absurdi dicimus. Quanquam ratio subest, vt sine scripturæ veritatisque discrimine octo aut nouem alios annos his duobus iudicibus adiungamus. Quidita? Nonne hisce vel octo vel nouem adiunctis anni plures quàm. 480. efficientur? Efficientur vtique. Falsum ergo erit, inquies, anno. 480. ex eo, quo Israël de Aegypto exijt, templum ædificari cœptum. Minimè gentium. Quin vtrunque verum esse nihil obstat. Scriptura enim minutos numeros præterire aliquando solet. Cuius rei exemplum paulò antè posui vide Annus ex. 4. regum lib. cap. 24. Vbi decem mille Iudæi dicuntur esse translati: quibus tamen Iosephus octingentos triginta duos adiecit, imò & Hieremias, quemadmodum est nobis supra explicatum. Atque scriptura Ionæ post. 40. dies ita Niniue subuertendam: & tamen septuaginta interpretes. 43. Græcis literis prodiderunt, qui reuera ab initio prædi

id tẽpus referendũ esse, quo mortuus Samuele ingnauit. Acto. 13. 1. Re. 7. Abulensis.

Lib. 5. de gest. ciui. lib. cap. 24.

prædicationis Ionæ computantur, hos verè tres sacer auctor omisit, qui à toto triduo illa semper verba propheta intonabat, Adhuc. 40. dies. &c. Quãuis ab initio, si Niniue subuerteretur. 43. erãt interfluxuri. Quòd autem. 43. dies septuaginta interpretes scripserint, auctor est Iustinus in dialogo cum Tryphone. Quia verò Augustinus nõ. 43. sed. 3. solũ legit, difficulter se ex hac. q. extricauit li. 18. de ciui. c. 44. Quę ea dẽ causa erroris Hieronymo fuit. Si enim in. 70. non triduũ, sed. 43. dies ipse legisset, omnis admirandi occasio cessasset. Sic ergo licèt plures fuerint quã. 480. anni, quia tamẽ non ad. 490. accesserũt: rectè suo more scriptura dixit, annos. 480. interfluxisse. Id si probabile est, vt est certè, iã viginti septem annos Iosue & Samueli poterimus impartiri. Samueli decẽ, septẽdecim Iosue, quos huic Beda alijq; viri graues impertirũt. Sed valeãt istæ numerorũ tetricæ salebrosęq; quęstiones: in quibus poterã ignorantiã meã simpliciter confiteri, & omne curiosorũ hominũ desideriũ contemnere. At leuioris culpæ arbitratus sum, in explicanda difficillima argumentatione tam multa fusè, quàm omnino nihil dicere.

Tertiumdecimũ argumentũ parua difficultate nos implicat. Nec enim historias omneis tueri est animus, quę passim in ecclesia lectitãtur. Video tãtũ vulgi nõ solũ in laicis, sed in ecclesiasticis etiã esse, vt eas quoq; fabulas oppidò q̃ libenter excipiãt, quas iam diu ecclesia explosit. In his certè pontificũ non diligẽtia modò, verumetiã prudentia desideratur. Quidã nãq; dũ reduuiã curãt, capiti incõmodãt. Videlicet historias graues pro apocryphis reddunt quidẽ, sed diuinũ ecclesiæ officiũ vsq; eò præter solitum immutant, vt vix vlla antiquæ religionis forma in cotidianis precibus relicta esse videatur. Qua ex re q̃ multa & magna mala ecclesiæ dei accidãt, nõ est huius loci, & tẽporis dicere. Sed esto, quæ dã in publicis ecclesiæ precibus habeãtur ambigua, quædam etiã falsa. Nũ idcirco historijs ecclesiæ omnibus fidem abrogare perges, quòd nõnullæ earũ sint vulgo iactatæ & creditæ, in quibus, præsertim quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperias fortasse plura, quæ iure ac meritò reprobẽtur? Mihi profectò illud Gelasij cõ *15. d. sãcta Romana.* siliũ placet, vt cũ huius generis historias catholici legerint, beati Pauli sentẽtia præcedat, Omnia probate, q̃d bonũ est tenete. Atqui irridere eos, de Theologis scholæ ludere, in monachorũ imperitiã insultare, quasi fabulas huiusmodi vẽtris gratia rudi vulgo inferãt & intrudant: hęc nõ puto equidẽ hominis ingenui esse, qui ad bonitatẽ fuerit à natura cõpositus, nedum eius quẽ Christus simplicẽ sicut colũbam ad lẽ euãgelij formauerit. Quòd si ex quibusdã fictis falsisq; narrationibus historias gẽtium æstimemus: nulla oino erit, quã nõn similiter illudamus. Id si hominũ imprudẽtiũ atq; adeò stultorum est: maneat, diuorũ gesta, quæ in ecclesia legi solẽt, despici nullo modo oportere. Quanquam nonnulla ex his incerta sunt, apocrypha, leuia, falsa. Nam & pleraq̃ credibilia ac vera sunt, quædam etiam certa. De tertiodecimo autem argumento hactenus.

In quartidecimi argumenti responsionem multa sunt breuissimè animaduertenda. Primùm in maximo illi errore versantur, qui rerum gestarũ memorias tanquã ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in epistolis, & decretis suis pontifices aliquando vsurparint. Nõ est idẽ, mihi crede, historiæ approbatio & vsurpatio. Vtitur quidem interdum pontifex, si quicquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententijs, rebusq; vulgatis: at non continuò quæcũq; in hunc vsum attulerit, ea fidei apostolicæ iudicio probat. Aliud quippè est suadẽtis munus, aliud diffiniẽtis. Qui pronunciat, res veras ille adfert: q̃ suadet, nõnunquã etiam verosimiles. Audiebã de præceptore meo puer, nullũ oino argumentũ esse negligendum, in quo aliqua significatio veritatis appareat. Amplectendum aũt esse ita vnũ quodq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

quodque maximè, vt quodq; ad faciendã fidem erit aptissimum. Ad cuius præcepti formam nó modò dialectici & oratores, sed veteres etiam theologi suas disputationes effinxerũt. Nam in causam suã quisq; & quibuslibet argumentis quandoque abusi sunt, & vulgi etiam credulitate. Itaq; imprudentium hominum erit, historias quasuis obiter etiam, & ad præsentem causam à pontifice adductas non aliter amplecti, atque eas quæ sint ecclesiæ certo iudicio comprobatę.

Quod deinde ad Cõstantini donationẽ attinet, de eo nõ libet in presentia disputare. Disputent alij, q̃bus cordi fortè est Romanæ ecclesię maiestatẽ amplitudinẽq; minuere. Laurentiũ Vallã scimus integro libro aduersus receptã cõmuni opinione sẽtentiã declamasse. Iurisperiti, quę vulgò circunferuntur eius donationis formula, eã cõmẽtitiã esse satis indicant, cũ Paleæ inscriptione denotãt. Eusebius, Ruffinus, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Eutropius, Victor, cæteriq; probæ fidei auctores, qui oĩa Constãtini gesta scripsere diligentissimè, nõ modò nullã donationis eius mentionẽ faciũt, sed tradunt etiã orbẽ Romanũ sic inter tres illius filios distributum, vt Italia vni eorũ tota contigerit. Ammianus Marcellinus lib. 15. Constantiũ vrbis dominationẽ habuisse, & Leontiũ præfectũ ibi constituisse, auctor est. Nõnullos deinceps imperatores Italiæ atq; adeò Romæ imperasse oẽs historici memoriæ prodiderũt. Hæc & alia eiusmodi quis ignorat? Verũ quid refert à Cõstantino facta ea donatio sit, an à principibus posterioribus? Fictam & commentitiam fabulã dicunt à Nicolao Clementeq; prolatam. Quasi verò pontifex aut factam eam donationem suo decreto definiat, aut vrbem eo solùm titulo defendat. Negant donatam à Constantino vrbem esse: quanquam nequeũt probare id quidem. Sed quæro, quòd donatam negãt, ea si nõ donata esset, quidnã facerent? An vrbem Cæsari concederent? Vrgent rusticè sanè. Negant enim donatam esse, & in eo perstant. Nos verò tanquã tormenta quædã adhibemus. Vt si responderint, quòd donata à Constantino nó est, idcirco ad ius nunc Cæsaris pertinere restultos se esse fateantur. Potuit enim donare alius. Potuit quoq; Romanus pontifex vrbẽ iusto alio nomine possidere. Certè longi tẽporis præscriptione potuit. Sin negauerint ius omne Cæsari in vrbẽ, omnia, quę de Costãtini donatione disputãt, vana esse concedant. Sed iam, ne nos vanitidem simus, reliqua persequamur. Lepra Constantinũ laborasse, apud idoneos auctores nusquam legi, sed eius nominis aliũ cognomento Copronymum. Vnde fortasse ambiguitate vocis error inductus. Nisi rumor iste de lepra inde ortus videri possit, quòd Bizantio ad aquas calidas valetudinis gratia eum egressum ferunt. D. Thomas. 3. p. q. 69. in. 4. argu. historiã vulgatam sumit, atq;, vt videtur, probat. Caietanus non item. Habet hic auctores suos Platinam in vitã Marci, Ludouicum Viues lib. de cor. disc. 2. Alciatum lib. parerg. 7. c. 19. qui apertè negant. Habet scriptores oẽs veteres eius ætatis, q̃ tacuerũt nõ omissuri si sciuissent, scituri omnino rẽ si fuisset. Nã quod nomine Cõstantini circũfertur edictũ, tametsi Niceno cõcilio adiũctũ est, nõ tamẽ habet concilij auctoritatẽ. Hęc illi. Ego hæc nec p̃ certis affirmare ausim, nec pro falsis refellere. Syluestri acta, in quib⁹ ea res gesta cõmemoratur, Gelasius nõ reprobat. Refertur eadẽ in synodo Romana sub Syluestro canone. 1. in septima rursus synodo act. 2. Eandem deniq; Nicephorus li. 7. c. 33. vt verã historiã refert. Quocirca Põtifices duos Clementẽ ac Nicolaum aut diuũ etiã Thomã, in eo q̃ ea historia vsi sũt, nec ridere iure possumus, nec arguere. Quãuis, vt dixi, lepræ Cõstantinianę testis grauis, & p̃batus ex veteribus⁹ nemo est. Itaque, si negemus, nec pontificũ nec historicorum auctoritatem labefacimus.

Distin. 96. c. Constantinus.

15. d. Sancta Romana.

De baptismo historici quoque ipsi nobilissimi variè loquuntur. Hieronymus in Chronicis, Eusebius lib. 4. de vita Constan. Socrates lib. 1. histo. luę cap. 39. Theodoritus lib. item. 1. cap. 31. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Casiodorus qui historiam ab his tribus ecclesiasticam compilauit. Pomponius lætus alijq; scriptores huius ordinis Constantinum tradunt non Romę à Sylueſtro, sed Nicomediæ ab Eusebio episcopo, & quidem Ariano sacrum baptisma suscepisse. Cõtrà Damasus in libro põtificali tradit illum Romæ à Sylueſtro sacris lustricis ablutum esse. Cui omnino cõsentiunt Marianus Scotus, Sabellicus, Platina in vitam Marci. Nicephorus lib. 7. ca. 35. & lib. 8. cap. 54. ne D. Thomam, Nicolaum, Clementem, duas deniq; Synodos in huius rei testimonium repetamus. Atque Nicephorus in hac re asseueranda, & contraria opinione refellenda oratione sanè quàm acri vsus est. Ita enim suam de baptismo Constantini sententiã ecclesiæ cõsensioni tribuit, vt aduersam Arianorũ cõmẽtis assignet. Quiin oriente, inquit, olim Arianæ sectæ fuere, Constantinum Nicomediæ ab Eusebio eius vrbis episcopo iã moriturum baptismum suscepisse, prodiderunt: propterea cum sacrum lauacrum distulisse dicentes, quòd id in Iordane perficere voluerit. Id verò ex eo facilè refellitur, quòd ecclesia à Sylueſtre eum Romæ baptizatum esse certò prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, vt hoc sic etiam tutò, & opinentur & credant.

Haymo in epitome eccl. hist. lib. 2. cap. 7.

Ariani enim malè sentientes animo, & cõsilio diabolico hoc confinxerũt non Romę baptizatum eum esse asserentes, aut fortasse eadẽ cum illis sensisse astruentes, perinde atq; ab ipsis propterea baptismi gratiam susceperit. Quod absurditatis, & mendacij plenũ est. Quòd si nondum sacri lauacri particeps fuit, cõsequitur, eum neq; in Nicæna synodo cũ patribus congressũ esse, neq; cũ eis mysteria participasse: sicuti historia tradit. Hæc ille. Et paulò antè. Quòd autẽ Romæ à Sylueſtre lacratus sit, satis ostẽdit baptisteriũ quod ad hoc vsq; tempus eius rei gratia in testimoniũ certissimũ Romæ asseruatur. Quæ duæ profectò rationes efficiunt, vt nó temerè ijs accedam, qui Constantinum Romæ sacro tinctũ lauacro ferunt. Quòd si baptisterium tam insigni structũ apparatu, si rerum veterũ publica commemoratio nõ solũ habi tantiũ animis, sed lapidibus etiã insculpta nullũ nobis argumentũ est: iã iamq; nó dico quæ vetustatis in vrbe moniméta sunt: sed quæ sunt in orbe maiorum traditione recepta: ire ea oĩa inficias poterimus: quanuis indicia extent rerum, locorum, tẽporũ manifesta. Ac nisi priùs baptismi fuisset fõte sublatus, quĩ credi potest, Constãtino episcopos aut culparum, & querimoniarũ libellos obtulisse, aut, vt synodo & disputationibus interesset, permisisse? Baptizatus ergo ante synodũ Nicænã fuerat Cõstantinus. Vbi hæreticorum industriã ac diligentiã in propaganda secta mirari satis nõ queo. Omnia quippè illi sus deq; miscent, vt viri pietate insignes, præsertim si reges aut imperatores sunt, ipsorum partes fouisse videantur. Tãta verò arte id efficiunt, vt doctos etiam viros, nedum imperitos fallant. Eusebius porrò Pamphili, vel quia Eusebio Nicomediẽsi cæterisq; amicis credulum se præbuit, vel quia sectam, cuius apertissimus ꝓpugnator erat, hac laude & gloria voluit ornare: eius fabulæ primus auctor Christianis fuit. Huic enim scribenti Hieronym⁹ ac reliq; auctores crediderũt. Sed de Eusebij fide plura postea. Nã Constantiam Cõstantino fratri Arianũ presbyterũ insinuasse, à quo vir religiosissimus seductus sit, hoc vt credam, quantum Constantiæ leuitas, & inconstantia mouet, tantum Constantini pietas & grauitas remorantur. Ac si presbyter ille Arianus pium aliãs imperatorem quidem, sed potestate, diuitijs, honoribus, triumphis, meritis, secundis deniq; rebus omnibus insolentiorem factum decepit, vt Arium reuocaret, Athanasiũ repelleret: viris etem̃ bonis in re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in rebus eiusmodi facilè imponitur, non tamen adeò in errore processisse credendus est, vt Ariano ritu alterum baptismũ Nicomediæ susciperet. Quanquam sunt qui existiment, qui per sororem falsum in fide Constantinum prodũt, eos falsos nominis similitudine id patri attribuisse, qđ filij scelere patratum est. Verùm siue hoc modo siue alio res habeat, illud tenẽdum est, neruos atq; artus esse sapientiæ non temerè credere: ijs præsertim historicis, qui quoniam fidem diuinam violarunt, fidei humanæ auctoritatem amiserunt. Sed de his capite sequenti accuratiùs disseremus.

Qui sint probatæ fidei auctores qui contra non sint.

¶ Caput sextum.

Cap. tertio.

QVatuordecim argumenta superiore capite sigillatim refutata sunt. Nũc quintumdecimum. 16. & 17. refelli oportet: quoniam hæc tria vnumatq; idem exquirunt, quod suprà sumus quidẽ in quadripartita diuisione polliciti, sed cogitationibus multis varijsq; distenti, tertium eius diuisionis membrum voluntaria quadam obliuione cõtriuimus. Quis enim auctor historiæ probatus sit, tertio loco me scripsi dicturum: nec exolui quod promiseram. Quin operis instituti penè immemor factus sum. Eam quippè rẽ nitimur ferè homines, aut ex memoria deponere, aut diu multumq; protrahere: quam non libentes & voluntarij, sed inuitè & repugnanter agredimur. Atqui licèt non constituto tempore & loco, reddam tamen in præsenti, & cum fœnore fortasse reddam, id quod me debere non inficior. Antea verò quàm de historicis vtrisq; & ecclesiasticis & profanis sententiam meam dico, illud est operæ pretium quærere: sint ne regulæ aliquæ, & quidam historiæ quasi indices, quibus historici cuiusq; fides ac veritas exploretur. Nam Ioannes Annius tres regulas ponit, easq; Metasthenis testimonio confirmat. ad quas omnes Chronicorum libros expendere, & examinare haud secùs atque ad Lydium lapidem debeamus.

Prima, inquit, regula est ista. Suscipiendi sunt absq; repugnantia omnes qui publica, & probata fide scripserunt. Secunda. Gesta & annales quatuor monarchiarum non possunt negari & reijci ab aliquo, quia solùm publica fide notabantur: & in Bibliothecis aut archiuis seruabantur. Vnde & in Esdra legimus, quòd controuersię de reparando templo diffiniebantur ex annalibus Persarum seruatis in bibliothecis. Tertia regula. Qui solo auditu, vel per opiniones scribunt, hi tanquam priuati recipiendi non sunt, nisi vbi à publica fide nõ dissentiũt. Ex quibus colligit, quòd nemo in Chronicis suscipiẽdus est, nisi annalibus quatuor monarchiarum concordet. Et in monarchia quidem Assyriorum, quia publica fide scripsit Berosus Chaldæus, consequens est, vt in temporibus eiusdem monarchiæ ipsi detur palma: & hunc secutis item ex Persis Metasthenes, ex Græcis Xenophonti in æquinoctis, & Archilocho & Eusebio. Reijciuntur à temporibus huius monarchiæ ex Græcis Herodotus, Hellanicus, Acusilaus: ex Latinis Iustinus, Gellius & Orosius, qui cõtra publicam, & probatam fidem scripserunt.

In secunda verò monarchia Persarũ & Medorum auctor publicæ fidei fuit Metasthenes Persa, & Ctesias Gnidius, vt in tertio libro Diodorus notauit. Reijciũtur Iosephus ex Hebręis: et Clemẽs, Tatianus, Africanus, & Eusebius ex Græcis. Quia priuatas opiniones secuti, contra publicã fidem notant reges & tempora, quæ in bibliothecis, & annalibus nõ fuerunt: & cõtra omnem publicam fidem scribunt, Cyrum ante dedisse licentiam Hebręis in Babylone captiuis & mortuum, quàm Babylonia Darius eius patruus potiretur. Proin de

deidem Eusebius, quoniam in tertia monarchia Græcorum, & in quarta Romanorum publicam annalium fidem sequitur, in vtraq; recipitur. Recipitur & Philo Hebræus, qui solus habuit Chronographiam omnium quatuor monarchiarũ: & ideo solus ipse in tẽporibus ex Hebręorum scriptoribus recipitur. Qui non per opiniones, vt Iosephus, sed etiam. 70. seniorum testimonio vsus certissima scribit. Hæc Annius in. 11. &. 14. lib. hoc est, in Metasthenem Philonemq; suos censet: fidẽ ter sanè, vt solẽt isti, nihil tam verẽs quàm ne dubitare aliqua de re videretur. Sed videndum nobis: an in censura hac quantum securitatis est, tantum sit etiam veritatis. Nec verò libenter nos scriptorum, præsertim familię nostrę, vitia detegimus. Sed in publica studiorum causa nullo modo præuaricandum erat. Cùm viderem itaq; viros quosdam eruditos in his Annij præceptis, & exemplis hallucinari necessarium existimaui, & regulas vanas esse ostendere, & falsa item regularum exempla. Principiò igitur affirmare videtur Annius in quatuor tantùm monarchijs scribas certos haberi solitos: quos resp. in id constituerit, vt gesta temporaq; notarẽt. Horum annales in locis tutis asseruari. Quemadmodum in benè instituta ciuitate videmus, quæ instrumenta scripturarũ publica à tabellionib⁹ obsignata custodię tutæ committit. Verùm illud non in quatuor solùm monarchijs, sed in Phœnicũ, Aegyptiorumq; rep. fieri solere, Iosephus auctor est. 1. contra Appionem Alexand. libro. Nec omnes quatuor illę monarchię huiusmodi rerum gestarum scribas, & annales publicos habuere: quibus rerum tẽporumq; lites, si quæ essent exortæ, finirentur. Græcos siquidẽ hisce, & scriptoribus & annalibus caruisse, multò probabilius est. Sanè ante olympiades Eusebius scribit, Græcam de tẽporibus historiam falsam credi: quòd, vt cuiq; historico visum est, diuersas Græci sententias protulerũt.

Nisi forte Annius sẽtit gesta ter annos quatuor monarchiarũ non à primis scriptoribus sed ab vltimis, quibus resp. id muneris commisisset.

Qui omnino sensus & falsior & absurdior est.

Constat siquidem in omni monarchia primator

At post olympiades non asserit eius generis annales à destinatis reip. ministris ad scriptos extitisse: sed id asserit, ex eo veram de temporibus Græcorum historiam credi: quo olympiades in vsu esse cœperunt. Ac Marcus Varro, apud Censorinũ libro de natali die capite. 17. non aliud tradit, q̃ quod Eusebius accepit, ante olympiades tempus μυθικὸν, hoc est fabulosum extitisse: quia in eo multæ fabulæ referuntur. Cũ olympiadibus verò cœpisse historicõ: quòd res eo gestæ veris historijs contineãtur. Itaq; post olympiades Græci res verè gestas scribere orsi sunt, habitaq; est deinceps apud eos quædam historiæ ratio, temporum conuenientia, & historicorum nonnulla consensio. Atqui Græcorum remp. certos historiæ administros ex eo tempore constituisse: dicere Annius poterit: probare non poterit. Quin è contrariò Iosephus bonus in primis auctor scribit, Græcos nihil firmiter scientes tradidisse, sed quod vnusquisq; ait, opinatus est: hoc studuit explanare. Vnde etiam libri se inuicem arguunt, & in multis Hellanicus ab Acusilao discrepat, Hesiodum corrigit Acusilaus, Ephorus Hellanicum in plurimis ostendit esse mendacem, Ephorũ verò Timæus, Timæum qui post illum fuere, Herodotum verò cũcti. Sed neq; de Siculis rebus qui eas conscripserunt, neque rursum de Atticis hi qui Atticas, neq; de Argolicis qui Argolicas memoriæ prodidere, cõsentiunt. Nam & Thucydides in multis etiam tanquam fallax accusatur, licèt scrupulosissimam sui temporis historiam scripserit. Causa verò huius dissonantiæ ea præcipua est, quòd non fuerit studiũ apud Græcos publicas de ijs, quæ semper aguntur, proferre conscriptiones. Nõ enim duntaxat apud Græcos alios publica conscriptio est neglecta: sed neq; apud ipsos Athenienses disciplinæ cultores aliquid huiusmodi reperitur. Hactenus Iosephº. Qua ex re liquet falsò Anniũ Iosephi testimonium vsurpasse: vt probaret publi

quosdã historicos etiam fuisse. Nam, vt de Græca Romanaq; taceamus, in quibus ea res verti in dubium nõ potest: Diodorus in. 3. Ctesiam alios q; de rebus Babylonicis disserpantes inducit, nec hos Ctesiæ nec his Ctesiam præferendo. Quod certo indicio est nullum eorum publica auctoritate scripsisse. Primo contra Appio. Alex. libro

Universidad de Deusto
Biblioteca

cos Græcorum annales in templorum bibliothecis custodiri. Nihil enim tale Iosephº argumẽtatus est, quale illi tribuit Annius. Sed hoc argumẽtatur, q; à Cadmo literas Græci se accepisse gloriãtur, id persuadere illos non posse: cùm nulla inscriptio vel in templi parietibus, vel in vasis, statuis, cæterisvè donis templo dicatis ex eo tempore relicta sit. At in his tamẽ post literas inuentas aut deorum, quibus ea dona offerebantur, aut offerentium nomina semper inscribi sunt solita. Plutarchus quoque auctor, & ipse grauissimus affirmat, nullos sua ætate publicos Græcorũ annales extare, præter nuncupatos canones temporales, quorum auctoritas parũ apud eum valet, quòd multarum rerũ inuenta in ipsis repugnãtia tolli nequiuerit, quanuis in ea re plurimi multum operæ studijsque posuerint. Vanum igitur & cõmentitium est, in Græcorum regno & monarchia post olympiades eiusmodi historicos publica auctoritate diffinitos destinatosque fuisse. Illud autem vanius in hac monarchia solos Philonem atque Eusebium accipere: qui publicos probatosque annales fuerint secuti. Etenim Eusebius si eam auctoritatem suis Chronicis posset adiungere, nullo modo reticuisset: se huiusmodi annalibus inhærere. Philo verò Iudæus nec quatuor monarchiarũ annales habuit, quod illi falsò sineque ratione ac testimonio tribuit Annius, nec si habuisset: quicquam nobis attulisset cõmodi. Nulla enim Philo aut rerum gestarum aut temporum monumenta reliquit. Nam libellus, qui de temporibus inscribitur, cùm fabularum plenus sit: nullius grauis auctoris est, nedum Philonis. Auctor certè eius libri non solùm mendacia consectatur, sed adeò etiam historiæ rudis est: vt solos Hebræos nec præterea quenquam de profanis scriptoribus legisse videatur. Sed hoc, nec ita multò post, satis abundè ostendemus. Nunc de Romanorum quoque annalibus pauca dicantur.

In uitam Solonis.

Quibus fuisse publicos annales olim, Cicero in secundo de oratore libro auctor est. Ab initio, inquit, rerum Romanarum vsq; ad P. Mutium Pon. Maxi. res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex Max. efferebatq;, in albũ, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, ij qui etiam nunc annales maximi nominantur. Primo itẽ de legibus lib. inducit Atticum sic loquentem, Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse* nudius, si aũt ad Fabium aut ad Catonem aut ad Pisonem venias: tamen quid tam exile q̃ isti omnes? Annales igitur isti pontificum maximorum à tempore. P. Mutij intermissi sunt: illisque in historia Cato, Fabius Pictor, Pison alijque succedere graues omnino auctores quidem, sed sine publica auctoritate tamen. Nec verò audiendi sunt, qui huiusmodi Pon. Max. annales post. P. quoque Mutium continuatos asserent, quòd hoc loco apud Ciceronem Atticus eos se vidisse significet. Videre autem nullo modo potuerit, nisi essent continuati: cùm Liuius priorum temporum pontificios annales incensa à Gallis vrbe interijsse dicat. Non enim interijsse dicit omnes, sed plerosque. Qua ex re nõ fit, vt si in Liuij manus annales isti pontificij nõ venerunt, q̃n rari ex incẽdio relicti sunt, ne in manus quidẽ Attici peruenisse existimemus, quibus quærendis maiorem fortè diligentiam, & curam adhibuit quàm Liuius. Quanquam codices eiusmodi non semper hominum diligentiæ obueniunt, sed fortunæ. Annalium igitur Pon. Max. post Pub. Mutium facta intermissio est. Etenim si ea Pontificum diligentia perseueraſſet, aut annales isti publici in bibliothecis templisque deorum extarent: nec tam multis locis animi penderet Liuius, & annalium incertitudinem causaretur, nec adeò sæpè in notandis cõsulibus consulumque etiam annis erraret. Nam errasse Enricus Glareanus perquàm diligen-

Alij iuuẽdius legũt, sed perperam & ad sensum Ciceronis parũ apte.*

diligenter ostendit: dubitasse de personis frequentissimè Fabius Quintilianus ait. Ac deca. 1. lib. 6. Liuius ipse, quæ à condita vrbe Româ ad captam eandem à Gallis vrbem, id est, ad olympiadem. 97. quinquaginta libris expositerat, ea obscura & parum cõstantia queritur: tum quòd perrarę per eadem tempora literæ fuerint, tum quòd etiam si quæ in commentarijs Pontificũ alijsque publicis priuatisque erant monimentis, incensa vrbe pleræque interierint. Et rursum in. 8. lib. posteaquam historicorum Romanorum varias discrepantesque sententias posuit: nec facile est, inquit, aut rem rei aut auctorem auctori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis: dum familia ad se quæque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certè & singulorum gesta, & publica monimenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur. In libris quoq; 9. & 10. vt loca alia prætermittam, satis ille apertè docet: quàm nullos habuerit certos probatosque annales, quos in scribendo sequeretur. Dionysius etiam Halicarnaseus se eiusmodi annales publicos minimè consecutum haud obscurè significat. Cùm enim historiæ suæ fidem conciliare cuperet, & veteres scriptorum Romanorum historias se consuluisse testaretur: eorum vel maximè, qui grauissimi, & nobilissimi fuerint habiti: horum tamen annalium publicorum nullam omnino mentionem fecit, facturus sine dubio, si adeò magnam ac certam auctoritatem suo posset operi adijcere. Quid multa? Iulius Cæsar, auctore Tranquillo, inito consulatu primus omnium instituit: vt tam senatus quàm populi diurna acta conficerentur & publicarẽtur. Quò Satyricũ illud attinet. Cupiet & in acta referri. Plinianum itẽ illud, Milone causam dicẽte lateribus coctis pluisse in eius anni acta relatum est. Veterem ergo Pon. Max. morem, qui iandiu fuerat interruptus, Iulius Cæsar primus omnium renouauit. Nec me præterit, Romanis quondam libros quoque linteos fuisse: qui nihil ferè præter consulum, & magistratuum nomina cõtinebant. Sed neq; hos Liuius vidit: quoniam incensa vrbe fortè hi etiam perierunt. Neque ita horum auctoritate permotus est, vt non eos interdum ab alijs citatos neglexerit. Quin Macrum Licinium cum libris linteis suis aliquando coarguit. Imò verò & Tuberonẽ, & Licinum refert indiscrepanti opinione vtrũque libros linteos protulisse. Vt intelligas libris istis linteis quàm tenuem & exilem fidem haberet Liuius. Quibus ex rebus facilè Annius refellitur, qui circa finem commentariorum in Philonem suum astruit, Titum Liuium publicos annales Romanæ monarchiæ secutum esse, huiusque Philonem vestigijs institisse. Vbi multum omnino de gradu Philonem suũ deijcit: qui si publicos omnium monarchiarum annales habuit, vt paulò antè Annius dixerat, imprudenter sanè ac leuiter Liuium secutus est: quem constat, primùm nullos publicos annales habuisse: deinde in plerisque dubitasse, demique errasse in nullus, & ita errasse: vt errorum quorundam ab alijs euincatur, quorundam ipse etiam se arguat. Nec patiar vt quisquam mihi Flauium Vopiscum Syracusium opponat, qui in vitam Probi fatetur, se vsum libris ex bibliotheca Vlpia, registris etiam scribarum porticus porphyreticæ, actis demum senatus ac populi. In vitã verò Aureliani scribit, Aurelianũ in libris linteis, qin Vlpia bibliotheca erant, vt quotidiana sua acta scriberentur præcepisse. Multò verò minùs illud feram, vt mihi Diodorus opponatur, qui in primo libro asserit ex veteribus annalibus gesta se ac duces Romanorum cognouisse. Flauius quippè nihil nisi libros linteos restitutos diligentiamque Pon. Max. non

Vide deca. 3. lib. 9.

In uitam Iulij Cæsaris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

antiquam illam, sed à Iulio Cæsare primũ instauratam affert: Diodorus autem non affirmat se publicos Romanorum annales nactum esse, sed [illegible]res. At hi rin priuatis monumentis esse potuerunt. Nihil igitur afferunt, qui in Græcorum Romanorumq; monarchijs publicos fuisse annales aiunt: ad quos cæteras oporteat historias reuocare, vt si ijs consentiant, approbentur, reprobentur, si dissentiant. Ostensum est enim, nullos neque è Græcis neque è Romanis publicos annales extare: atque adeò nullos auctores esse, qui secundùm eiusmodi annales Græcorum Romanorumque scripserint aut res gestas aut tempora. Nisi fortè in vno aut altero loco auctor quispiam affirmet, se eam rem, quam scribat, ex libris linteis aut elephantinis actis vè publicis excepisse. Atqui ex vna parte de tota historia iudicare stultissimum erat. Præterquàm quòd si quis suam historiam dicat publicis huius aut illius monarchiæ annalibus consentire: non continuò publicam eius monarchiæ auctoritatem habet. Alioqui facile ac promptum cuique erit ad omnem etiam fabulam legentium conciliare vno mendacio dicendo fidem. Id quod Philo historicus apud multos obtinuit: qui in historijs suis omnia tempora quadrasse ad veros quatuor monarchiarum annales plerisque sine omni & ratione & testimonio persuasit. Historicum dixi nam verus ille Philo grauissimus philosophus idemque theologus eruditissimus vt ab impudẽtia & mẽdacio, ita quoq; ab historia scribẽda alienus fuit. Eusebius cũ Hieronymus ac Suidas, qui Philonis opera diligentissimè enumerarunt, nullũ opus habent, in quo Philo res gestas regni cuiusquam temporaque notarit. Ita doctis omnino viris liber ille de temporibus inscriptione planè ementiente videtur esse suppositus. Quæ res manifestus quoque argumentis euincitur. Primum illud est, quòd libelli cius auctor scribit: stirpem Salomonis in Ochozia defecisse, & Ioas, qui illi in regno successit, non de Salomonis, sed de Nathanis fuisse progenie. Quòd quàm falsum sit, è sacris literis facilè patefiet. Quartus enim libri regum capitis ita legitur. Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium suum interfecit omne semen regium. Tollens autẽ Iosaba filia regis Ioram soror Ochoziæ Ioas filium Ochoziæ furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Et cap. 12. tulit Ioas rex Iuda omnia, quæ consecrauerant Iosaphat & Ioram & Ochozias patres eius, &c. Et cap. 13. Anno vicesimotertio Ioas filij Ochoziæ regis Iudæ, &c. Item secundi Para. cap. 22. Nec erat vltra spes aliqua vt de stirpe quis regnaret Ochoziæ, &c. Est denique in hanc rem præclarum illud testimonium, contra quod nullus est ad tergiuersandum locus, è primi libri Para. capite tertio, vbi in posteritate Salomonis verbis nihil obscuris recensetur Ioas filius Ochoziæ. Id quod Matthæus explicatè confirmat inquiens, Iosaphat genuit Ioram, Ioram autem genuit Oziã, Ozias autem genuit Ioathan, Ioathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezeciã. Generatione ergo & natura Ezecias filius erat Iosaphat ac proinde Salomonis, vt Matthæus ait: & non Dauidis edicto in filium deputabatur, vt asserit Philo. Ecquis igitur eos ferat, qui contra apertissima scripturæ sacræ testimonia stirpem Salomonis in Ochoziã defecisse asseuerant? Sed ne hic quidem [illegible] ille Philo finem mentiendi facit. Tradit quippè & id rursum, quos scriptura filios Iosaphat fratresque Ioran appellauit: eos non verè filios Iosaphat germanosque Ioran, sed Nathanis posteros fuisse. Quod vt mireris, imò execreris etiam: verba subscribenda sunt, quæ secũdi Para. libri cap. 21. leguntur. Dormiuit, inquit, Iosaphat cũ patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate

uitate Dauid: regnauitque Ioran filius eius pro eo, qui habuit fratres filios Iosaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam & Azariam, & Michael & Saphatiam. Omnes hi filij Iosaphat regis Iuda. Deditque eis pater suus multa munera argenti & auri, & pensationes cũ ciuitatibus munitissimis in Iuda. Regnũ autẽ tradidit Ioram, eo quòd esset primogenitus. Surrexit autẽ Ioram super regnum patris sui. Cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio. Quo in loco quæ potest esse tergiuersatio, quæ tanta interpretandi licentia, quæ tam magna comminiscendi libido, imò verò quæ tam insignis impudentia, vt eos filios Iosaphat veroſque germanos Ioran fuisse negemus, quos non sic modò scriptura vocat, sed reddit etiam causam, cur germanos fratres intelligi necesse sit? Ioram, ait, fratres habuit filios Iosaphat: ne aliunde fratres existimares. Idque etiam ne dubitare posses, iterum atque iterum repetit, Omnes hi filij Iosaphat regis Iuda. Deditque eis pater suus munera multa, regnum autem tradidit Ioram, eò quòd esset primogenitus. Quid autem illa commemorem, quæ sine omni sacro & profano testimonio sineque vlla rationis coniectura Philo iste falsus cõminiscitur? Ortã litem inter filios Dauid ex Bethsabee, Dauidis edictum de posteris in regnum quodam ordine successuris, a rege Ioas omnes sequentes binomios trinomiosque etiam fuisse, à desolatione ad carceres Ioachim viginti annos interfluxisse, Mardochæum decem & octo annis ætatem Isaac superasse, Macchabæos simul cũ pontificatu etiam ducatum à domo Dauid subripuisse, vnde inimicitias exortas, multaque alia eiusmodi: quæ partim commentitia sunt, partim sacris etiam literis aduersa. Quid? quòd vel in humana historia Philo iste adeò sæpè delirat, vt facilè dicenti ipsi credas, se in vltimo anno ætatis suæ decrepitæ libellum illum scripsisse. Scribit siquidem anno Cyri secũdo Aggæum & Zachariam prophetasse. Item ob mortem Darij Histaspis opus esse impeditum: nec adiri potuisse Cyrũ, qui bello Tamyrico erat implicitus. Item Cyro Assuerum Priscum Arthaxerxem successisse, qui & plusquam. 12. annos imperarit, & Holofernem in Iudæam miserit. Item hunc duos filios habuisse, qui de imperio contenderint, sed cùm alter eorum, hoc est, Darius Longimanus victoriam fuisset cõsecutus, in eius primo anno Iesum hortantibus ijsdem prophetis templi ædificium aggressum. Quæ omnia falsa esse & historicis probatis omnibus vehementer repugnantia quis non videt? Itaque miror quid in mentem Annio venerit, vt eum librum, qui de temporibus inscribitur, in quo multa falsè, pleraque absurdè, nonnulla contra scripturam etiam dicuntur, Philoni attribuerit viro doctissimo & prudentissimo. Quis enim credat, Philonem Xerxem illum Persarum regum omnium apud Græcos celeberrimum ignorasse? Darium Histaspis cum Dario Medo Cyri auunculo confudisse? Assuerum illum, qui opus templi impediuit, patrem Longimani existimasse? Nempè in eos errores solus ille posset incurrere, qui vtriusque literaturæ & sacræ & profanæ rudis omnino & imperitus esset. Non ergo Philo Iudæus, cuius ingenium, eruditionem, facundiam, celebrauit antiquitas: auctor illius libelli fuit: sed homo quispiam sine vlla bona arte, sine eloquentia, sine ingenio, sine literis. Nullo certè loco Philo iste falsus platonizat. sed vbiq; nõmodò indoctè & indisertè, verùm incultè etiam atque inornatè loquitur. Sed vt eò, vnde digressa est, recurrat oratio, cùm monarchiæ Græcæ atque Romanæ nulli nunc publici annales extent, nullique omnino auctores, quorum historiæ ad illiusmodi annales conueniant & quadrent: nimirum in his duabus monarchijs regulæ Annij nulli penitus vsui futuræ sunt. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

& in prioribus duabus monarchijs mihi sanè videtur ociosæ, adominemque vsum prorsus ineptæ. Nã tametsi Medos ac Persas publicos annales asseruatos habuisse sacræ literæ prodiderunt, Babylonijs etiã publicæ auctoritatis historias fuisse, nõ Iosephus modò testatus est, sed auctores alij nobilissimi. eiusmodi tamẽ annalibus nos hodie caremus, omniq; etiam historico, quem hosce annales secutum esse certum atq; exploratum sit Berosum fateor, qm̃ valde, pbabile est auctoritate publica Chaldeorũ historiã edidisse. Metasthenẽ verò publicum Persarum historicũ fuisse cur fatear non video, quem res Indicas scripsisse, & in Plinio & in Iosepho legi, res Persicas non legi. Sed quoniam non in hoc cõtentionis summa impendet, demus illud Annio gratis. Sicut & id quoq;, Cteſiam Gnidium in Persarum & rebus gestis & temporibus accipiendum esse. Videlicet apud Diodorum in tertio Cteſias ipse testimonium perhibet, Græcis se veros certosque annales Persarum ac Medorum attulisse. Hoc igitur, quoniam Cteſias dese dicit, credamus illi. Nam Lucianus Cteſiam Gnidium ait de rebus Indicis scripsisse ea, quæ nec ipse viderit, nec de alio narrante audierit. Itaque fabulas esse. At donemus hæc interim, nec eũ de oĩbus certandum est. Illud agamus, quos libros Berosi & Metasthenis nomine inscriptos Annius protulit, eos nec Berosi esse nec Metasthenis.

Esther. 2. & 10. Et 1. Esd. 4. & 5. & 6. c.

Plini⁹ in 6. c. 17. & in 7. ca. 2. Iosephus li. 10. an. lu. c. 12. & 1. cõ. App. libro. Cteſias Gnidius apud Diodorum nullius Persarum regis mentionem facit. Regum Medorum tam seriem ponit, et in ea Mandanem quendam, quem historiæ omnes ignorant, iurè ut uidetur quidẽ : quoniam nomẽ fœminæ potiùs est quã uiri.

Berosum porrò Annianum non verũ esse, sed fictum: Raphael Volaterranus libro Anthropologię. 14. animaduertit. Cui Ludouicus Viues pluresq; alij viri doctissimi assentiunt. Quæ mihi res argumentis idoneis videtur cõfici posse. Primũ, quòd Berosus iste Annianus scribit, Noë præter tres primores filios Sem, Cham, & Iaphet plures alios post diluuium genuisse: quod sacris literis videtur esse contrariũ. Tres isti, inquit, filij sunt Noë, & ab his disseminatũ est omne gen⁹ hominũ super vniuersã terrã. Non ergo alij filij Noë fuerunt, q colonias orbis terrarũ præcipuas Noë iubente constituerint. Refert deinde, cùm Noë ebrius iaceret, Chan illius virilia comprehendisse, ac tacitè submurmurando carmine magico patri illudentem, sterilem eũ perinde ac castratũ effecisse. Scribit præterea Noë in Italiã venisse, naturãliũq; & diuinorũ libros conscriptos Italis reliquisse: eundem quoq; Noë Ianum illum extitisse, qui primus in Italia imperarit. Item Nemrot magis studuisse paci religionię; decorũ quàm opulentiæ: ideoq; translatum â dijs subitò nõ comparuisse. Quæ commentitia esse omnia facilè ostẽderem, nisi quòd plus etiam nimio huius voluminis magnitudo creuit. Itẽ ait, hũc ipsum Nemrot Assyrium, Medũ, & Magogum in Asiam misisse, qui regna cõdiderint Assyrium, Medum, & Magogũ. At hi cùm essent filij Iaphet vel patre vel auo præcipiente credibilius est colonias deduxisse, vel certè, vt Geneseos vndecimo capit. dicitur, is ipse deus qui diuisit linguas eorum in Babel, indedisperſit eos super faciem cunctarum regionum. Præterea narrat, Semiramidem Babylonem vrbem maximam ex oppido fecisse, & magis illam ædificasse quàm ampliasse. At verus econtrariò Berosus apud Iosephum in primo contra Appionem Alexandrinum libro scriptores Græcos reprehendit, qui falsò tradiderint à Semiramide Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa hanc fuisse constructa. Ad hæc Berosus Annianus prodit, Cenchrem Aegypti regem Hebræorum magica in mari perijsse. Quod vtique nullo esset modo à Iosepho prætermissum, qui cùm Hebrææ gẽtis antiquitatẽ aduersùm Græcos conaretur ostẽdere, nullũ autprius autantiquius expressum testimonium potuit Berosi proferre, quàm ex 3. libro Chaldæorum: vbi Nabuchodonosorũm scripsit templum Iudæorum ciuitatemq; vastasse

in librũ. 18. de ciui. dei. Faber Stap. in primum lib. Poli. Aristo. Lib. 2. Gene. 9. Lib. 3. Oĩa quæ de antiquitate sapiũtia nostra, quæ eadem in deorũ fuit. Iosephus, Euseb⁹ & Augustinus disputant, uana sunt si hæc uera sunt. In. 4. In. 5.

In. 5.

1. con. Ap⁹ pi. lib.

Lib. 1. an. Iudai. c. 15.

Lib. 10. an. Iudai. c. 1 in Isaiã. ca. 37.

staſſe. Berosus insuper Annian⁹ nullã nec apertè nec obscurè Abrahami mentionẽ facit. At Berosus ille verus, vt Iosephus auctor est, Abrahami implicitè meminit his verbis. Post diluuium autem decima ætate apud Chaldæos erat quidam iustitiæ cultor vir magnus & sideralis scientiæ peritus. Præterea Berosus Senacherib regis Assyriorum gesta commemorauit, quem admodum Iosephus Hieronymusque testantur. At in Beroso Anniano nulla Senacherib commemoratio est. Præterea fictus iste Berosus in Ascatade decimooctauo Assyriorum rege finem historiæ suæ fecit. Postquam tamen viginti alij reges vsque ad Sardanapalum Babylonijs imperarunt. Sed hos tamen Berosus non omisit, quin eos etiam annumerauit, qui Nabuchodonosoro Nabulassari filio vsq; ad Cyrũ in imperio Babylonio successere, vt Iosephus contra Appio. libro. 1. Diuusque Hieronymus in Danielis. 5. caput affirmant. Atque Metasthenes Annianus, cùm trigintaocto Assyriorum reges à Saturno ad Sardanapalum numerasset, tempusque etiam regni cuiusque eorum subiecisset: in his omnibus se Berosum sequi atq; adeò eius se verba exscribere testatus est. Nec verò dici potest hbellum istum de antiquitatibus fragmentum esse Berosi non integrum opus, quoniam vel Annius ipse nobis tanquam integrum opusculum venditauit. Manethõ quoque Annianus apertè dicit se inde historiã exordiri, vbi finem historiæ suæ Berosus fecit. Ita in supplemento Manethon decem & octo regibus Berosi quatuordecim alios adiecit, quos si à Berolo accepisset, nullo pacto inficiaretur. Fictus est ergo Berosus iste Annianus, non mancus. Quid? quòd apud auctores veteres Berosus non Aegyptiorum, non Lybicorum, non Celtiberorum, non Italorum, non Germanorũ, sed Chaldæorum scripsit historiam. Annianus verò iste æquè horum omnium regnorum historicum se præbet. Nullũ certè probatum auctorem inuenies, qui Berosum nisi in rebus Chaldaicis testẽ excitet veritatis. Atqui, si auctor grauissimus res aliàs scripsisset, sine dubio in eis ab aliquo vel Hebræo vel Græco, vel Latino auctore aliquando citaretur. Sed nescio an Berosum istum satiùs fuisset nulla argumentatione conficere. Res quippe ita priscas memoriæ prodit, vt licèt falsas intelligere per tui animi cõiectu ram possis: arguere tamen per illarum vetustatem nimiam non possis. In rebus enim eiusmodi quo quisque improbior est, eò maiorem habet fingendi licentiam: adeò vt de libris quidem totis & auctoribus, quemadmodum ait Fabius, mentiatur tutò, quia inueniri qui nunquam fuere non possunt: de rebus autem ipsis, vel tutissimè mentiatur, quia nulli testes produci queunt, qui non sint pueri, si contra veterrimos proferantur. Qua in re cùm episcopus quidam nostros deprehensus esset sæpè peccasse: eos enim auctores citarat interdum, quos nulla vnquam habuit ætas: eas res olim gestas scripserat, quas nulli homines ediderunt. respondit, referre nihil: in historia sic an aliter omnino sentias. Quòd omnia essent ambigua, nisi quæ sacris literis continerentur. Indigna quidem episcopo coque Theologo sententia. Nam rusticus homo & vanus si hæc dicat, non est mirum. Sed vt eò reuertamur, vnde discessimus: facilius dico esse, Berosum istum Annianum contemnere quàm refellere. Nam viris doctis ipsa libelli lectio satis magna persuasio est: indoctis persuadere nihil attinet. Suo Beroso fruantur licet. Quem solum de tẽporibus inscriptionum quarundam per annos quadringentos octoginta ante Ninum & Phoroneum suppuasse, Annius ait Plinio tetigisse. Cùm Plinius tamen nihil aliud tradat, quàm Berosum vsquead eò astrologia enituisse: vt Athenienses ei ob diuinas prędictiones publico in gymnasio statuã inaurata lin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gua statuerint. Fruantur itaq;, vt dixi, Berosо suo: sed Plinij auctoritate non fruantur. Imò ne probabili testimonio vllo quidem aut ratione aliqua consentaneâ. Illa enim ridicula est, Hieronymum Berosi huius verbis quandoque vti. Quasi verò commento locus esse posset, nisi Berosus iste fictus veri Berosi quædam verba compilasset.

Sed iam Annij Metasthenem quàm fieri poterit breuissimè explodamus. Nó autem persequar errata minuta, quæ in paruo volumine plura sunt. Tantù quæ sunt maiora videamus. Scribit igitur monarchiæ Persicæ reges & tẽpora in hunc modum. Balt Assare interfecto: regnauerunt simul Cyrus & Darius annis duobus: inde solus Cyrus duobus & viginti. Filius Darij Priscus Arthaxerxes Assuerus annis viginti: vltione interea sumpta de factione Tamarica quæ per dolum patruum tradiderat Tamyræ: huius duo filij Cyrus Artabanes & Darius Lógimanus septem mensibus pro imperio dimicauerunt, & septimo mense Longimano victoria cessit: regnauitq; annis septem & triginta. Eius filius Darius Nothos annis decé & nouẽ. Magn⁹ Arthaxerxes Dari⁹ Ménon annis quinquagintaquinq;. Arthaxerxes Och⁹ sex & viginti: nostra ætate Arses annis quatuor, Darius vltimus sex. Hos quoq; reges & tempora eodem ordine eisdemque penè verbis Philo Annij notauit: vt eundem fuisse vtriusque fabulæ artificem suspiceris vel potiùs intelligas. Hoc solùm addit Philo, videlicet ex Hebræorum officina, Assuerum istum Nabuchodonosorum esse, cuius res gestas Iudith scribit historia. Illud autem in primis rogo, ecquis iste est Priscus Arthaxerxes Assuerus, qui patrem habuit Dariũ, patruum Cyrum, qui Cyro in imperio successit, qui viginti annos regnauit, qui & Nabuchodonosorus fuit, cuius exercitum Principemque militiæ Holofernem mulier vna deturbauerit, qui denique duos filios sortitus est Cyrum Artabanum & Darium Longimanum. Sanè Cambysen respondent esse. Id nanque Metasthenes paulò antè scripserat, Cyrum & Darium, sex annos priùs quàm Babylonem caperent, bellum Tamyræ reginæ illaturos regnum Persicum Cambysi filio resignasse. Id etiam historicorum omnium consensione proditum est, Cambysen statim à Cyro Persarum imperium tenuisse. Assuerus ergo iste idem qui & Cambyses fuit. At verò quæ in Prisco Assuero siue adiuncta siue antecedentia consequentiaque ponuntur, adeò sunt à Cambyse aliena: vt etiam contraria esse videantur. Primùm enim Darius Cãbysis pater non fuit, sed Cyrus. Id quod non Herodotus modò, Iosephus, Hieronymus, sed vniuersi scriptores Græci Latiniq; testantur. Cuius omnino rei illud quoque argumentum est, quòd Cyri parenti Cambyses nomẽ erat: vt historici vno ore dixerũt omnes. Darius autem nullum maiorem habuit, qui Cambyses vocaretur. Consentaneum est ergo Cãbysen filium Cyri fuisse, non Darij. Præterea si Cambyses Darij filius fuit, certè Dario mortuo in regnum patris successisset, at Dario mortuo Cyrus solus Persis ac Medis viginti duobus annis imperauit, vt etiam Metasthenes & Philo confessi sunt. Non ergo Darij filius Cambyses fuit, sed Cyri. cui in imperio successit. Præterea cùm monarchia à Medis in Persas per Cyrum fuerit translata, ecquo pacto verisimile sit, filium Darij Medi in monarchiath successisse, filium Cyri Persæ non successisse? Sed quid ego detnens eam rem conor argumentis demonstrare, quæ cùm ex historiæ fide pendeat, historicis omnibus consentientibus memoriæ prodita sit? Nihil profectò necesse est contra eum ratione pugnare, quem omnium & ecclesiasticorum & profanorum auctoritas vincit. Simile est quod deinde subijcit, Cyrum patruum fuisse huius Assueri. Fuerunt

runt igitur Cyrus Persa ac Darius Medus germani fratres, quod cũ ratione etiã pugnat. Atq; auctores vniuersi alios parentes Dario Medo alios Cyro Persæ fuisse scribunt. Quod rursum tertio loco addit, Assuerum istum. 20. annos imperasse: illud historijs item omnibus aduersum est. Apparet autem in hoc esse confictum, vt historiæ libri Iudith sub isto scripta videantur: id quod Eusebius in chronicis magis refert q̃ sequuntur. Traditio quippè Hebræorum est: quæ nec idoneo testimonio nec probabili ratione consistit. Iosephus sanè repugnat, qui libro Iu. an. 11. c. 2. Cambysem ait septimo anno regni sui mortem oppetijsse. Sed & Eusebius Cambysi octo solùm annos imperij tribuit. Herodotus verò septem annos & menses quinq;. At Nabuchodonosorus, qui in libro Iudith cõmemoratur, plures etiã q̃. 13. annos imperauit, vt c. 2. habes. Non ergo Cambyses Nabuchodonosorqsille fuit. Præterea oẽs historię produnt et Cãbysem & Cyrũ, cui ille in regno successit, reges Medorũ Persarũq; fuisse. At Nabuchodonosorus libri Iudith nusquã aut Medorũ aut Persarum rex, sed vbiq; & Assyriorũ fuisse & regnasse in Niniue ciuitate magna dicitur. Adhæc si Cambyses Mediæ rex erat, vt verè erat, quomodo Nabuchodonosorus is fuit qui Arphaxat regem Medorum obtinuit? Nempè quanuis fingere nostro arbitratu libeat, id quod Philo Annius facit, Arphaxat factionis Tamyricæ fautorem Assyrios, Medos, ac Persas ad defectionẽ compulisse: at non proinde tamen regem eum Medorũ scriptura appellaret. Parienim ratione Persarũ Assyriorumó, rex Arphaxat iste vocaretur. Quid? quòd Nabuchodonosor tũ etiã rex Assyriorũ fuisse dicitur, cùm Arphaxat regẽ Medorũ superauit. Quale ergo Philonis cõmentum est, Arphaxat cum Persis ac Medis Assyrios quoq; ad defectionẽ cõpulisse? Præterea Arphaxat ille, cõtra quẽ Nabuchodonosorus depugnauit, ciuitatẽ Mediæ florẽtissimam cõdidit, cui nomẽ Ecbatanis: vt Iudith. 1. c. lẽgitur. At ciuitas hæc multis ante Cãbysem annis erat ædificata à Diocle videlicet quinto Medorũ rege, quẽadmodũ Eusebius testatur in chronicis, idẽq; in. 1. libr. Herodotus. Nec excidit mihi scripsisse in tertio Diodorũ, Ecbatana ante Semiramidem cõdita, in quibus regia quoq;, illa ædificarit: Plinio verò in. 6. c. 14. Seleuci ædificiũ esse. Verùm, quoniã non cõsultò sed casu in huius rei mentionẽ incidi: satisfaciã vtriq; quàm præteriẽs q̃. breuissimè. Diodorus primùm sæpè ac multũ in historia nũgatur. Eandem certè habuit, vt cæteri Græci, mẽtiendi libidinẽ. Quid enim leuius in mentiẽdo, q̃ Græciæ regio vana & ad omnem impulsum mobilis? Nisi fortè Diodorum defendit titulus libri eius, qui nũc vnus extat, de antiquorũ fabulosis gestis inscriptus, qui qũ inscriptioni suę ipse respõdet, neminem fallit. Quod enim promiserat, idẽ exoluit. Nam quòd Plinius in procemio totius operis asserit, Diodorum apud Græcos primũ desijsse nugari: id facilè ex orationis Plinianæ cõtextu intelligitur nõ ad historiarum falsitatẽ, sed ad inscriptionũ vanitatẽ pertinere. Græci enim auctores inanes ventosasq; inscriptiones libris suis passim præponebãt. At Diodorus, vt Plinius ibi refert, librũ suum nullo leui vanoq; inchoe inuidiosũ fecit, vt priores, sed bibliothecæ historiã insenpsit. Nõ ergo Diodori nos vrgebit auctoritas, si quæ de Semiramidis magnificentia & in Ecbatanis extructa regia Græcis fabulis decãtata sunt, ea ipse vel retulerit, vel etiã fuerit secutus. Plinius verò ijs, qui vrbes præclaras condiderunt, nobilitandis sæpè fallitur. Sed ad rem. Cùm Arphaxat eum, q̃ Ecbatana ędificauit, ante Cãbysem fuisse certũ exploratũq; sit: fieri non potest, vt Cãbyses Nabuchodonosorus ille intelligatur: q̃ ab Arphaxat Ecbatanarũ cõditore victoriã reportauit. Præterea Niniue tẽpore regni Persarum à Babylonijs vastata fuerat, vt Naũ vaticinatio indicat. Nec Persis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fis monarchiam occupãtibus regem prõ prium hæc ciuitas habuit. At Nabuchodonosorus, cuius in libro Iudith mentiõ est, regnabat in Niniue ciuitate magna: nõ igitur quæ Iudith historia refert, ea sub Cambyse, sed, vt verè Carion sentit, ante Persarum imperium gesta sunt. Nec vt ab hac sententia discedam, Achioris me verba mouent, quæ cap. 5. referuntur. Quoniam ante insignem illam captiuitatem Babylonicam afflixit aliquoties dominus omne semẽ Israel, & tradidit eos in manus diripientiũ nunc Aegyptiorum, nunc Syrorum, nunc Assyriorum, nunc Moabitarum, & Ammonitarum, donec tandem proiecit eos à facie sua. Quia verò in varias regiones captiui adducti sunt, sed breui tẽpore reduxit eos dominus in terram suam: ideirco in libris Regum eiusmodi minùs celebres captiuitates silentio prætermittuntur. Nam & Iudi. cap. 8. cuiusdam captiuitatis mentio fit, quam Caietanus verè, vt ego sentio, dicit in libris Regum prætermissum. Nõ enim, ait, omnia scripta sunt. Non itaq; Achior de captiuitate illa insigni Babylonica loquitur: sed de alia quapiam. Iudith porrò ætate templum Hierosolymitanum non erat euersum, nec ciuitas ipsa vastata. Iterum, ait, possident Hierusalem vbi sunt sancta sanctorum. At regnante Cambyse & euersum tẽplum erat, & nondum ciuitas instaurata. Mariet igitur ea quæ ipsius Iudith narrat historia, non esse ad Cambysem referenda. Meritò igitur Assuerum istum priscum Arthaxerxem negant vllum fuisse quidã: quoniam re vera, qualem Metasthenes Philoq; describunt, nullus fuit. Qui etiam si fuisset, si à Cyro statim imperauit, Longimani profectò parens non fuisset. Ecquis enim dubitet, post Cyri & Cambysis regnum Darium Histaspis Persarum dominationem adeptum: cui Xerxes filius in imperio successerit? Nimirũ id Herodotus, Iustinus, Orosius, cæteriq; scriptores profani tradiderunt, atque vniuersi etiam veteres ecclesiastici Iosephus, Clemens, Aphricanus, Hippolytus, Eusebius, Hieronymus. Hieronymus certè eam rem non tanquam dubiatũ & incertam, sed tanquã perspicuam atq; constantem prodidit in Danielis caput septimum, inquiens: Tres ordines qui erãt in ore bestiæ quidam trei reges post Cyrũ fuisse Persarum autumãt, & quæ illis sunt nomina reticent. Nos verò cùm post Cyrum, qui regnauit annis 30. sciamus apud Persas regnasse Cambysem filium eius & fratres Magos: & deinceps Dariũ: cuius secundo anno cœptum est ædificari tẽplum in Hierusalẽ: Quintũ, Xerxẽ filium Darij: Sextũ Arthabanũ: Septimũ, Arthaxerxẽ Longimanũ. Octauũ, Xerxem: Nonum, Sogdianũ: decimũ Darium nothũ: vndecimũ Arthaxerxem Memnonem: duodecimũ Arthaxerxẽ Ochũ: tertiumdecimum Arsen Ochi filium: quartũdecimum Dariun Arsani filium, qui ab Alexandro superatus est: quomodo tres reges Persarum fuisse dicemus? Hactenus Hieronymus. Sanè si in Regũ Persarium serie, aut fratres Magos, aut Arthabanum, aut secũdum Xerxem siue Thucydides seu quisquã alius historicus præterierit, nihil mirum esse debet: quoniã illi vel breuissimo tẽpore imperarũt, vel certè eo quoq; breui tẽpore de imperio cũ alijs cõtenderũt. At Dariũ Histaspis & Xerxẽ filiũ eius, qui potẽtissimus rex atq; ditissimus aduersum Græciam innumerabilem duxit exercitũ & ea gessit, quæ Græcorũ & Latinorũ Gentilium ac fidelium historiæ narrant: hos inquam duos tã excellentes ac præclaros reges silẽtio transire extremæ ignorantiæ, ne dicam impudentiæ est. Etenim hos in Persia regnasse siqs neget, negare etiã poterit Constãtinũ Theodosiũq; Romæ imperasse. Non enim plures grauioresq; historici hoc q̃ illud affirmãt. Atque Herodotus & Thucydides de his videlicet sui seculi regibus ita loquuntur, vt nõ res auditas, sed visas narrare videantur. Nec si historiæ suæ Herodotus fabulas

las miscet, ideirco fides illi abroganda est in rebus sui temporis publicis & manifestis: in quibus nullus erat fictioni locus. Alioqui Plutarchus, qui minimos quosq; errores Herodoti persecutus reprehensione est, hunc, quoniam erat maximus, potissimùm insectaretur. Credamus itaq; potiùs Herodoto, Thucydidi, Iustino, Orosio, Africano, Eusebio, Hieronymo, Iosepho cæterisq; auctoribus probatissimis, quàm Metasthenì huic non veteri & erudito, sed recenti, rudi, sine sensu, sine sapore, ignoranti, atq; adeò impudenti. Nempè qui polliceatur scripturum se regum Persarum tempora vt in annalibus publicis liquidè & verè digesta sunt, Reges quoque & nomina quàm apud eos splẽdidissimè regnatum est: & tamen eos reges omittat, qui in Persis magnificẽtissimè atq; amplissimè regnauerunt. Nec me fugit, Ioannem Carionem operosè etiam contẽdisse, vt inter Eusebium, Hieronymum ac reliquos auctores graues & Metasthenem Persam istum nulla esse repugnantia videretur. Ita in summa discordia ac dissensione pacem conciliare nititur, & quæ discrepãt plurimùm, ea facere vt eon sentiant vel maximè. Primùm ergo ait Carion, Assuerum illum priscum Darium Histaspis intelligi oportere. Qua vna re totum disce Carionem. Quid enim stultius dici potuit, quàm Darium Histaspis patrem habere Darium Medũ, patruum Cyrum, filium Longimanum? His enim attributis priscum illum Assuerum Metasthenes cumulauit. Quid autem à Dario Histaspis alienius, quàm publico edicto vetare, ne templum Hierosolymis instauraretur, quod Assuero illi prisco Philo Annianus assignat? Nam causę à Carione reditæ, cur à Metasthene Xerxes fuerit omissus, vsque adeò ridiculę & ineptæ sunt: vt non sint à me in præsentia referendæ. Atq; eas omnes sigillatim Ioannes Vergara Canonicus Toletanus vir Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus in libello octo quæstionum Hispanè edito accuratiùs refutauit. Cuius nos opera & diligentia multùm hoc loco adiuti sumus. Malumus enim, quod nos Plinius admonuit, mutuũ omninò reddere, quàm in furto deprehendi. Illud enim Basilij præceptum semper nobis probatum est, siquid ex alio discitur, minimè celandum: more prauæ mulieris, quæ partus nothos clàm supponit. Quamobrem sermonis & doctrinæ patrem ingenuè manifestandum. Quibus rebus demonstratis omni luce clarius appareret, id quod huius orationis institutum erat, Annij regulas in historiæ iudicio vtiles esse non posse. Quando ne ex his quidem posterioribus Chaldæorum ac Persarum monarchijs annales vlli publici relicti sunt, nec auctoris cuiuspiam monumenta, qui historiam suam ad veram certamq; eorum annalium formulam compoſuerit. Quocirca Iosephum, Eusebium, Hieronymum cæterosq; probæ fidei auctores in Persarũ aut rebus gestis, aut temporibus explodere, q̃ Metasthenì huic & ijs, qui prætexuntur, Susianis annalibus non cohæreant: magnum insciti æ imò verò etiam temeritatis argumentum est. Quo loco Ioannes Driedonis vehemẽter errauit homo, q̃d ad Theologię diligentiã pertinet, planè doctus: q̃d ad historiæ humanæ cognitionẽ, valde rudis. Qui cùm in hæc Annij volumina incidisset, & Berosi Chaldæi, Metasthenis Persæ, Ctesiæ Gnidij, Philonis Iudæi, Diodori Siculi, bibliothecæ Susianæ, septuaginta seniorum excitatio inani verborũ sonitu illius compleuisset aures: ad Eusebij, Iosephi, Hieronymi vocẽ oppidò q̃ grauem obsurduit. Quantò prudẽtiùs ecclesia, quæ cùm Adã Enoch & Noe quidã libelli producerentur, eos noluit recipere: Quoniam, vt Augustinus ait, quòd in auctoritate nõ essent nimia fecit antiquitas, propter quã videbãtur habẽda esse suspecta, ne proferrẽtur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorũ esse dicuntur, ab eis qui

In proœmio.

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro suo sensu passim, quod volunt, credunt. Hactenus in. 18. de Ciui. libr. cap. 38. Augustinus. Viro igitur prudenti vt liber quisq; sub antiquitatis nomine profertur maximè, ita maximè debet illi esse suspectus. Quam nos prudẽtiam secuti Berosi hos Metasthenisq; libellos vel nimia vetustate suspectos haberemus: etiam si nihil illi continerẽt, quod viris grauissimis contraueniret. Quibus rebus efficitur, vt prima Annij causa, quamobrẽ in Persarum monarchia Iosephum Eusebiumq; reijci oporteat, futilis & vana sit. Nam altera falsissima est. Non enim aut Eusebius, aut quisquam alius probatus auctor scribit, Cyrum antè dedisse licentiam Hebræis in Babylone captiuis & mortuum, quàm Babylonia Darius ille Medus potiretur. Eusebius porrò Darij Medi in chronicis nusquã meminit: nec sub eo nomine nec sub nomine Ciaxaris, quo eum appellat Xenophon. Non ergo Eusebius scripsit, Cyrum ante interfectum esse, quàm Darius Medus Babyloniam cœpisset, cùm Darium omnino Medũ in chronicis prætermiserit. Herodotus autem nihil eiusmodi scripsit, quale illi Annius impingit. Darium Histaspis filium Eusebius Herodotusq; commemorant. Ille, vt solet, breuiter, regni tẽpora notãs, hic latiùs eius gesta describens. In quibus illud refert, Darium Histaspis Babylonem, quæ à Persarum imperio defecerat, iterũ & obsidione cinxisse & expugnasse. Atque hinc turpis Annij error extuit. Cùm enim audisset Herodotum scribere, post Cyri mortem Babylonem à Dario captã, existimauit eum de Dario Medo intellexisse: cùm Darium
In fin. 3. lib. Histaspis sine dubio Herodotus expresserit. Nam à Cyro semel expugnatam Babylonem. 1. lib. dixerat. Deinde in. 3. eaiterum capta Darium Histaspis potitũ affirmat, muros eius circũcidisse, & portas omneis amolitum esse, quorum neutrum Cyrus
In Philonẽ suum. fecerat priùs eidem à se captæ. Abeat ergo nunc Annius & dicat, Herodotum & Eusebium somniasse. Annius ipse re vera potiùs somniat, qui è duobus hominibus Dario Medo & Dario Persa vnum facit, exq; duabus Babylonis expugnationibus itẽ vnam. Id quod propriè dormientium & somniantium est. Sed ais, Daniel ca. 11. post Darium Medum quatuor solùm Persarum reges vsque ad Alexandrum futuros vaticinatus est. Non ergo. 14. fuere, quemadmodum nos Eusebium Hieronymumque secuti fuisse diximus. Huius argumenti ratio Tertullianum in eo libr. quem contra Iudæos scripsit, videtur impulisse. vt inter Darium Medũ & Alexandrum quatuor duntaxat Persarum reges intermedios poneret, Arthaxerxẽ, Ochũ qui & Cyrus, Argum deniq; ac Darium vltimum, qui & Melas nominatus est.
In quem errorem Nicolaus Lyranus, licèt à Hieronymo admonitus, videns prudensque incurrit: Hebræorum somnia sequens, qui historiæ humanæ penitus sunt ignari. Quoniam nulla externi regni monumenta in lingua sua habent: nec alios aut Persarum, aut Græcorum reges agnoscunt, nisi quos scriptura commemorat. Quod qui parum perspiciunt, hi Iudæos in earum etiam scripturarũ explicatione sequuntur, quarum intelligentia, si Gentilium ignorentur historiæ, aut vix aut certè nullo modo haberi potest. Ita Hebræi rationes sæpè historiarum vertunt & id, quod probare non possunt, fingere conantur. Quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda: vt scriptura sacra interpretanda, in ijs præsertim locis, quæ res externas gentium attingunt, gentium monumenta sequamur. Rectiùs igitur veriusque Hieronymus quartum illum regem, quem Propheta commemorat, Xerxem Darij Histaspis filiũ fuisse intelligit: talem enim hunc Ethnicorum historiæ narrant, qualem Propheta describit. Quòd autem Daniel quatuor Persarum regibus enumeratis nouem, qui fuere post Xerxem, prætermiserit:

Dan. 11. vbi hos quatuor reges ait fore Cyrum, Cambysen, Assuerum, Artitũ Esther et Darium filium Assueri, quem Alexander vt inquit, debellauit. Darius autem iste posterior est iuxta horum sententiã Lorginanus intelligitur, sub quo aliã templi ædificatum.

miserit: hoc non solùm cõtra nos, sed contra Metasthenem Annij Philonemq; etiã facit. Non autem curæ fuit, vt Hieronymus ait, spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quæq; perstringere. Ac siquis prophetarum trãsitiones diligenter animaduertet, mueniet multa intermedia frequẽtissimè pertransiri: quæ si ex vatum silentio nunquam fuisse iudicabit, in magno eum errore necesse est & multarum rerum ignoratione versari. Hoc verò loco peculiaris causa fuit, cur in regẽ Persarum Xerxe spiritus prophetæ subsisteret. In eo siquidem Persarum monarchia maximè aduersum Græcos enituit: adeò vt abinnumerabili exercitus multitudine Græcia vel breui momento vastanda atq; exinanienda videretur. Itaq; repentè Danieli Alexander Græcus ostensus est, qui non solùm Græcos posset à Persis eripere, sed de Persis etiam triumphare. Sed de regulis Annij earumq; rerẽgularum exẽplis ac de tota demum Annij censura satis, vt arbitror, diligenter disputatum est. Quid igitur? Nam hoc dicet fortasse aliquis, nulla via ratioq; erit, qua veraces historicos à fallacibus distinguere atque internoscere valeamus? Erit nempè, & multiplex etiam erit.

Prima lex ex hominum probitate integritateq; sumetur. Quæ omninò res locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testãtur, vel ab ijs, qui viderunt, accepisse. Qualia sunt pleraq; in epistolis Ambrosij, Cypriani, Hieronymi, Augustini: in libris quoq; huius de ciuitate Dei, in dialogis Gregorij, breuiter in omnibus ferè doctorum ecclesiæ probatis sic morum scriptis: in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippè præclarisq; virtutibus viri sanctissimi atq; optimi id consequi meruerũt: vt in rebus eiusmodi, quas vel spectasse se vel ab alijs fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omninò illis habeatur. Qua in re Erasmus Roterodamus alijq; iuniores quidam sæpè ac licenter errarunt. Quid enim liberiùs; licentiùs, immoderatiùs dici potuit, quàm Hieronymum asserentem, Matthæi euangelium Hebraicum describendi sibi copiam fuisse; in eo virum grauissimum sanctissimumq; mentiri? Iure itaq; pijs hominibus nimia hæc quorũdam iuniorum liberiorq; licentia displicuit: iure etiam in crimen vocata est: Hæc autem prima lex in prosunis quoque auctoribus locum habet. Quædam enim Iulius Cæsar, quædam Suetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus, quædam Plinius narrant: quę auctores ipsi partim oculis aspexerunt, partim acceperunt ab his, qui ea præsentes aspexerant. In hisce verò auctoribus tametsi pietatem absolutaq; virtutis officia spectare non licet: licet tamen probitatem quãdam bonitatemq; naturæ. Quidam enim eorum aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia vsque adeò à mendacio abhorruerunt: vt iam pudendum fortasse sit, historicos gentium quosdã veraciores fuisse quàm nostros. Dolenter hoc dico potiùs, quàm contumeliosè: multò à Laertio seuerius vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum: longeque incorruptiùs & integriùs Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerint catholici non res dico imperatorum: sed martyrum, virginum, & confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent: in improbis verò etiam colores virtutum produnt. Nostri autem pleriq; vel affectibus inseruiunt, vel de industria quoque ita multa confingunt: vt eorum me nimirùm non solùm pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo ecclesiæ Christi cùm nihil vtilitatis attulisse: tum incommodationis plurimùm. Nominibus parco, quoniam huius loci iudicium morum etiam est, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

non eruditionis tantùm: in qua liberior potest esse cẽsura. Nam quæ morum est, hæc debet profectò esse & in viuos cautior & in mortuos reuerentior. Certum est autem qui fictè & fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque synceros esse non posse: totamque eorum narrationem inuentam esse aut ad quæstum aut ad errorem: quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum. Iustissima est Ludouici querella de historijs quibusdã in ecclesia confictis. Prudenter ille sanè ac grauiter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere. Id quod & maximè periculosum est & minimè necessarium. Mendaci quippè homini ne verum quidem credere solemus. Quamobrem qui falsis atque mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad diuorum cultum voluere, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quàm vt veris propter falsa adimatur fides, & quæ seuerè ab auctoribus planè veracibus edita sunt, ea etiam reuocentur in dubium. In Herodoti lucubratione rebus fictis & adumbratis quidem loci plurimum fuit. Verùm inscriptione ipsa ille prænonuit, non esse in eo libro historiæ rationẽ ad viuum resecandam. Musa videlicet inscripsit, quibus fabulæ interdum concessæ sunt: vt audientiũ animos iucundiùs & suauiùs allectent, quod seueritate narrationis non perinde assequerentur. Xenophon, qui vt Fabius ait, magis inter Philosophos quàm inter historicos reddẽdus est: optimi & absolutissimi Principis formam in Cyro perfectam conatur effingere. Itaq; nõ est ab eo expectandũ, qualis nam Cyrus re vera fuerit, Rex licèt excellens & eximius: sed qualis futurus sit in Repub. Imperator, si ad normam exemplaris exactissimi componatur. At in historia Christiana, quæ tota, vt diximus, non voluptate sed veritate perpenditur, quorsum attinet historiæ nomen commentis fabulisque prætendere? Quasi verò sanctis Dei homines nostris mendacijs egeant, qui tam multa vera pro Christo gesserunt, vt falsa quantumuis licet eruditæ simulationis artificio composita: vt noxia non sint, quoniam inutilia sunt tamen, tanquam ignaui milites oneri sint magis quàm auxilio. Heroum porrò nostrorum res verè gestæ, sicuti ego existimo, non solùm amplæ magnificæque fuerunt: verùm multò etiam maiores quàm fama feruntur. Neque eorum qui fecere virtus tanta habenda est, quãtum eam verbis extollere potuerunt nostri: sed tanta potiùs, vt & præclara ingenia rebus ipsis & ingenijs præclaris verba quoque defuerint. Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat non veritas, tales diuos quandoque nobis exhibent: quales diui ipsi, & si possent, esse tamen noluissent. Ecquis enim credat, Diuum Franciscum pediculos semel excussos in se ipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri scriptor pertinere putauit: equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper: sordes nunquam. Illud item quàm ridiculum? Diabolum Dominico patri nostro semel obstrepẽtem à diuo esse coactum vt lucernam haberet in mãnibus quoad illa absumpta non molestiam solùm, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt huiusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ diuorum clarissimorum historias obscurarũt. Non autem decebat, veras sanctorum res gestas falsis & commentitijs fabulis contaminari. Quæ causa Gelasio fuit, vt huius generis historias multas in concilio. 70. episcoporum reprobaret. Eius pontificis verba sunt legi cognoscique dignissima: idcirco adscribenda sunt. Gesta, inquit, sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormẽtorum crucitatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant,

De traden. discipli. lib. 1.

Lib. 10. c. 1.

Cicero ad Quintũ fratrem Cyrus ille, inquit, à Xenophõte nõ ad historiæ fidẽ script', sed

ad effigiem iusti imperij.

diant, quis ita esse Catholicorum dubitet: & maiora eos in agonibus esse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideo secundùm auctoritatem antiquam, vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur: quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur. & ab infidelibus aut dicta superfluè, aut minus aptè quàm rei ordo fuerit scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici & Iulitæ matris eius: sicut Georgij aliorumq; passiones huiusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscriptæ: propter quod (vt dictum est) ne vel leuiùs subsannandi orire tur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes martyres & eorum gloriosos agones, qui Deo magis quàm hominibus noti sunt, cum omni deuotione veneramur. Item vitas patrum Antonij, Pauli, Hilarionis & oĩum eremitarũ: quas tamẽ vir beatissimus scripsit Hieronymus cũ omni honore suscipimus. Itẽ actus beati Syluestri Apostol. sc. præsulis, licèt eius, qui scripsit, nomẽ ignoremus, à multis tñ in vrbe Ro. catholicis legi cognouimus: & pro antiquo vsu multæ hoc imitantur ecclesiæ. Item scripta de inuẽtione sanctæ Crucis dominicæ & alia scripta de inuentione capitis Beati Ioannis Baptistæ nouellæ quidem reuelationes sunt: & nonnulli eas catholici legunt: sed cùm hoc ad catholicorum manus peruenerit: beati Pauli apostoli sententia præcedat. Omnia probate, quod bonum est tenete. Hactenus Gelasius. Quòd si prophetias, quæ numinis afflatu edi solent, Paulus docet non spernendas quidem, sed explorandas tamen: ecquis nos accusare iam audebit, si historias humano sensu editas exploremus? Gelasius sanè auctor est cum concilio grauissimus, quod de prophetia ab apostolo dictum est, hoc aptè etiam in historiam quadrare. Iubet ergo imprimis Pontifex, vt eas historias nullo modo amplectamur: quæ sinè certo auctoris nomine poferuntur. Olent enim aut quæstuosorum hominum imposturam, aut, quod Gelasius ipse ait, hæreticorum fœtum. Quæ eadem omnino causa subest, vt historiæ illæ valde etiã suspiciosæ sint: quæ tametsi auctoris cuiuspiam nomen præ se ferunt, sed quis ille qualisuè sit, obscurum & incertum est. Cuiusmodi ante hos paucos dies quædam fabulæ prodiere: quarum & auctores & loca adeò longo interuallo distant, vt an mentiantur illi non possit inueniri: an hæc sint addubitari etiam possit. Sed benè habet, quòd totum narrationis corpus commentitium appareret: vt quod Hispanorũ sermone teritur, id quoq; in hac re facilè probes, De luẽgas vias, luẽgas mẽturas. Sed ad Gelasiũ redeamus. Qui illius deinde erroris nos admonuit, in quo olim nõ vulgus solũ, sed Gratianus etiam versatus est, vt librorum deceptus indicibus crederet: omnia quæ Hieronymi & Augustini nominibus inscripta erant, Hieronymi Augustiniq; verè etiam esse. Sic librum, qui de vitis patrũ inscriptus est, Hieronymi nomine vulgus circunferebat, quum pauciss imas tamẽ patrum vitas ille scripserit: quæ & hoc loco ferè à Pontifice referuntur. Gelasij itaque testimonio eorum impudentiam retundemus, qui harum rerum auctorem Hieronymum peruulgarunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet. Huius generis fabula etiam illa est insulsa æquè ac barbara de Natiuitate Sanctæ Mariæ ad Chromatium & Heliodorum episcopos. Huius generis sunt alia multa, quæ & diligentissimè & rectissimè Erasmus refutauit. Illud etiam in his Gelasij verbis equidem animaduerto: nouellas reuelationes, sic enim vocat, nos admirari & suspicere minimè oportere. Iam enim passim non pro ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu expromuntur: adeò vt in conceptionis causa vtrinq;, si superis placet, reuelationes vel contrariæ proferantur. Quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

res impijs quidem non leuem subsannandi occasionē prębet: pijs verò lachrymādi. Contemnātur profectò necesse est Dei & dona & miracula, si nostris aut opinionibus, aut affectibus inseruierint. Ecclesię igitur Christi hi vehemēter incommodant, qui res diuorum præclarè gestas nō se putant egregiè exposituros: nisi eas fictis & reuelationibus & miraculis adornarint. Qua in re, nec sanctæ virgini, nec Christo domino hominum impudentia pepercit: quin quod in alijs diuis factitauit, idē quoque in Christi & matris historia scribenda faceret, & p humani ingenij leuitate multa vana & ridicula cōminisceretur. Cùm superioribus annis Tridentino concilio interessem, è quibusdā audiui, Aloisium Lippomanum episcopum Veronensem huic malo mederi historia de vitis sanctorum constanti ac graui ratione edita. Sed hanc mihi adhuc videre non licuit: nec aliam quamuis: quæ mihi quidem probari possit de his, quæ venerunt in manus. Spissum sanè erit opus & operosum: sed vehementer omnibus Christianis vtile, siquis præstiterit dignum modò diuis, ecclesia, Christo. Id quod haud dubiè præstabit nemo: nisi vir probus, integer, incorruptus. Vt ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, nequa suspitio gratiæ sit in scribendo, nequa simultatis. Quæ cùm ad probitatis integritatisq; officia pertinere notum sit: miror ab vno Suetonio seruata esse omnia, à plerisque nostris omnia esse deserta. Qui autem res humanas à diuis quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent: hi diuos ipsos ne homines quidem fuisse videntur credere. Quantò sapientiùs Euangelistæ faciunt, qui vel in ipsis apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri: nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam grauiores dissimulant. Diuina hæc sapientia quidem Euāgelistarum fuit, sed bonitas quoque integritasque naturæ, vt nihil illis in scribēda historia deesset, quod in historiæ lege vel Ethnici requisissent. Scriptoris autem probitas & integritas, nam hoc quæret aliquis, in his qui olim fuerunt, licèt aliquando in scriptis ipsis eluceat, sed fama & graui atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur. Sunt enim, vt dixi, in profanis auctoribus non pauci, quorum ingenuitas & verecundia sic hominum sermone celebrata est: vt nemo illos vnquam mendaces & in fingendo impudentes existimauerit. Quales sunt Cæsar, Val. Max. Terentius Varro, Liuius, Cornelius Tacitus, Seneca, Ammius Marcellinus, Eutropius, Flauius Vopiscus, Paulus Diaconus, Lucius Florus, Polybius, Diony. Halicar. Iulius Capitolinus, Cornelius Nepos, Strabo, alijq; plures Latini præsertim auctores. Nam Græcorum fides maiori ex parte fracta ac debilitata est. Religiosus est Thucydides &, vt Iosephus ait, inter omnes Græcos historicos in primis scrupulosus. Appianus Alexandrinus, Græcus licèt auctor, sed quoniam hesterna & ciuilia Romana bella memoriæ mandauit: in alienis rebus mendax non fuit, futurus in suis, si Græcorum morem & ingenium sequeretur. Quorum iactātia & vanitas impudentiùs est aucta: postquàm certare cū Latinis de imperio, de rebus gestis, de doctrinæ veritate incœperunt. Latinus siquidem fulgor & gloria Græciæ claritatem obscurauit, & adeò Græcorum præstrinxit oculos, vt vel Plutarchus scriptor alioqui verax in rebus Græcorum illustrandis & excutire & fingere interdum etiam videatur. Quod tum in opere de vitis illustrium Græcorum & Romanorum, tum in paralellis Ludouicus Viues animaduertit. At verò in nostris, hoc est, ecclesiasticis facilior est ratio virtutis & bonæ fidei cognoscendæ. Optimos enim quosq; apud nos non solùm humanus sermo atque existimatio colit: verumetiam ecclesiæ decretum in concilio cælestium collocat. Hos itaque mendacij impudentiæque arguere,

arguere, quemadmodum suprà diximus, impietatis etiam non modò temeritatis argumentum est. Cum his ego sanctis iustisque viris, Aegesippum, Paulum Orosium, aliosque nonnullos ecclesiæ historicos annumerandos censeō, qui à me breuitatis causa prætereuntur. Non enim hic bibliothecas excutimus, sed genera degustamus. Nequis negligentiæ nos insimulet, si vllos aut laudando, aut vituperando trāsimus. Sed ais: Crispus Sallustius in perditis omnino moribus veridicus historiæ scriptor est habitus. Sanè quidem. At cùm Sallustium obijcis, hominem obijcis: in quo si non honestatis pudor, at infamiæ cuistimoe fuit, quam Romani cum primis declinarūnt: ne mendaces, quemadmodum Græci, in historijs haberentur. Deinde non mihi Sallustius videtur vitijs caruisse & gratię & simultatis. Certè cùm de Cicerone scribit, multa silentio præterit; quæ libentissimè in aliorum gratiam retulisset. Sed hæc duo vitia cùm historicorum ferè omnium communia sunt, tum quorundam quasi propria. In quibus Paulus Iouius est in quamlibet partem nimius odio & amore, gratia & simultate. Et qui pecuniæ amabat, in historia quoq; scribēda pecuniæ seruus fuit. Postremò aliud est dicere, viros bonos veraces esse omneis: aliud improbos omneis esse mēdaces. Illud nos diximus, hoc non diximus. Quanquā nescio quomodo fit, vt nusquā tecurus animus nisi in viri boni testimonio conquiescat. An officio veritas adeò coniuncta est, vt in homine vitioso esse illa fortasse possit: sed esse tamen credi vix possit. Quæ causa Chaldæis Aegyptijsque fuit, quamobrem non alios historiæ auctores approbarent: nisi qui sacerdotio fungerentur. Quod sanctos religiososque viros mentituros esse nullo modo existimarēt. Homo, inquiūt, ex Iudæis quidam, sacerdos venit: non decipiet nos. Verùm de prima ad historiam dijudicandam regula hæc dicta sint.

1. Macha. 7

Lex verò secunda in historiæ iudicio sanciatur, vt eos historicos reliquis anteferamus: qui ingenij sceueritati quādam prudentiam adiunxerunt & ad eligendum & ad iudicandum. Quæ lex in ijs rebus locum habet, quas res neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec à viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Quo in genere est operæpretiū leuitatem eorū recordari: qui mulierc ularum more quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt. Nam & ætas nostra sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset: nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excusum. Non enim, vt aiebat, tantum facinus Reipub. administros commissuros, vt non solùm inuulgari mēdacia sinerent, sed suo etiam communirent priuilegio: quò illa tutiùs mentes mortalium peruagarentur. Quo sanè argumento permotus animum induxit credere, ab Amadiso & Clariano res eas verè gestas, quæ in illorum libris cōmentitijs referuntur. At verò quantum illa aduersum Reipub. administros ratio valeat, non est huius loci temporisque disserere. Certè hoc ego pro me ipso & animi mei sensu ac dolore pronuncio, magna ecclesiæ calamitate atque pernicie id solùm in libris vulgandis præcaueri, ne erroribus fidei aduersis aspersi sint: ne sint moribus exitiales non item. Nec de fabulis istis potissimùm excrucior, quas modò dixi, quāuis ineruditis & nihil omnino conferentibus non dico ad benè beateque viuendum, sed ne ad rectè quidem de rebus humanis sentiendum. Quid enim conferant meræ ac vanæ nugæ ab hominibus ociosis fictæ, à corruptis ingenijs versatæ? Sed acerbissimus est dolor & vix omnino cōsolabilis, p dum quidam vtinam tam prudenter quàm feruēter incōmodum hoc reijcere ac deuitare cupiūt, non pro fabulis veras & graues historias edūt, id quod esset plebi vtilissimū, sed libros mysteriorum ecclesiæ plenos, à quibus arcendi profani erāt: id quod est, mea quidem senten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia,pestilentissimum: eò verò magis, quò vulgus eos libellos securiùs legit, quia probatos videt,nõ modò à ciuili magistratu: verùetiam ab ijs, qui doctrinæ censores sunt in Christi Repub.diffiniti. Sed hæc aliàs,núc quod instat agamus. Miseranda sanè hominis ignorãtia potiùs q̃ ludenda: qui vsqueadeò,aut bonus,aut stultuserat, vt omni narrationi statim crederet,si modò esset literis prodita. Verùm inuenias alios nõ pari inscitia quidé, sed imprudẽtia penè pari: qui veritaté rerum non inde petunt, vbi ea residere sit solita: sed ex ijs,in quibus rarò est eam inuenire,nẽpè ex dissipatis peruagatisque rumoribus. Quæ res plerúq; ijs accidit,qui sunt inconstanti leuiq; natura. Nam homines graues atq; seueri nõ solét inanem vulgi sermonem aucupari. Quãquam negare non possumus, viros aliquãdo grauissimos in diuorũ prę sertim prodigijs describẽdis sparsos rumores & excepisse,& scriptis etiã ad posteros retulisse. Qua in re,vt mihi quidé videtur, aut nimiũ illi sibi aut fideliũ certè vulgo indulserũt: quod vulgus sentiebãt nõ tantùm ea facilè miracula credere, sed impẽsè etiam flagitare. Itaq; signa nõnulla & prodigia sancti quoq; memoriæ prodiderũt, non quò ea libẽter credidissent,sed ne deesse fideliũ votis viderẽtur. Id verò eò magis sibi licere existimarũt, q̃ intellexerunt, auctoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse,ea scribere quæ vulgo vera haberẽtur. Nec ego hic libri illius auctorem excuso,qui speculum exẽplorum inscribitur: nec historiæ etiam eius,quæ legẽda aurea nominatur. In illo enim miraculorum mõstra sæpiùs q̃ vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris,plumbei cordis,animi certè parùm seueri & prudentis. Veteres excuso & sanctos & eruditos viros,quorum & libros et nomina volétem ascribere pudor me ac religio vetaret, nisi contrà vererer ne mea hæc taciturnitas plerisq; causa esset,vt aut damnarét quæ non intelligerét, aut errore vario circũ sanctorũ omniũ historias vagarẽtur. Atq; Theologũ etiã admoneri operæpretiũ est,ne id statim illi psuasum sit: oĩa,quæ magni auctores scripserint, vndiq; esse perfecta. Nã et labũtur aliquãdo, vt ille ait, & oneri cedũt: & indulgẽt ingeniorum suorum voluptati,vulgoq;, vt dixi,interdum etiã indulgẽt: nec semper intẽdũt animũ, & nonnúquam fatigãtur: adeò vt Cicero ni Demosthenes dormitare,Horatio verò Homerus quãdoq; ipse videatur. Summi enim sunt,homines tñ. Quæ ego eadé de Beda atq; Gregorio iure fortasse ac verè dicere possum. Quorũ ille in historia Anglorũ,hic in dialogis quædã miracula scribũt vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim seculi Aristarchi incerta esse cẽsebunt. Equidẽ historias illas probaré magis,si earũ auctores iuxta præfinitã normã seueritati iudicij curã in eligẽdo maiorem adiũxissent. Sed q̃m modestè & circunspecto iudicio de tantis viris pronũciandum est: ne in his quidé duobus reijcienda sunt plurima. Pauca enim in eis possis arguere, quãuis historiam ecclesiasticam reuocare ad seueriora iudicia contẽdas. Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorũ probari legẽtibus q̃ multa reprobari malo. De Vincẽtio Valuacẽ & D. Antonino liberiùs iudico, quorũ vterq; nõ tam dedit operam vt res veras certasq; describeret: q̃ ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam vnamquanque existimandam momentoq; suo ponderandam non artificum statera, sed ne populari quidem trutina vsi sunt. Quamobrem boni licèt ac minimè fallaces viri, quia tamen nec auctores eos, à quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res iustis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt apud criticos graues atque seueros auctoritate carent. Historicus autem, qui Theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis

Non te fallat, q̃ Gelasius Vincẽtij laborem sum opus commẽdauit. Nẽdum enim sunt plerisq; correcti & emẽdati, inuenici, habẽt, nõ vicentij. Alioqui Gelasius, qui multis seculis prior fuit, prophetam c.c. fuisset non iudex.

fabulis accommodabit operã: nec priùs lecta auditaq; describet, q̃ ea prudẽti accurato q; iudicio ex pẽdat ac seligat. Sed in secũdæ regulæ explicationem diximus satis.

Tertia regula sit. Sicui historico auctoritatem ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiungamus. Contrà verò cui ecclesia derogauit fidem, ei quoq; nos fidé iure ac merito derogabimus. Gelasius porrò historiam de vitis Antonij, Pauli, Hilarionis ac cæterorum eremitarum, quas tamẽ Hieronymus scripsit, cũ omni honore suscepit. Acta rursum beati Syluestri, licèt non pari veneratione: sed susceptit tamẽ. Collaudauit Orosium Eusebij chronica, hoc est, de temporibus, quantum animi coniectura colligo, non reiecit.

Hieronym. in cat. de Iacobo fil. Cauet, inquit, omnia apocrypha. Et si quãdo ea non ad dogmatum veritatem, sed ad fignorũ reuerentiã legere uoluerit: sciat non eorum esse, quorũ titulis prænotantur.

Reiecit itinerarij Clementis libros octo, acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ nominibus falsò edita, librũ de infantia saluatoris, alterũ item de eiusdé natiuitate, librũ Pastoris, acta Theclę & Pauli, quę Epiphanius vsurpat interdũ, reuelationem Pauli, librum, qui Mariæ transitus inscribitur, libellos de pœnitentia Adæ, Origenis, Cypriani, epistolam Iesu ad Abagarum, passiones Georgij ac Quirici & Iulitæ, historiam demum Eusebij Pamphili. In qua re fellenda Gelasius magna, vt mihi quidem videtur, prudentia est vsus. Nã quòd Rhenanus dixit, verba hæc postrema Gelasij nõ esse, sed esse potiùs ab asino quopiã adiecta, hoc insolenter, rusticè, imperiteq; dixit. Principiò quippè pontifex ad hunc modũ censuerat, Chronicon Eusebij Cæsariẽsis atq; eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quanuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & in laudibus atq; excusatione Origenis schismatici vnum conscripserit librum: propter rerum tamen singularẽ notitiam vsquequaq; nõ dicimus renuẽdos. Postea verò sic cẽset. Historia Eusebij Pamphili apocrypha. Quæ duæ sententię cũ contrariæ non sint, tùm sunt etiã verissimæ, & nimis quàm grauiter ac seuerè lacte. Curaũt Gelasiũ historiã Eusebij apocryphã pronũciarit, causæ sũt sanè plures atq; vehemẽtes. Primũ in primo libro refert Eusebius epistolã Iesu ad Abagarum scriptã, quã Gelasiũ eadẽ dist. explodit. Fuit etiã altera causa Gelasio, quã ob rẽ historiã Eusebij apocryphã definierit. Quòd multæ ibi Clemẽtis Alexãdrini testimonio cõfirmẽtur: cuiũ opuscula eadé dist. apocrypha iudicata sunt. Præterea & librũ sextũ Eusebiũ texuit in laudem & excusationẽ Origenis. Cũ autẽ & discipuli Origenis magnas in ecclesia tragœdias excitassent & Origenes ipse tanquã schismaticus, deq; fidei catholicæ via sæpè deflectẽs fuisset ecclesiæ iudicio condẽnatus: iure illius historia refellitur, qui Origenem non solùm immodicè prædicat: sed ad cælum, perinde vt si pater esset ecclesiæ, extollit.

Præterea, in synodi septimę actione quinta, cũ Iconomachi pro se Eusebiũ testẽ excitassent, & lecta etiã esset eiusdé epistola, vbi Arijs cõsentiebat, Tharasius rogauit. Recipimus hoc? Sacra verò synod⁹ dixit. Nequaquam. Hic reliquis est nobis maiore odio prosequẽdus. Et legati Adriani papæ dixerũt. Ipsa lectio indicat, q̃ Arianorũ sententiã sapiat. Habet eñ ante lectus Eusebij liber & alias blasphemias, quas synodus audire respuit. Sanctissim⁹ patriarcha dixit. Libros illius reiiciamus. Sancta synodus dixit. Reiicimus & anathematizamus. Et actione rursum sexta Epiphanius respõdens testimonio Eusebij, Eusebius, inquit, ab illis in testem aduocatur, qui tamen ab omni catholica ecclesia Arianæ hæreseos defensor esse cognoscitur, quemadmodum in commentarijs suis & omnibus à se editis libris manifestum fit. Et posterius, Quis fideliũ, ait, in ecclesia dubitat, Eusebiũ Pamphili in reprobũ sensũ traditũ Arij placitis cõsensisse? Nã in cunctis historicis suis libellis filium creaturã vocat, subministrum, secundo loco adorandum. Id postquam ex multis libris Eusebij probauit, tandem asserit, Eusebiũ du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plicis animi fuisse inconstanterq; synodo subscripsisse. Nusquam enim aut librorū suorum errores depulit aut apologiā pro se fecit: cùm tamen Arius non obscurè testaretur, se sententiæ suæ Eusebium habere studiosum ac fautorem. Et Hieronymus ad Pammachium & Oceanum eccle siasticam, inquit, pulchrè Eusebius historiam texuit: sed impietatis Arij apertissimus propugnator est. Et ad Tesiphontē Eusebium Cæsarien. ait, Arianum fuisse nemo est qui nesciat. In primo certè ecclesiasticæ historiæ suæ libro filium dicit paternæ voluntatis executorem, qui post patrem omnium sit causa & origo. Item, cū illum psalmi versiculum attulisset, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt, subiecit. Quibus verbis prophetā patrem inducit factorem tanquam vniuersalem principem regali suo nutu præcipientem: sermonē verò Dei illi secundo loco addit non alium ab eo, qui inter nos prædicatur, paternis iussionibus obsecundantem. Et capite secundo primū affirmat, patri filium in omnium opificio administrasse, deinde patris ministrū in omnibus bonis fuisse ait. Meritò ergo Gelasius pontifex historiæ Eusebij Cæsariensis auctoritatem ademit. Quid? An non etiam absurdum est, vt qui infidelis ecclesię fuerit, ei fidem ecclesia in rebus ecclesiasticis habeat? Experimur sanè hæreticos sectæ suæ nō dogmata solū ac præcepta, sed res etiā gestas accommodare. Imò verò torquere atq; adeò fingere, vt sectam vndiq;, & cōprobasse & ornasse videātur. Hinc enim, quēadmodū suprà diximus, Cōstantinū finxit Eusebius ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, quò Arianorū factioni maiorē & fidem & auctoritatem adiungeret.

Vide epist. Arij ad Eusseb. Nicomedien. Epistola huius initium est, Schedulæ. Cap. 1. Musculo interprete.

Hinc etiam, cū in synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus est Arius, astutè dissimulauit in paschatis quæstione repentè digressus. Sed ne Arij quidem vnquam in historia sua meminit, callidè hominis memoriam præteriens, quem synodi auctoritate obrutus laudare non est ausus, amicitiæ lege constrictus noluit vituperare. Quæ eædem omnino causæ subsunt, vt historiam Carionis omnes Christi fideles explodant. Quōsdā enim summos pontifices viros quidem optimos illius lacerat & cruentat oratio, quósdā verò imperatores Germanos: cōmendat & illustrat; qui ecclesiæ Romanæ perduelles inimicíq; fuere. Itaque ex vnguibus leonem agnoscēs, hoc est, ex laude & vituperatione Lutheranum. Quanquam Carionem Lutheri erroribus adhæsisse non est opus coniecturis suadere. Multis quippè in locis apertè ille se prodit. Quocirca mirum est, cur eius historia non sit cum cæteris hæreticorum libris ab ecclesiæ iudicibus explosa: cū plerique; tamen eam secure legant, nulla prorsus nota atq; animaduersione præmoniti. Sed ad Eusebium reuertamur. In cuius historia ecclesiastica satis Gelasius ostendit cætera sibi ac concilio placuisse, dum quædam displicuisse cōmonuit. Itaq; si fabulam Abagari laudesq; Origenis ab Eusebio demeres, digna eius historia esset, cui fides omnino haberetur, præsertim si in ecclesiæ contrā Arium pugna nō ab Ario, sed ab ecclesia stetisset. Ac de ecclesiasticæ historiæ libris hactenus. Nam in chronicis admiranda fuit hominis diligentia, magnus omnino labor, varia & penè incredibilis lectio, ac graue prorsus in lectionis varietate iudiciū. Nec scio an quisquā alius inter ecclesiæ siue Latinos seu Græcos auctores, quā uis ſima vi, ope atq; opera eniteretur, præstantiora nobis posset temporū monimēta relinquere. Tametsi describentium incuria adeò multis locis vitia sunt, vt dici sine animi dolore non queat. Sed ne illa quidem, quæ ibi Eusebius refert, vera sunt omnia. Quin reperias aliqua, quæ iure ac verè reprehendas. Cuiusmodi illud est, quòd eundem scribit fuisse Sennacherib, qui temporibus Ezechiæ Hierosolyma obsedit, & Salmanassar, qui Samariam

Post scripta hæc Carionis historia Eusebius condemnatur.

Samariam cœperat. Id quod diuinis literis esse contrarium Hieronymus in Isaię 36. caput edocuit. Atque Tobiæ cap. 1. Salmanassar dicitur fuisse pater Sennacherib. At nihil est, vt ille ait, omni ex parte beatū. In opere, vt ita dicā, immēso rarò peccasse felicissimum fuit. Verùm de Eusebio hæc satis.

Sozomenus sequitur, de cuius nos fide & auctoritate dicere Diuus Gregorius cogit. Qui historiam illius duabus præcipuè causis improbauit. Vna, quòd sępè in ea mentitus sit. Altera, quòd Theodorum immodicè extulerit: quem constat & hæreticum fuisse, & in quinta synodo ab ecclesia damnatum. Equidem Sozomeni mendacia non excuso. Græcus nanque fuit, & natio hæc, vt diximus, est fuitque semper ad mentiendum promptula. Atqui in nouem ecclesiasticæ historiæ libris, quos ante hos paucos dies Musculo interprete accepimus, nihil tale Sozomenus scribit, quale secundo loco illi Gregorius obiicit. Tantùm ait, Theodorum discipulum Libanij fuisse, ad quem prolapsum Chrysostomus epistolam dederit: qui etiam postea episcopus Mopsi Vestæ fuerit constitutus. Andreas certè in cōcilio Florentino, vbi pro ecclesia Latina respondet, huius historici testimonium non solùm vsurpat, sed etiam probat. Cùm enim imperator Paleologus interrogasset, num congruum esset, vt Synodus historiæ auctoritate niteretur: Andreas illi respondit, ad res gestas cognoscendas synodum historia vti debere. Tum imperator historiam illam, ait, in nostra religione debemus susçipere, quam maiores nostri probauerunt: aliam verò minimè. Cui Andreas, de Romanorum, inquit, aut Græcorum aut regum bello historia nequaquam in synodo vti debemus, sed cùm historia hæc, scilicet, Hermij Sozomeni ecclesiastica sit, in qua omnium synodorum acta & patrum sanctorum definitiones explicantur, cur ei credendum non est? Hactenus in concilio Florentino. sessio. 7. Non videtur itaque hoc concilium fidem Sozomeno abrogasse, sed habuisse. Sed huic argumento responsum facile atque expeditum est.

Lib. 8. c. 2.

Illi verò alteri non video quemadmodum responderi possit, nisi dicamus aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoria lapsum pro Theodorito Sozomenum scripsisse. Nam Theodoriti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit. Libro quippè historiæ suæ quinto cap. 27. Theodorum istum doctorem præclarum fuisse scribit. Et cap. 40. Moritur, inquit, Theodorus episcopus Mopsuestias, cùm omnium ecclesiarum doctor, tum hæreticæ cohortis profligator. Theodoritus ergo erat eo nomine damnandus. Qui & reuera ob hanc causam damnatus est in quinta synodo generali actio. 5. canone. 13. & 14. At Theodorus canone. 12. Meruit etiam Theodoritus ea ex causa damnari, quod impiè aduersum Cyrillum & primam Ephesinam synodum scripsit, duodecimque Cyrilli capita reprehendit, quæ rectam fidem continebant. Nec verò de Theodorito desperare quispiam debet. Nam, vt Bessarion in oratione quam pro vnione apud patres Florentiæ habuit, affirmat, suum postea cognouit errorem: & in concilio Chalcedonēsi palinodiam recantauit. Verū, vt hæc cunque habeāt, illiusmodi errantium patrocinia historiæ eleuāt & auctoritatem & fidem. Quo mihi nomine, vt cætera omittā, Socratis scholastici minùs historia placet. Etem & Origenis ipse quoq; patronus est & Nestorium excusat & Cyrillū mordet & Alexādrū vellicat & in reiectione presbyteri pœnitētiarij homousianorum innocentiam infamat. De tertia verò regula in historiæ iudicio seruanda hactenus. Ac perspicua sunt hæc quidem & in vulgari prudentia sita. Nam in quibus animi quædam maior

Lib. 6. c. 12 & 13. et li. 7. c. 45. Lib. 7. c. 32 & 34. Li. co. c. 13 14. 15. & 34. li. 1. c. 5 & 6. Lib. 5. c. 19

Universidad de Deusto
Biblioteca

maior vis acriorq; in iudicando prudẽtia est,ij sine hisce regulis exacuendo illam ingenij aciem vera deligent reiicientq; contraria. Mihi sanè aliquando, & verum ipsum in scribentis synceritate candoreque relucet & mendacium contrà auctoris quidam angor & calliditas patefaciũt. Syncera mihi crede, veritas est, & si animũ repurgatum inuenerit, ipsa per se rectè influit. Falsitas circuitiones quærit & anfractus, seq; verborum ambitu solicitè circũdat ac protegit. Atq; etiam cũ in historiæ ratione quid quemq; deceat considero: facilè intelligo, histoncos non solùm falsò, sed imprudenter res quasdam memoriæ prodidisse. Quis enim vel mediocriter prudens ab apostoli Thomæ Ioannisque euangelistę persona illa non videat abhorrere, quæ in rebus eorum gestis referuntur? vt aut ille iniuriæ vindictam expetierit, aut hic rupta veste suumque ipsius caput tundens equum acceperit, ex ecclesia quantum potuerit properauerit, & senex adolescentem iuueniliter fuerit insecutus. Non itaq; prudentibus, & ingeniosis iudicandi præcepta diligenter elaborata dedimus: sed, vt dicitur, crassa pinguiq; minerua rudioribus. Nec verò adeò stultus ego sum, vt existimem in has formulas omnia historiæ iudicia conclusa & comprehensa. Sed si quæ fuerunt præscribendæ formulæ, hæ videntur potissimũ consentaneæ conuenientesq; fuisse.

Euripides in Phenissis. Veritatis sueuit esse oratio simplex uafris non egens ambagib⁹: si quidẽ ipsa per se cõgruit. At sermo iniquus, quia p se sit morbidus, medicamina exquisita deposcit sibi. Euseb. lib. 3. c. 23.

¶ *Caput postremum, in quo. 15. 16. 17. & 18. argumenta refelluntur.*

QVanquam ex his, quæ capite superiore diximus, argumentorum eorum refutatio apparet, quæ. 15. loco. 16. 17. & 18. sita sunt: sed ordine tamen refutãda sunt singula, vt scholæ etiam minutis theologis morigeremur. Et in. 15. argumẽto quidem Philonis primùm auctoritas quęritur. Quę sanè magna fuit: sed breuiarũ illud temporum Philonis nõ fuit, nec libellus alter de antiquitatibus, quem constat eiusdem esse farinæ.

Iosephi verò in historia fidem nõ Romani modò principes, sed viri quoq; ecclesiæ celebrarunt. Egesippus bonus in primis auctor, vir probatæ fidei ac grauis omnino historicus Iosephum egregiè laudat, quod ad historiæ auctoritatem pertinet quidem, nam quod ad religionem, cõsortem eum facit perfidiæ Iudęorum. Hieronymus non dubitat locũ illi inter ecclesiæ scriptores dare, atq; adeò eius de rebus gestis monimenta inter ecclesiasticas historias recensere. Eusebius Cæsariensis, Sozomenus, Nicephorus, vt alios omittam, miris modis Iosephi historiam commendant. Quin & Iosephus ipse historiam suam grauibus probabilibusque rationibus commendauit. Quę non minorem faciũt fidem, quàm si eædem ab Hieronymo aut alio quopiam auctore positæ fuissent.

In præmio li. 2. de exci. Hier.

De uiris il lustribus.

Euse. lib. 3. cec. hi. c. 9. Sozo. lib. 1. ca p. 1. Nicepb. li. 2. c. 18.

At serpentis pœnam nimium crassè interpretatur: vim ligni scientiæ boni & mali falsam fictitiamq; commemorat, Herodiadem scribit non Philippi, sed Herodis vxorem fuisse, qui Herodis quoq; tetrarchæ frater erat, templum in secundo anno regni Darij dicit esse perfectũ, seniorum lamentationes, cùm templi veteris amplitudinem recordaréntur, nõ ad nouum fundatum, sed ad iam consummatum referat: aliaque demùm ait partim scripturæ sacræ partim veris alijs ac probatis historijs aduersa. Planè ait: non inficior. Sed errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis. Neq; æquũ est paucis è maculis labẽ toti narrationis corpori aspergere. Egregiè itaq; historicę Iosephus fuit, quẽadmodũ Egesippus affirmat, & rerũ indagini sobrietatiq; sermonũ attentus. Quòd verò in temporibus notandis eum quidam reprehendunt, id iure an iniuria faciant, non facilè dixerim. Equidem eiusmodi errata indoctis negligentibusque librarijs promptè ac libenter asigno.

Lib. 16. ca. 7. & in fine. 20. li. & 1. li. eiu. App. Alex. Li. 1. ca. c. 1 eo. cap. Lib. 18. ca. cap. 9. Caietanus ait fuisse binominẽ, cũ demq; Philippum & Herodẽ appellatum. Sed ne Iosephum quidem ipsum uiderat.

Iulij porrò Aphricani quinque de temporibus volumina in manus nostras non venerunt. Quare de eius historiæ fide ipsi per nos iudicare non possumus. Sed extat Gelasij præiudicium, quod in argumẽto obiectum est: idque sequi Theologos oportet de rebus eiusmodi iudicaturos. Opuscula, inquit, Tertulliani siue Aphricani apocrypha. Quo in loco an Iuliũ Aphricanũ voluerit Gelasius improbare, nõ satis expeditum est. Primùm enim de Iulio Aphricano nullus veterum malam opinionem habuit. Eusebius verò ac Hieronymus vbiq; eius de rebus gestis testimonia colunt. Nec Iulius hic est in fidei doctrina reprehẽsus. Nam q; historiã Susannę fictã esse credidit, in eo virorũ doctissimorum errorẽ secutus est. Atqui ob peccatum vnum, cuius vel probabilis excusatio est, omnia Iulij opuscula à Gelasio damnari, non fit mihi profectò verisimile. Eadem quippè culpa, si culpa fuit, Iulio fuit cũ doctoribus ecclesię cóis. Vix enim reperias quenquam, qui non in aliquo errarit. Deinde, quorsum Gelasius, quasi nihil interesset vtrum hic an ille dãnaretur, in eam formam censet? Opuscula Tertulliani siue Aphricani apocrypha. Atque si duo auctores illi essent nominibus req; etiam ipsa differentes, more suo Gelasius vtriusque singillatim opera condemnasset. Cũ autem Tertullianum siue Aphricanum vna confessione notat: non est existimandus auctores diuersos, sed eundem intellexisse. Mihi sanè huiusmodi coniecturæ suspicionẽ afferunt, locum esse corruptum, vt alia in hoc capite pleraq;, & particulam, siue, scriptorũ vitio additam. Legendum itaq; esse, Opuscula Tertulliani Aphricani apocrypha. Nisi fortè Aphricani cognomẽ q̃dã Tertulliano impertiebant: Quocirca in eum modum sententiam Gelasius tulerit: vt si ue nomine ꝓprio seu cognomine à quo libet vocaretur, intelligeremus esse damnatum.

Lib. 1. con. Appi. lib. 11. ca. c. 3. 1. Esd. 3. 4. 5. Cr. 6. ci. contraria referuntur.

Reliqui sunt Eusebius & Sozomenus, quorum auctoritas quintadecima tandẽ argumentatione vrgebatur. Verùm de his auctoribus quid sensérim, quid censuerim, capite superiore habes.

In quintodecimo argumento nullus scrupulus obiectus est, qui non fuerit excussus. In sextodecimo autem Innocentij decretum primùm obijcitur. Sed ille, si ecclesiæ monimenta probat, non statim gentilium historias improbat. Sunt hæ, fateor, vsui ecclesiastici fori litiumque vulgarium parùm aptæ: quanuis & in hũc vsum possint esse aliquando vtiles. Sed quibus in locis & quæstionibus, quoniã à præsenti instituto alienum est, non est operæpretium dicere. In sacrarum verò literarum expositione, quod in cap. huius libri secundo fusè diximus, historiæ profanæ multùm omnino valent. Quamobrem, si quæstio circa diuinas literas incidat, & concilia, & cæteri ecclesiastici iudices eiusmodi historias negligere nec debent nec verò possunt. Nec his solùm scripturæ vsibus gentium historiæ accommodantur. Quin sunt aliàs Theologis necessariæ, quemadmodum & nobis antè explicatum est, & sequentibus quoque libris explicabitur. Andreas porrò in synodo Floren. nihil aliud docet, nisi Græcorum aut Romanorum bella cognoscere, nequaquam ad synodum pertinere. Poterat dicere Troianorum aut etiam Floréntinorum. Nam Græcorum ac Romanorum bella quædã cognita vtilissima sunt prophetarum vaticinationibus explicandis. Sed hęc facillima sunt: cætera persequamur. Quæ & ipsa post ea, quæ retrò disseruimus, nihil difficultatis habent.

Sanè in responsionem decimiseptimi argumenti ne verbum quidem vnum adiiciendum censeo, quippè quod, nisi ego fallor, in cap. 6. accuratè est ac diligenter expeditum. Duodeuigesimum ergo idemque postremum quàm breuissimè potero expediam, quò iam sit tandem huius loci finis.

Duo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duo igitur argumentorum genera Theologus vsurpat. Vnum est certum, alterum probabile. De vtrisque proximo libro est latiùs disserendum. Nunc in pauca restringam. Non est necesse, Theologus certa semper principia sumat. Ex incertis, probabilia sint modò, argumentationes aliquando conficit, non ad vincendũ quidem, sed ad persuadendum idoneas. Stultus verò Theologus ille erit, qui in omni suo syllogismo res necessarias velit rebus quoque necessarijs addicere. Sunt enim nonnulla adeò implicata & obscura: vt prudentiæ theologicæ sit, non ea demonstrare velle, sed suadere: non patentiùs illustrare, sed vtcumque expedire.

In huiusmodi itaque argumentorum genere si quis humanæ fidei probabilitate vsus fuerit: falli nimirùm aliquando poterit, reprehendi sine iniuria non poterit. Atque etiam, quemadmodum suprà diximus, quædã ita certò humana fides tradit: vt ea in dubiũ vertere stultitiæ sit argumentũ vel certissimũ. Hæc si in vsum suũ Theologꝰ vendicarit, nihil fallax, nihil imbecillũ ineptumvè conficiet: sed rem verã, firmam, rationiq́ue tum humanæ tum etiam diuinæ consentaneam. Verùm ab his historiæ partibus, quæ sunt expositæ, quemadmodum ducatur argumentum, satis expositum videtur. Omnia igitur argumenta theologica manare à fontibus decem, dictum est in primo libro. In decem autem sequentibus libris, cuiusmodi argumenta è singulis locis erui possint, ostensum est. Quæ dicta sunt fortassè longiùs, quàm instituta causa postulabat: sed breuiùs certè, quàm res tantas posse à me dici existimaram. In historiæ humanæ auctoritate explicanda fateor magna mihi longitudo orationis fuit. Sed nullus è locis Theologiæ erat, vbi aut latior occurreret disserendi materia, aut me oporteret magis cura, diligentia, industria elaborare. Quòd & si minus præstiti quàm rei magnitudo desiderabat: non tamen frustra elaboraui. Admonere enim reliquos potui, vt accuratiùs scribant: & res vel meliores addant, vel superuacuas detrahant, vel dispersè, & diffusè dictas angustiùs, & contractiùs attringant, breuiter, si quid norunt rectius istis, candidi imperiant.

¶ *Vndecimi Libri finis.*

DE LOCORVM VSV IN SCHOLASTICA DISPVTAtione, Liber duodecimus.

In Librũ duodecimum prooemium.

FRATREM Franciscum Victoria Lector optime, eum quem summum Theologiæ præceptorem Hispania dei singulari munere accepit, solitũ dicere audiui postquã ab illi⁹ schola discessi se ingenio meo quidè egregiè delectari: sed id vereri, ne huius excellẽtia quadã elat⁹ & exultãs immoderatè iactarer, & grãdior effectus, nõ lætè modò & liberè ingrederer, sed temerè etiã ac licenter præceptoris vestigia conculcarem. Audierat eũ me opinionem ipsius vnam & item alteram non probasse. Vellem autem de nobis ea verè dicerentur, quæ ille pro nimia sua in filium indulgentia dicebat. Sed si minùs imitatione tantam ingenij præstantiam consequi possumus: voluntate certè proximè accedimus, magistrumq́ue conamur exprimere. Nimirum si doctrinam meam approbet quispiam, quæ vtinam eruditorum opinione digna esset: si in rerum iudicio prudentiam, quæ vtinam esset digna nostro cognomine: si orationis cultum, quem elegantiorem adhibere soleo quàm consuerunt scholastici in libris suis, in hoc sumus docti, prudentes & facundi: quòd virum hunc rerum earum omnium ducem optimum sequimur, atq́ue eius præceptis monitisq́ue paremus. Quod verò ad animi moderationem attinet, quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam, vt timorem illius ego fallerem. Effecerim an non, alij incorruptiùs iudicabunt. Sanè si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excusatione alicuius rei tegere & adumbrare possum: qui sciam, parùm ingenium valere quanlibet excellens & eximium posse: nisi prudentis intelligentiæ frẽno & definita animi moderatione gubernetur. Quanquam illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati vel etiam superstitione constricti, vt Fabij verbis vtar, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus atque præstantius ad quod ipse tendit, quàm vt magistri debeat vestigijs semper insistere: si quidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini de præceptore meo ipso audire, cùm nobis, secundam secundæ partem cœpisset exponere, tanti Diui Thomæ sententiam esse faciendam, vt si potior alia ratio non succurreret, sanctissimi & doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursum, non oportere sãcti doctoris verba sine delectu & examine accipere, imò verò si quid aut durius aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiã & industriam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum ratione in cõtrariam vocante trãsit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim vllam non Diui Thomæ dico, sed ne magistri mei opinationem quidem reuocaui ad arbitrium meum: nec cordi tamen fuit iurare in verba magistri. Nam & vir erat ille natura ipsa moderatus: at cum Diuo

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam Thoma aliquando dissentit. Maioremq́; meo iudicio, laudem dissentiendo quàm consentiendo assequebatur: tanta erat in dissentiendo reuerentia. Sed hęc hactenus. Multa enim sæpè laudandi præceptoris nostri gratia dicemus. Nunc ad reliquas partes propositi operis reuertamur. De locorum vsu tres libros pollicitus sum. Vnum in scholastica pugnâ, alterum in scripturæ sacræ expositione: postremũ speciatim aduersum fidei christianæ singulos inimicos hæreticos, Paganos, Iudæos, Saracenos. His enim rebus. 12. 13. & 14. librum impartiui. Atq;, vt ad præceptorem redeam, locorum vsum in scholæ concertatione præsertim si tractare ille voluisset, grauissimè & copiosissimè potuisset scribere. Sed quoniam nulla eius ingenij monumẽta mandata literis, nullum opus eruditionis, nullũ doctrinæ munus extat: nos ad huius rei scribendæ operam omne studiũ curamq́; cõuertimus. Cũ enim tota Theologia frugifera & fructuosa nec vlla pars eius inculta ac deserta sit: nullus feracior in ea locus est nec vberior, quàm de locorum vsu & argumentis, quę à locis theologiæ ducuntur. Quare quantum conniti animo possum, quantum labore contendere, si scribendi hæc labor est potiùs quàm voluptas, tantum faciam, vt efficiam: ne cùm omnia à præceptore mihi harum rerum principia suppeditata sint, ipse mihi præceptori item meo videar defuisse. Huius enim clarissimi viri eruditionem memoriæ prodimus: atque ei & si nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitãq́; referimus. Quãquam postulo ab ijs, qui hæc in manus sument, vt maius quiddam de magistro meo, quàm quantum à me exprimi potest, suspicentur.

Quid Theologia sit, quæ ei obiecta res, quis finis.

Caput secundum.

PRopositũ est nobis hoc libro de locorum Theologicorũ vsu in scholæ disputatione dicere. Id quò rectè atq; ex ordine fiat, optimum fuerit initiò definire: quidnam Theologia sit, quæ illius quasi subiecta materies, quis scopus, in quẽ theologo studia dirigẽda sint oia. Ac Theologia quidẽ, si Græcã vocem in Latinas vertimus, ratio est sermoq́; de deo. Omnis autẽ, quæ ratione & via de aliqua re suscipitur, institutio, essentiã & potẽtias, quas vocant, ac cætera omnia vestigat: quæ illi rei sunt peculiariter ac propriè attributa. In theologia ergo facultas quædam intelligitur: quæ dei naturam, vim & proprietates inquirit. Nec verò Theologo satis est, quę deo in se absolutè conueniunt, ea facultatis suæ viribus iuribusq́; tribuere: nisi etiã illa vẽdicet, quæ deo quasi accidunt in ordine ad creaturas. Dei eñ notionẽ omni ex parte rimatur. Bipartita igitur est Theologiæ tractatio: vna de Deo secundũ se, altera de eodem, quia rerũ est principium ac finis. Nec theologus tamen summa & infima, diuina & humana miscet, sed adeò articulatè, clarè, artificiosè, hæc componit illis, his illa iungit: vt non modò nullam sibi vicissim obscuritatem afferant, verùm etiam vtraq́; vtriq́; adhibeãt lumẽ. Quid? Quòd sicut solẽ intueri nequimus aduersum, eiusq́; radijs acies nostra sensusq́; vincitur: sic ad diuinæ lucis obtutum mentis nostræ oculi hallucinãtur & caligãt. Quã obrem necesse est, vt deum sua natura inuisibilẽ in effectis ceu in vmbra, in speculo, in imagine, in signis vestigijsq́; cernamus. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciũtur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Cùm verò inter omnia, quæ oculorũ sensu percipimus, rationalis creatura simillima deo sit, ad imaginẽ quippè dei factus est homo, nihil profectò inuenias, in quo diuina bonitas, potestas & sapientia magis eluceant. Quare theologiæ disciplina, quã uis de deo ipsa præcipuè sit, plurimũ tamẽ circa homines humanaq́; versatur: & cùm ex homine tum ex ijs, quæ deus homini fecit atq́; effecit, diuinæ naturæ cognitionẽ quærit. Quòd si potentiam, benignitatem & prouidentiam dei indagare & proferre proprium theologiæ munus est: de finẽ, quem deus non alium quàm seipsum hominibus comparauit, deq́; mediis ad hũc finem necessarijs, virtutibus, legibus, gratia, incarnatione, sacramẽtis longissima licẽt theologi disputatio, non est ab instituto theologiæ aliena: non solùm ob eam causam, quam D. sanè Thomas grauem reddidit, ne theologia, quę effectrix etiam est nõ modò speculatrix, mãca & imminuta hac parte omissa linqueretur: sed multò magis quòd eę res dei ipsius probitatẽ, æquitatẽ, virtutem, integritatem, beneficentiam, liberalitatem, misericordiam, patientiam, lõganimitatem insigniter & præclarè patefaciunt & illustrant. Cuius rei ignoratio causa quibusdam erroris illius fuit: vt existimarent, disciplinam hanc non esse contemplandi gratia inuẽtam: sed agẽdi. At enim quibus argumentis vtantur, videamus. Primũ contẽplationis tractatus, inquiunt, longè minor est quàm actionis. Illi enim D. Thomas primam summæ suæ partem dedit: huic secundam & tertiam, quæ voluminis magnitudine illam singulæ etiam exuperant. De fine rursum ac mediis disputare ad eam facultatem sine dubio pertinet: quæ aliquid molitur & agit. Nimirũ non ad mentem ea, sed ad affectum referũtur. Cùm ergo de fine & mediis humanæ vitæ plurimam theologus disputationem instituat: fieri videtur, vt theologiæ vis non in cernendo potissimùm, sed in agẽdo sita sit. Theologiæ insuper & diuinarum scripturarum idem est finis. Nec enim finẽ alium disciplinæ eiusdem principia ac cõclusiones habent. At diuinarum omnium scripturarum finis dilectio est, vt Augustinus Gregoriusque testantur. Non ergo Theologia præcipuè ad contemplandum tendit, sed ad amandum. *1. de doct. christ. c. 35. & 36. hom. 10. in Ezechiel.*

Præterea, quę doctrina cuiuspiam est speculatrix venatrixq́; naturæ oculos maximè ad cernendum postulat: non ad agendum vires. Nec stultitię eos arguit, qui in actione torpent, sed qui sunt in speculatione tardi. At scriptura omnis à discipulis opera exigit, eosque cessatione torpentes tanquam vanos & ociosos reprehendit. Non igitur speculandi causa hęc doctrina potissimè traditur, sed agendi. Ad hęc fides in charitatem refertur, non econtrariò in fidem charitas: vt ex Matth. cap. 22. & ex Apostolo. 1. Corinthio. 13. colligitur. Notitia ergo principiorum Theologię quam notitiam fidei vocabulo accipimus, diligendi causa primùm omnium fidelibus data est. Causa quippè πρωτη, quam finalem possumus interpretari, eadem & prima & principalis est. Quòd si notio principiorum doctrinę huius actuosa est, fides, scilicet, quę per dilectionem operatur: conficitur sanè, doctrinam quoque ipsam ad mores primò vitęque actionem attinere. Item si fides speculatio quędam est, non moralis disciplina: vnde illud? Fides sine operibus mortua est? Vnde illud rursum? Addandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum? Nam scientia salutis corporalis in praxim maximè spectat, in cõtẽplationẽ nõ itẽ. Quid illa? Dedit illi scientiam sanctorum, scientia sanctorum prudentia. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, &c. vt perfectus sit homo dei ad omne opus bonũ instructus. Hęc autem scripta sunt vt credatis, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non seruat: mendax est, aliaque huius generis sexcenta, quę in diuina passim scriptura reperiuntur. Ex quibus omnino videtur effici, Theologiam non esse speculatricem, sed effectri-

Matth. 7. Iac. 1. Sap. 13. & aliis infinitis pene nõdũ locis.

Iacob. 2. Luc. 1.

Sapien. 10. Prouer. 9. 2. Timo. 3.

Ioan. 20.

1. Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem. Atque adeò finem eius præcipuum non esse contemplationem, sed actionem. Id quod opinati sunt scholastici quidam Theologi in primis clari & nobiles. Qui
1. dist. 1. in ea re magistrũ fortè sequuntur hanc disciplinam ex vsu & fruitione partientem. Nec intelligunt doctissimi viri, sic enim mihi modestissimum est vocare illos, alium esse finem doctrinæ, alium doctoris: vel, vt verbis differentibus rem ferè eandem exprimamus, alium esse finem doctrinæ primarium, alium postremum. Vt si verbi causa dicimus, vini duos esse fines: vnum ad bibendum, alterum ad medendum. Charitas ergo docentis dei atq; ea re doctrinæ quidem huius finis est: at non primus, sed secundus. Nam & cognitio contemplatioque naturæ, vt ait elegan ter Cicero, manca quodammodò atque inchoata est: si nulla actio rerum consequatur. Vani sunt, Sapiens inquit, omnes
Sap. 13. homines, in quibus non subest scientia
Ad Ro. 1. Dei, &c. & alius item. Quia cùm cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, &c. Quapropter si ex fine secundo naturam disciplinæ cõsideres: iam tibi physica inter actuosas numerabitur. Quid? Quòd finis noster primus, vt D. Thomas verissimè sentit, visio dei est clara & manifesta? Quia verò finem illum adipiscimur mente & voluntate cognitione & amore: fit, non vt cognitio ex se ad amorem, sed vt vtraq; res ad visionem referatur. Quòd si cognitio viæ ex se non nisi ad patriæ cognitionem referenda est: quanuis illa non sit per se idonea, nisi ei affectus dilectioq; iungatur, visio verò dei, cuius fides seminariũ est, contemplatio potissimùm est, nó effectio: sequitur Theologiam maximè speculatiuam esse, non practicam. Liceat enim, quando de scholæ disputatione habetur oratio, scholæ verba vsurpare. Adde, quòd Theologia dei naturam, potentiam & proprietatẽ inquirit. Est ergo deus huius scientiæ propriũ obiectum: atq; adeò speculationis causa comparatur. Atq; Augustinus 12. de trini. c. 14. & 15.
apertè docet, sapientiam, de qua Apostolus. 1. Corin. 12. loquitur, intellectualem notionem esse & contemplationem rerũ æternarum. Sine dubio autem sacra doctrina sapientia est: eaq; re speculatiuam esse constat. Quod, vt cætera taceamus, vel Theologiæ nomen præ se fert. Quemadmodum enim non solùm asserere, sed etiam addubitare stultissimum est, num Physiologia Astrologiaq; speculatrices sint, an effectrices: quod nominaipsa insignitè egregieq; declarant, contemplationem rerum ingeri, non mores & actionem. Tametsi Medici, Nautæ ac cæteri, qui rebus publicis addicti & destinati sunt, otiosam naturæ astrorumq; notionem aspernantur & fugiũt: quæ actuosa est, eam & amplectuntur & colunt. Sic ambigere, theologia speculatrix ne sit an effectrix: à communi etiã mediocriq; intelligentia & sensu remotum est. Vtpotè, cùm nihil aliud illa sit, quàm ratio sermoq; de deo. Quanquam viri prudentes vacantem illam & otiosam esse nolunt: sed ad humanæ vitæ & vsum & finem accommodari. Præterea, Theologia omnem de deo cognitionem tradit: siue ea per naturæ lumen seu diuino solũ munere & illustratione habeatur. Cùm igitur speculetur quicquid de Deo cognoscere humana ingenia possunt, nimirum aut speculatiua est, aut scientia de Deo nulla esse speculatiua potest. Quòd licèt nonnulli huic argumento dederint, adeò tamẽ absurdum est, vt refelli non debeat. Quid? Quòd theologia nostra diuinæ sapientiæ quædam impressio est: quæ eadem & speculandi vim habet & agendi? Nihil igitur obstat, cur non idem lumen vultus Dei, quod signatum est super nos, vtraq; ostẽdat & quæ contemplari oportet & quæ agere. Sicut anima rationalis quòd formarum omnium præstantissima sit, vires quidem excellenter habet & sentiendi & vigendi: sed in ea tamen vis intelligendi prima eademque præcipua est. Nec vires illa exer

cent reliquas, nisi vt proprio tãdẽ intelligentiæ munere perfungatur. In hunc itaque modum Diuus Thomas scienter ac peritè dixit Theologiam muneribus vtrisque fungi & speculandi & agendi: quanuis magis speculetur quàm agat. Non enim agit: nisi quia agendo ad perfectam Dei cognitionẽ tendit. Quibus rebus breuiter explicatis illa tria perspicuè satis, & planè intelliguntur, quæ à principio huius capitis exponenda suscepi, nempè, quænam sit Theologiæ propria notio ac definitio, quæ rursum illi subiecta materies, circa quam ipsa versetur: quis tandem illius finis tum primus tum secundus. Theologia scientia est, quæ docet, quidnam naturá diuina sit, & quæ naturæ eius vires ac proprietates. Deus ipse est doctrinæ huic obiectum subiectumque propositum, & quasi versanda materia: his enim modis res, quam facultas quælibet mente tractandam cognoscendamque proponit, à Philosophis appellatur. Finis primarius quidem naturæ diuinæ notio, & contemplatio per Dei potentias, virtutes & proprietates explicata: postremus autem, earum rerum actio, quæ ad mores sunt ac benè beateque viuendum necessariæ. Et quidem quem vsum loci Theologici habeant vitæ moribus & actionibus accommodatum non institui in præsentia dicere, quanuis magnus ille omnino sit, & qui nobis differendi præstaret valde vtilem copiosamque materiam. Is tantùm vsus, vt supra dixi, nunc mihi expediendus est, quem Theologus capere è locis potest, si in scholę disputationibus illos verset & tractet: cùm scilicet quantum potest, tantum cognoscere curat de deo rebusque diuinis. Non autem mihi excidit, scripsisse me in libro quinto, cùm de ecclesiæ auctoritate in morum iudicio dicerem, duplicem esse de rebus Theologicis quæstionem. Vnam, quæ ad contemplationem attineret: alteram, quę in moribus atque vsu vitę sita esset. Quod à quibusdam sic accipi potest, tanquam hoc, quod nunc habeo institutum, prioridiuersum sit. Id verò à me procul aberit. Nanque aliud est locorum vsum Ecclesiasten in concione docere, vbi de moribus aut hortando aut dehortando agitur, aliud Theologum in vsu locorum instituere, cùm in morum quæstionem incidit: siue illa sit earum rerum, quas scire ad salutem est necessarium, siue earum etiam, quæ fuerint opportunæ. Atque concionatoribus, quemadmodum loca theologica vsurpare debeant præscribere: id ego hoc tempore prætereundum censui.

At quoniam quæstiones fidei & morum à theologo eadem via & ratione tractantur, quam in disputationem Theologiæ veniunt, id ambigendum non est, quæ superiorum quæstionum præcepta fuerint, eadem ad sequentes pertinere. Hæc enim est vna res prorsus, vt non differat multùm inter fidei decreta & iudicia morum: eaque est ex eisdem locis eademque propemodum forma tractanda. Nec verò velim, vt rursum me quispiam in tam frigida tamque ieiuna calumnia remoretur: quòd Theologiam simpliciter & absque vllo temperamento scientiam nuncupauerim. Quasi nescirem Aristotelem in scientia euidentem & claram conclusionis notitiam exigere. Cuiusmodi quum in principijs Theologia non habeat: ne in conclusionibus quidem habere potest. Pugnat enim, rationis conclusionem dilucidam, apertam & manifestam effici: si res, è quibus illa colligitur, obscuræ, opertæ, atque inuolutæ sunt. Porrò autem si non vt Aristoteles, vt sacri auctores, sic nos certè loquimur: qui doctrinam hanc scientiam absolutè vocarunt. Scire, Au- 14. de trin. cap. 1.
gustinus inquit, quemadmodum fides & pijs opituletur, & contra impios defendatur proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. Illud autem sine dubio munus Theologiæ proprium &

Universidad de Deusto
Biblioteca

officium est. Et Hieronymus, vt alios omittam, scripturæ sacræ doctrinam, quam Theologi profitemur, scientiam sapientiamque passim appellat. Quin sacræ literæ, vbi res certa est, ibi nullo modo scienti vocabulum reformidant. Nota sunt illa, Scio quòd redemptor meus viuit, &c. Item, Scio quàm certissimè regnaturus sis, &c. Item, Dedit illi scientiam sanctorum. Item scientiam dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia. Et Apostolus. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ. Præterea euidentiam Aristoteles in disciplinis flagitat, vt rerum cognitio nec fallere possit, nec mutari. Firmam enim immutabilemque notionem scientiæ vocabulum postulat.

Iob. 19. *1. reg.* 24. *Sap.* 10. *Pro.* 2. *1. Corin.* 12

Cùm igitur quæ res in fidem ac Theologiam incidunt, qua ratione in eas incidũt, stabiles immobilesq; sint, nec in eis Theologus errare, labi aut decipi queat: fit, vt sine perspicuitate etiam Theologia scientiæ propriè sibi appellationem vendicet. Quæ eadem causa subest, vt disciplina hæc circa res etiam contingentes, hoc est, sua natura minimè necessarias sine sui nominis impendio & iactura versetur. Necessitatem quippè in doctrina idcirco Aristoteles requisiuit, quòd sine ea nec rerum nec cognitionis stabilitas & immutabilitas appareret. At causæ vel fortuitò antegressæ harumque effecta suapte natura parùm firma & constantia, vt sub Theologiam & fidem cadunt, non mobilia & quę modò huc atque illuc transferantur: sed certa immutataq;, perinde ac perennia manent. Quãobrem vtraque Deus propriè scire dicitur, & quæ necessariò eueniunt, & quæ nobis in casu & fortuna sunt posita. Ritè ergo Theologiam scientiam dicimus, in qua certitudo immobilis, firma constãstia, & vt ita dicam, infallibilitas cognitionis est. Quid? Quòd Musica & Astronomia à plerisque scientiæ nuncupantur, & tamen vix vnus aut alter cælorum siderumque errantium cõuersiones, à quibus disciplinæ illæ nunc pendẽt, proprio vel instrumento vel experimento explorauit? Quin Astrologi ferè iuniores veterum experimenta tanquam certa earũ rerum præiudicia sequuntur, quas ipsi tractandas iudicandasq; suscipiunt. Theologia igitur iure quoq; scientia vocitabitur: præsertim cùm huius doctrinæ principijs accidat, vt obscurè nobis sint cognita. Nimirum enim, si nobis perspicua ac dilucida forent, nihilò seciùs suum hæc disciplina, & nomẽ & rationẽ tueretur. Acre vera, si modò Aristoteles viueret, nõ aliud nomẽ inueniret, quo theologiã aptiùs & cõgruentiùs appellaret. Nã fidem dicere, quę non auctoritati proximè, sed rationi & syllogismo innitatur, absurdũ est. Alioqui si prior propositio certa ex fide sit, posterior autem ratione naturæ probabilis: conclusionis fides erit, non opinio. Quod planè falsũ est. Theologiã ergo, quãdo aliud melius nõ occurrit, sciẽtiæ vocabulo nuncupemus. Firma enim & stabilis earũ rerum perceptio & cõprehensio est: quæ è certis cõstantibusq; principijs manifesta cõnexione nectũtur. Nec enim illud verè dici potest, theologiæ consequentias probabiles & obscuras esse, non euidentes & firmas. Cuius rei argumentum ponunt minimè acutum, sed in primis hebes: quòd si certa esset claraque connexio, conclusiones non iam ad Theologiam, sed ad fidem attinerent. Verùm hæc ratio ridicula est: iure itaque à plerisque reprehenditur. Est enim facile & apertum fidei Theologiæque discrimen. Quòd fides proximè &, vt sic dicam, immediatè auctoritate nititur, Theologia verò proximè & immediatè ratione. Habent enim se, quemadmodum suprà dixi, fides & Theologia non aliter quàm habitus principiorum & scientia conclusionum. Et sicut naturæ lumen absq; ratiocinationis medio principiorum naturalium notitiam efficit: ita lumen fidei nullo adhibito rationis argumento earũ rerum persuasionem facit, quibus fideles assentimur diuina solùm auctoritate nixi. Non igitur consecutionis euidentia & firmitas Theologiam tollit, sed facit: non aufert, sed infert. Quanquam sunt in hac, sicut & in alijs disciplinis, opinationes quædam rebus scitis exploratisque permixtæ. Ac quemadmodum doctrina physica, naturæ licèt ipsa congruens & consentanea, non omnes conclusiones exploratè conficit: sed quasdam probabili argumentatione suadet. Sic plurima Theologus pronunciat quidem constanter, certò, fidenter: in quibusdam tamen præclarè agi secum putat, si verisimile quod sit inuenerit. Nec arbitratur sese scire quod nesciat: aut, perinde vt si omnia certa essent Theologiæ dogmata, nihil formidat, nihil ambigit: sed illud cauet & prouidet, ne vniuersis temerè assentiens & valdè cuncta asseuerans earum etiam rerum auctoritatem, quæ sunt certiores, & illustriores, amittat. Sed ad rem. Cùm incerta connexio est vel altera propositio est incerta, quæ cum fidei principio sumitur, conclusionis opinio erit: Theologia propriè non erit. At siue ambo syllogismi principia fidei sint, seu alterum ex fide certum, alterum ex natura euidens, cõclusio ad Theologiam pertinebit: modò consecutio, aut clara luce naturæ sit, aut fidei illustratione cognita. Haud enim secùs, quod etsi dixi, sæpè ac sæpiùs dicturus sum, haud secùs, inquam, euismodi conclusionis scientia refertur ad fidem quàm ad habitum principiorum naturales disciplinæ. Quæ quoniam ita sunt in promptu, vt res argumentatione non egeat: his omissis pergamus ad reliqua.

¶ Quæ sint Theologiæ principia. Caput tertium.

ENimuerò cũ disciplina omnis quosdam habeat fontes, quos scientiæ principia dicimus: quosdam deinde riuulos, quos quasi scientiæ fines, conclusiones appellamus: necesse est Theologo vsum locorum paraturo discere ante omnia, quænam facultatis suæ causæ & principia sint: quæ effecta causis illis principijsque connexa. Principia verò Theologiæ primùm cognoscenda sunt: nam his cognitis, multò faciliùs extrema intelligemus. Sed quoniam decem locorum generibus propositis adiunximus causas cuiusque generis, easque res ante constituimus, quibus cuiusque vis & natura continetur: non deerit fortasse qui tractationem hanc superfluam esse contendat, immo ea etiam omnia, quæ dicere de locorum vsu instituimus. Argumentabitur enim, Theologiæ non alios esse fontes ac locos ipsos, quos digito etiam indicauimus: tamque apertè & clarè singulorum vires & naturam explicuimus, vt facilè ex quoque loco possimus, nisi simus valde tardi, argumenta colligere. Quid? Nam & hoc dicet aliquis, nonne & ante nostram hanc artem, si modò hæc ars est, Theologi & argumenta inuenerunt: & alia ex alijs nectẽtes rem Theologicam via & ratione tractarunt? Num D. Thomas perfectus absolutusq; Theologus, si hanc Theologiæ partem necessariam iudicasset, eam penitus intactã omisisset? Atquo non verisimile est, cùm cæteræ partes Theologiæ benè descriptę sint, extremũ actum tanq; ab inerti poëta esse neglectũ. Quid igitur laborare opus est, aut in quo euigilare curas & cogitationes nostras: siquidem nihil locorum vsu explicãdo parere tale possumus, nihil consequi, quod sit Theologis magnoperè vtile & necessarium? sed non poterunt huiusmodi argutiæ mentem meam è sua sede & statu dimouere. Ego enim sic mihi persuasi, sic sentio, has nostras de locis præceptiones plurimas res continere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoquo se theologꝰ verterit, presto esse: nulla disputatione excludi. Nã siue argumentum quæritur ad Theologię probanda dogmata firmissimum, siue ratio ad sacras literas explicandas aptissima quæritur: aut hæc ars est, aut nulla omninò, per quam ea assequamur. Nullam verò dicere maximarum rerum artem esse: cùm minimarum sine arte nulla sit, hominum est parùm considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Sed hæc, quibus ad locorum cognitionem & vsum cohortamur, accuratiùs essent forsitan disputanda. Quod alijs quidem libris fecimus. Hoc autem tempore tantùm nobis declarandum fuit, cui D. Thomas diligentissimus absolutissimusq; Theologus hunc de locis tractatum derelinquerit, si tam est, quàm nos dicimus, Theologo necessarius. Et quidem Diuus Thomas in. 1. part. quæst. 1. arti. 8. ad secundum. restrictè breuiterque, vt solet, Theologiæ locos indicauit: non omnes, sed plerosque. Quin etiam, vt homo minimè ingratus illi me dedam, cui me tantoperè debeo, & huius officij seruitutem astringam testimonio sempiterno. Diuus Thomas mihi & auctor & magister fuit huius operis componendi. Sed ille locorum ferè naturam explicuit presè & angustè ac suo demum modo. Non enim dilatat argumentum: sed quasi punctis, quod proponit, efficit. Rationem autem tractandi locos ipsos nec Diuus Thomas neq; alius quisquã, quod equidem sciam, conatus est explicare. Quod idem Aristoteles in locis dialecticis fecerat: qui locos ipsos variè ac fusè quidem complexus est: sed non ostendit quomodo inueniẽdum sit ex ipsis, neque vsum eorum demonstrauit, qui in hac re esset maximus & potissimus, sed vsum nescio quem ad probabilium & communium argumentorum inuentionem literis prodidit: quem ignorare eruditi possunt, nec magnam eruditionis iacturam facere. Quanquam

Ad. 1. argu.

1. topi. lib. ambitiosè fortè magis quàm verè quæ in topicis à se traduntur, ea quatuor vsus habere ipse Aristoteles iactat. Quid igitur? Si Diuus Thom. locorum vsum lilẽtio præteriuit, persecuturus nisi aliquis casus aut occupatio cõsilium eius præuenisset? Aut si non res has consultò & iudicio persequi instituit, certè vel non oĩa possumus oẽs, vel diuinę procurationis fuit, vt priores aliquid posterioribus reliquerint, in quo elaborare quoque ipsi & exercere vtiliter nó solùm memoriam, sed etiam ingenium possent. Hanc igitur partem relictam explebimus nullius adminiculis: sed, vt dicitur, marte nostro. Nec enim quicquam de locis Theologiæ post Diuum Tho. explicatum est, quod mihi probaretur de ijs, quæ in manus nostras venerunt. Quemadmodum igitur in re militari solet, vbi dux non satis esse putat militibus arma dare, sed docet quomodo sit ipsis vtẽdum: manus illorum aptat, componit gradus: quando fugere aduersarium debeãt, præcipit, quando insequi: quando fidere viribus: quando arte vti: quando ferire hostem: quando eius ictus eludere: ducit denique in aciem, præscribit ordinem, locum assignat, de quo iniussu suo non liceat eis discedere. Sic mihi videor facturus, si discipulos meos & informare & instituere ad effigiem absolutæ cuiusdam eruditionis volo. Nec verbis modò præfinire hæc habeo, sed arreptis etiam telis in ludicrum certamen descendere ad exemplum posterorum. Quæ tametsi non ad vulnus, sed ad speciem valere videntur: non inutilia erunt tamen. Quicquid enim in his rebus ad aspectum venustum est, idem vtiliter fit ad veram pugnam, si quãdo illa cum aduersarijs committatur. Quod siquis sine arte id, quod artis est, effecit: permittat obsecro mihi meique similibus vt artem & præcepta adhibeamus. Sunt prata, quibus natiuus & indigenitalis humor interiùs infusus est. Sunt quæ nisi extrinsecus

Ad. 2. argu.

cus humore allapso irrigari non possunt. At disseruerunt Theologi nonnulli ante me valde feliciter. Primùm, idem erant expeditiùs certiusque facturi, si hoc genus exercitationum nostrarum degustassent. Quamlibet ager fœcundus sit, fœcundiorem eum tamen faciet agricola, si diligenter & studiosè colat. Sic igitur & si ingenijs magnis prædita quidam copiam in Theologia disserendi sine arte consecutisunt, ars tamen, vt Tullius ait, est dux certior quàm natura. Aliud enim est argumẽta cõgerere aut potiùs spargere ac dissipare: aliud eadem via & artificio premere. Nam qui sciet vbi quidq; positum sit quaque eò veniat: is etiam siquid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Non itaque si nulli fuerunt, qui locos artificiosè digestos generatim composuerint, nulli qui partem hanc Theologiæ dissolutam diuulsamque conglutinarint & ratione constrinxerint: statim nostrum hoc opusculum superuacaneum erit, immo verò eò magis necessarium doctis & ingenijs fortasse, tardis & rudioribus sine dubio. Deinde, non mihi videntur scholastici Theologi, fatendum est enim quod sentio, admodum compositè & ordinatè disputationes Theologiæ distinxisse. Diuum Thomam semper excipio, apud quem mirabilis est cõtextus rerum, summus quæstionum & articulorum ordo, & compositio disciplinæ incredibilis. Adeò respondent extrema primis, media vtrisque, omnia omnibus. Nam de argumẽtorum copia quid attinet dicere? Cùm de infinitis propè quæstionibus in vtramque partem disserendi tanta illi facilitas & abundantia fuerit, vt non contra omnia semper, sicut Archesilas disputarit, & tamen vt in omnibus rebus quicquid extraque parte dici posset expresserit. Cæteri scholæ auctores perturbatione rationis atque ordinis multùm omninò peccauerunt, Magistrum videlicet secuti: in cuius quatuor sentẽtiarum libris multa quidem lectio sanctorum apparet, & pro tempore illo haud mediocris sanè eruditio. Sed præter distinctionum vocabula, in quas libri illi diuisi sunt, nihil distinctum ferè videas rectèque & ordine distributum. Testimoniorum congeriem dicas potiùs, quàm dispositionem & rationem disciplinæ. De trinitate prima est illi disputatio. Ita priùs relata quàm absoluta persequitur. Nam de iustitia & misericordia Dei in. 4. Senten. quasi præteriens disputauit. De virtutibꝰ in tertio. De vitijs quibusdã item in quarto. Innumera sunt eiusmodi confusè ab illo perturbateque tractata. Quamobrem scholasticis, qui huius vestigijs inhæserunt, confusa etiam ferè ac perturbata sunt omnia. Nec magistrum ego volo fraudare suo veteri nomine, magnum vtique, vt ætate illa, virum: & quem iure coluerint posteri.

Nec scholasticorum laudi, quam multorum seculorum firmauit opinio, detrahere quicquam volo. Sed ingenuè ac liberè dico, quid in illis desideretur, quidq; illi præstarent homines ingenio doctrinaque præstantes: nisi disserendi artem neglexissent. Nam quod spectat ad argumenti inueniendi rationem, fontes quosdam videntur etiam ignorasse: adeò nulla ex quibusdam eorum fontium argumenta proferunt. Quotus enim quisq; ex traditionibus Christi & apostolorum argumentatur? atque ex concilijs rarò, ex sacris literis non adeò frequenter, ex historia vix semel. At mea quidem sententia nemo poterit omni laude esse cumulatus Theologus, nisi & erit horum locorum omnium scientiam consecutus, & ex eis promptum expeditumque pararit ad argumentandũ vsum. Nam de locorum natura & vi quidem satis fateor suprà à me dictum.

Sed in eisdẽ nunc nó frustra versabimur cùm docebimus, quisnã eorum locorum vsus sit, & quemadmodum ex eis argumenta

Ad 1. argu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menta ducenda. Id quod non omnibus ita facile est: vt nec præceptis nec exemplis nostris indigeant. Sed hæc hactenus. Iam ad instituta pergamus. Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter: comprehendam breui quæ sint Theologiæ principia. Theologiæ naturalis & supernaturalis, hinc enim ordiendum est, facilis est et expedita distinctio. Theologiam naturalem voco Metaphysicam, ea parte, qua Dei naturam per naturæ rationes inquirit. Quæ est nobis, id est, Christianis cum philosophis gentium communis. Supernaturalem autem eam dico, quæ eiusdem Dei & naturam & proprietates per principia ea inuestigat, quæ sunt hominibus diuinitus reuelata. Reuelationem porrò Theologorum more hîc accipio, quæ hominis & captum superat & ingenium. Nam Paulus ea etiam, quæ naturali ratione & lumine cognoscuntur, Dei reuelationi & manifestationi tribuit. Atq; hæc supernaturalis Theologia propria est fidelium & Christianorum: tantò disciplinis cæteris melior, quantò diuina auctoritas, in qua illa sustentatur, humana omni ratione potior & antiquior est. Rectè igitur D. Tho. docet, quòd argumentari ex auctoritate est maximè proprium huius doctrinæ: eò quòd principia huius doctrinæ per reuelationem habentur: & sic oportet ꝙ credatur auctoritati eorum, quibus reuelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinæ. Nam licèt locus ab auctoritate, qui fundatur super rationem humanam, sit infirmissimus: locus tamen ab auctoritate, qui fundatur super reuelationem diuinam, est efficacissimus. Tantum ille. Ergo quoniam omnis oratio nobis de Theologia ea, quæ est supra naturam, instituitur: ideò huius solùm principia quæ & qualia sint, exponendum est. Hoc verò vt scholæ congruenter fiat, nodos illos & proferendos & soluendos puto, qui rem totam istam illigant & impediũt. Primus est, quòd D. Thom. paucis verbis multa peccare videtur. Vnũ, quòd secum ipse pugnat. Modò enim ait articulos fidei esse Theologiæ principia: nunc autem illa omnia, quæ in sacris literis continentur: imò aliquando vniuersa etiam, quæ sunt diuinitus reuelata: in quibus traditiones profectò Apostolorũ sunt, quam quam in libris canonicis non inueniuntur scriptæ. Potest ne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatũ, quòd cùm Paulus inter ea, quæ credere oportet, duo illa numeret, Deum esse & esse remuneratorem inquirentium se: D. Thomas contrà docet, illa fidei articulis minimè comprehendi, sed à fide potiùs supponi. Non sunt igitur Diuo Thomæ hæc Theologiæ principia: siquidem non sunt propositiones reuelatæ, quas fide credimus, sed naturæ lumine ab hominibus cognoscũtur: ob idq; fidem ipsam antecedunt, cuius de creta ea demũ sunt, quæ in proprijs Theologię principijs habere debemus. Nec a postolo solùm sed rationi quoque illi Diuus Thomas videtur aduersus, quę diluci dè probat, Deum esse, proprium idemq; primum censeri Theologiæ principium. Est enim Deus, vt suprà dixi, res huic disciplinę propriè subiecta. Omnis autẽ disciplina ponit in primis & rẽ sibi subiectã esse, & quid etiam res illa sit. Deũ itaq; esse, propriũ est Theologię principium: quia speculatrix est. Nam quia et effectrix, illud habet principium primum, Deum esse remuneratorẽ inquirẽtium se. Tertium Diui Thomę peccatum cõmune cum plerisq; Theologis, quòd cùm plurima sint à Deo reuelata non solùm ijs, qui canonicos libros scripserunt, sed alijs etiam sanctis Dei hominibus, Martino, Nicolao, Benedicto, Dominico, Francisco: fidem & Theologiam asserit non quibuslibet Dei reuelationibus niti, sed ijs dũtaxat, quas scripturę sacrę auctores habuere. Constat autẽ & diuinã reuelationẽ generaliter esse fidei Theologię q; ratione formalẽ & fidẽ quibusq; Dei dictis assentiri.

Rom. 1.

1.p.q.1. artic.8.ad.2.

1.p.q.1.art.7.&8.p.q.1.ar.8.ad.2.
2.2.q.1.a.5.ad.2.
1.p.q.1.art.5. ad.2.&ar.8.ad.2.
Hebr.11.2.
1.p.q.2.art.2.&2.2.q.1.artic.5.ad.3.

Est

Est nanq; virtus, quæ Deo dicenti credit. Atq; hic nodus primus in verbis quidem D. Thomæ est. Nam secũdus non modo Diuum Thomã, sed cæteros ferè omneis astringit. Nulla enim omnino disciplina sua principia ratiocinatiõe probat, sed ponit: idcirco enim positiones seu petitiones nuncupãtur. At Theologia ea, quæ fides tenet, ratiocinatione concludit: non ergo eadẽ sunt huius disciplinæ principia, quæ & fidei decreta. Quòd verò Theologia fidei dogmata argumentando comprobet, multifariam suaderi potest. Primùm quia Deum esse vnum, immortalẽ, rerum humanarum procuratorẽ, &cætera eiusmodi, per fidem à Christianis accepta claris Philosophiæ argumentis demõstramus. Tum rursus, quia Deum esse creatorem, fidei articulus est: id aũt ratio quoq; naturalis ostendit. Adde, ꝙ apostolus Petrus iubet nos esse paratos ad reddẽdam rationem de ea, quæ in nobis est spe: atq; ideo de ea, quæ in nobis est fide. Adde etiam, ꝙ huic scientiæ attribuitur illud, quo fides salluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: id quod ex D. Augustino acceptum omnium Theologorum ore teritur. Si ergo rerum naturalium cognitio, vt Augustinus ait, fidem & gignit & nutrit & roborat nimirũ ea, quæ fidei sunt, ratione naturali Theologia patefacit. Nõ ergo fides Theologo principia tradit, nisi sua ipse principia probet: quod ab omni prorsus disciplina alienum esse adeò exploratè perceptum est & cognitũ, vt non sit à me in præsentia confirmandum.

1.Pet.3.

14.de Tri. cap.1.

1.per.q.32. artic.4.

Tertius nodus ex verbis quoq; Diui Thomæ nectitur. Docet nanq; ad fidem aliquid pertinere dupliciter. Vno modo directè, sicut ea, quæ nobis sunt principaliter à Deo tradita. Alio modo indirectè, vt ea, quibus negatis consequitur aliquid fidei manifestè contrarium. Vt si quis neget Samuelem esse filiũ Helcanæ: ex quo sequitur diuinam scripturam esse falsam. Hactenus non verbis quidem eisdem, sed sensu eodem ille ait. Et rursum alio loco affirmat, omnia, quæ sunt in sacris literis tradita, præter ea, quibus homo beatus efficitur, per accidens ad fidem spectare. Vt Abraham duos filios habuisse, & Dauid fuisse filium Isai. Quòd si eiusmodi, licèt in libris sacris expressè etiam conscripta sint, indirectè tamen & per accidens ad fidem attinent: non sunt profectò Theologiæ principia. Nec enim cuiusquam disciplinæ fundamenta fabricam illius disciplinæ ex accidenti & indirectè constituunt. Poteram & alijs argumentis hãc quæstionẽ implicare sed verebar, ne & hæc quoq; lectori delicato multa nimiũ viderentur. Atq; hæc pauca licèt, vrgent tamen & nihil remittunt: vt omnia ea explanemus, quæ Theologiæ initijs exponendis necessaria sunt. Expediemus itaque primùm, quænam sit huius doctrinæ ratio formalis. Deinde quæ eius natiua germanaq; principia. Atq; in his, quæ capitalia sint: quæ verò legitima quidem, sed secundaria tamen. Postremò, quæ sint extranea & aliena, hoc est, ascita & accersita ab exteris disciplinis.

2.2.q.2.ar tic.5.

Formalis ratio Theologiæ, quoniam illud in primis suscepi explicadum, non est vna & simplex, sed duplex & bipartita. Est nanq; ratio formalis rei obiectæ, quia res est, quomodo deitas Theologiæ ratio dicitur. Est item ratio rei, vt mentem ad assentiendum mouet, quemadmodum veritas prima reuelans Theologiæ habetur ratio. Sic rationes videndi intelligimus & colorem & lucem: colorem quidem prior e modo, lucem autem posteriore. Atque illam quidam vocant rationem quæ, hãc rationem sub qua. Puto nobis concedi oportere, vt scholæ verbis vtamur, si quãdo minùs occurrent Latina. Quin Latina etiam interdum reliquẽda sunt, ne in scholastica disputatione nõ tã explicasse res, q̃ verba affectasse videamur. Quia verò de ratiõe formali rei huic doctrinę subiectæ, qa res est, nulla esse potest inter viros do-

ctos

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctos controuersia: de ratione formali ex parte habitus & potentiæ cognoscẽtis huiusmodi conclusiones statuo.

Prima conclusio. Primam, Ratio formalis fidei non est ratio Theologiæ formalis. Nam si Theologiæ principia lumine prophetiæ cognoscerentur, aut lumine etiam gloriæ beatorum, conclusiones nihilò seciùs ad Theologiam pertinerent. Erat enim Christus Dominus longè omnium, quicunq; fuerunt, Theologia diuinæq; naturæ cognitione princeps, qui tamen sine fide conclusionibus Theologiæ assentiebatur. Exigit quippè fides in ratione sua formali obscurum quiddam & inuisum, cùm sit substantia rerum sperandarum & argumentum non apparentium, Theologia verò euidens quoque & clara esse potest. Nam est ratio sermoque de Deo. Atque inter prophetiam & fidem si Diuo Thomæ credimus, nonnihil interest. nec lumina sunt eadem, quibus vates ad vaticinandum & fideles ad credẽdum illustrantur. At si vates illustratione sua illa Theologiæ principia cognoscat, & ea, quæ consequũtur ac repugnant, ratiocinãdo colligat, Theologus profectò erit, tametsi Theologiæ eiusmodi ratio formalis non fidei lumen sit, sed prophetiæ.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est. Esse reuelatum à Deo lumẽ è diuinitus infusum est ratio Theologiæ formalis, siue illud lumẽ fidei sit seu prophetiæ seu gloriæ. Theologia nanque supernaturalis, de qua nunc loquimur, lumen aliquod natura ipsa superius generaliter ad principia cognoscẽda requirit: sed quale id in specie futurum sit, nec nomen Theologiæ, nec notio propria definit. Verùm quia Theologi non de beatorum, sed de viatorum Theologia disputant, nec quærunt quid disciplinæ ipsi, sed quid naturæ nostræ conseneum sit: idcirco ferè asserũt, Theologiæ principia per fidem à Theologo intelligi. Lumen quippè prophetiæ vel, quoniam rarum est, generali præceptioni nihil obstare creditur: vel, quoniam est, vt lumen fidei, obscurum, in lumine fidei communiter & cõfusè intelligitur. A qua nos consuetudine minimè abhorrentes, Theologiæ nostræ principia per fidem accipi oportere sæpè dedimus.

Tertia conclusio. Vnde illa tertia conclusio nascitur, Theologiæ nostræ formalem rationem eandem ac fidei esse. Tametsi aliter ad assentiendum principijs mouet, aliter ad assentiendum conclusioni. Illis, inquam, sine medio syllogismo & ratione: huic ratione & syllogismo intermedio. Quo discrimine, vt diximus, Theologia & fides non verbis & cogitatione, sed vniuersa re & toto genere secernuntur: quanuis vtriusq; ratio eadem formalis sit. Sanè D. Thomas multis in locis fidei nomẽ, vt videtur, existimat manare latissimè: idq; versari in omnibus, quæ à Deo sunt dicta & reuelata siue auctoribus sacris atq; canonicis, siue alijs quibuscunque diuino quodam spiritu afflatis. Quod si verum est, ratio fidei formalis longè etiã lateq; patebit: vt nõ solùm cõtineat reuelatiões prophetis & apostolis factas, sed eas etiã, quæ cæteris quoque sanctis ecclesiæ Dei factæ sunt: immo illas etiã, quas viri interdũ improbi diuinitus habuerũt, vt Balaã & Caiphas, quorũ prædictiones ad fidem attinere ne dubitari quidé potest. Eadem ergo causa subest, vt cætera etiam, quæ quibuslibet alijs reuelata à Deo sunt, ad fidei rationem referantur. At enim. 1. part. quæst. 1. artic. 8. ad secundum, vt inter argumentandum obiecimus, verbis nihil obscuris docet, fidé nostram non inniti reuelationibus alijs præter eas, quas Apostoli & Prophetæ, auctores videlicet canonicorum librorum, ediderunt. Id quod Paulus cõfirmat, quo loco ait, fideles esse superædificatos super fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Nulla igitur alia nisi prophetarũ, Christi apostolorumque doctrina fidem ecclesiæ fundat, nulla alia Theologiæ principia

cipia continet. Eadem enim sunt disciplinarum principia ac fundamenta. Adde, qp fides est virtus Theologica cum religione ecclesiæ erga Deum coniũcta & sociata. Non ergo quęcunq; à Deo reuelata ad fidei virtutem pertinent, sed ea tãtùm quæ ad ecclesię etiam religionem perũnebunt. Quia verò nihil ecclesiæ refert ea credere an non, quæ Brigidæ Catharinæque Senẽsi visa sunt, nullo certè modo ad fidem illa referuntur. Adde etiam, quòd fides, de qua hîc sermo fit, non est priuata virtus, sed communis. Ea enim re catholica dicitur, hoc est, vniuersalis. Quocirca priuatæ reuelationes, cuiusmodicũq; & quorumcunq; illæ sint, ad fidem catholicam non spectant, nec ad fundamenta & principia ecclesiasticæ doctrinæ, quæ vera germanaque Theologia est. Cuius rei illud item non leue argumẽtum est, quòd quæ non per ecclesiam & eius publicos administros fidelibus proponuntur, illa non credit catholica fides. Videlicet, æquum erat, vt quæ ad Rempub. generaliter attinerent, hæc non priuati quiuis homines ad eam retulissent, sed eius communes omnino administri. Fundamenta eius, inquit, in montibus sanctis. Id, quod explicaturus statim adiunxit, Dominus narrabit in scripturis populorũ: & principum horum, qui fuerunt in ea. Scripturæ ergo priuatæ non sunt fidei ecclesiasticæ fundamenta, sed scripturæ populorum, quas nobis principes ecclesiæ tradiderũt. Quãobrem in principijs Theologiæ nostræ non ea sunt habẽda, quæ priuatè & singulariter quibusdam hominibus significata à Deo sunt, sed quæ communiter & publicè ecclesiæ suæ locutus est Deus. Id si cõsentaneum est, vt videtur certè, necessariò fit consequens: vt ratio fidei Theologiæq; formalis non sit tam diffusa & ampla, q̃ nonnullis apparet: sed multò astrictior atq; contractior, vt intelligatur esse veritas prima ecclesiæ reuelans ea, quæ ad religionem attinent. Id, quod sine dubio fidei cõstantia, certitudo & firmitas requirebant. Nullo enim loco firma stabilisq; ac fixa consisteret, si priuatas reuelationes sequeretur. Nec mihi quisquam angelorum in via fidem & religionem obijciat, quibus nescimus an Deus quæ credere illos oportebat, per se hæc an per aliquem publicũ administrum angelũ superiorem proposuerit. Illud dico, in angelis quoque communem fuisse fidem, cõmunem reuelationem, quę non priuatæ vsurpationis esset, sed publicæ religionis. Nam quod obijciebatur de Balaam & Caiphæ prophetijs, hoc facilè reijcitur. Non enim illorum verba ad fidem spectant, quia dixerunt illi, sed quia auctores sacri scripserunt. Ac formalis Theologiæ ratio quænam illa sit, breuiter quidem, sed non indiligenter exposui. Sequitur vt explicẽ, quæ sint huius disciplinæ propria legitimaque principia. Qua in re video nihil nos laborare oportere. Facilè enim è rebus positis intelligitur: omnia, quæ sunt per sacros auctores ecclesiæ diuinitus reuelata, in proprijs Theologiæ principijs habẽda. Non ea solùm dico, quæ auctores sacri scriptis suis prodiderunt, sed quæ verbo etiam posteris commendarunt. Id quod explanatum est in tertio huius operis libro diligentissimè. Auctores autem sacros appello, non eos modò, qui libros canonicos scripserunt, verumetiam Christum dominum, qui & vitæ & doctrinæ catholicæ primus est auctor, & apostolos, qui ministri fuere sermonis. Nec si conciliorum & apostolicæ sedis auctoritas fidem certam facit catholici dogmatis aut sanctorum etiam omnium consensus & conspiratio vna: idcirco aut principia Theologiæ cumulamus, aut eius formalem rationem extendimus. Quoniã, vt sæpè aliàs diximus, nec concilia nec sedis apostolicę põtifex nec sancti scripturarũ interpretes nouas fidelibus reuelatiões edũt sed quas ab apostolis accepit ecclesia, aut posteris integras & illibatas tradunt, aut illas expri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munt & interpretãtur: aut certè cõsequentia & connexa colligunt, aduersa & repugnantia manifestant. Principiorum itaq; Theologiæ numerus è libris sacris atq; apostolorũ traditionibus integerrimè constituitur. Quamobrem duobus primis locis contenta sunt oĩa, quæ in initijs Theologiæ veris & germanis numeranda sunt. Sed his initijs tãquam seminibus ab ecclesia datis, quæ Christus apostolis, apostoli ecclesiæ dederũt, pastores & doctores ac Theologi in vniuersum omnes eã rigant & excolunt: & quę plãtæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt & ostendũt. Illa fundaméta sunt Theologicæ ecclesiasticæq; doctrinæ, quæ Christus per apostolos posuit, cæteri siue cõcilij patres, siue pontifices summi, seu ecclesiæ doctores sanctè omninò superædificant. Nam fundamenta alia nemo potest ponere pręter ea, quæ posita sunt, apostolorũ & prophetarũ ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Enimuerò disciplinarum principia non eodem gradu locata sunt omnia. Quædã enim simpliciter prima sunt, quæ vi sua generali cætera cõtinent, vt in metaphysicis illud, Impossibile est simul affirmare & negare. Qualia in Theologia sunt illa, Deus est, & est remunerator inquirẽtium se: in quibus tãquam in primis credibilibus omnes fidei articuli implicitè continẽtur: quemadmodum D. Thomas eisdem quoque verbis affirmat. Alia sunt principia pręcipua quidem & immediata, sed contractiora tamen, q̃ illa communia: quæ erant cæterorum omnium quasi fontes. Huius generis in physicis ea sunt, Res naturales materia formaq; constare. Naturam esse principium motus & quietis: in Theologia verò articuli fidei capitales, qui, vt D. idem Thomas ait, primò & per se credendi fidelibus proponuntur. Nimirum enim de Deo, qui est res Theologiæ subiecta, ea articuli enuntiant, quæ vel ex perpetua æternitate in Deo insunt, vel humanæ salutis ergò dispositа in tempore ac dispẽsata sunt. Eundem quippe Deum, qui trinus & vnus est, qui creauit mundũ, qui & impios facit iustos, & felices pios: eundem, inquam, credimus & hominem factum & natum & mortuũ & sepultum & suscitatum & eleuatum in cælos. Iure igitur hæc prima sunt & propria Theologiæ pronunciata: quæ à nobis de subiecto disciplinæ nostræ vel maximè supponuntur. Initijs enim his principalibus nõ concessis Theologus progredi ne digitũ quidem potest. Ac sunt priora illa similia ijs, quas Philosophus appellat dignitates. Accedentem nanq; ad Deum oportet credere quia est, & inquirẽtibus se remunerator sit. Quicũq; igitur disciplinam aliquam supernaturalem discere parat, eum necesse est duas illas generales prænotiones animo antecepisse. Quæ dignitatũ nota propria atque insignis est. At hæc posteriora principia suppositiones Theologiæ non iniuria vocabũtur. Eas enim Theologus discipulo suadere quodam modo aut explicare certè valet. Sed prẽter hęc duo principiorum genera sunt alia non propter se potissimè petita, sed, vt D. Thomas sentit, eorũ, quæ sunt potissima, explicandorum gratia. Cuiusmodi sunt, inquit prẽter articulos fidei omnia, quæ in sacris literis assumuntur vel Dei natura & maiestate explicanda vel exponenda ipsius in homines beneuolentia rerumq; omnium procuratione, quæ illis essent vtiles & necessariæ. Hæc verò tametsi nõ fidei sunt nec Theologiæ præcipua capita, sed his ex accidenti cõiuncta & quasi principia secũdaria: accipit tñ ea Theologus, nõ aliter ac philosophus principia per se nota, sine medio & ratione perinde vt articulos fidei acceperat. Hęc enim quasi naturalis atq; insita in animis fidelium notio inest, vt quicquid ab apostolis scriptum traditumque est, verum esse sentiant. Ac Theologię legitima germanaque principia hęc sunt. Nam, quę vel à metaphysicis, vel à physicis, vel à mathematicis, vel à reliquis demum naturæ

2.2.q.1.artic.7.

disciplinis ascisci perspicua per se euidentiaq; principia, non ex sua sumit viatq; natura, sed foris inuẽta in proprium vsum mutuatur, aut certè iure quodam suo vendicat. Forsitan quispiam dixerit, Nonne igitur multæ variæque erunt rationes Theologiæ formales? Siquidem multarum disciplinarum varia item principia sunt. Minimè verò. Non enim exadiunctis & extrinsecus attributis doctrinarum formalis ratio petitur, sed ex proprijs natiisque principijs. Atqui in Theologia horum omnium vna & eadem ratio formalis est: nempè lumen fidei supernaturale. Quæ igitur sint Theologię principia tum germana tum aliena, atque ex illis quæ prima quæ secunda: ex primis verò quæ generalia, quæ quasi in speciem contracta: satis, vt reor, dilucidè aperteq; docuimus. Quibus ex rebus intelligitur è decem locis duos primos, ppria & legitima Theologiæ principia continere: tres postremos externa et aliena: nã quinq; intermedij aut interpretationẽ principiorũ propriorum continent, aut eas, quæ ex his ortæ & profectæ sunt, conclusiones. Hæ cuiusmodi in Theologia sint, statim explico, si priùs argumẽta refello, quibus suprà vsus sum, quum de principijs eiusdem Theologiæ quærerem. Ad quas ipsas argumẽtationes ex superioribus dictis satis multa responsa sunt, quibus perspici possit aduersum D. Thomam, quem vel maximè impugnãt, eas nihil habere virium. Tanta vis est veri, vt speciem falsitatis obscuret, si modò id patefactum & illustratum est. Sed singulis tamen respondere volumus, vt studiorum ingenio morigeremur.

¶ Caput Quartum. Capitis superioris argumenta refellit.

PRimum ergo argumẽtum tria. D. Th. falsa peccata obijcit: quorum vnũ iam omnino depulsum est. Ecquid eñ illa pugnant, articulos fidei primaria esse Theologiæ nostræ principia: sacras autem literas continere etiam secundaria? Quia verò non omnia continent sed pleraq;, illud etiam his valde consentit & congruit, diuinam veritatẽ sine scripto quoq; rationem esse fidei formalem. Sunt enim quædam verbotenus ecclesiæ tradita, quę in Theologię veris germanisq; principijs habẽtur. Prima itaq; calũnia adhibita nihil premit. Quæ secundo loco adhibetur, ea presiùs vrget. Sed si cùm animũ attenderis, videas de Deo nos duobus modis loqui posse: tunc hęc etiam calumnia contũdetur. Intelligendum ergo, sermonem de Deo dupliciter haberi. Aut quia principium est finisque naturæ: aut quia supra naturam est & principium & finis. Sanè quandiu præstantem æternamque mentem intelligimus solutam à corpore & liberam, segregatam ab omni concretione mortali: quę omnia sentiat & moueat, quæ cælum ac terras tueatur & regat: ad quã res vniuersæ quoquomodo possunt contẽdant & enitantur vt veniant: tandiu Deum naturaliter intelligimus, tandiu de eo naturaliter loquimur. At si consideremus Deum ipsum potiore quodam lumine nobis ostẽsum, quo apparet in vna deitate trinus, in effectis supra naturam admirabilis, omnium eiusmodi effectorum supernaturalium & prima causa efficiens & postremus finis: atque adeò creaturæ rationalis vna & summa felicitas: tunc ratio Dei multo alia, sermo longè diuersus est. Cùm igitur Paulus inter ea, quæ credere necesse est, duo illa ponit, Deum esse & esse remuneratorem inquirentium se: Deum intelligit, non vt naturæ oculis cernitur, sed vt illustratione superiore apparet supernaturalium rerum primum principium vltimusque etiam finis. Quo sensu Diuus Thomas. 2. 2. quæst. 1. artic. 7. ait, omnes articulos in primis illis credibilibus cõtineri, scilicet, vt credatur Deus esse, & prouidentiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

uidentiam habere circa hominũ salutem. Cùm autem alijs locis affirmat duo illa in fidei articulis nó esse, sed à fide potiùs supponi: de Deo iuxta naturæ lucẽ loquitur. Quẽadmodũ enim gratia supponit naturã, ita cognitio gratuita cognitionẽ naturalem, vt idem. D. Thomas refert. Frustra verò eum fidei doctrina velis imbuere, qui non habeat duas illas naturæ anticipationes, Deum esse, & habere hominum prouidentiam. Nulla porrò gens tam fera est, vt ait Cicero, quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Qui autem Deum non prænouerit procuratorem esse rerum humanarum, atque adeò hominum rectorem & iudicem, is longissimè abest à nostra disciplina. Quòd si iudex hominum & rector Deus est, si etiam alio modo intelligi non potest, nisi summa sapientia iustitia, & potestate præditus: fit vt & præmia virtutibus parata habeat, & supplicia vitijs. Nec enim vlla omnino Respub. quod Solon verissimè dixit, nisi duabus rebus contineri potest, præmio & pœna. Quæ causa Platonem mouit, vt quoniam videbat optimos sæpè viros pro rebus præclarè gestis nullo in hac vita præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo monimento laudis decoratos: assereret animos immortales officij præmium & fructum aliquando accepturos. Absurdum quippè esse, vt verus, iustus & honestus labor honoribus, præmijs, splendore careat: si qua est in cælo pietas; si quod numen, quod talia curet. Non itaq; aut campos Elisios, aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali sitim poëmatis solùm esse: sed historiæ. Nam vt ficta sint à poëtis isthæc omnia, veri tamen significandi gratia ficta sunt: vt vilissima illa verissimaq; sententia in animis hominum inscriberetur: Rectè factis præmia, peccatis supplicia deberi. Quo magis Caietanum miror, qui in epistolam ad Hebræos multùm omninò & à sensu apostoli & à veræ naturæ institutione defecit. Atque eum in errore secuti sunt quidam non satis diligenter nec Pauli consilium, nec vim rationis attẽdentes. Sed vt perspiciat lector vnde omnis iste natus sit error, totã rem aperiam: eaq; ipsa verba subscribam, quæ ab inuentore & quasi architecto huius opinionis dicta sunt. Qui non credit Deum esse, ait, nunquam accedet ad eum. At si obieceris hoc non cõgruere ijs, qui euidẽter cognoscunt demonstratiuâ scientia Deum esse. Tales enim cùm videant Deum esse, impossibile est q̃ credant Deum esse quùm fides sit argumentum rerum non apparẽtium. Solutio est, q̃ doctrina hæc in communi datur, & propterea dicitur in cõmuni, quòd oportet credere quia est. Lõgè autem melius esset, si nó crederet, sed sciret quia est. Sed hoc rarum aut rarissimũ est. Alterum verò, q̃ Deus inquirentibus se remunerator sit, scilicet, in futura vita, oportet fide teneri: quoniam nulla scientia speculatiua ad hoc attingere potest: & sine huius rei fide nullus accedit ad Deũ. Hactenus ille. Quo in loco vniuersa ratione mea cum illius tota confligendum puto. Primùm ergo, si placet, quæ de illo principio, Deus est, sunt à Caietano dicta videamus. Atq; illud videns prudens; præterea, lõgè melius esse scire quã credere: Id quod verum esset, si de humana fide loqueretur. At fides, quæ Deo dicenti innititur, multò certior & potior est, quàm ea scientia, quæ ingeniorum nostrorum ratione cõstat. Sed hæc ostẽdere non est præsentis loci & temporis. Illud ppriè huius disputationis est, si Pauli sẽtẽtiam in cõmuni & de ijs, quę frequẽter eueniunt, intelligamus: tunc totam nos Pauli argumẽtationem eludere. Conabatur siquidem apostolus eo capite mõstrare veteres omnes, quotquot à deo probati sunt, testimonio fidei probatos esse. Cùm verò in enumeratione Enoch quoq; inter cæteros induxisset, non aliter ostendit illũ fide esse probatum, nisi quia ante trãslationem testimonium habuerat placuisse

placuisse Deo. Qua propositione è sacris literis posita euestigiò assumptionẽ adiũxit, Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedẽtem ad Deum, &c. Hoc verò argumentum, quo assumptionem illam probat apostolus, vanum & imbecillũ est, si demus non oportere semper credere accedẽtem ad Deum quia est, sed aliquãdo, rarò tamen, satis esse scire. Refellemus enim argumẽtantem apostolum ea responsione, q̃ fieri potest, idq̃ melius esse, vt quis sciat esse Deum: quo casu non oportebit credere Deum esse. Itaq; fiet, vt non sit impossibile sine fide placere Deo. Enoch autem vnum ex eis esse, qui non credebant, sed sciebant esse Deũ. Quẽadmodum ergo cùm apostolus ait, sine fide impossibile esse placere Deo: non in cõmuni & vt plurimũ loqui intelligendus est, sed semper ac de singulis hominibus viatoribus: sic quũ causam eius rei reddit inquiens, Credere enim oportet accedẽtem ad Deum quia est: eodem modo intelligitur nullum omninò excipere, sed de omnibus atq; de omni tempore loqui: si illa ipsius argumẽtatio quicquam habitura est ad faciendam fidem virium. Iam verò quod ad sequens principium attinet, Caietanus in hoc defendẽdus est, q̃ dixerit per nullam speculatricẽ scientiam, cognosci euidẽter posse, Deum esse remuneratorem inquirentium se: si de remuneratione supernaturali intelligit. In nulla verò scientia ostendi præmiũ aliquod iustos sapientesq́ue viros manere post mortem: hoc Caietanus generaliter videtur asserere, hoc cogor ego improbare. Chrysostomus porrò homi. 4. de proui. tradit, qui animi immortalitatem in dubium vocant, eos addubitare: num in meridie sit dies. Si enim, inquit, negant animos esse immortales, negant supplicia improborum post hanc vitam, negant præmia iustorum. Prouidentiam itaq; Deo negant, atq; adeò diuinitatem, quæ sine prouidentia intelligi non potest. Nam si ij, qui Deum ritè colunt iniurijs affecti migrant, impij contrà iniusta felicitate potiti: non ergo iustitia in Deo est, si suos potest honoribus præmijsq; donare. Quòd si Deo aut potẽtiã, aut iustitiã, aut oculos ad cernendũ tollis, Dei vocabulũ inane sit. Omni nãq; ratione concluditur, vt si nullo præmio afficit eos, qui inquiruntillum, ne Deus quidem vllo modo sit, nisi Deum aut cęcum, aut imbecillum, aut iniquum habeamus. Cæcum, qui suos nó videat: imbecillum, qui dare præmia non possit: iniquum, qui nolit. Qui igitur negat alterum, is vtrũq; tollat necesse est: & si non habet remuneratorem inquirentium se, ne Deum quidem habeat oportet. Illud quoq; vix intelligo, quid sibi Caietanus velit, cùm ait nullam scientiam speculatiuam hoc attingere: an Deus sit remunerator inquirẽtium se: vnde colligit oportere vt id fide teneamus. Quid enim si nulla speculatrix scientia illud assequitur? Nonne satis erit, si aliqua effectrix assequatur? Mihi quidem illud persuasum est, quẽadmodum Deum, hoc est, primam causam efficientem esse speculatrix naturæ disciplina declarat, ita & effectricem quoq; naturæ eiusdẽ disciplinam, Deum esse omnium postremum finem, ostẽdere. Neq; hoc solùm, sed illud etiam, naturę leges aliquem habere & auctorem & iudicem, nisi fortè sola hæc lex deserta sit, quę nullum legislatorem habeat: aut si quis iura hæc mundo præscripsit, nullam iuris huius seruandi curam tangatur. Quòd si tam ignarus est, vt nesciat præmia & honores virtutẽ alere, iacẽreq; eam semper, si præmijs & honoribus destituta sit indignus profectò est, ad quem auctorem & iudicem sanctissimas naturæ leges referamus. Quocirca si de Deo diuinaq; remuneratione sermonem facimus quatenus naturæ lumen ostendit, vtrunq; in hoc lumine agnoscimus, & Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se. Quia verò, vt Deo placere possimus, non sat est ipsum cognoscere principium esse auctorem remq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

remq; naturæ, sed oportet in Deum ferri, quia finis est supernaturalis: atque adeò supra naturæ vires eminens & excellens, rectissimè in vniuersum dixit apostolus, accedentem ad Deum, finem vtique supernaturalē, oportere credere quia est, &c. Nam quod naturalis ratio docet, id scire ad supernaturalem hūc accessum non
Rom. 5. est satis. Habemus quippè accessum ad Deum per fidem. Quòd autem Paulus de accessu ad finem supernaturalem, de remuneratione quoq; supra naturam loque
Hebræ. 11. retur, illa manifestè demonstrant, Expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. & posterius, Nunc autem meliorem patriam appetūt, idest, cælestē: ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Et rursum, Aspiciebat in remunerationem, inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Et deniq;, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem: atque hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarētur. Sed crimen illud, quod D. Thomæ secundo loco inferebatur, satis, vt mea fert opinio, dilutum est. De tertio verò peccato nihil est necesse illum purgare: quū iam explicatè docuerimus, fidem Theologicā, de qua in præsenti disserim⁹, nō quibuslibet Dei dictis assentiri: sed ijs, quæ dūtaxat & ad fidelium communem religionem spectent, & cōmunes ecclesiæ administri denuncient. Ac primum nodum soluimus quidem, secundus verò expedietur hoc modo.

Quæ sunt fidei, ea sunt in duplici differētia. Quædā enim simpliciter & apud oēs fidei sunt: vt quæ rationem superant naturalem. Alia fidei dicūtur esse nō per se quidem, sed quasi per accidēs diuinitus reuelata propter eos, qui eorum demonstrationem & euidētiam non habēt: vt Deū esse & esse vnum eundemq; æternum, sapientem, iustum. Quas res omnes licèt in naturæ lumine videamus, populo tamen rudi Deus prouidentissimè reuelauit, quemadmodum Diuus Thomas secunda secundæ. quæstione. 1. artic. 5. &. q. 2. artic. 4. explicuit. De Deo rursum dupliciter loqui possumus, qua diuisione primo argumēto diluēdo vtebamur, vel quia est principiū finisq; naturæ, vel quia principiū & finis est supra naturā. Priore modo Deum esse, esse vnum, immortalem, sapientem & huius generis reliqua naturale lumē ostendit: posteriore autem illa eadem sola fides tenet. Vnde & Diuus Thomas secūda secundæ. quæstione. 1. articulo. 8. cùm in primo argumento opposuisset, Deum esse vnum non oportere in articulis fidei computari, quòd sciri per demonstrationem posset: respondet, q⁹ multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione philosophi inuestigare non potuerunt, puta circa prouidentiam ejus & omnipotentiam & quòd ipse solus sit colendus. Quæ omnia continentur sub articulo vnitatis Dei. Hactenus ille. Loquitur autem de prouidentia & omnipotentia rerum etiam supernaturaliū. Et. q. 2. arti. 2. ad. 3. credere Deum, inquit, non conuenit infidelibus sub ea ratione, qua ponitur actus fidei, &c. quæ calumniam fortasse non effugient, nisi ad huius distinctionis normam reuocentur. Quibus rebus expositis. D. Thomas aperte docet ea, quæ ,ppriè & per se fidei sunt, nulla posse naturali argumētatione patefieri. Quin. 1. p. q. 32. art. 1. illos arguit quasi fidei inimicos religioniq; nostræ etiam noxios, qui ea, quæ fidei sunt, naturæ ratjonibus conantur ostendere. Quòd si quæ argumenta fidei decretis comprobandis sancti doctores afferunt, congruentia illa esse, non euidentia: probabilia, non necessaria: suadere, non cogere: adducere, non euincere. Lumen enim naturale id patefacit & illustrat, quod naturæ congruens ac consentaneum est. Cùm ergo fides, vt sæpè diximus, rerum earum propriè sit, quæ

1. p. ar. 8. q. 1. & 2. 2. q. 1. artic. 5. in cor. & ad 2. & ar. 10 ad. 2. & 1. cont. Gent. cap. 6. 1. p. q. 32. ad secundum. 2. 2. q. 1. ar. 5. ad. 2. & q. 2. ar. 10. similiter ad secundum.

hominum

hominum naturam & ingenium exuperant: fit, vt res eiusmodi nullo monstrari naturæ lumine, nulla confici naturæ ratione queant. Quòd si fides substantia est rerum sperandarum, vt ad Hebræos Apostolus ait: spes autem, quæ videtur, non est spes, vt idem tradit ad Romanos: consequitur necessariò, vt quæ credit fides, quoniā & spes eadem sperat, hæc nec oculi cernāt, nec aures audiant, nec in cor hominis ascendant, atq; adeò ne rationibus quidem demonstrētur humanis. Nisi forte aut res diuinas humanæ fulciunt ac sustinēt, aut certè Paulus fallit & fallitur, qui fidem argumentum esse non apparētium astruit: nostramq; sapientiam in mysterio absconditam nullum huius seculi principem cognouisse. Nostræ ergo disciplinæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt, demōstrare necessariè non possunt. Quocirca metuere non debet quisquā, vt fidei meritū sit amissurus, si rationes quoq; ad fidei veritatē & explicādam & ornādam adhibuerit. Non enim, conetur licèt quātum potest, rationes adhibebit eiusmodi, quæ præbeāt experimētum sensuum: sed tales tamen, quibus & ij, qui non credunt, ad fidem adducantur suauiùs: & ij, qui credūt, in fide contineantur libentiùs. Fides sanè cum natura non pugnat, sed consentit: nec dissident humana & diuina ratio, sed cohærent. Vtraque vera est, nec verum vero aduersatur, vtraque est à Deo, nec Deus sibi contrarius est. Peruertunt itaq; homines fundamenta naturæ, cùm illam à fide seiungunt. Quin fide dirigenda naturæ ratio est: & quidem sic, vt hæc duo verba inter se non res discrepare videantur. Et cùm diuinis humana similia & agnata sint, qui hominis officium Deo exhibet & gratiæ naturā seruire facit: is ,pbè Theologi munere perfungitur. Quam omninò rē & D. Th. sæpè probat & nos cū alijs multis lib. 8. &. 9. &. 10. &. 11. tū in quatuordecimo libro copiosè disserem⁹. Nūc aūt argumēta illa refutāda sunt, qbus id effici videbatur, vt Theologia fidei decreta comprobaret. Ac primæ quidem argumentationi respō sum est satis. At secūda sic refellitur. Non est articulus fidei, mundum à Deo extitisse, sed deum in principio temporis cælum terramq; creasse, id verò articulus fidei est, qui demonstrari nulla ratione potest, quemadmodum D. Thomas. 1. p. q. 46. ar. 2. disserit. Nam quod tertio loco Petri testimonium objicitur: nihil aliud efficit quàm religionem disciplinamq; christianam non esse omni ex parte similem Pythagoricæ, cuius alumni nulla rationis antecepta informatione nullaque omnino reddita causa auctoritatem præceptoris arctè mordicusque tenebāt. Indoctorum est ista consuetudo eaq; Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, vt cæca & temeraria sectæ suæ dogmata sine iudicio amplectantur, & quæ disquisitione egent maximè, hæc sine vlla disquisitione recipiant. Non eruditiuntur isti crede mihi, sed astringuntur: nec via & ratione docētur, sed quasi veneficijs & cantionibus in insaniā agitantur. Enimuerò quæ in euangelio docemur omnia, quanuis acerrimè ad superna turalia capessenda moueant animos, tamē leniori naturæ ratione Christus ipse prætexuit, ne discipulos ratiōis expertes habere videretur. Sapientia quippè Dei quanquā attingit à fine vsq; ad finem fortiter, sed disponit tamen omnia suauiter, hominesq; humano more instituit & erudit, hoc est, rationales rationibus. Nec verò aliter discipulos suos deus vult esse cōpositos ad doctrinam cęterorū, quàm ipsi ab eo sunt edocti. Dedit illis linguā eruditam, vt sciāt sustentare eū, qui lassus est verbo: aperuit quoq; illis aurem, vt audirent quasi magistrum. Quēadmodum igitur Christi discipuli ipsum quasi magistrū eruditē audimus, non quasi veneficū incantantē: ita & linguam habemus non quæ huc atq; illuc feratur volubilitate verborū, sed doctā & eruditam, quæ disciplinæ suæ sciat causas

ad 2m

ad 3

Esai. 50.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib. 9. c. 6. fas & rationem reddere. Lucianum Antiochenum scribit Eusebius rogatum à præside cur cùm vir rationalis & prudens esset, sequeretur sectam, cuius non posset reddere rationem: in hæc verba respondisse. Nos christiani nõ sicut vos putatis humanæ alicuius persuasionis errore cõstringimur: nec indiscussa, vt alij, parentum traditione decipimur. Auctor nobis de deo deus est. Nec enim posset sublimis illa maiestas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientiæ suæ interpretationibus indicata. Fateor, errauimus nos etiam aliquãdo, & simulachra, quæ ipsi finximus, deos cæli ac terræ putabamus auctores. Sed arguebat eos fragilis substantiæ suæ à nobis præstita consecratio, in quibus tantum veneronis inerat, quantum decoris mens contulisset artificum. Verú omnipotens Deus ille, quem non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos sapientiam suam misit in hunc mundum carne vestitam, quæ nos doceret deum, qui cælum fecisset & terram, non in manufactis, sed in inuisibilib⁹ requirendú. Vitæ & nobis leges ac disciplinæ præcepta cõstituit, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere, pati, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Sed & omnia hæc, quæ nunc aduersum nos geritis, ventura nobis esse prædixit. Inde enim qui erat immortalis, ipse morti se præbuit, quo nobis patientiæ præberet exẽplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertiũ diem resurrexit: vt mortem vinceret resurgendo. Quæ autẽ dico nõ sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent: pars penè mũdi iam maior huic veritati astipulatur. Aut si quid in his suspectum videtur: contestatur de ijs etiam agrestis manus ignara figmenti. Si min⁹ adhuc creditur, adhibebo vobis etiã loci ipsius, in quo res gesta est, testimoniũ. Astipulatur his ipse in Hierosolymis loc⁹, & Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta: antrum quoq; illud, quod auulsis inferni ianuis corpus denuò reddidit animatum. Quòd si terrena vobis minùs digna videntur, accipite etiam de cælo astipulatorem fidelem. Solem ipsum horum vobis produco testem, qui cùm hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirite in annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati Christo patiente, fugatò sole, interruptum tenebris diem. Quòd si terræ, si cælo, si sanguini martyrum fidem non accommodatis, quomodo meis verbis allegationibusque credetis? Et cùm penè iam his verbis auditoribus suadere cœpisset, arripi iubetur in carcerem: ibique absque tumultu populi necari. Huiusmodi ergo rationes iubet Petrus à doctoribus fidelium reddi, quæ videlicet cùm fidem antecedunt, infideles non trahant, sed inducant: quum sequuntur, non vim fidelibus afferant, sed adijciant robur. In hanc enim sententiam Augustinus dicit, rerum naturalium notionem fidem gignere, nutrire, roborare. Nam defendit etiam, quoniam rebus naturalibus perceptis explòratè & cognitis statim intelligitur, primũ fidem cum natura nullo modo pugnare, sed mirificè consentire: deinde argumenta captiosa & vana esse omnia, quæ fidei veritatem impugnant. Sed in secundo nodo expediẽdo multùm omnino moræ interposuimus. Bene aũt habet, q̃ tertius idẽ q̃ postremus nulla dissolutione eget. Quid enim addamus, quod legere operæpretium sit post Diui Thomæ sententiam adeò perspicuè, diligenter atq; enodatè in superioribus explicatam? De principijs ergo Theologiæ hactenus.

Quæ sint quæstiones seu conclusiones Theologiæ.

Caput quintum.

Theo

THeologiæ causis expositis consequẽs est, vt effecta exponamus: quæ quú in dubium vocantur, quæstiones sunt, quum ratiocinatione coguntur, conclusiones. Quæstio igitur theologica, quoniam circa eam omnis Theologi versatur labor, quid sit & quæ illius partes in primis explicabimus. Nam quomodo tractanda sit, deinceps exponemus. Ne verò quempiam fallat huius nominis ambiguitas: intelligendum est, quæstionem theologicam aliquando appellari pronúciatum omne, quod à Theologo quouis fortè etiam & temerè fuerit addubitatum. At si adeò latè Theologię materiam quæstionemq; tendamus, quæstio theologica non iam ex natura huius facultatis, sed ex hominum vel stultorum arbitrio æstimabitur. Ita fiet, vt in Theologiæ quæstionibus illas ponamus, Num si forma aquæ per diuinam potestatem à materia separetur, in materia vel forma seorsum baptismus conficiatur? Num asinus baptismum possit bibere? cæteraſque his similes, quas studio breuitatis omitto, ne fastidium stomacho lectoris faciam. Mihi profectò non est cordi, stultas & sine disciplina quæstiones, quas vitare Apostolus præcipit, in Theologiæ finibus comprehendere. Fines porrò extremaque disciplinarum conclusiones voco. Eadem verò res est, vt à principio capitis leuiter attigimus, quæstio & conclusio. Sed quum per interrogationem elata in controuersia ponitur, quæstio est: quum argumentatione colligitur, conclusio. Quòd si eãdem rem argumentis suis Theologus addicit & confirmat, quæ in quæstionem fuerat adducta, futilissimæ scilicet illæ quęstiones Theologicę vocari nec debent nec verò possunt, vt quæ ex principijs Theologię finiri nequeant & solui, atque adeò ne conclusiones quidem esse doctrinæ eius, sed indoctorum hominum commentitiæ chimęræ. Quam ergo intelligimus Theologicam quæstionem? Opinor eam, quæ planè ad rem facit, hoc est, ad Theologiam spectat. Non autem spectant vanæ, ineptæ, noxiæ: sed solidæ, aptæ, commodæ. Ego, Esai. 48. inquit, sum Deus tuus docens te vtilia. Theologia ergo, quæ dei nimirum doctrina est, nullo modo inutilia colligit. Quin super fidei fundamentum, quod ab Apostolis est positum, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat. Nam qui ligna, fœnum & stipulam, ij non hoc ex Theologia, sed ex errore 1. Corin. 3. faciunt. Manęat igitur eam esse propriè Theologicam conclusionem, quæ ex Theologiæ principijs, vt effecta è causis suis orietur. Vnde illud consectarium est, nullam Theologiæ quęstionem existimandam: quę non possit ad eiusmodi initia referri, exque ijs aptè & congruenter argumentando diffiniri. Quanquam sunt quęstiones quasi appendices, quas quoniam gratia explicandi illas, quæ verè & propriè Theologicę sunt, appositè & grauiter adiunguntur, iure quodam vel similitudinis vel propinquitatis vel etiam ordinis Theologicas itidem haud absurdè appellaueris. Verùm hoc loco & tempore de quęstione theologica secundùm naturam & ordinem disciplinę loquimur. Contingit enim aliquando non in Theologia modò, sed in cęteris ferè humanis etiam disciplinis, vt quę suapte natura principia sunt, ideoque à discipulo supponenda, si res via ordineque procederet: ea, vt hominum ingenia sunt, & reuocentur in dubium, & argumentationibus comprobetur. Ita fiat perturbatus ac prępposterus rerũ ordo, vt causę posteriores sint prioraque effecta sumantur. Quę res effecit, vt Diuus Thomas cæterique Theologi in quęstionibus Theologicis eam etiã ponant, Sit ne deus: & alias omnino similes, in quibus dubium nõ est, prima certaq; principia in dubiũ vertit ac, perinde vt si essent disciplinę huiꝰ cõne- 2. Tim. 2.

xiones,

Universidad de Deusto
Biblioteca

xiones, ex alijs quasi principijs necti. Atque hæc causa Aristoteli quoque fuit, vt in scientias omneis quatuor genera quæstionum inferret, nempè an res sit, quid sit, qualis sit, propter quam causam sit. Quæ duæ posteriores quæstiones terminari rectè atq; ex ordine naturæ possunt, priores duæ nó possunt: nisi fortè quum duæ eiusdem rei finitiones sunt, quarum vna per materialem causam, altera per finalem definitæ rei naturam explicant. Tunc enim definitio posterior per priorem demõstratur ratione quodammodò & via naturæ seruata. At enim rei finitio, quæ secundam illam quęstionem soluit, propemodùm ex effectis notescit: quæ licèt natura posteriora sint, nobis, hoc est, in nostra cognitione priora sunt tamen. Illud item cùm in alijs tum magis in theologiæ doctrina vsu venit, vt principia ipsa vel disposita inter se & ordinata sint, quemadmodum causæ ipsę in quatuor genera distributæ ordinè prioris & posterioris habent: vel certè connexa & colligata sint, ita vt ex vtrisq; concessis, ad alterutra dubia liceat peruenire. Qua propter si aduersarius admittit principia quædam, quanuis cætera neget, ex concessis poterimus non concessa colligere, præsertim si mutuo nexu coniuncta & copulata sunt. Hinc enim Theologi veteres vetus instrumentum probant ex nouo, contraque nouum ex veteri: ecclesiæ auctoritatem è libris sacris asserunt, librorum rursum sacrorum ex ecclesia. Ita ne vnum quidem principium in theologia est, quod in quæstionem Theologi non verterint: vt si à quopiam fuerit negatum, qui alia fortè principia concedet, parati simus ex his, quæ dederit, hominem euincere, & quasi arrepto mucrone confodere. Quæ res & explanata est in secundo libro diligenter, & in postremo diligentiùs explanabitur. Nec ob eas solùm causas principiorum suorum Theologi quæstionem faciunt, sed eò etiam magis, vt illa explicent & exponant.

In fi. c. 4. et c. 8. in confutatiõe postremorum trium argumentorum.

Nam, quod apud Rhetores olim pueri didicimus, omni differenti proposita est quæstio, non ei modò, qui disputatione res ambiguas iactat, sed & historicis & poëtis qui quæstiones sibi propositas non tam argumentatione soluunt, quàm expositione. Expositio autem fidem in auditore sæpè inuenit, argumentatio facit. Vbi familiæ nostræ quosdam sæpè risi, qui in eo laborant vehementer, vt Diui Thomæ rationes, quas identidem ad explicandam fidem congruentes ille adfert, proinde ac si essent demonstrationes certæ atque perspicuæ, defendant. Nam & aduersarios ipsos ridere soleo, qui in eo, in quo Diuus Thomas egregium se fidei administrum præbuit, illum impugnant quasi hostem. Nec intelligunt viri magis ad certandum quàm ad docendum prompti, quæstiones fidei grauissimè sanctissimeque proponi: non quia fidem dubitanti auditori facere nitimur, sed quia credenti ea, quæ minùs percipit & intelligit, exponere conamur. Quid igitur quæstio theologica sit, si eam ex disciplinæ ordine naturaque finiamus: quid rursum illa sit, si ex ingenio nostro existimetur: quæ quæstiones in Theologia primariæ, quæ appendices, quę argumentatione potissimùm, quæ contrà potissimùm expositione soluantur, dictum est satis. Nunc quęstio partienda est, vt ea, quę in re dispersa atque infinita videntur esse, ratione & distributione sub vno aspectu ponantur. Quæstionum ergo Theologicarum, quacunque de re sint, duo sunt genera, alterum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hę, quarum finis est scientia, si quęratur, Pater & filius sint ne vnũ principiũ Spiritus sancti, an duo? Diuinę personæ an proprietatibus relatiuis, an absolutis distinguãtur? Actionis autẽ huiusmodi exẽpla sunt. Sit ne pœnitentia ad salutem necessaria tãquam mediũ, an etiam vt præceptum? Num sacramẽta nouæ legis gratiã & virtutes conferant. Cognitionis quæstiones, si generaliter loquamur, quadripartitæ sunt, cùm aut sit ne vel deus, vel angelus, vel anima rationalis, aut quid sit, aut qualis sit, aut cur sit talis quæritur. Quarũ prima & secũda, vt diximus, ex ingenij nostri conditione, secunda & tertia ex natura rerũ & disciplinę ipsius explicantur. Actionis porrò duo sunt genera, vnum ad salutẽ necessarium: alterum earum rerũ, quæ vtiles essẽ videantur. Prioris generis hæ sunt quæstiones, Si exempli causa honor Christi periclitetur aut salus etiam spiritualis proximi, vir christianus mortem ne pro his rebus subire debeat an non? De baptismo suscipiendo præceptum ne euangelij sit? Posterioris autem generis, vt cũ quęritur, Diluat ne aqua lustralis, quam benedictam scholastici appellant, peccata venialia, planeque pœnas peccatorum tollat vi sua &, quòd aiunt, ex opere operato: an potiùs ex operantis merito? Num Eucharistiæ Sacramentum ex attrito faciat contritum? Itemque an recedente fictione, quemadmodum baptismus & pœnitentia suum effectum sortiatur? Plena est Diui Thomæ summa talium quæstionum. Non enim theologus semper de necessarijs disserit, sed quandoque etiam de ijs, sine quibus salus religioque constat. Et quoniam omnia persequimur, dicendum est etiam quæstionem Theologicam, siue ad contemplationem siue ad mores attineat: aliam naturalem esse, aliam verò supernaturalem. Supernaturalem, opinor, quæstionem vocare licet, quæ ex supernaturalibus solùm principijs definitur. Naturalem autem quæstionem eam esse dico, cuius cur ita sit, ratio naturæ constans reddi potest. Est & quæstio media, quæ partim ex supernaturali principio, partim ex principio naturali pendet. Primi generis exemplum est. An omnes mortui simus? Quam quæstionem Paulus hac argumentatione definit, Si pro omnibus Christus mortuus est, omnes mortui sunt: at pro omnibus mortuus est Christus. Item, An omnes resurgemus? Quam sic Apostolus terminat: Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus. Secundi verò generis hæc sunt exempla, Num Deus sit vbique? Num immutabilis? Num animus hominis immortalis sit? Num diuidi & secari in partes possit? Quarum omninò probationes, quanuis è sacris literis peti liceat, quæ ratione ad fidem vtique pertinent, sunt tamen in lumine naturæ claræ & euidentes: eaque re non sunt per se fidei quæstiones: sed, vt diximus, quasi per accidens. Tertij generis, Vt sit ne Christus risuus? Habeat ne duas voluntates & intellectus duos duasque item vtriusque potentiæ operationes. Quæ ex vtrisq; principijs patescunt. Prima ex his, Christus est homo: & omnis homo est risuus. Reliquæ verò ex his, Christus duas naturas perfectas habet diuinã & humanam: omnis autem natura perfecta propriam sibi & operationem & potentiam vendicat. Est denić; alia diuisio Theologicæ quęstionis, ad quod cũq; genus illa pertineat. Sunt enim fidei quęstiones quędã, hoc est, quæ cũ ad fidẽ spectent, pro earũ veritate theologo est in capitis etiam discrimen veniendum. Alię vero sunt, quę in vtranq; partẽ & ignorari & negari sine fidei iactura possunt. Quã partitionẽ Augustinus cũ aliàs sæpè, tum in lib. 2. de peccato originali contra Pelagium & Celestiũ. c. 23. cõmemorat. Atq; penitus partitio hęc non est solli memorię commendanda, sed in oculis semper habenda, si absoluti Theologi esse volumus. Vtriusque generis exempla sunt. Prioris hoc pacto, An Christi anima simulatq; verbo cõiuncta fuit, desi clarè viderit? Item, An in locis inferis ignis purgatorius sit, vbi fidelium animę pœnas peccatorũ luant? Posterioris Augustinus quidẽ varia atq; innumerabilia esse dicit, & quę certo aliquo genere complecti ac definire difficile sit: sed quę ponit, ea sunt. Cùm quę-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæritur, qualis, vel vbi sit paradisus: vbi constituit Deus hominem, quem formauit ex puluere, quum tamen esse illũ paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cũ quæritur, vbi sit nũc Helias, vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi, quos tamen nõ dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere. Vel cùm quæritur, vtrùm in corpore an extrà corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus: quanquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod scille, cui hoc præstitum est, salua vtq; fide nescire testatur. Vel quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel vtrùm elementa mundi huius conspicabilis quatuor, an plura sint. Quid faciat solem lunamvè deficere his defectibus, quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consuerunt. Cur antiqui homines tã diu vixerint, quàm sancta scriptura testatur, & vtrùm proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint. Vbi potuerit Mathusalem viuere, qui in arca non fuit, qui, sicut in plerisq; codicibus & Græcis & Latinis numerãtur annis, reperitur superuixisse diluuio: vel vtrùm paucioribus, qui rarissimi inueniuntur, potiùs credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur. Hactenus exempla Augustini posui. In hoc genere. D. Tho. 2. cõ. gen. c. 70. quęstionem illam esse cẽset, An cælum animatum sit: quã inter cæteros errores Origenis Hieronymus enumerat in epistola ad Auitum, sed D. Thomæ consentire videtur Augustinus in enchi. cap. 57. Verùm ne diutiùs lectorẽ demorer, de omni isto genere quæstionum quid sentiam, & quæ præcepta danda existimem, perbreuiter exponam.

Nulla Theologicæ quæstionis præcepta firma stabiliaq; tradi possunt, nisi ab ijs, qui in schola sese multùm ac diu exercuerunt. Itaque propria est ea præceptio scholasticorũ: quoniam eorum, qui scholam negligẽdam esse existimant, nulla idonea, exquisita, excellẽs de Theologiæ quæstione disputatio est: tantum abest, vt harũ rerum præceptores sint, quas nullo vsu habent cognitas. Admonebat me res, vt hoc quoque loco intermissionem scholasticæ Theologiæ, ne dicam interitum, deplorarem, nisi vererer, ne cùm de alijs academijs quererer, Hispaniam meam immodicè extollerem, in qua valde his tẽporibus scholæ Theologia viget. Sed apud nos etiam videmus quibus extinctis Theologis q̃ in paucis spes, quãtò in paucioribus facultas, quàm in multis sit audacia. Nihil verò de me: de præceptore dicam libentiùs, qui academias Hispanas adeò insigniter ingenio suo & doctrina illustrauit, adeoq; nostris hominibus & spectabiles & amabiles reddidit, vt in eas certatim non confluxerint modò, sed irruperint. Quòd si ille Gallis Germanis atq; Italis scripsisset, quę erat hominis in disputando perspicuitas, elegãtia & suauitas, non ita nunc apud eas gentes scholæ studia iacerent. Nam ex eo credo quibusdam vsu venire, vt abhorreãt à schola, quòd inciderint in inculta quædã & horrida de malis quæstionibus deteriùs vestigata, deterrimè etiam inuenta & concluſa. Sed agè his omissis id, quod instituimus, persequamur. Nec tamen necesse est, vt res faciles separatim instruamus Theologiæ præceptis: sita sunt enim ante oculos. Nec rursum de ijs leges ferre operæpretiũ est, quæ multùm à ratione discrepant: ea enim facilè apparent, nec magnoperè admonitionem & præcepta desiderant. Quę autem difficilia videntur esse, neque à multis intelligi possunt: de ijs est diligẽtiùs præcipiendum.

Primum ergo officium Theologi differentis existimo, vt quęstionem, quã versaturus est, sæpè dispiciat, & identidem interroget se, cuius generis illa sit. Aliter nanque quæstiones illæ finiendæ sunt, quæ naturæ & disciplinæ ordine in Theologiam veniunt, aliter quas humani ingenij vel imbecillitas vel certè malitia mouet. Nec eodem modo differendũ est de ijs, quæ quærimus vt exponamus, ac de alijs, quæ quæruntur vt demonstremus. Longeq; diuersa instituitur disputatio de naturali ac supernaturali quæstione: alijq; loci Theologici sunt huic atque illi accommodandi. Nam cognitionis actionisq; quæstiones, vt aliâs diximus, eodem ferè modo exque eisdem locis tractandę & soluendæ sunt.

Sed cùm vniuscuiusq; genus, quæstionis diligenter inuestigãdum est, tum illud maximè, an præter fidem illa sit, an potiùs ad fidem religionemq; pertineat. Cum his porrò, qui in fidei quæstione errant, velis equisq;, vt dicitur, decertandum est: cum alijs verò, qui de his cõtrouersantur, in quibus salua fide decipi, errare, labi homines possunt, pugnare quidem, quod aliàs monui, Theologi & possunt & quandoque etiam debent. sed cruẽta pugna illis omnino interdicta est. Quàm ridiculum est eñ neruos omneis corporis & animi intendere in ea quæstione soluenda, cuius in scientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? Sed in toto hoc posteriori quæstionum genere quàm magna Theologo sit adhibenda moderatio, in octauo & nono libris non indiligenter exposui. Hic dico quantum proposito ac formularum breuitati satis est, reliqua illinc petẽtur. Non enim mihi libet eadem hoc tempore & loco resumere. Illud huius loci & temporis est theologum admonere, vt nõ stultas modò quæstiones & genealogias & contentiones & pugnas legis deuitet, quæ sunt interdum quoq; noxiæ, verum etiam inutiles quascunque & vanas, quæ theologo nequeunt in vsum aut cognitionis aut actionis accersiri. In his Hieronymus illas quæstiones censet, quot ne annos vixerit Mathusalem? Quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit cõiugium? ne forsitan Roboã vndecimo ætatis illius anno natus esse credatur. In epistola quoq; ad Vitalẽ cũ posteriori harũ dupliciter respõdisset, ad extremum ait, Apostolum de istiusmodi interdicere quæstionibus. Et post pauca, Relege, inquit, oẽs & veteris & noui Testamenti libros, & tantã annorũ reperies dissonantiam & numerũ inter Iudã & Israël, ideſt, inter regnũ vtrũq; cõfusũ: vt huiuscemodi hęrere quęstionibus non tam studiosi hominis, q̃ otiosi esse videatur. At benè habet, quòd nõ dixit attingere, sed hęrere. Nã si id genus quęstiones breuiter exponere otiosũ & inutile est, nõ ego solùm, qui in superiore libro multas eiusmodi explicui, sed Augustinus ac Hieronymus quoq; ipse arguẽtur. Nõ est igitur immorandũ in huiusmodi quæstionibus minimè necessarijs, licèt ad veritatem historiæ sacræ quodãmodò spectare videantur, sed cùm in omni disputatione tùm magis in ea, quæ ad fidem & salutem nihil attinet, exercẽda est facilitas quædam, ne si hisce rebus differendis diu ac multùm hæremus, in morositatem inutilẽ & odiosam incidamus. At D. Augustinus superuacaneum esse existimauit quærere, vbi & quomodo sit in cælo corpus dominicũ. Sed de fide & symbolo, licèt corã synodi patribus, ad nouitios tamẽ doctrinã instituebat. Alioqui Caietanus, quem vnũ nostræ familię nõ ingenio solũ & eruditione præstantissimũ audeo dicere, sed in huius generis quæstionibus excitandis modestissimũ, nõ est veritus, quum sacras literas interpretaretur, eam rem quę rere pauciſq; etiam explicare. At idẽ Augustinus eas quæstiones nullo modo patitur, quas ex ęgritudine animi dicit existere, Ecquid faciebat deus antequã faceret cælũ & terrã? Ecquid ei venit in mentẽ, vt aliquid faceret, quũ antea nunquã aliquid fecerit? Sed pœnitentiã agẽs, confitẽsq; peccata vix ægrefert quæstiones necessarias, nedum minùs vtiles, curiosas, importunas. Non itaque eadẽ disputandi regula theologo præscribẽda est cũ in gymnasio certat, & cùm in cubili aut etiam in tẽplo luget.

In com. epi. ad Tit. c. 3.

De fi. & Symb. c. 6.

Lib. 11. con. cap. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed regula hęc erit & rationi et sanctorũ auctoritati maximè cõsentanea, vt omnis theologus de re supnaturali disputaturus, nã hæc illi propria disputatio est, nomẽ theologiæ secũ ipse reputet, titulũ suũ, hoc est, theologi frequẽter legat, quærat à se nõ semel, sed sæpiùs, quorsum cœperit disputare, sciatq; nullã illi quæstionẽ ascisc endã, nisi quæ ad verã, quæ supra naturã est, Christi, apostolorũ & prophetarũ philosophiã referatur. Huius enim præcepti quidã immemores innumeris quæstionibus præsertim dialecticis, physicis, & metaphysicis explicandis importunissimi lõgissimiq; fuerunt. Nemo autẽ est longus, qui materiæ immoratur, si aliquid accersit atq; attrahit, quod suo videlicet instituto cõgruens cõsentiensq; sit. Nec tamẽ quęstiones istas quantuis nõ adeò necessarias exterminandas puto. Est enim animorũ ingeniorumq; exercitatio quædã non modò acuminis plena, sed etiã ad theologiã scholæ valde vtilis. Nam quod Augustinus ait, nihil ad se pertinere, vtrũ cælũ sicut sphera vndiq; concludat terrã in media mundi mole libratã, an eam ex vna parte desuper velut discus operiat? Item, an stet cælũ an potiùs moueatur, hoc vel in Manichæorum inuidiam & odium dicit, qui similes multas quæstiones sc à magistro didicisse iactabant: vel illos certè reprehendit, qui ijs excitandis & soluẽdis quæstionibus multũ prolixa & rebus salubribus impẽdenda tẽporũ spatia occuparẽt. illius enim verbis libenter vtimur. Cæterũ quasi præteriens id genus quęstiones ipse soluit, quibus tamẽ, vt ait, ineundis atq; tractandis neq; episcopo temporis satis erat, neq; illis, quos ad salutem & sanctæ ecclesiæ necessariam vtilitatem cupiebat informari. Nec dissimile huic est, quòd Augustinus idẽ curiosissimas Dioscori quæstiones reprehendit: & scribit tamen, se nõ idcirco ea dicere, quia istiusmodi discuntur: sed quia vano fine discuntur. Ita respondit quibusdam earũ breuiter, alijs verò prolixè. Ego verò si ab amico essem de rebus eiusmodi interrogatus, aut dissimulanter præterirem, aut apertè etiam responsa negarem. Nec enim dignas eas quæstiones censerẽ, quibus vel tã tillum tẽporis impartirer. Sed Augustinus erat vel in amicos liberalior, vel in Dioscorũ indulgentior. Quorsum hæc? Vt intelligant ij, qui scholæ perpetuam inuidiã conflant, controuersias circa Aristotelem exortas nõ esse disquisitione Theologi indignas, si quæ in Cicerone ambigua erant, ea nõ est dedignatus explicare Augustinus. Quid? Quòd is ipse nescientem quid sit nihil, quid informis materia, quid formatũ exanime, qd corpus, qd species in corpore, quid locus, qd tẽpus, qd in loco, qd in tẽpore, quid motus secundũ locũ, quid motus non secundum locũ, quid stabilis motus, quid sit æuum, & quid sit nec in loco esse nec nusquam, & quid sit præter tẽpus & semp esse: quid sit & nusquã esse & nusquã non esse, & nunquã esse, & nunquam non esse, hæc, inquam, nescientem nec de Deo nec de anima sua quicquã rectè aut quærere aut disputare posse asseuerat? Nõ sunt igitur quæstiones istæ physicę & metaphysicæ ab schola nostra expellẽdæ, ne illæ quidẽ, quæ Erasmo, cæterisq; similibus curiosæ sophisticæq; etiam vilæ sunt. Sed de hoc alio loco pluribus. Nunc ad fidei quæstionem redeo. Quæ nisi theologo in primis constituta sit, nihil ratione docere potest neq; via. In hac igitur re vehemẽter elaborandũ est, si in theologia quis sit gradus veritatis ac falsitatis exquirimus. Id nimirũ vt theologiæ maximè propriũ est: ita est omnium difficillimũ. Quare illud præstare valet nemo, nisi perfectus cõsummatusq; theologus. Dixerit quispiam. Quid? Nonne sunt notæ aliquæ, quibus quæstiones fidei seiũgi ab eis, quæ fidei nõ sunt, & internosci possint? Sanè verò. Sed ne cuiuis contigit adire Corinthũ: nec sunt ista omnium communia contritaq; præcepta. Ac pertinet quidẽ ad omnem fidei quæstionem constituendam semper in promptu habere eiusmodi notas & quęstionũ fidei quasi indices: verũ ea magna omnino res est, egetq; doctrina & exercitatione nõ parua. Illas itaq;, si poterimꝰ, pferemus: nec ita multò pòst, sed pauca antè dicenda sunt.

De genesi ad literam lib. 2. cap. 9 & 10.

Epist. 56.

Lib. de ord. cap. 2. c. 16

Fidei porrò quæstio bifariam intelligitur. Vna, quæ immediatè ad fidẽ attinet, vt verè attineant omnia, quæ deus ecclesiæ suæ aut verbo edidit, aut scripto. Altera, quæ mediatè fidei est: cuiusmodi sunt omnes conclusiones, quas ordine disciplinæ ex illis prioribus colligere, & diffinire possumus. Quæ, quoniam non in se ipsis, sed in alijs tanquam principijs reuelatæ à Deo sunt, mediatè fidei dicuntur esse, & qui eas negat, is fidem negare hoc modo dicitur. Atq; equidẽ illud etiã animaduerto, eas nõ abs re forsan quæstiones fidei vocari, quę vehementer ad ecclesiæ doctrinam pertinent, fideique sunt propter affinitatem appendices. Non quòd aut ex ijs pendeat fides, aut ijs sublatis sua ditùs illa tollatur: sed quòd affecta ægraque sit, si harum rerum veritas labefiat, quæ illi hærent & adiunguntur. Oportet nempe in ecclesia sanam doctrinam esse & verbum sanum, vt Apostolus ait. Quemadmodum autem morbi quidam lethales sunt, alij verò non interficiunt quidem hominem, sed afficiunt tamen valetudinem: sic errores quidam non fidem extingunt, sed obscurant: non euertunt, sed infirmant: morbumq; afferunt, non exitium. Sicut ergo quod saluti est noxium, vitæ id quoque noxium est: ita quodcunque sanę doctrinæ aduersatur, hoc fidei est etiam quodãmodò aduersum. Ex quo intelligitur, quę stiones illas, quæ ad doctrinæ ecclesiasticæ sanitatem spectant, ad fidem suo quodam modo spectare. Sed nos huius generis controuersias non in fide propriè, sed præter fidem esse dicimus. Nec qui in his errant, eos in fide, sed præter fidem errare existimamus. Atque ita rebus his primò simpliciter collocatis, reliqua deinceps subtiliùs persequemur.

1. ad Timo. 6. & 2. ad Tim. 1. & 4. & ad Tit. 1. & 2.

Quibus notis quæstiones fidei dijudicari possint.

Caput septimum.

QVibus autem rationibus hanc dijudicandi facultatẽ assequi possimus, ne in constitutione causarum fidei erremus, accuratè nunc & diligenter exponẽdum est. Et Cardinalis quidem Turrecremata, lib. 4. sum. eccles. par. 2. c. 9. septẽ gradus ordine ponit propositionum catholicarum quæ cædem, cùm in disputandi cõtrouersiam disceptationemq; vocantur, quæstiones fidei dicuntur.

Primus earum est, quæ in libris sacris habentur expressæ. Secundus earum, quæ ex hisce per certam & necessariam consecutionem fiunt. Tertius earum, quæ verbo tenus Christus Apostolis, Apostoli ecclesiæ tradiderunt. Quartus earum, quæ in concilijs vniuersalibus definitæ sunt. Quintus earũ, quæ à sede apostolica sunt fidelibus ad credendũ propositæ. Sextus illarum, quæ de fide & refutatione hæresum sancti doctores vna mente vnaq; voce docuerunt. Septimus illarum est, quæ ex tertiò, quarto, quinto & sexto generibꝰ consecutione firma & necessaria deriuantur. Ex quibus capite sequenti distinguit etiam septem genera hæreticarum propositionum, quæ septem illis generibus propositionum fidei repugnant. At verò more iurisperitorũ ista sunt tradita, quæ fortassè minutꝰ in tenuissimas particulas cõcidũtur. Nobis tamen, qui docendi cõpendiariam viam & rationem profitemur, ad breuiorem numerum & absolutam quãdam disciplinæ formulam redigenda sunt omnia. Cùm igitur veritas fidei, vt paulò antè diximus, bipartita sit: & hęc ad fidem mediatè, illa immediatè pertineat, necesse est, duos gradus propositionum fidei generales statim à principio collocare. Prior earum erit, quę Theologię legitima principia sunt cuiusmodicunq; sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa siue primaria siue secundaria, hoc est, ea omnia quæ deus in se ipsis ecclesiæ reuelauit. Posterior verò gradus harum erit, quæ ex prioribus illis necessariò colligun tur. Hoc enim genus conclusionum, vt cũ rebus fidei colligatum, ad fidem etiám spectat. Ratio enim connexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere: & quum inferius negaris, superius item negare cogit. Rursum in superiore illo gradu duos intelligimus, vnum earum propositionum fidei, quas in libris canonicis sacri auctores scriptas reliquere. Alterum earum, quas verbo traditas ecclesia, vt crederet, à Christo & Apostolis accepit. In posteriore item gradu duo genera intelliguntur. Vnum conclusionum eiusmodi, quæ è principijs solùm fidei nascuntur. Alterum earum, quas non fides sola conficit sine externarum disciplinarũ adiutorio, sed ascitis aut vno principio aut pluribus naturæ ratione cognitis. Atq; hæ quidem tametsi non eodem loco & gradu, omnes tamen simpliciter & sine ad ditamẽto quæstiones fidei vocari possunt, nempè cùm ex vtriusq; fidei veritas pẽdeat, cùm vtriusq; coniuncta & copulata sit. Nã quæstiones illæ quasi fidei appendices, qđ nuper, & quid dico nuper? immo verò planè paulò antè dicebam, fidei quodammodo sunt, nó simpliciter. Nec enim sic fidei adhærescunt, vt separari ab illa non queãt. Aegrotat sanè, vt ita dicam, in earum errore fides: non perit.

Sed quoniam scripturæ sacræ natiua & germana sensa obscura interdum & implicata sunt, nec semper exploratum est & cognitum, quænam illa sint, quæ sine scripto Apostoli memoriæ prodiderunt, sæpè etiam impeditum est & quasi tenebris circunfusum, an conclusio controuersa necessariò è rebus fidei ducatur: id nos modò expedire atque explanare cupimus, quibus notis & signis cognosci ac distingui possit veritas fidei tum illa, quæ in sacris scripta libris est: tum, quæ est verbo ab Apostolis tradita: tum demum ea, quæ ex harum vel altera vel vtraque conficitur.

Eò verò studiosiùs hoc negotium suscipimus, quòd non modò scholæ Theologis vtilissimum fore intelligimus, sed illis etiam maximè necessarium, quibus Apostolica sedes fidei cognitionem & censuram imposuit. Non enim parùm in se habet fructus certa constansq; ars in Theologia disserendi: nec sine hac arte eorum errores æquabiliter notari possunt, qui à fide Christi & antiqua ecclesiæ institutione desciscunt. Contrariorum enim, quod à Philosophis verè dicitur, eadem est disciplina. Quare si veritates fidei catholicæ constituimus, errores aduersos pariter designamus. Agè ergo conferamus pedem, vt aiunt, & ad rem propiùs accedamus.

De rebus perspicuis, vt dixi, nihil præcipi oportet. Itaq; si scripturæ diuinæ locus, vt inde ordiamur, planum & apertũ habet sensum vel ex cõtextu vel ex alio eiusdem scripturæ loco vel ex verborum ipsorum clara luce: nullũ nostrũ præceptum est. Ipse enim apertus scripturæ sensus certum præ se fert catholicæ veritatis indiciũ. Quò fit, vt Lutheranorum plerasq; hæreses theologus vel mediocriter scripturę diuinæ sensis imbutus perfacilè denoter. Nullũ quippè negotiũ est eos errores inurere, qui scripturæ manifestò repugnant. Vtilli, Ecclesiam vniuersalem in fide errare posse. Item, Humanas omnes actiones criminosas esse. Item, Tristitiam de peccatis non esse necessariam, sed inutilem. Multi deniq; alij, quos commemorare longum est. At enim de scriptura sacra dicta hęc intelligi volumus, quam esse canonicam cõstanter sit ab ecclesia diffinitũ. Nam, quẽadmodum in secundo libro docuimus, libellum Baruch non adeò exploratè & firmiter in sacrorum numero ecclesia reposuit, vt aut illum esse sacrũ fidei catholicę veritas expedita sit, aut non esse sacrum hæresis expedita sit. Libellus ergo iste siue qui

Librũ Baruch è sacris eximere erroneũ esse dicitur, nec tutum

Q tunc autẽ sum necq; modò aut deo dicere.

quilibet alius, qui in quæstionem citra crimen hæreseos vocari possit, quantumuis clara & aperta inferat sensa, non statim efficiet certas atque constantes catholicæ fidei veritates. Sed transeamus ad alia, & inrerum difficiliorum iudicio è superioribus libris summa quæque carpamus. Ex eo enim tempore hæc res elaborata est, ex quo locorum Theologicorum firmitudinem constituimus.

Sit igitur prima præceptio. Cùm scripturæ diuinę sensus fuerit obscurus, tunc ecclesiæ intelligentia eadem est germana scripturę intelligentia: ex qua habebitur, crepet licèt hæreticus, & catholicæ veritatis insigne certum, & ad probandas Theologiæ conclusiones certi eius, quem exquirimus, argumenti delectus. Si enim ecclesia certissimum ius habet discernendi verba dei à verbis hominum, vt in secundo libro nobis constitutum est, habebit quoque idem ius, vt in verbis ipsis sensum dei ab hominum sensu discernat. Nisi credimus perinde scripturam ecclesiæ, vt Ptolomæo Aegyptijsque concessam: vel certè vt nunc est concessa Iudæis, quos

Cõtra Fausti. lib. scriniarios ecclesię Christi Augustinus nõ ineleganter appellauit. Scimus autem vtrumq; depositum ecclesiæ commissum, vt vtrunque etiam perpetua fide conseruet reddatque simul, quas accepit, & scripturam & scripturæ intelligentiam. Spiritus meus, inquit, qui est in te & verba mea, quę posui in ore tuo nõ recedent de ore tuo & de ore seminis tui amodò & vsque in sempiternum. Ambas igitur res Christi ecclesia custodit custodietque semper & verbum & spiritum verbi. Item, Christus spiritum veritatis promisit ecclesiæ, qui cum illa maneret æternus, eique omnia suggereret, quæ illi à Christo sunt dicta. Item, cùm verum Dei Euangelium, quemadmodum Hieronymus elegantissimè dixit, non in scripturis sit, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla: non in verborum folijs, sed in radice rationis: si ecclesia scripturam haberet, non autem legitimum scripturæ sensum: non haberet profectò verum dei Euangelium atque adeò ne fidem Christi quidem, quæ sine vero dei Euangelio non est. Nec enim ad verba fides, sed ad sensa refertur. Alioqui & hæretici scripturas sine sensu loquuntur, & diabolus scripturas etiam profert: sed in intelligentia falsa falsum Euangelium habent, certè non diuinum, sed humanum, immo, quod peius est, diabolicum. Cùm verò inter catholicos & hæreticos non de scriptura, sed de sensu plurima controuersia sit: si ecclesiæ interpretatio non est certa intelligendi norma, ecquis erit illiusmodi controuersiæ iudex? Sensum enim suum pro sua virili quisque defendet. Quòd si in exploranda scriptu- *Vide lib. 3. c. 2. & c. 3. fundã. 4.*
ræ intelligentia nullus est ecclesiæ certus iudex, audeo dicere Rempub. fuisse nullam stultiùs constitutam. Nullum enim disidiorum futurum finem, consensionem fidelium nullam, nullam fidei vnitatem. Qua sublata, non charitas modò & pax, sed fides etiam ipsa penitus tollitur, atq; ipsum omnino ecclesiæ nomen.

Ioan. 14. 15 & 16.

Esa. 59.

Quòd autem Apostolis Christus aperuit *Lucæ. 24.*
sensum, vt intelligerent scripturas: non id propter illos tantùm, sed multò etiam magis propter ecclesiam fecit. Ex quo intelligimus, Christum ecclesiæ suæ librum signatum perpetuò aperuisse. Scripturæ insuper intelligentiam Apostoli ecclesijs tradiderunt. Nam si non sensum, sed verba duntaxat tradidissent, non vtique prædicassent Euangelium omni creaturæ: nec docuissent omnes gentes seruare quæcunque illis fuissent à Christo commendata. Qualis enim Euangelij prædicatio qualisve doctrina absque intelligentia esset? Nempè, qualis aut puerorum aut psittacorum est, qui sine mente dant accipiuntque sonum. At apostolicæ traditionis certior testis nemo est quàm ecclesia. Nam quid acceperit, ecquis clariùs euidentiusque testabitur quàm ipsa, quæ accepit?

In epist. ad Galat. c. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scripturæ igitur sensus ab Apostolis ecclesiæ traditus penes ecclesiam est.

Præterea ecclesia columna est & firmamentum veritatis, at veritas verè & propriè in intellectu scripturæ est: in scriptura autem impropriè tanquam in signo. Quemadmodum vrina figuratè sana dicitur, cùm animal id sit, quod est propriè sanum. Si ergo ecclesia firmamentum est veritatis, firmam certè habet ac certam earum cognitionem veritatum, quæ in sacris literis continentur. Sed quid opus est plura? Iam enim quartus superior liber comprobauit veram fidelemque omnem de ecclesię auctoritate sententiam. Ostensum est autem multis & testimonijs & rationibus, ecclesiam in fide errare non posse. Atqui nihil magis ad fidem attinet, quàm diuinorum dictorum vera cognitio & sensus. In ecclesia igitur explorata scripturæ intelligentia residet, ex qua nimirum intelligentia & compertum habere possumus fidei catholicæ signum, & eodem quoque signo errores contrarios denotare. Sanè primæ huius præceptionis clarissimum exemplum est in paradyso terrestri, in fictione Adæ de limo terræ, in Euæ formatione de costa Adæ, deniquè in tentatione serpentis. Quæ omnia Origenistę allegoricis figuratisque interpretationibus peruerterunt. Sed cùm ecclesia semper ea nó figuratè dicta, sed propriè ad historiam acceperit, iure illos synodus sexta actione vndecima explosit.

Vide. lib. 7. c. 3. conclu. 5.

Secunda præceptio. In ecclesiæ nomine non modò fidelium omnium concio intelligitur: verumetiam ecclesiæ pastores & doctores, præsertim in concilio congregati. Hæc ostensa nobis est lib. 4. cap. 4. conclu. 4. & libro 5. cap. 4. conclu. 3. Præceptionis verò huius exempla multa sunt: sed nos pauca ponemus. Illa Domini lege, Hoc facite in meam commemorationem, omnes semper ecclesiæ sacerdotes intellexere id præscribi, vt hoc idem ipsi facerent, quod & Iesus Christus tum faciebat, hoc est, vt eucharistiæ sacrificium offerrent. Nam post illa verba in persona Christi prolata, Vnde & memores, inquiunt, nos serui tui, &c. offerimus maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam sanctam, &c. Vuicleffistæ igitur, qui dixerunt, non esse fundatum in euangelio, quòd Christus missam ordinauerit, Lutherani item, ac multò etiam magis, qui negant in ecclesia Eucharistiæ sacrificium esse, iure à nobis hæretici habentur. Sed de hac re in hoc eodem libro posterius. Rursum, concilium Lateranen. patrem & filium verè & propriè rem vnam eandemque esse intellexit ex illo, Ego & pater vnum sumus. Ita in hoc Abbas Ioachimus damnatus est, qui hunc locum non ad rei eiusdem & naturæ vnitatem, sed ad consensionę voluntatis vnius retulisset. Pari enim errore illum alterum locum interpretabatur. Claritatę, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnũ sicut & nos vnũ sumus. Præterea, spiritũ sanctũ à filio procedere cõcilium Ephesinum ex illo scripturæ loco accepit, De meo accepiet: ex illo etiam, Quem ego mittam vobis à patre, spiritũ veritatis, &c. Animam rationalem tandem formam esse subsistentem quidem, sed essentialiter verè ac per se humanum corpus informare, concilium Viennense, vt equidem sentio, ex eo loco habuit, Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. In eo enim quòd Deus animam homini inspirasse dicitur, illam patres foris venisse interpretati sunt: quemadmodum flatus extrinsecùs venit. Nonita aque spiritum hominis educi de materia nec ab ipsa pendere, sed per se omnino subsistere. In eo autem quòd per eundem spiritum factus est homo in animam viuentem, cognouere vtique illam corpus verè viuum efficere, atque adeò formam substantialem esse humani corporis. Item, hoc

Lucæ. 22.

Idem fynodus Ephes. fina.

Ioan. 17.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Gen. 2.

Hcb. 2.

hoc traxerunt ex illo, Nusquam enim angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Si nanque animus hominis non esset corporis vera forma parsque omnino humanæ naturæ, sed corpori, vt nauta naui, iuxta Platonis Origenisque sententiam assisteret: sine dubio substantia esset, quod ad naturæ conditionem attineret, separata: quam nos angelum nuncupamus. Quare Deus animam rationalem assumens, angelicam naturam assumpsisset. Hæc igitur & alia eiusmodi tametsi in scriptura obscuriùs continentur, ecclesia tamen iure suo explicat, fidelibusque ad credendum exponit. Quod dum facit, ipsius decretum non solùm non esse fallum, sed etiam stabile, fixum ratumque esse debet, perinde acsi in libris sacris patentiùs haberetur. Pastores ergo ecclesiastici, quos in ecclesiæ voce communiter intelligimus, cùm scripturæ certam constantemque intelligentiam præscribunt, & absolutam veritatis catholicæ exhibẽt formulam & notas quoque certissimas, quibus hæreses contrariæ diiudicentur.

Tertia præceptio. Si sedes Apostolica aliquem scripturæ sensum præfinierit, ille idem catholica veritas censenda est. Quam sanè præceptionem, nisi opinio nos fallit, diligentissimè in sexto superiore libro demonstrauimus. Multis quippè ibi ac necessarijs argumentis addiximus, sedem Apostolicam in fidei iudicio làbi non posse. Scripturarum verò interpretatio, quum in disceptationem illæ veniunt, fidei iudicium est: non ergo in scripturarum intelligentia sedes Apostolica errat, si eas ex præscripto interpretatur. Nam si non constanti iudicio fixoque decreto, sed ex opinione sua quasi præteriens expoluerit, id quod aliàs sæpè dictũ est, nihil constituet omnino, quod certum exploratumq; sit. Quare si tunc erret, scripturam vel parũ aptè interpretando, vel in sensum etiam alienum detorquendo, nihil huic præceptioni obstat. Quæ non omnia illa sensa præstituit, quæ Pontifices è scriptura sacra ad res, de quibus agebant, suadendas accersierunt: sed illa docet firmè esse tenenda, quæ fidelibus à sede apostolica præstituuntur. Quibus autem signis sedis Apostolicæ conciliorumque firma iudicia internoscantur, in quinto libro explicatum est. Ac certè eiusmodi iudicia, quæ in scriptura interpretanda versantur, ad sedem Apostolicam peculiariter attinere, adeò clarè hodie est in Clement. vni. de summa trinitate & fi. catholi. diffinitum, vt minimè sit hæsitandum, quin Pontificis sententia eadem, & Viennensis concilij sit. Quid? quòd claues habet Petrus, vt librum clausum aperiat? Quid? quòd quæcunque soluerit in terris, erunt soluta & in cælis? Quid? quòd ab initio constitutum est, vt ex ore eius gentes verbum euangelij & audirent & crederent? Quid? quòd aduersum hanc petram ne portæ quidem inferi præualere queant? Quid? quòd pro eo orauit Christus ne deficeret fides ipsius, quò fratrum vacillantem & nutantem fidem confirmaret? At quid ego stultus contra prouerbium vetus acta ago? & argutis minutisque interrogatiunculis quasi aculeis lectorem pungo, atque ea vt modò primumque nascentia edo, quæ in sexto libro altissimis defixa radicibus vsque adeò confirmata sunt, vt nulla vnquam vi labefactari possint. Huius autem præceptionis exemplum habes in extraua. Benedicti vndecimi, cuius initium, Benedictus deus in donis suis. Vbi pronunciat Pontifex, hæreticos eos fore, qui negauerint animas iustorũ simulatq; è corpore excesserint, diuinã essentiã clarè videre: si nihil tamẽ habuerint quæ pœnis purgatorijs antè expiandũ sit. Hoc verò sine dubio accepit ex illo, Id, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ æter-

Cap. 5. §. 4.

2. Cor. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ne quis autē falso errore ductus existi
maret, hanc operationem æternæ gloriæ
aut ad præsens mortalis vitæ tempus, aut
2. Cor. 5. ad futurum vniuersale iudicium esse referendam, subiungit statim Paulus, Scimus enim, q̄ si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationē ex Deo habemus domum nō manu factam æternam in cælis. Ac ne quis rursum aliter æternā illam gloriā interpretaretur homini contingere, q̄ per claram diuinæ essentiæ visionē, mox rem eādem apertiùs exponēs subdit, Sciētes quoniā dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino, per fidem enim ambulabamus, & nō per speciem, audemus autē & bonam volūtatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad dominū. Quem locum. D. Tho. quarto aduersum gentes li-
Cap. 91. bro pressiùs vrget. Vbi quāuis & alia scripturæ testimonia referat, sed ad meū sensum, immo ad syncerū subtileq̄; iudiciū nullum aliud est hoc testimonio præstantius, vt & illa fidei veritas comprobari & contraria hæresis refutari quæat. Præclarè itaq̄; mihi sentire videor, si summum Pontificem autumo, ex his ipsis Pauli verbis illud fidei dogma elicuisse. Ea igitur verba in falsum alium sensum peregrinumq̄; deflectere hæreticorum erit.

Quarta præceptio. Consentiens eadem sanctorum omnium conspiransq̄; scripturarum intelligentia, ipsissima est fidei catholicæ veritas. Quæ præceptio in septimo libro. cap. 3. cōclu. 5. adeò fusè lateq̄; & explicata exēplis & rationibus ac testimonijs confirmata est, vt ineptus ego sim, si quicquam in præsenti adijciam.

Quinta præceptio. Si ex apostolorum traditione communis ecclesiæ vsus vnam quālibet scripturæ interpretationem præ se tulerit, ea vt fidei veritas tenenda est. Vt ecclesiæ mos perpetuus expressit in illis verbis, Quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis, Petro Petriq; successoribus datam esse facultatē & soluendi vota, & relaxandi iuramenta. Qui hanc ecclesiæ facultatem inficiatus fuerit, is verè ac iure hæreticus iudicabitur. Atq; hāc quoq; præceptionem nec probare argumentis, nec exemplis illustrare debeo: propterea quòd in. 3. lib. illam vtriusque rebus patefeci.

Sexta præceptio. Quodcunq; dogma fidei vel ecclesia habuerit vel concilium auctoritate Pontificis roboratū, vel etiam summus ipse Pontifex fidelibus præscripserit, vel certè sancti oēs concordissimè constantissimeq̄ue tenuerint, ita nobis illud pro catholica veritate habendum est, vt contrariam sententiam hæreticam sentiamus: quanuis nec apertè nec obscurè in scriptura sacra contineatur. Docui nimirum in tertio libro copiosiùs, dogmata fidei non è sola scriptura petenda, sed ex apostolica traditione. Quæ verò Christi & apostolorum traditiones sint non alia via & ratione meliùs inuestigari posse, quàm ecclesia ipsa duce atque magistra, superiùs non semel explanatum est. Ecclesiæ porrò auctoritatē nō modò omnium fidelium cœtu cōsistere, verùm etiam conciliorum decretis, sedis Apostolicæ iudicio, sanctorum doctorum consensione superioribus quoque libris expositum est satis, vt arbitror, diligenter. Christi quippè apostolorumq̄ue doctrinam partim scripto partim verbo in ecclesiam descendisse cùm alias sæpè tum fusiùs in tertio libro monstraui. Ostendi etiam sæpissimè, nihil per se ad ecclesiæ fidem attinere, nisi qđ Christo & apostolis reuelātibus accepit. Cùm autem neq̄ue ecclesiæ neq̄; concilium, neq̄ue sedes Apostolica, neq̄ue sancti omnes simul possint in fidei iudicio falli, quemadmodum suis quæque locis patefacta sunt, certè quodcunque nobis fidei dogma tradiderint, si in sacris literis nō habetur, Christo apostolisq̄; tradentibus in ecclesiam venit. Eodem itaq̄; gradu habendum, ac si patēter illud

lud scriptura traderet. Omitto iam plura exempla hæresum notissimarum, quibus præceptionis huius nota inusta est. Nam in tertio libro exempla sunt penè innumerabilia.

Septima præceptio. Si vel ecclesia, vel concilium, vel sedes Apostolica, vel etiam sancti vna mēte eadēq̄; voce aliquā Theologiæ cōclusionem & cōfecerint & fidelibus etiā præscripserint, hæc veritas catholica ita cēlebitur, vt si esset per se à Christo reuelata: & illi qui aduersetur æquè erit hæreticus, ac si sacris literis traditionibusue apostolorū refragaretur. Conclusionē sanè Theologiæ hic appello eā, quæ, priè, quę ex principijs huius facultatis certa & firma cōsecutione ducitur. Huius rei exempla sunt in prōptu vel plurima. Sexta synodus generalis duas esse in Christo volūtates duasq̄; ité operationes collegit, tū ex illo, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis tum ex eo q̄ Christus Deus est & homo perfectus. Conciliū Lugdunen. sub Gregorio decimo ratione quoq; Theologiæ constanti demōstrauit, Spiritum sanctum ex patre & filio non tanquam ex duobus principijs sed tanquam ex vno, non duabus spirationibus, sed vna procedere. Pater siquidē & filius iuxta fidem sunt vnus Deus, vna potētia, vna sapiētia, breuiter in omnibus vnum, in quibus non obuiat relationis oppositio: nec enim aliter diuinæ naturæ vnitas in duabus personis seruari potest. Cùm itaq̄; in spirādo nulla sit à patre filij distinctio: sequitur patrē & filium non esse duo principia Spiritus sancti, sed vnum: quēadmodum non sunt duo principia creaturæ, sed vnum. Qua ex re intelligitur vtrūq̄; errasse vehemēter Erasmum nēpè & Ambrosium Catharinum: illum, qui hanc cōclusionem nihil ad fidem pertinere credidit: hunc, quieā, cùm sit Theologiæ propriè cōclusio, inter principia prima, hoc est, fidei articulos numerauit. Item concilium Lateranen. sub Innocentio tertio ratiocinatione Theologica aduersus Ioachimum effecit, diuinam essentiam nec genitam esse, nec generare. Rem videlicet genitam & generantem realiter distingui oportere: quare si essentia diuina generaret essentiam, ipsam à se non sola cogitatione, sed re etiam esse distinctam. Item patres ad vnum omnes ex eo principio, Hoc est corpus meum, ratiocinati sunt, conuersionem panis in corpus Christi fieri, sine qua nec verborum illorum veritatem poterāt comprehendere, nec cætera, quæ fides catholica de vera inclusione corporis Christi sub specie panis cōfitetur. Ita concilium Lateranen. patrum veterum consensione constituit panem in corpus vinumque in sanguinem transubstantiari, sic enim concilium loquitur. Hac re constituta illa fuerunt consectaria, quæ concilium Constantiense decreuit, panem post consecrationem non manere, atque adeò manere sine subiecto accidentia. Immutatione quippè & conuersione quacunque terminus, à quo mutatio & conuersio initium sumit, non manet. Quare si per consecrationis verba panis transit in corpus: non vtiq; perstat ille, sed perstant accidētia eius. Item synodus Complutensis Sixto quarto in extraua. sua corroborāte certo Theologiæ argumento confecit ex illo Ioannis testimonio, Sicut misit me pater, & ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, remittētur eis, & quorum retinueritis retēta sunt, non solùm sacramenti pœnitentiæ institutionem haberi, sed confessionis etiam præceptum. Id, quod nos in relectione de pœnitentia euidentissimè deduximus. Inde ergo exempli huius probatio petetur. Nam & reliqua delibamus, extremisq̄;, vt dicitur, digitis attingimus, quæ latè longeq̄; diffusiùs in lectionibus olim quotidianis persecuti sumus.

Octaua præceptio. Si scholastici Theologi aliquā itidem cōclusionem firmam & stabilem vno ore oēs statuerint, atq̄; vt certū Theologiæ decretū fidelibus ample ctendū constāter & perpetuò docuerint,

illam

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam vt catholicam veritatē fideles sanè amplectemur. Cōstituimus autē, vt reor, hanc præceptionē in. 8. lib. firmiter & necessariò: nec ad opinionem meam solùm, sed planè ad veritatem. Ac fieri potest, vt aliorū iudicio errem, sed meo ita prorsus existimo. Christi igitur animam, statim vt est in corpore inclusa, Deū apertè vidisse: scholastici ad vnum oēs fidentissimè docent. Eam rem vnde sibi persuaserint, non omnibus passim expeditū est. Sed ita esse minimè ambigitur, nisi q̄ Erasmus in quæstionē vocat. At quibus rationibus & testimonijs ea cōclusio cōfecta sit, posteriùs explicabitur. Illud modò ponimus, vniuersos scholæ Theologos in Theologiæ certis constantibusq̄; decretis præfiniēdis errare nō posse: sicut ne in fide quidem, q̄ eorū error, error esset ecclesiæ, vt potè qui ad cernēdum huius generis res non alios ecclesia q̄ Theologorum oculos habeat: qui si fallerētur, totum ecclesiæ corpus in suo facerent errore versari. At enim, vt dixi, post ea, quæ. 8. lib. disputata sunt, nō est operæpretiū in hac re constituēda elaborare. Sed ne quis sit admiratus, cur cùm inter oēs ferè Theologos cōstet, à meq̄; ipso sæpè affirmatū sit, eiusmodi cōclusiones, quæ ex fide per explicatā consecutionem deriuantur, Theologiæ propriè esse non fidei: nūc ita cōfundam, quasi Theologia & fides eadē virtus sint. Si enim error conclusionis Theologicæ error fidei est, vt est re vera, si eam negare sit hæresis: sequitur, fidem atq̄; Theologiam ad eandem pertinere virtutē: quandoquidē errores vtriq̄; facultati cōtrarij ad idem pertinēt vitium. Sunt enim vtriq̄; hæreses. Sed nō erit difficile ei, qui superiora releget: hanc obterere contūdereq̄; calumniam. Diximus enim fidem, licèt non immediatè, sed versari tamen circa eas cōclusiones, quę per euidentem & necessariam consequētiam ex articulis fidei colliguntur. Quare necesse est, vt infidelitas mediatè quoq; circa conclusiones Theologiæ contrarias versetur. Cū autem ex huiusmodi aduersis erroribus non ægrotatio modò fidei, sed etiam corruptio sequatur, fit, vt eorū & fidei sit indirecta quidem & consequēs, sed vera & naturalis repugnantia. Quamobrem ecclesia tametsi intelligit, eiusmodi conclusiones nō è fide solùm, sed è principijs quoq; naturæ pēdere: quia tamen non putat, hominem rationalem ea, quæ rationi perspicua sunt & manifesta, negare: eum, qui illas inficiatus sit, hæreticum iudicat. Sumit enim maximaq̄; ex causa sumit, illum nō in naturæ ratione, quæ erat euidens, sed in fide claudicare. At verò si quis vel consequētiam rerum aliàs perspicuā ignoraret, vel principiū etiam naturale, quod cum articulo fidei ad colligendam Theologiæ conclusionem sumitur, certè non esset hæreticus. Vt si homo indoctus, verbi causa, existimaret hāc enūciationem esse falsam, Omnis homo est risibus, vnde quāuis crederet Christum esse hominem, non ideò arbitraretur eū posse ridere: hic profectò non esset propriè infidelis, sed stultus, qui non per se supernaturali lumini, sed naturali repugnaret. Verùm quoniam eiusmodi stultitia, quanuis per accidēs & indirectè, fidei tamen ex consequēti corrumpit depraua tq̄; iudiciū, iure apud ecclesiam non in stultitia habetur, sed in crimine. Atque hæ mihi videntur præceptiones summæ atq̄; optimæ, in quibus tanquam insignitæ notæ & catholicarum veritatum & hæresum contrariarum appareant. Siquis verò certiores melioresq̄; protulerit, ei ego magnam habebo gratiam. Quanquam erunt fortasse qui reprehendent communiter illi quidem omnia, quæ præter opinionem suam in his libris meis animaduertent: separatim autem in singulis si perspicient quædam, in quibus vel à communi ego opinione, vel à clementiæ & lenitatis specie discedo. Nam & præceptionum tertiæ & postremæ acerba cuipiam fortè seueraq̄; iudicia videbuntur. Sed is primùm rationes illas expendat velim,

velim, quibus in. 6. &. 8. libr. vsi sumus ad duas has præceptiones corroborandas: modestiam quoque ac temperamentum, quo huius nostri iudicij acerbitatē indulgenter etiam, nisi nos sententia fallit, emolluimus. Deinde si tam indulgens in huius seculi temerariam insolētiam esse vult, vt asperior ei disciplinæ correctio displiceat, obsecro videat, ne dum iudicum ecclesiasticorum animos à seueritate & vehementia ad remissionem indulgentiamque traducit, non modò forum ecclesiæ relaxet, sed vsque ad atrium licentiæ impudentis atque adeò intolerandæ explicet. Crudele est, fateor, illud, Vexat censura columbas, sed illud etiam dissolutum, Dat veniam coruis: vtrum verò hoc tempore & ætate pernicio sius, non facilè dixerim. Sed quoniam eorum errores, qui de ecclesiæ doctrina parùm rectè sentirent, non eodem gradu esse omnes multis in locis perquàm breuiter perstrinxi atq; attigi: de his quoq; errorum gradibus pauca dicantur. Accepimus enim è concilio præsertim Constantien. alias propositiones hæreticas esse, alias erroneas, alias sapientes hæresim, alias temerarias, alias scādalosas, alias piarum aurium offensiuas.

¶ *De varijs errorum gradibus, primumq̄, de hæresi & hæretica propositione. Caput octauum.*

PRiùs verò quàm illiusmodi propositionum genera notasq̄; definio, illud explicādum est, an omnia illa ad hæresim requirantur, quæ sunt ad hæreticum constituendum necessaria. Sunt enim auctores nobiles, qui existiment omnem propositionem hæresim esse, quæ fidei veritati repugnet, quanuis ab ignorante sine vlla pertinacia defendatur. Hæreticus autem nisi sit pertinax nullo modo intelligitur. Huius autem opinionis suæ multas causas reddere conantur. Primam, quòd nisi ita esset, aliqua propositio ab vno affirmata esset hæresis, ab alio non esset. Vt si homo doctus sciens contrarium in sacris libris contineri assereret Moysen non Iudæum fuisse, sed Aegyptium, tunc illam propositionem hæreticā esse hæsitari non potest. At si eadem inscitè ab aliquo homine rustico & idiota affirmaretur, hæreticā nō esset. Ita fieret, vt propositio ab asserente penderet, quod, vt inquiunt, q̄ sit erroneum, vel mediocriter docto est manifestū. Si enim propositio falsa est, à quocunq; dicatur, semper erit falsa: ergo si est propositio hæretica, à quocunq; illa asseratur, semper erit hæretica. Alterā causam reddunt, q̄ veritas catholica non pēdet ab asserēte vt veritas catholica sit. Nā siue Iudæus siue Paganus siue Christianus Deū esse vnum & trinum affirmet, illa certè assertio catholica est: ergo neq; cōtraria falsitas ex eo, à quo asseritur, hæresis sibi aut nomen, aut rationem vendicat: sed absolutè & per se est hæretica, quoniam absolutè & per se cū catholica veritate pugnat. Cęteras causas, vel ego nō intelligo, vel certè indignas iudico, vt à nobis referantur. Illa vehementior apparet, quæ ab illis omittitur, q̄ Theologi rogati, an propositio aliqua hæretica sit, an non, simpliciter respōdēt aut esse aut nō esse, nulla eius, q̄ asseruit, habita ratione. Noua autem res esset & inaudita, si theologi propositiones eas, quarum notæ quærūtur, designare nollēt, nisi illis antè asserentium ingenium, cōditio, doctrina, & culpa innotescerent. Hinc colligunt, omnē propositionem, quæ modò est hæretica, semper hæreticam fuisse: nec ecclesiam definitione sua ex non hæretica hæreticā facere, sed id quod re ipsa erat, ignoratum tamen & occultum, declarare. Hanc sententiam Ocham tenuit. 1. par. dialogor. li. 2. c. 11. & Cardinalis Turrecremata. lib. 4. par. 2. cap. 3. & Adria. 4. Senten. q. 1. de confess. & Alphonsus Castro Zamorensis. libr. 1. de iusta hæreti. puni. cap. 1.

At

Universidad de Deusto
Biblioteca

At auctores alij haud deteriores, mea quidem sententia, nam meliores multi credũt, ab his longè dissentiunt, in quibus est Caieta. 2.2.q.1.art.1. Diuusq; etiam Thomas prioris ad Corin.c.11.lect.4. Afferunt autem ad huius sententiæ confirmationem argumẽta plurima. Primum est, quòd concilium Constan. distinguit propositiones hæreticas, erroneas, sapiẽtes hæresim: quas res difficulter omnino secernemus, si omnis error in materia fidei est hæresis, priùs etiam quàm diffiniatur ab ecclesia. Deinde. 24.q.1.ca. quod autem. & cap. Achatius. &. 24. quæst. 3. cap. notandum. dicuntur aliquæ hæreses esse nouæ, aliquæ veteres: non ergo absolutè sineq; vllo respectu asserentis hæresis dici potest. Præterea, ad hæretici rationem, quia hæreticus est, pertinacia requiritur: ergo de ratione hæresis est pertinacia. Quemadmodum si cœnatum non nisi vesperi intelligimus, ne cœna quidem nisi vespertina intelligetur. Ac certè sicut à candore candidum, ita ab hæresi nominatur hæreticus: quare qui hæresim asserit, hæreticus ille est, vt qui habet candorem est candidus. Quid enim absurdius dici potest, q̃ veram fornicationem esse in eo, qui non est fornicarius? Verum & proprium homicidium in eo, qui non est homicida? Absurdum igitur etiam est, in eo verè & propriè hęresim esse, qui nõ sit hęreticus. Ad hęc, Hæresis est vitium non solùm intellectus, sed etiam voluntatis, nempè crimen est, quod nisi voluntate consentiente intelligi non potest: vbi ergo nullum est crimen, nullaue cordis aduersum fidem repugnãtia, ibi ne vlla quidem hæresis est. Addè q̃ actus fidei catholicæ non est, nisi assentiamus propositioni catholicæ ab ecclesia definitæ: quandiu enim res est ambigua, neque ecclesia alterutram controuersiæ partem præfiniuit, neutrius opinionis assensus fidei catholicæ, iudiciũ est. Qua ex re intelligitur, non esse hæresim, nisi quis veritati catholicæ, quam ecclesia certò præscripsit, refragetur. Adde etiam, quòd veritatem catholicam appellare, quam nec ecclesia credendam proposuit, nec fideles per fidem infusam credunt, sed vnusquisq; probabili opinione tenet, videtur à nomine quoq; ipso veritatis catholicæ alienum. Atque opinionem, quę inficiaris et, diuinas personas relationibus distingui, antequàm esset ab ecclesia diffinitum, nemo hæresim vocare auderet, nec veritatẽ catholicam, quæ aduersam sententiam tueretur.

Hieronymus eodem modo loquitur in. 3. c. epistо. ad Tit.

Mihi verò semper cõsilium fuit nominum cõtrouersias, aut declinare omnino, aut paucis exponere. Itaq; si de hæresi propriè loquimur, non dubito, quin receptior crebriorq; sententia eadem verior sit: nempè non aliud exigi ad constituendum hæreticum, quàm id, quo hæresis constituitur: hęresis quippe flagitium in aliquo homine est, illumq; denominat, in quo esse constiterit. Cuicunque igitur hæresis nota verè & iure inuri potest, is verè iureq; erit hæreticus: id quod ex argumentis nũc positis quædam manifestè probant. Sed quemadmodum vrina impropriè sana dicitur, quòd signum est sanitatis, etiam si fallax aliquando sit: sic propositio in voce vel in scripto vocatur hæretica, quòd signũ hæresis esse soleat, quanuis interdum ab hæresi is, qui dixerit, excusetur, quia ignorãs fuit. In quo sensu illorum opinio vera est, qui arbitrantur aliquam propositionem hæreticam esse, tum etiam cùm is, qui asserit, hæreticus non est. Vel loquuntur etiam de hæresi ex genere & obiecto. Vt si quispiam concubitũ illum primum Iacob cum Lia fornicariũ appellaret, non quòd re vera fornicatio fuerit, sed quòd ex genere & natura talis sit, quanuis ignorantia interueniat. Verùm scholæ theologi, qui vocum significatus presiùs tenẽt, nec concubitum Iacobi cum Lia fornicationem esse dicunt, nec acceptionem rei alienæ, furtum, nec cædem hominis homicidium, nisi quùm & res aliena malè per iniuriam

iniuriam attrectatur, & homo iniquè contra ius occiditur. Maneat ergo perpetuumq; sit, si veram & propriam nominis rationem sequimur, hæresim non esse, cui pertinacia non est adiũcta, & omnino cætera, sine quibus crimen hæreseos verè & propriè non constat. Nec si ad fidem illa ex se pertinent, quæ à Deo sunt ecclesiæ reuelata, quanquam in eorum fortè nos ignoratione versamur, cõtrarios statim errores hæreses iudicabimus. Non enim si quispiam color albo contrarius est, protinus est ater: nec si aliqd liberalitati aduersatur, mox auaritiæ nomen habet. Sic igitur fieri potest, quod paulò pòst demonstraturi sumus, vt etiam in Christiano error aliquis sit fidei quodammodò aduersus: nec hæresis tamen sit, vitium inter ea, quæ fidei repugnant, vel maximum. Quemadmodum autem, nam hoc exemplum etiam atque etiam premendum est, colori albo giluus, glaucus & pallidus cõtrarij sunt, imperfectè tamen: ita quidam etiam sunt Christianorum errores, qui, cùm inchoati sint & informes, hæreseos speciem non attingunt, licèt ad eam ipsam quàm proximè accedant. Quia verò hæresis cum fide non solùm pugnat, sed sum mè maximeq; etiam pugnat, sequitur errorem tunc propriè hæresim esse: quum non fidei materialiter sed formaliter aduersatur. Libet enim hoc loco scholæ verbis abuti. Sed experiar, & dicam, si potero, meliùs. Siquis fidelis in his, quæ fidei sunt vitiosè per insciti am erret, & flagitiosè etiam catholicam vnam quamuis veritatem ignoret, ad dialecticorum legem quidem fidei contradicit, ad morumq; etiam normam culpæ mortalis reus est: sed nisi viuus, vt dicitur, videnśq; pereat, hoc est, nisi prudens volensq; se à catholico dogmate separet, nec facit sectam, neque hæresim admittit. Nondum enim simpliciter & absolutè cum fidei forma pugnat, si de pugna morali sermo sit. Nam de pugna dialectica nulla nobis quæstio nunc est. Sunt tamen eiusmodi errores informationes & inchoationes quædam hæreticæ prauitatis, ad cuius speciem indirectè, vt imperfecta ad perfecta, rediguntur, quemadmodum hominis embrio homo quidam informis est & inchoatus: at non simpliciter homo, sed secundum quid. Non ergo si quispiam error fidei contrarius per ignorantiam, vel negligentiam vituperabilem fideli obrepit, illico hæresis nominabitur, quæ est summa quædam infidelitatis species, erroręque fidei catholicæ aduersus, non vtcunque, sed perfectè, absolutè, formaliter. Perfecta verò hæc absoluta & formalis repugnantia, quũ sit etiam moralis non modò dialectica: ex obiecto & genere seorsum non accipitur, nisi subiecti quoq; & volũtatis humanæ ratio habeatur. Ecquis enim nesciat morales actus ex dispari hominum statu, cõditione, affectu notitiæq; varietate diuersa varias item nominationes speciesq; sortiri? Error igitur ille, Christus non est verus Deus, tametsi in quocunque cuiusq; conditionis homine fidei repugnat, in Iudæo tamen infidelitas Iudaica est: in Pagano, paganica: in Christiano, hæretica. Nisi adeò loquendi imperitissimus, vt eiusmodi erroris culpam in Pagano hæresim appellemus. Apud nos ergo, qui multas & discrepãtes infidelitatis species ex vario hominum cultu ac professione distinguimus, nihil obstat, cur nõ illiusmodi & rerum & vocum genera ab asserentibus pendeant. Quibus rebus expositis facilè, vt opinor, intelligitur, mala hęresim ratione finiri, q̃ sit error catholicę veritati cõtrarius: quippè cùm ista finitio vna in oẽs errores valeat Iudæorum, Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum. Sed hoc quidem sanè luculenter, vt ab hominibus definiẽdi peritis, à Theologis scholæ dictum est, Hęresim esse eius, qui fidem professus fuerit, pertinacẽ errorem illi veritati manifestè contrarium, quæ catholica certò sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Contra hæresis finitionem argumenta quædam. Cap. Nonum.

AT enim vt hæc definitio illustrior appareat, quibusdã argumẽtis explorãda est. Primùm Christiana doctrina & institutũ est hęresis, vt auctor est Philo in libello de vita theoretica supplicũ apud Euseb. lib. histo. eccles. 2. cap. 17. at non est error, sed ipsa potiùs catholica veritas, &c. Deinde, Apostata à fide & religione Christiana catholicæ veritati apertè repugnat, quã semel professus est, non tñ est hæreticus. Præterea, Ex verbis inordinatè platis, vt Hiero. ait, incurritur hęresis: sine errore ergo & pertinacia hoc crimen inuenitur. Pręterea, Dubius in fide, infidelis est. de hęreti. ca. 1. si ergo antea erat Christianus, ex eiusmodi dubitatiõe efficietur hæreticus. Nihil em̃ est in genere, quin in aliqua eius generis specie cõstitutũ sit. Quòd si hęsitatio illa est hæresis, qui autẽ hæsitat suspensus & incertus animi pendet, nulliq; rei omnino assentitur: fit, vt hæresis sine errore aliquando sit. Nam error veritati repugnans assensionem habet. Adhæc, Diuus Thomas. 1. p. q. 32. art. 4. docet, quòd opinari falsum circa ea, quæ sunt nobis principaliter ex fide tradita, hoc ipso inducit hæresim: maximè si pertinacia adiũgatur. Sine pertinacia igitur hæresis esse potest. Id, quod ecclesiæ vsus confirmat, quæ ex vna actione adorandi idola circumcidendiuè puerum, hominem quasi hæreticum iudicat, non iudicatura, si ad hæresim pertinacia nimiaq; illa in errore perduratio exigeretur. Adde, quòd incredulitas & duritia cordis sine pertinacia esse non potest: discipuli ergo vndecim, quorũ incredulitatem & durtiã cordis dominus increpauit, habuerunt in errore pertinaciam. At error circa resurrectionis articulum, quã dominus ipse manifestè prædixerat, fidei catholicę apertè erat cõtrarius: quare si finitio illa vera & perfecta est, discipuli in hæreseos crimen incurrêre. Id si perabsurdum est, dicamus potiùs in ea definitione & supereſse quicquam, & etiam abesse.

Hæc verò argumẽta paucis quàm fieri poterit expediemus. Nõ enim hoc loco nos de hæresi institutionem suscipimus, quæ nisi longissima oratione nullo modo absolueretur: sed quasi prætereuntes breuiter & circunscriptè explicare volumus, quidnam propriè hæresis sit, vnde quis sit hæreticus error eluceat, & quæ hęretica propositio, quã in voce vel scripto erroris hæretici signum esse, nemo, qui vir doctus sit, ignorare potest.

Primùm igitur, hæresis Græcè, ab electione dicitur, vt auctor est Hieron. in. 5. ca. epist. ad Gala. & in. c. 3. epist. ad Titum: Isidorus lib. 8. etymolog. c. 3. D. Thomas 2. 2. quæst. 11. artic. 1. & in. 3. cap. epist. ad Titum. Græcam verò hanc vocem Latinus noui testamenti interpres interdum seruat, quãdoq; in sectam vertit, vt ad Galat. 5. vbi editio nostra in carnis operibus sectas habet, Græca habent hęreses. & Acto. 28. Iudæi, cùm Paulo inquiunt, Nam de secta hac notum est nobis, quòd vbiq; ei contradicitur, hæresim Græcè Lucas dixit. Secta igitur & hæresis eadem res sunt, sed vt secta à sectando, sic hæresis ab eligẽdo dicitur. ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, quod est, eligo. Deinde & illud animaduertendũ, nomen hęreseos apud Græcos veteres & Latinos auctores generale esse, & vnamquanlibet sectã designare, vt Platonicam, Stoicam, Peripateticã. At Christiani scriptores contracto vocabulo hęresim nuncupant sectam & diuisionem, qua quis à cõmuni ecclesię fide seiungit, priuatamq; opinionem eligens à catholica institutione discedit. Pręterea, & illud, licèt sit in prõptu & multorum sermone teratur, cõmemorandum est tamen, doctrinam euangelicam propriè neq; hęresim neque sectam appellandam. Tum quia eam non sequimur ex electione nostra, nec enim commentum

Ad. 1. argu. 24. q. 3. ca. hæresis.

1. Corin. 11

Isidorus. 8. etymo. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. ad. 3

mentum aut inuentum nostrum est, sed habemus ex traditione diuina: vt non nobis sic an aliter opinandi optio detur, sed Deũ quacũq; trahit retrahitq; sequamur. Tum etiam, qm̃ euãgelij doctrina semper catholica & vniuersalis fuit, ad oẽs æquè pertinuit, omnesq; eam omni tempore tenuerunt, qui de Deo & veritate rectè sentirent. Cùm ergo hæresis & secta priuatam quandam disciplinam sonent, quam sibi vnusquisq; pro suo arbitrio & eligit & sequitur, nimirum catholica disciplina hominibus ad vnum omnibus à Deo tradita nec secta nec hæresis vocanda est, quanlibet Philosophorũ placita hæreses vocitẽtur. Auctores sunt Hieronymus in tertiũ caput epist. ad Tit. Isidorus. 8. lib. etymolog. cap. 3. Theophilactus in. 2. cap. epist. ad Colossen. Tertulianus in lib. de præscriptionibus hæreticorum. Quod igitur Philo nostram religionem hæresim dicit, neque in malam partem tamen, more illius ætatis facit. Sic enm ferè ab hominibus appellabatur.

Ad. 2. argu.

At verò vtrum apostasia hæresis sit, magna doctissimorum dissensione certatur. Syluester in ver. hæresis. 1. quæst. 2. affirmat, apostatam hęreticum propriè non esse. Sed in ver. apostata. §. 1. & 2. secũ ipse, vt videtur, pugnat. Caieta. 2. 2. quæst. 11. artic. 1. docet, quòd apostatæ verè hæretici sunt, quia licèt non credant in Christum, vt ait, actu elicito, profitentur tamen eum charactere Christiano. In hæresim itaque incidunt, cùm desciscant à fide catholica, quam professione tenebant. At in summa in ver. apostata. videtur contrà sentire inquiens, Apostasia peior est hæresi: vtpotè excędens ipsam totaliter tollendo fidem. Cardinalis Turrecremata in lib. 4. part. 2. cap. 13. apertè confirmat, apostatam hæreticum non esse. Quæ eadem sententia est D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 1. & q. 12. artic. 1. ad tertium. vbi expresè dicit, apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, sed recipere speciem à termino ad quem est motus recedentis à fide. Ac certè vsu è more loquendi sanctorum hæreticus ille duntaxat est, qui post professionem Christianæ fidei sub nomine Christiano doctrinæ Christi resistit, vt Augusti. inquit. 18. de Ciui. Dei. c. 51. & 16. libr. cap. 2. tradit, quòd Chan medius Noe filius nec in primitijs Israelitarum nec in plenitudine gentium tãquam se ab vtroque discernens & inter vtrunq; remanens typus hæreticorum fuit. Atque Origenes in tertium cap. epist. ad Tit. Hæreticus, inquit est ille, qui Christo se credere profitetur, sed aliud de veritate Christianæ fidei credit, quàm habeat traditio definitionis ecclesiasticæ. Et ne singulorum verba referendo prolixi & molesti simus, Ambro. in. 3. cap. epist. ad Tit. Gregori. 5. mora. ca. 11. Beda in Lucæ. c. 17. idem cum Diuo Thoma & August. sentiunt, nec quisquam veterum in longissimis aduersum Iulianum disputationibus, eum hęreticum, sed apostatam nominauit. Sed ne ratio quidem Diui Thom. pessima est: is enim, qui totam Christi doctrinam reijcit, nihil videtur eligere, sed penitus à fine discedere. Item, Apostasia motum quendam importat discedentis à fide: motus autem non habet speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Cùm ergo apostata ad Iudæorum superstitionem & errorem accedit, iudaicæ infidelitatis reus est: cùm verò ad paganismũ, paganicæ infidelitatis culpam contrahit. Quò fieret, vt apostasia, si hæresis est, in duabus speciebus eiusdem proximi generis collocaretur. Rectiùs ergo Diuus Thomas philosophatur, cùm ait, apostasiam nullam determinatam speciem infidelitatis prę se ferre, sed ad eam redigi & reduci, ad quam apostata accesit. Nam ex eo quòd recesit à Christiana fide, apostasia speciem non habet, sed circunstantiam quãdam aggrauantem, iuxta illud, Melius erat eis non cognoscere viam iustitię, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Quo magis

2. Petr. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos miror, qui in contrariam sententiam verba. D. Thomæ rationesq; deflectunt. Sed eorum argumenta videamus.

Vnum est, quòd hæreticus homo per multiplicationem hæresum, hæreticus esse desineret. Nam si in aliam & aliam hæresim quotidiè laberetur quousq; totam prorsus desereret catholicam fidem, iam ex hæretico per augmentũ hæresum priore nomine amisso apostata fieret. Alterum argumentum est, quòd pœnæ in iure aduersum hæreticos decretæ apostatas etiã comprehendunt, id, quod non esset, si illi non essent hæretici: quum nulla lex canonica sit, quæ in huiusmodi apostatas animaduertat, nisi in hæreticis contineantur. Postremum argumẽtum grauius est multò quàm cætera, quòd Bonifacius octauus apostatas hæreticos esse definierit in hæc verba, Contra Christianos, qui ad ritum transierint Iudæorum, erit tanquam contra hæreticos procedendum.

De hæreti. in. 6.

Sed primum argumentum non est difficile eludere. Quanlibet enim hæreses cumulentur, si Christum homo ille generaliter profitetur, & sub Christiano vocabulo eius fidem impugnat, hæreticus semper erit, apostata non erit. At vbi primùm & Christi nomen & totam omnino religionem deserere instituerit, apostata fit, & nomen hæreseos amittit, nó per hæresim superioribus adiectã, sed per apostasiam nouam, quæ hæresis non est: sed maius aliquid hæresi. Quis autem dubitat, minora per maiora aboleri, & nominibus commutatis priora in posteriora transire? Dispositiones mutantur in habitus, & nomen dispositionis cessat. Scientia viatoris in scientiam comprehensoris vertitur, & scientia illa prior fidesque & fidei nomen eluitur. Incontinens incontinẽtijs sæpiùs iteratis prauus efficitur, & nomen illud vetus euanescit, aut certè in grauius aliud permutatur. Quapropter nihil est admirandum, si asserimus, hæreticum per apostasiam, quæ nouum crimen est ab hæresi separatum, multoque grauius crimen quàm hæresis, antiquum nomen amittere, & nouum comparare, præsertim quum hæreticus apud veteres sanctos non ille apertus hostis sit, sed falsus propheta, qui venit in vestimẽtis ouium: leprosus item, qui dũ rectis praua permiscet, colorem sanum maculis aspergit: Pharaonis magus, qui veritatis imaginem præ se ferens veritati resistit: fons deniq; & nubes sine aqua, arbor autumnalis, sydus errans, quæ omnia aquæ, fructus, lucis speciem obtendunt. Cùm ergo hæretici nomen generalem quãdam Christi professionem connotet, non est absurdum: si cùm connotatio abest, absit quoq; hæretici vocabulum. Quemadmodum si quis cœnam ad sequentem diem varijs poculis quàm maximè possit varioque item sermone produxerit, cœna iam illi mutato tempore in ientaculum aut prãdium etiam conuertetur, nec propriè nomẽclaturam priorem retinebit.

Secundum verò argumentum ita refellitur. Non est dubium, quin apostatæ in pœnas hæreticorum incurrant. Id quod ab ineũte ecclesia perpetuò seruatum est, quemadmodum ex Cypriani opusculis vel maximè liquet. Falluntur autem in ea re plurimi: quòd omnes ecclesiæ leges à iuris voluminibus petẽdas esse existimãt, in quæ vel Raymũdus, vel Gratianus, vel quilibet alius decreta sanè quamplura congesit. Hinc enim Caietanus noster præceptum ieiunij quadragesimalis, quoniam in decretis pontificijs, quæ passim circunferuntur, non apparet, vix potuit constituere, eodemque labore penè confectus est dum legem quæreret, qua clerici monasticam religionem professi ad diuinas præscriptas preces exoluendũ astringerentur. Multæ sunt, mihi crede, ecclesiæ leges, quas non scriptura, sed vsus inseruit. Nec conciliorum atque Pontificum scripta omnia iuris contritum volumẽ complectitur. Apostatarum ergo pœnas ante Bonifa-

Bonifacium octauum mos ecclesiæ præscripserat. Sed quoniam quispiam dubitauit, illius dubitationem Pontifex in eo capite resoluit, definiens non aliter aduersum apostatas, quàm cõtra hæreticos procedendum. Verùm è Pontificis verbis & diffinitione non habetur, apostatas hæreticos esse. Nam illa particula, tanquam, similitudinem rei aliquando, non semper veritatem affert. Cuius rei exempla non est opus in præsentia referre: quia in sacris & profanis literis obuia sunt plurima. At de hoc argumento, cùm nominis etiam controuersiam habeat, nimis multa dicta sunt.

Ad 3. arg.

Illud porrò testimonium, quod Hieronymi nomine scholæ Theologi iurisque periti etiam terunt, Hieronymi non est: sed à magistro senten. acceptum D. Thomas cæteriq; dejunceps, vt solet, vsurparunt. At, si illa Hieronymiana ad Damasum epistola de trium hypostaseon vocabulo accuratiùs relegatur, D. Hieronymus in ea potiùs sententia est, vt existimet è sensu non è verbis hæresim æstimandam. Ec quid enim aliud sibi vult, cùm ita loquitur? Ab Arianorum præsule & Campensibus trium hypostaseon nouellum à mẽ homine Romano nomen exigitur. Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Et quia vocabula non edicimus, hæretici iudicamur. Et multa alia posterius eiusmodi, è quibus intelligas, Hieronymum nihil sibi in recta et sana intelligẽtia à crimine hæreseos timuisse, sed nouam vocem, vbi venenum sub melle latere suspicabatur, reformidasse. Alioqui illud Hilarij Hieronymus legerat, de intelligentia hæresis, non de scriptura orta est: & sensus nõ sermo fit crimen. Itaque ex verbis inordinatè prolatis in hæresis suspicionem incurrere fortasse possumus: in hæresim, si error in fide absit, nó possumus. Quum enim fides in intellectu sit, necesse est, infidelitatẽ, cuius species est hæresis, in intellectu quoque esse. Item, veritati nihil cõtrarium est, nisi error: quum ergo hæresis fidei veritati aduersetur, sine dubio est error. Sed quoniam interdum legislatores & iudices iuris fictione & præsumptione in foro exteriori crimina persequuntur, dicta factaque externa, quæ hæresim testari solent, & hæreses vocant, & pro hæresibus puniunt. Quemadmodum & in eos, qui foris deserunt fidem operevè externo cultum idolo exhibent, quanuis ex metu id faciant, perinde animaduertunt, acsi interiùs à fide & religione desciuissent. Sed quod ad voces attinet, nihil moror. Nam sicut externa testatio & professio fidei interdum fides nuncupatur, ita etiam externa testatio hæresis eandem quoque nomẽ clãturam habet. Rerum quippè signa & imagines rerum sæpè nominibus appellãtur. Quo modo prouerbium illud vetus atq; laudatum, cui ego vix vnquam sum assensus, verum est in sermone vulgari, Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. At sermone proprio, vt diximus, hæresis apud Christianos error est eius, qui fidem Christi generaliter se habere profitetur: nec tamen veram habet. Sed enim de rebus ipsis eos, qui fidei & religionis iudicium exercent, admonendos putaui, vt non eodem modo dictorum ac factorum iudicia faciant. In factis sanè, quæ ipsa per se tetra ac flagitiosa sunt, nihil est periculi, si ritu Iudaico circuncidentem aut idolo dæmonivè sacra facientem pœnis hæreticorum mulctent. Tametsi non sum nescius, viris & Theologiæ & iuris peritissimis placuisse, id quod mihi ipsi non displiceat, vt quoniam illiusmodi homines non sunt aut hæretici aut apostatæ, nisi iuris fictione & præsumptione probabili, iudices fidei in ea ipsa quidem externa flagitia studiosè nimis ac diligenter inquirant, num reuera ex interiori infidelitate proficiscan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur & prodeant. Quòd si cōstiterit, non errore intellectus, sed cupiditate, metu aut alia quauis animi perturbatione id genus scelera patrata perfectaque fuisse: tunc illa non tanquam hæreses, sed leuiore animad uersione punienda. Verùm quum verba quantuncunque inordinatè prolata sæpè à crimine hæreseos, nonnunquam etiam à crimine omnino vacent, in eorum sensu & mente inuestiganda adhibeat iudex licèt diligentiam vel maximam, sed si in ver bis peruersis & inquinatis recta sententia dicentis appareat sanaque & munda fides, admonendus est homo, corripiendus, ter rendus quoque clementer tamen moderateque mulctandus. Interdum verò dis simulanter est vel tota pœna mortalium insciciæ & imbecillitati condonanda: cùm liberior loquendi licentia hominum leuis simorum, quanuis errorem non habeat, vehementer coërcenda sit: vt quæ afferat audientibus aliquādo perniciem. At hęc, vt à præsenti instituto aliena, quasi primo bus labris gustata dedimus. Quæ sequūtur, ea nostra sunt, atq; ad hoc tempus & locum propriè pertinent. Quamobrem, vt breuiter quidem illa, sed enodatè explicen tur: ingenij quantum potero, laboris plus penè quàm potero, adhibebo.

Ad 4. arg. Controuersantur ergo iuris periti atq; Theologi an dubius in fide hæreticus sit: itemq; similiter, eadem enim quæstio est, dubitare de vna qualibet catholica verita te an sit etiam hæresis. Nam esse, ratio illa posita primū videtur ostendere. Deinde & Augustini testimonium illud, Errare est, In Enchi. c. 17. et. 19. verū putare quod falsum est, falsumq; qđ verū est, vel certum habere pro incerto, in certum verò pro certo siue falsum siue ve rū sit. At qui de vna quauis fidei veritate dubitat, is habet certa pro incertis, errat ergo contra fidem: fides enim, vt Bernardus ait, ambiguum non habet, quòd si habet, fides non est. Hæsitatio igitur illiusmodi error est cum fide pugnans. Quare si per tinaciam habeat adiuncta, proculdubio est hæresis. Præterea, concilium Viennen se doctrinam omnem aut temerè asseren tē aut vertentem in dubium, quòd substā tia animæ rationalis nō sit humani corpo ris forma, tanquam erroneam ac veritati fi dei catholicæ inimicam reprobat. Non igi tur ille solùm errat in fidem eiq; cōtrarius est, qui asserit propositionem hæreticam, sed etiam qui veritatem catholicam vertit in dubium. Quorsum insuper illud caput, Dubius in fide infidelis est, in titulo de hæ reticis cæteris omnino capitibus præpone retur, nisi vt intelligeremus, id genus homines & hæreticos habendos esse & tanquam hæreticos puniendos? Præterea, is, qui dubitat, fidem amittit, alioquin nō es set infidelis: at fides in baptismo suscepta nisi per hæresim non amittitur. Adde, q̄ de ratione fidei est constans & certa firmi tudo, vacillatio autem & dubitatio pertinax fidei corrumpit firmitudinem: est ergo fidei saltem indirectè contraria, atque adeò est hęresis. Ea enim re error aduersus theologicæ conclusioni hæresis est, quia fidei est indirectè corruptor. His argumen tis vtuntur illi, qui dubium in fide, si est in dubitando pertinax, hæreticum censent. Nam si ex infirmitate, non ex pertinacia vacillat & claudicat, omnium vna sententia est, hunc hæreticum non esse, Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? Dubitatio igi tur hominis infirmi non funditus tollit fi dem, quam in imbecillo modicam ait do minus esse, nonnullam. Alij verò auctores etiam ipsi eruditissimi contrà sentiunt, du bitationem in fide fidei quidem opponi priuatiuè, non contrariè: hæresim autem fidei esse contrariā positiuè, sic enim scho lastici loquuntur, itaq; dubitationem non propriè esse hæresim: etiam si homo pru dens videnſq; dubitauerit. Quam opinio nem multis & ipsi argumentis persuadere conantur. Primum est D. Thomę testimo nium prioris ad Corinth. 11. lect. 4. vbi do cet, de ratione hæresis esse, vt quis priuatæ disciplinæ pertinaciter inhæreat. Nam elec

Adria. quæst. lib. 2. Gab. 3. d. 23. q. 2. Archie. Floren. 3. p. tit. 23. c. fin. Ioan. And. & Panor. super primum cd. de hære. Aug. de Ancho. in lib. de potesta. eccle. uide Turrecre. li. 4. p. 2. c. 12. Matth. 14.

ctio, vt ait, firmam importat inhæsionem: vnde colligit, hæreticum non esse, nisi qui spernit disciplinam fidei diuinitus tradi tam & pertinaciter proprium errorem se ctatur. Quæ eadem sententia Hieronymi est in cap. quintum epistolæ ad Gala. & in cap. tertium epistolæ ad Titum, inquien tis, Hęresis ab electione dicitur, quòd sci licet, eam hæreticus sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Atque Augustinus lib. de vtilita. creden. ad Ho nora. cap. primo. Hæreticus, inquit, est, qui falsas opiniones vel gignit vel sequitur. At qui dubitat, hic neque habet firmam inhæsionem, nec alterutram quæstionis partem eligit, nec opinionem falsam aut gignit aut sequitur: non est igitur hæreti cus. Rursum, hæresis contrariè opponi tur fidei & non per negationem aut pri uationem: at dubitatio, cùm non habeat assensum nec dissensum, non aduersa tur fidei contrariè, nam fides assensum præ se fert. Dubitatio igitur non est hæ resis. Præterea, hæresis, error est catholi cæ veritati contrarius, error autem assen sus est vel dissensus falsus: cùm ergo hæsi tatio nec assensus nec dissensus sit, ne hæ resis quidem est. Ad hæc dubitatio me dium quoddam est inter duas extremas controuersantium partes, fides verò & hę resis duo sunt extrema summè maxime que pugnantia: dubitatio igitur, quæ in ter dogma hæreticum & veritatem ca tholicam intermedia est, non est hære sis, sed illius particeps atque vicina. En causæ, quibus auctores sanè nobiles moue ri solent, vt isto modo opinentur.

24. q. 3. ca. hæresis.

24. q. 3. ca. Hæreticus.

Nec argumenta eos aduersariorum vr gent, quò minus in sua sententia persi stent. Etenim cū primū illis obijcitur, dubiū in fide infidelem esse: hoc ita repellunt. Infide litas, inquiunt, tripliciter accipi potest, vno modo secundùm puram & simpli cē negationē, vt dicatur qs infidelis ex hoc solo, q̄ nō habet fidē, & hoc modo, vt di cit sanctus Thomas. 2. 2. q. 10. articu. 1. in his, qui nihil audiuerunt de fide, non ha bet rationem culpæ, sed magis pœnæ. Se cundò capitur infidelitas secundùm con trarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditæ fidei vel etiam contem nit ipsam, & in hoc propriè, vt eodem lo co Diuus Thomas affirmat, ratio infideli tatis perficitur. Tertius modus infidelita tis est medius inter duos modos prædi ctos, & est fluctuatio quædā inter duas partes nec vni nec alteri adhærendo: quo modo Stephanus Papa loquitur in illo ca pite primo de hæreticis. Tres verò infide litatis species eius esse intelliguntur, quæ propriè fidei contraria est, hoc est, non pri mo aut tertio modo, sed secundo.

Errare autem eos, qui certa pro incer tis habent, ita demum esse interpretantur, si aut affirment incerta esse illa, quæ certa sunt, aut negent etiam esse certa. Error e nim est propositio falsa verbo siue affir mato siue negato. Qui verò nihil vel af firmat vel negat, hunc propriè non errare, nisi fortè is etiam errare dicitur, qui sco pum non attingit, quum sagittam quidem non iecerit, collineaturus tamen si iecisset. In quem sensum peccatores in vniuersum errant, non ij modò, qui operantur ma lum, verum etiam illi, qui non faciunt bo num. Sed hoc improprium est. Alioqui, vt ad propositum reuertamur, si propter ea quòd fidem certam esse oportet, quis quis incertus est, errorem habet, qui opi nabitur Christum esse deum, hic quoque propriè & errabit & erit hæreticus, nempè cùm non habeat firmitudinem eam, quam veritas fidei requirit. Sicut enim dubitatio fidem pellit, ita etiam opina tio. Formido nanque opinationi coniun cta perinde certo fidei assensui repugnat, vt illa dubitantis ambiguitas. At est ne quisquam tanto ductus errore, vt veram opinionem esse errorem existimet, quia cum certo assensu, quem fides exigit, simul esse non potest? Qui igitur habebit certa pro incertis nihil aut asserendo aut inficiā

Universidad de Deusto
Biblioteca

do, sed quia pẽdens animi nec veritatẽ catholicam nec dogma cõtrarium eligit, is fictione iuris hęreticus fortè erit, vocis certè ꝓprietate nõ erit. cũ non sit cõtrariè & positiuè infidelis, quanquã est infidelis negatiuè aut etiam priuatiuè, eo quòd fides sine vllo errore, & abiecta omni formidine & cunctatione vera esse intelligitur: si autem formidinem aut cunctationem habet, fides non est.

Quod verò ex concilio Viennensi testimonium excitatur, non modò non est contra hos, sed maximè horum causam opinionemq; confirmat. Cùm enim doctrinam omnem siue asserentem siue vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis humani corporis non sit forma, tanquam erroneam ac fidei catholicæ inimicam synodus reprobasset, ne quispiã putaret dubium atq; assertionem eodem gradu & loco habendum esse, subiungit, Definientes quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis non sit forma corporis humani, tanquã hæreticus sit censendus. In quibus verbis perspicuũ est, eos, qui eã rem in dubiũ verterent, non esse à cõcilio tanquã hæreticos condemnatos, sed eos tantum modò, qui eius rei contrariũ pertinaciter assererent. Nec enim sine causa existimandũ conciliũ est eos, qui in dubiũ verterent, prætermisisse. Doctrinam igitur ea, quę in dubiũ vocat catholicas veritates, inimica est fidei christianæ non cõsummatè & absolutè, sed imperfectè & inchoatè: nã & suo quodã modo colores medij albo inimici & contrarij sunt, & nõ solũ color ater extremus. Qua ex re satis intelligitur, hæsitationem merã sine assensu atq; dissensu neq; errorem propriè esse, neq; fidei omni ex parte inimicam.

Iam, ꝙ caput illud, Dubius in fide infidelis est, antè cætera ponitur in eo titulo, qui de hæreticis inscriptus est, nõ probat, dubiũ in fide hęreticum verè esse: sed iuris fictione esse. Id quod secundũ eius tituli caput ostendit: qui alios, inquit Leo, cùm potest, ab errore non reuocat: seipsum errare demonstrat. At qui hæreticis fauent, & in eorum errore conniuent affectu illiciente non errante intellectu, hi iuris quidem suspicione hæretici sunt, verè autem & propriè non sunt. Error, Innocentius ait, cui non resistitur, approbatur, & veritas quum minimè defensatur, opprimitur. Quid ita? nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Et Gregorius consentire, inquit, videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Nec Stephanus Papa, cuius decretum illud esse dicitur, aliter seipse interpretatur. Nempè, docere volebat, quibusnam, testibus fides habenda sit, & inter cæteros eos à testimoniorum fide reijcit, qui aut fidem veritatis ignorant, aut dubij nimirum in fide sunt. Hos enim Pontifex iure & infideles esse sumit, & in testimonijs ferendis mendaces. Quocirca primum illud caput non eò forsan spectat, vt ex illius sententia homines hæretici iudicentur, sed eò potiùs, vt fidei iudices intelligant, quosnam sint in causa fidei testes legitimos habituri. Absurdum enim esse, vt infideles de fide aduersum Christianos testificentur, siue infideles veritatis ignoratione aut dubitatione sint, seu multoq; etiam magis errore contrario.

83. dist. ca. error.

Eadem dist. cap. cõsentire.

At eum, qui non infirmitate, sed pertinacia dubitat, fidei habitum amittere mihi vehementer probabile est. Nam actum fidei omnis vel pertinax vel imbecilla dubitatio tollit, qui quidẽ ambiguũ non habet, & si habet, actus fidei non est. Fidem verò in baptismo susceptam non nisi per hæresim perdi, huius opinionis auctores facilè negant. Colorem nanq; album non modò ater expellit, sed giluus etiam & glaucus ac cæteri omninò intermedij. Fides item non solùm infidelitate excluditur, sed clara etiam visione. Quum enim venerit quod perfectum est, euacuabitur

bitur qđ ex parte est. Nihil igitur obstat, quin & per hæresim perfectè contrariam & per dubitationem & opinationem, quę ex parte fidei aduersæ sunt, fides ipsa tollatur.

Enimuerò, quod postremo loco argumentum additur facillimũ est. Error quippè theologiæ contrarius cùm & assensum falsum habeat & in falsitate contumaciã: indirectè licèt, vndiq; tamen fidei aduersus est, tùm ex intellectu tùm ex voluntate. Dubitatio autem pertinax ex voluntate quidem fidei perfectè aduersatur, ex intellectu non item, vt qui, quãdiu dubitat, errorem assensionemq; non habeat. Qua ex parte rationem cõtrarij claudicare, qui aut admiratur aut ambigit, is se qui sit vir doctus nescire fateatur. Cùm ergo hæresis non ex parte: sed vndiq; fidei contraria sit, efficitur, dubitationem hæresim propriè non esse, quantumuis dubitatio sit pertinax.

Quid ergo satin hoc est, vt de fidei veritate pertinaciter dubitantes non esse hæretici videantur? mihi quidem non videtur, quanquam alteram earum opinionũ metaphysicus, ꝙbo, alteram philosophus moralis non reprobo. Ad normam siquidem Metaphysicæ legesq; contrariorum à dialecticis physicisq; præscriptas dubitatio neq; speciem habet neq; formam. Nihil enim affert, nihil ponit, quod aut res sit aut formæ rationem habeat. Constat autem, quæ propriè cõtraria sunt, ea duas formas esse maximè repugnantes. Quo modo satis euincitur, dubitationem nec esse hæresim nec fidei esse contrariã. At si Philosophiæ moralis sequimur leges, quæ in id spectat, quod frequentissimum est, tùm verò hominem pertinaciter de veritate catholica dubitantem eundem nullũ omnino errorem habere fidei verè contrarium prorsus incredibile est. Quod enim quispiã vel de conclusione aliqua vel de vno etiam quolibet Theologiæ principio ambigat, nihil est admirandum. Quòd autẽ non conclusiones modò in ecclesia certas, verumetiam omnia catholicæ doctrinæ prima principia in dubium vertat, nulli assentiatur, nulli repugnet: nequaquam verisimile fit, nisi velimus hominem quẽpiam fingere hærentem ad omnia & nutantem, cui vniuersarum rerum infinita quæstio sit, & nullo loco constans & fixa veritas. Verùm pone hominem eiusmodi reperiri, qui ancipiti semper gradu pendeat, num si Christum generaliter profitetur, Christi etiam doctrinam in generali probat: fac ergo eum scripturas sacras admittere, aut certè ecclesiæ auctoritatem. Cùm ergo is dubitauerit de vno quolibet dogmate, quod in scripturis inuenitur vel ab ecclesia diffinitum est, si illi ostẽdas aut ecclesiæ definitionem aut scripturæ apertum dogma, necesse est illum aut dubium abijcere aut credere ecclesiæ scripturęque testimonia incerta esse. Nam si certa illi sunt, omnem hæsitationem pellent. Meritò igitur ecclesiastici iudices & Theologorum & iuris peritorum auctoritate cõfirmati, eos omnes hæreseos nomine condemnant, qui de dogmate catholico pertinaciter dubitarint. Sed nunc quid pertinacia sit, ea quæ vel maximè hæreticum perficit, quàm breuissimè explanandum est.

Quòd autem heresis esse sine pertinacia nequeat, nam id primùm quæritur, non est difficile ostendere, tùm communi omnium & Theologorum & iuris peritorum consensione, tùm grauissimis veterum testimonijs, in quibus illa præclara sunt, quæ ex Augustino referuntur. 24. quæstio. 3. cap. dixit Apostolus. & cap. qui in ecclesia. Idem colligitur ex cap. damnamus. de summa trinitate. non enim tanquam hæreticus condemnatur, nisi qui doctrinam fidei cõtrariam defendere præsumpserit: præsumptio autem, sic enim vulgus arrogantiam appellat, radix est pertinaciæ. Et. c. vni. de sum. trini. in. 6. illi censentur hæretici, ꝙ præsumpserint aut temerario

Ad 5. arg. & huius cõfirmationes in quibus id ue maximè quærebatur, quidnã pertinacia sit, & an sine illa hæresis esse possit.

In epist. ad Glori. & Eleusi. & de ciui. dei lib. 18. ca. 51 & contra Mani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rario ausu asseruerint,&c. Et in Clemen. de sum. tri. apertiùs. Quisquis asserere pertinaciter præsumpserit,&c. D. quoq; Tho. tãtum abest,vt ab hac sentẽtia alienus sit, vt non modò arbitretur, hæresim sine pertinacia reperiri non posse, sed etiã contendat,eam in hæresis ratione includi. Quam rem suadet in primis ex nominis origine, nã vt explicatum est, hæresis Græcè ab electione dicitur. Nõ est ergo hæreticus, nisi qui videns & prudẽs doctrinã eligit fidei contrariã: id quod sine pertinacia non fit. Vtitur deinde illo Apostoli testimonio. Si quis aliter docet, et nõ acquiescit sanis sermonibus dñi nostri Iesu Christi,& ei, quę secundũ pietatẽ est, doctrinæ. Qui ergo ecclesię doctrinæ resistit, atq; ideò est pertinax, is duntaxat hæreticus habendus est. Præterea, hæresis, vt suprà quoq; diximus, fidei catholicæ maximè ac summè repugnat: nõ est autẽ perfecta fides, nisi intellectus assensio vera voluntatis recta cõsensione firmetur, igitur nec hæresis absoluta & cõsummata est, nisi falsũ intellectus errorem praua volũtatis electio cõfirmet, vt quẽadmodũ in fide cõstantia veritatis exigitur, ita in hæresi cõtraria insit pertinacia falsitatis. Sed benè habet, quod in hac re asserẽda nullũ aduersariũ habem⁹. Qua propter etiã si rationes nec probabiles essent nec satis idoneæ ad faciẽdã fidem: cõmunitamen omniũ sensu ea finitionis particula cõprobaretur. Non enim arbitrantur hominem quempiam hæreticum esse, quin idem in errore sit pertinax.

2.2.q.2.6. 2.& q.11.2 3.& 1. Corin. 11. le. 4.

1. Tim. 6.

At quid pertinacia sit, à multis quidẽ ad dubitatum est: à paucis verò expeditũ. Siue autem dicatur pertinax, quali nimiũ tenax, seu plus etiã q̃ decet animo pertendens, hæc enim minutula nimisq; depicta libentiùs, omitto, perspicuũ est tamẽ, eum nunc vocari pertinacem, qui valde nimisq; etiã in errore permanet, falsamq; sententiã mordicùs tenet arcteq; defendit. Ita à quibusdã definitur hoc modo, Pertinax est, qui id tenere pertendit, quod debet dimittere. Cui finitioni illa vel finitima vel certè eadẽ, Pertinax est, qui in errore persistit, quẽ deserere tenetur. Facillimè dicuntur hæc, quis dubitat? Sed si ea pertinacia explicata est, quæ errori adiuncta facit hæreticum: plures sanè in hæreticis habebuntur, qui hæretici non sunt. Primùm enim, si error contra fidẽ sit, illum fugere ac declinare debeo, siue fidei contrariũ esse videã, siue etiam ignorem. Errant quippè illi vehementer, qui ignorationẽ existimãt obligandi vim à præceptis auferre. Non id, mihi crede, ignoratio efficit, vt obligatione soluamur, sed ne res alàs vetita nobis impingatur ad culpam. Omnis igitur homo, etiã si in ignoratione versetur, errores fidei contrarios simpliciter & absolutè euitare debet, si eos nondũ habet, & si habet, destituere. Itaq; si in eis perstat vel ignorãs, id nimirũ tenet, quod dimittere tenebatur. Verũ isthæc missa faciamus, quæ tenuiùs disseruntur, q̃ vt quiuis ea possit agnoscere, & ea persequamur, quæ facilè vel imperiti comprehendent. Etiamuerò, cũ homo imperitus vel ab episcopo suo est admonitus, vel à fidei iudicibus vel à theologis insignis cuiuspiam academiæ vel ab amicis etiam eruditis & pijs, si adhuc errorem nõ deserit, in eo nimirum perstat, quod debet dimittere. Est ergo verè pertinax, si in verbi eius definitione neq; abest quicquam nec redũdat. Nihil igitur deerit, quod ad hæresim cõstituendam est necessariũ. Habet enim homo ille erroré fidei contrariũ, in quo etiã est pertinax. At minimè ambigitur, eiusmodi hominẽ, tametsi omnino peccat, hæreticum tamen non esse: si non existimat, sententiam suam ecclesiæ esse contrariam, sed aut episcopum aut inquisitores, sic vulgò appellantur, aut Theologos academiæ falli. Quocirca nõdũ videtur ex ijs, quę dicta sunt, pertinacia illa innotescere, qua hæresis constituitur. Sed ne hãc rẽ quidẽ ea pertinaciæ insignia patefaciunt, quæ vt ederent, plurimi sine causa sudarunt. Nam rei huius quosdam notas

Gloss. in extra. Cũ inter nonnullos. Ioann. Gerson. 2. Alphabe. lo. 4. Turrecrem. li. 4. par. 2. c. 16.

notas septem, alios duodecim, alios etiam vigintiedidisse peruulgatum est. Et cùm signa, ex illis quędã dubia sint, potest accidere, vt aliquod signũ dubiè datũ pro certo â fidei iudicibus sit acceptũ: ita fiet, vt pertinax is & hæreticus iudicetur, qui hæreticꝰ verè non est. Sed quoniam aliter iurisperiti, aliter theologi hæc & similia tractant, iurisperiti quatenus tenere manu res possũt, theologi quatenus ratione & intelligẽtia: exponamus primũ ad Theologorũ leges, quænã ea pertinacia sit, quæ hæresim perficit: deinde, si fieri potest, iuris quoq; prudentibus pertinaciæ huius signa notasq; tradamus, non illas tam multas, tam varias, tã ambiguas. sed perpaucas, fixas atq; constantes.

Prima. 9. argumenti confirmatio refellitur.

Ratio igitur hoc Theologiæ postulat, vt pertinacia, quæ hæresim facit, nõ sit tẽporis diuturnitate æstimanda. Vt scilicet ille sit pertinax, q̃ diu in errore persistit. Certè si constaret, quòd vna solùm hora quispiam, deum non esse trinum, ex animo defendisset, is hæreticus ab ecclesia iudicaretur, quæ ex vno actu quãtumuis breui vel adorandi idola vel puerum circumcidendi solet homines, tanquam si essent hæretici, iudicare: neque quã iudicatura, si crimẽ hæreseos diuturnum lõgumq; illud tẽpus exigeret. Rursum, si quis sciens prudensq; totam fidem abnegarit, quanuis breuissimã moram interpoluerit, apostata verè & iure ab ecclesia cẽsebitur: ergo & ille hæreticus iudicabitur, qui manifesto fidei articulo repugnauerit, etiamsi repugnantia illa diutina & lõginqua nõ fuerit. Præterea, vt fidei actus omnibus suis numeris expletus sit, tẽporis longinquitas nulla est necessaria, ergo nec hæreseos aduersa actio diuturnitatem sibi erroris vendicat & requirit. Illud rursum ratio Theologię docet, hæreticũ eum esse, qui volens vnicuilibet dogmati assentutur, tum etiam cùm intelligit ecclesiæ fidei esse contrarium. Vt si quis postea quàm illi cõstat rẽ, quã credit vel sacris literis vel ecclesię apertę definitioni refragari, sui adhuc iuris sentẽtięque sit: hęc scilicet, vera hęresis est, atque in sua specie perfecta. Id quod egregio argumẽto Caietanus demonstrauit. Fides enim assensu intellectꝰ perficitur ex cõsensione volũtatis in eo, qui rem, quã credit, cognoscit esse catholicã veritatẽ. ergo & infidelitas dissensu intellectus perficitur ex consensione voluntatis, in eo, qui rem, cui assentit, cognoscit esse contra ecclesię communẽ fidem. Contrariorũ enim contrarias oportet esse notiones. Confirmat autẽ hoc vel maximè pręclarum illud Augustini testimonium inquientis. Cõstituamus aliquẽ id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicã fidem. Istũ nondũ hęreticũ dico, nisi manifesta sibi doctrina catholicę fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit. Pręterea, qui sic tenet erroré fidei cõtrariũ, vt nõ sit paratus ab ecclesia corrigi, sine dubio est hęreticus, vt Augustinus idem in epistola ad Glorium & Eleusium affirmat. Sed qui videt suam opinionẽ aduersam esse catholicę fidei, & adhuc in ea permanet, hic non est paratus ab ecclesia corrigi, cuius videlicet auctoritatem reijcit & contemnit: verùm igitur crimen hęreseos admittit. Qua ex re intelligitur, pertinaciam eam, quę hęreticum facit, semper solumq; in eo inueniri, q̃ dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit catholicam sententiam aduersari. Id verò nominis ipsa quoque notio declarat. Pertinax quippè is dicitur, qui plus nimio in propria sententia hęret. At qui opinionem suam intelligit communi ecclesię sensui & fidei repugnare, atq; in ea perstat nimis, profectò ille in priuata sententia perseuerat, verè igitur est pertinax: imò hęc sola consummata pertinacia est, quę absolutè cum fidei constantia pugnat: atq; adeò sola ea simpliciter hęresim conficit. Nam quemadmodum, vt paulò antè dictum est, fides ea electione perficitur, vbi is, qui vult veritati assentiri, intelligit illam esse catho

2.2.q.11.ar ti.2.

lib.4. contra Dona. cap.6.

24.q.3.ca. dixit Apostolus.

Quotlis ne sit ea pertinacia, quã hæresis exigit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catholicam veritatem: sic & hæresis contraria omnino electione consummabitur eius, qui aduersante catholica fide propriam sententiam videns volensq; cõplectitur. Ecquis enim eo pertinacior esse potest, quem de suscepta causa propositaq; sententia nulla ecclesiæ vis, nulla catholicorum depellit auctoritas? Præclarè itaque Hiero. interpretatur, hæreticum idcirco subuersum esse & proprio iudicio condẽnatum quia suo arbitrio ab ecclesiæ institutione discessit, quæ discessio propriè cõscientiæ videtur esse damnatio

Quibus rebus positis, illa consectaria sunt. Primùm, si dogma aliquod nondũ est certum & expeditum ad catholicã fidem attinere, quanuis plerique viri docti existiment, à deo esse reuelatum, peccat ille quidem grauiter, qui cũ eo dogmate pugnat, estq; item pertinax, qui plurimorũ & doctissimorum auctoritatem contemnit, eamq; obstinatione quadam sententię repudiat: sed non est hæreticus, quoniam pertinacia illa tametsi impudens & vitiosa est, non tamen in ecclesiam tendit, sed in viros illos eruditos ac pios, quos ille arroganter despicit ac pro nihilo putat.

Illud deinde consectarium est, Si certũ exploratũq; sit, dogma vnum quodlibet fidei veritatem esse, qui ignorauerit eiusmodi dogma ad fidem spectare catholicam, & quanuis admonitus ab episcopo ab hisq; rursum, quibus fidei cognitio cõcessa est, à viris demùm doctis & pijs placitum suum prę fractè nimis obstinateq; defenderit: hic temerarius, contumax, præceps, insolens sapiẽs hæresim, & quibusq; huius generis nominibus notari poterit: nec tamẽ etiamnũ notã hęreseos habebit, quia, dicendum est enim sæpiùs, pertinacia eius nondum cum fidei veritate & ecclesiæ auctoritate pugnat, sed cũ eorum sententia, qui & fallere & falli possunt.

Ad Tit. 3. lect. 2. Rectè igitur D. Tho. asseruit, eum, qui paratus est corrigi secundùm ecclesiæ determinationem, hęreticum non esse: quia nõ ex malitia errat, sed ex ignorantia. Quod de crassa etiam ignorantia dictum accipio: nam quæ affectata est, hæc non tollit, quin peccatum sit eiusmodi, cuiusmodi esset, si à sciente & vidente committeretur. Nempè affectatus error ex electione est, nec paratus est ille corrigi, qui de industria cõmonitionem ecclesiæ doctrinamque declinat. At, qui ex ignorantia non affectata errat, hic quodammodo inuitus est & repugnans, non libens & volũtarius. Quocirca nec errorem eligit, nec grauatè feret, quũ ab ecclesia corrigetur, errorem suum ipse corrigere.

Verùm nostris hisce documentis illud in primis obijcitur, quòd error iste ignorantiæ vitiosæ mortale peccatum est, præsertim post admonitionem episcopi docti, prudentum iudicum, Theologorum sapiẽtium. Peccatum autem mortale hoc non nisi sub infidelitatis genere continetur. Tres verò solùm esse infidelitatis species Diuus Thomas diffiniuit. Cùm ergo crimen eiusmodi nec paganismus, nec iudaismus sit, erit profectò hæresis. Adde, quòd si quis ex ignorantia vitiosa & supina hominem occideret, verè & propriè homicida esset, in easque pœnas incurreret, quæ fuerint homicidis à iure præscriptæ. Eadem verò causa subest in eis, qui manus violenter clericis attulerint, atque in cæteris omnino sacrilegis. Qui igitur ex ignorantia crassa post susceptum Christi baptismum errorem habuerit fidei contrarium, is verè erit hæreticus. Actus enim, qui ex huiusmodi ignorantia proficiscitur, simpliciter & absolutè & volentis est & cõsentiẽtis: poterit ergo excusari quidem ne tam grauis culpa sit, non autem vt hæreseos culpa non sit, & eius omnino generis, cuius esset, si à non ignaro proficisceretur. Adde etiam Diui Thomæ testimonium in hæc verba, Ab errore circa articulos fidei nõ possunt aliqui propter simplicitatem excusari, quin sint hæretici, præsertim quãtum ad ea, quæ eccle

1. Cor. 14. l. 4.

sia

sia solennizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium. Sed circa alia, quæ indirectè pertinent ad fidei disciplinam, vt quòd Isaac fuit filius Abrahæ, non iudicatur aliquis hæreticus, nisi ab errore non recedat etiam viso quid ex eo sequatur. Hactenus ille. Quæ verbà adeò apertè cũ hac nostra doctrina pugnare videntur, vt non sit necesse argumentari. Sed & Chrysostomus videtur quoq; nobis aduersari, quilibet Paulilocum, Cum modestia corripiẽtem eos, qui resistunt veritati, &c. de eis accipit, qui non aduersandi affectu, sed studio discendę veritatis veritati resistunt. At Paulus de hæreticis loquebatur, quos alio loco semelatq; iterum commonefaciendos esse corripiendosq; præcepit, sed post vnum & alterum correptionem deuitandos.

Hom. 6. in ep. ad Titũ. 2. Timo. 2.

Tit. 3.

Quibus argumentis breuiter ita respondeo. Diximus suprà dupliciter aliquod peccatũ in genere & specie collocari: vno modo formaliter & directè: altero modo materialiter & reductiuè. Dent mihi Latini veniam precor, si verba minùs Latina vsurparim. Sic à dialecticis accepimus, materiã in prædicamento substantiæ poni, punctũ in genere quantitatis, embrionem in eius specie animantis, cuius gratia à natura paratur, poni, inquam, non per se & propriè quidem, sed per accidens & quasi impropriè. In moribus itidẽ quædã peccata sunt in sua specie perfecta, quę vidẽtes, & sciẽtes de industria cõmittunt, & ea propriè, per se & formaliter in sua quoq; specie reponuntur. Alia verò imperfecta sunt, quę prę ter intentionem ignorantes admittunt: & eiusmodi ad speciem & genus per accidẽs reducuntur. Error igitur ille catholicæ veritati contrarius, quando in vitio ignorantia est, ad speciem hæresis referetur, nec tamen hæresis perfecta erit, nec perfecta infidelitas, quæ, vt antè etiã dictum est, in tres species à Diuo Thoma distinguitur. Prima itaq; obiectio minimo negocio pellitur. Illa altera difficilior est, vbi quæritur, cur qui hominẽ ignorans perimit, verè homicida est, atq; adeò pœnas homicidij cõtrahit, si eius ignorantia est in vitio: is autẽ, qui contra fidem errat post fidem in baptismo susceptam, nec crimen hæreseos verè patrat, nec in pœnas hæreticorum incidit. Quæ sanè quæstio ita soluitur. Non est hæreticus nec Theologorum nec iurisperitorum vsu, qui in hæresim illam imperfectam incurrit, nec hæresis illa imperfecta in frequẽti vulgatoque sermone simpliciter & absolutè hæresis est, sed ille tantummodò hæreticus dicitur, qui formaliter & ex electione quasi dedita opera cũ communi fide pugnat. Quare nisi à perfecta & consummata hæresi nullum hæreticum nominabimus, si frequẽtem eundemque proprium huius vsum vocabuli volumus conseruare. Eam rem quoniam tùm ex nominis origine & notione, tùm ex veterum testimonijs, tùm ex communi omnium sensu paulò antè ostendebamus: nihil est necesse acta agere. Hinc illud est, Excommunicamus omnem hæresim extollentem se aduersus catholicã fidem. Non errorem, ait, extollentem se aduersus episcopũ, nó aduersum inquisitores, non aduersum theologos aut Parisienses aut Salmanticenses aut Complutenses aut Bononienses, sed aduersus catholicam fidẽ. Hinc etiã illud. Nõ acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ. Non dixit, sanis sermonibus episcopi sui, non eorum, qui de fide inquirũt, non Theologorum etiam multorum, sed Domini nostri, &c. Quòd si vel in diuinis libris, vel in ecclesiæ doctrina non acquiescit, hæreticus est, quanuis non sit nec ab amicis nec à Theologis nec à fidei iudicibus admonitus. Contrà verò, si horum omnium repudiatis & monitis & præceptis sermones tamen dei & ecclesiæ non industria repudiat, sed ignorantia: hæreticus non est. Nec verò eædem causæ subsunt, vt cętera vitia, cùm ex ignorantia crassa

De hæreti. ca. excommunicam°.

1. Tim. 6.

 sa

Universidad de Deusto
Biblioteca

fa supinaq; prodierint, & nomen & speciem amittant. Non enim homicida is solùm dicitur, qui hominé data opera occidit, sed qui iniustè occidit, quanuis animi perturbatione aut etiam imprudens id fecerit. Atq; item similter in reliquis.

Iam Diuus Thomas vel prudenter fidei iudices admonet, idq; illis præcipit, qđ non suspicari modò, sed sumere etiam atq; existimare debent: vel non putat ea, quæ in omniũ catholicorum ore versantur, ab vllo omnino fideli ignorari posse, nisi qui errorem affectauerit: vel de hæresi imperfecta intelligit, quæ nec pertinaciam requirit, nec absolutè & simpliciter hæreticum facit, sed quodam modo. Atq; hoc respon sum idem illa etiam verba recipiunt, quæ ex.1.par. suprà scripsimus.

At Chrysostomus à nobis stat, non contra nos. Qui enim non studio certandi sed discendæ veritatis doctrinæ resistit, cùm doceri paratus sit, eum nec Chrysostomus nec alius quisquã hæreticum propriè vocauerit. Et illos tamen, de quibus Paulus Timotheo sermonem faciebat, graue peccatum peccauisse verti in quæstionem non potest. Inuenitur ergo, Chrysostomo auctore, error fidei contrarius, qui tametsi in vitio est, non tamen est hæresis: quia non est malicioſi error, sed ignorãtis. Quòd si Chrysostomi interpretationem sequimur, non erat Paulo de hæreticis sermo, qui quoniam obstinatè pugnaces sunt, non sunt admonendi, sed vitandi. Quem sensum iudices fidei videntur sequi, cùm in vniuersum iubent, hæreticos vel omissa fraterna correctione denunciari. Quod vtiq; præceptum vulgo datum prudentia plenissimum est, quanquam non omnium hæreticorum aures, vt quidam falsò putant, ita clausæ sunt veritati, vt ab amico præsertim docto & sapienti verum audire non queant. Hanc spem, fateor, de amicis hæreticis non sunt passim indocti habituri: paucorum erit ista fiducia eaque prudentissimorum, sapientissimorum, coniunctissimorum, qui & prudenter intelligant, quorum non sit desperanda salus, & sapienter amiceque possint suos ad fidem ecclesiæ reuocare. De quibus non valde obfirmatis, Paulum quoque ad Timo. loqui haud absurdè intelligimus: Nolo autem, vt quispiam quanuis doctus & amicus hac periculosissima ætate, vbi hæretici obfirmatissimi sũt: vel plerique; vel oẽs, fraterna correptione abutatur, nisi firmiter & certò existimauerit, hæreticum esse ex animo conuertendum. Non enim propter coniecturas, aut verosimiles, aut etiam probabiles rem tanti momenti debet periculo exponere: præsertim cùm experimento exploratum fuerit, quantum nostratibus incommodi attulerit in crimine hæresis intentata correptio. Meminisse debet vir doctus & prudens, Paulum mulieri consulere, vt maneat cùm viro infideli: quòd videlicet inter gentes, quibus tunc scribebat, spes erat, vt vxor virum suum ad fidem alliceret. At vbi ecclesia cõperit, inter Iudæos præsertim vxores potiùs corrumpi à viris: prudentissimè sanxit, ne vxor ad fidem conuersa cum viro infideli maneret. Qua lege non Pauli consilium euertit, sed firmauit. Sic fidei iudices, quando multis magnisq; experimẽtis acceptis legẽ tulerint de denuntiando hæretico quãuis occulto, fraternæ correptionis legẽ à Christo præscriptam non violant, sed stabiliũt. Nisi naturæ iuribus legislator repugnauit, cùm sapientissimè edixit, Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia siue vxor, quę est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam clam dicens: Eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu & patres tui, non parcat ei oculus tuus vt miserearis & occultes eum: sed statim interfi cies, &c. Deut. 13. Hæc igitur lex in crimine hæresis populo seruanda est diligenter, ne dũ per falsam misericordiã homini indulget, in rem Christi publicam crudelis sit.

S. tho. 2. 2. q. 33. art. 4.

Nec

Ad confirmationem 2. quinti argumenti.

Nec operæpretium erit hoc loco disputare, an apostoli hæretici fuerint, quod qui fatetur, qua hũc obiurgatione, aut quo potiùs conuicio à tanto errore coner auertere? Potest enim, deus immortalis, absurdius dici quicquam, quàm ministros primos euangelij ad vnum omnes non à fide modò alienos, verumetiam hæreticos fuisse? Quantò & veriùs & modestiùs illi sentiunt, qui arbitrantur apostolos Christi non ex malitia nec de industria, sed ex animi perturbatione & ignorantia peccasse. Apertè illis dominus mortem & resurrectionem suam prædicebat, & tamé

Lucæ. 18.

ipsi, vt Lucas ait, non intelligebant quæ dicebantur: & credemus nos post tot adeoque magnas turbas excitatas discipulos non perturbatione animi, sed malitia dubitasse? Nam incredulitas & duritia cordis cuiusmodi illa fuerit, Euangelista nobis exposuit inquiens, Quia his, qui viderant eũ resurrexisse, non crediderunt. Illi porrò, qui viderant, digni omnino erant, quibus fides haberetur: sed falli poterant tamen. His ergo non credentes apostoli quidam & multis & incorruptis testibus duri erant, incredulique etiam erant: at non deo, sed hominibus. Pertinaces itaque erant aduersus homines, non aduersus deum & Christum eius. Quocirca Christi discipulos hæreseos insimulare, stultitię est manifestæ, si ea, quæ diximus in hæresis finitione constituenda, rectè & dicta & cõ firmata sunt. Confirmatũ est autem multa esse, quæ concurrant, vt quispiam hæreticus constituatur. Primùm, errorẽ habeat oportet. Deinde, vt is error catholicæ veritati cõtrarius sit. Tertio loco certũ esse necesse est atq; expeditum, errorem illum veritati catholicæ repugnare. Quarto, errori pertinaciam adiungi, non quamuis, sed quæ cum certa ecclesiæ regula pugnet. Quintò, vt is error sit post susceptam fidei professionem in illo, qui Christo se credere profitetur. Hactenus Theologis nostris attenuatè presseque finiuimus, quidnam hęresis sit, vnde illis statim perspicuum fiat, quænam sit hæretica propositio. Nam in mente eadem prorsus res sunt, in voce autem vel scripto hæretica propositio dicitur, quæ hæresim interiorem enunciat, illiusque est omnino signũ. Quia verò solus deus nouit & corda & cogitata filiorum hominum, nemo mortalium profectò potest alterius habere clarè cognitam hæresim & satis firmè conceptam animo atque comprehensam. Quamobrem, cùm vox scriptumque ipsum ac cætera demum omnia externa signa fallacia aliquando sint, non est facile certas & constantes formulas fidei iudicibus exprimere, vt rectè atque ex ordine valeant de hæresibus iudicare. Nam Theologi, quum compertum habuerint, propositionem aliquam fidei catholicæ esse manifestè cõtrariam, subscribent fortè illicò, hæreticam illam esse, quoniam interdum de rebus ipsis nudè positis ex genere naturaq; loquuntur, & eas, quas circunstantias appellant, quandoq; aut negligũt, aut certè in iudicium fide ac diligentia deponũt. Itaq; suo se munere probè functos arbitrantur, si vnum illud explorauerint, an error, cuius ab eis nota quæritur, fidei apertè aduersetur. Cùm autem ad hæresim perficiendam eam, quæ legibus proscripta & damnata est, quædam alia sint, vt diximus, necessaria: non videtur esse benè consultũ multorum infirmitati & innocentiæ, nisi fidei censores iterum atque iterum admoneantur, vt diligentissimè errantium iudicium, ingenium & animum studeãt indagare, illudque potissimùm, an eam pertinaciam habeant, quę suprà studiosè nobis & sedulò diffinita est, quòd in hac re vel maximè ecclesiastici iudicij cardo versatur. Nec satis est ad sententiam de hæresi ritè iusteque ferendam hæresim ipsam suspicione attigisse, sed comprehẽsione quadam opus est, vt sine errore de erroribus iudicetur. Nisi enim illos iudex quasi manu teneat, præceps ferè erit temerarium-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que iudicium. Quòd si in causa sanguinis id ciuiles leges præscripsere, vt probationes essent luce meridiana clariores: ecquid fieri oportet ab ecclesiæ iudicibus in eis causis decernendis, in quibus non solùm res, honor, fama, vita hominis vnius periclitatur, sed totius etiam generis ac familiæ præclara & sempiterna existimatio? Age ergo normas præstituamus, quibus ecclesiæ iudices tutò in hæresi diiudicanda vti possint.

Regulæ tres, ad quas fidei externa iudicia dirigenda sunt,

Cap. decimum.

PRima formula in prõptu est, ipsius contra se errãtis testimoniũ, quod in omni foro exploratũ est admissi criminis argumentũ, præsertim si crimen suum reus sua sponte & voluntate testificetur. Tametsi ea etiam cõfessio, quã à reo iudex quæstione ac tormentis exprimit, secundùm leges tùm ciuiles tùm canonicas idonea est ad faciendã in externo iudicio fidẽ. Sed de toto hoc & confessionis & quæstionis genere cõmodiùs non à iurisperitis solũ, verũ à quibusdam etiam optimis viris familiariter colloquentibus, quàm ab vllis Theologis vlla in schola disputatur. Nec verò quempiam velim in eum sensum formulæ huius verba interpretari, vt reus, qui hæresis fortasse vim & naturam nescit, hæresim ipse sit suo iudicio æstimaturus, illumq; secuturi in sententia iudices. Sed ita accipi oportet, vt reus cùm factorũ atq; dictorũ suorũ, tùm propriæ conscientiæ atq; animi testis cõtra se sit, iudices ex factis, dictis, mente, ingenioq; illius hæresim deprehendant, cuius notionem ante oculos positam habere in omni fidei religioniscque iudicio debent. In hominem præceptor olim meus incidit, qui vehementer se ipse affirmaret hæreticum esse. Quid ita? rogat. Cur te hæreticum esse arbitraris? Respondit se tenere contra catholicam fidem. Hìc ille vrget. An tu credis catholicam fidem falsam esse? Minimè gentium, inquit iste, ideo enim me hæreticum existimo, hoc est, errantem & à veritate alienum: quia contra fidem catholicam sentio. Iam præceptor risum continere non valens, abi stulte ait, eò enim minùs hæreticus es, quò magis te hæreticum opinaris. Salua quippè res est, si tũc errare te sentis, quùm fidei catholicæ repugnas. Sic hominis stultitia est non tam Theologiæ rationibus, quàm prudentiæ manibus comprehensa. Mihi etiam ipsi aliquando contigit, vt à iudicib⁹ fidei errores nescio quos denotãdos acciperem: certè hominis eius errores, vt postea comperi, qui iudicum nec iussu nec accersitu ad tribunal venerat, sed sacerdotis cuiusdam suasu & consilio, quem pœnitentiæ administrum habebat. Sponte igitur suoque iudicio hæreses aduersum se plurimas, sic censebat, excipiente notario prodidit. Ad me ergo itum est, vt errorum notas ederem. Quos vt multos varioscq; conspexi, cœpi mecum ipse attentiùs cogitare, quisnam eorum auctor haberi posset. Quicunque porrò is esset, partim ex Arij partim ex Macedonij partim ex Vuicleffi partim ex Lutheri fontibus quasi quosdam diduxisse riuulos videbatur. Crederes eũ assiduè in omnium hæreticorum lectione versatum. Quòd si vlla esset rerum consequentia & cõnexio errorum vè cõpositio & coagmẽtatio aliqua, mihi quoq; iniecta esset ista suspicio. Sed cùm cernerem, in tanta errorum copia non complexionem esse, non vinculum: insaniæ hominis potiùs quàm hæreseos venit in mentem. Nolui itaq; de erroribus iudicare, nisi priùs auctoris ingenium & iudicium explorassem. Ergo iudices rogo, num copia sit videndi hominis. Aiunt esse. Nam datus erat in custodiam, & coniectus in carcerem. Soluitur vinculis, coràm producitur, intueor oculis, animo cerno, video illum parùm sana mente esse.

esse. Periculum ex rebus præsentibus feci, quas longum esset cõmemorare, probaui ita se habere rem, vt antè ego cogitarã. Vix tamen à iudicum animis opinionem infixam potui diuellere. Sed vici tandem, & persuasi, atq;, vt erant viri boni, dederũt manus, amentemque sponte confessum suoque iudicio. conuictum in parentum domum cerebro vacuum quidem, sed omni etiam pœna vacuum dimiserunt. Ac de his nihil est necesse, vt Theologi præcipiant: sunt tamen ea cognoscenda, pertinent enim ad eum vsum, quem iuris prudentes sunt è locis theologicis habituri, de qua re hoc libro disserimus. Reliqua deinceps persequamur, nam formula hęc tantùm attingenda fuit.

q. 12. ar. 4. c. 11. l. 4. Alteram Diuus Thomas protulit in prima parte & in priorem ad Corinthios epistolam. Ea est huiusmodi. Si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quin ad fidem catholicam certò pertineant: tunc iudices tutò de hęresi pronunciabunt. Vt si exempli causa, homo quiuis etiam de media plebe aut neget, Christum cruci suffixum, verè mortuum, verè à mortuis excitatum: aut aiat, superfluum esse & vanũ orare pro mortuis, nullo prẽmio iustos à deo affici, nullo supplicio improbos & cętera similia. Item, si vir in schola Theologia diu multumque versatus contendat, spiritum sanctum à filio non procedere, aut patrem & filium spiritus eiusdem duo esse principia, aut non esse tres pœnitentię partes, aut Christianis nullo modo esse licitum cum hostibus belligerare, aut episcopũ non esse superiorem simplici sacerdote, aut quicquam eiusmodi, quod incredibile est nescire Theologos ad ecclesiæ communem fidem attinere, præsertim si in schola, vt dixi, perdiu sese ac valde exercuerunt. Qua in re non dubito, quandoque à iudicibus per remissionem nimiam aut magnam certè ignorationem erratum. Nolo enim suspicari, fidei leges per gratiam esse aut populi furori aut potentium voluntati concessas. Fuerunt ante hos paucos dies theologi quidam habiti doctissimi in ijs erroribus deprehensi, quos & Lutheranorum esse proprios, & ecclesiæ communi fidei aduersos nemo addubitare poterat, qui vel mediocriter rebus Theologicis esset instructus. Coacti sunt hæreses abiurare quasi suspecti de hæresibus non conuicti. Cùm tamen, si hæc non dico ad rhythmicorum aut musicorum acerrimam normam, sed ad perpendiculum communis iuris & vulgarem rationis formulam dirigerentur: nullum facilius erat procliuiusque iudicium. Turpe fuit autem ea dubitare peritos, quæ ne rustici quidem dubitant, nempè nullo pacto verisimile fieri, vt homines in earum rerum, quas diu multumque tractarunt, ignoratione versentur. Ecquis autem credat, viros theologicissimos, sic censebat vulgus, earum rerum inscios & rudes, quæ Theologis vniuersis notæ & peruulgatæ sunt? Erat in animo, quæ horum Theologorum fuerint, errata subscribere: vt in hac quasi imagine & huius præscriptionis regula illustrior appareret, & admonerentur quoque futuri iudices, vt alieno periculo saperent, neque animi relaxationem & molliciem clementiam & misericordiam esse arbitrarentur. In illis nimirum & reis & iudicibus, ne quod pernicioſum exemplum esset proditũ, pertimescebam. Quod enim exemplo fit, iure fieri putãt. Sed quoniam iam rei ipsi decesserunt, omniq; odio carent & inuidia, non putaui eiusmodi errores traducendos, quos si contestatos & consignatos ederem ad sempiternam memoriam turpitudinis, non solùm in mortuos reos, sed in viuos etiam iudices viderer maledicta conferre. Quanquam fortè ibi timeo, vbi nõ erat timor. Sed vtcunq; res habeant, iurisperitos admonui, ne in animum inducant credere, nullos esse pertinaces, nisi qui iudicum monitiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptaq; despexerint. Ante hominum hortatus istos, crede mihi, vera hæreticorũ pertinacia reperitur, eorũ scilicet, qui minimè ignorãt opiniones suas cõtra fidẽ eccle się venire. Ipsa verò omniũ fideliũ vox idẽ q; cõis sensus nõ pro vna monitiõe dico, sed ꝓ mille sufficit. Quapropter ecclesiæ vnã vocẽ qui spernit, hic multò pũnacior est, q̃ si sexcẽtas, aut Theologorũ, aut iudicum contẽpsisset. Ac de secũda quidem regula hactenus. Tertiã hãc habebimus.

Si de cuiuspiam errantis pertinacia dubitant iudices: duæ res illis sunt accuratiùs transigendæ: quarum vna Theologorum propria est, altera cum Theologis iurisperitorum etiam communis. Priorem ergo à Theologo iurisperitus mutuabitur: posteriorem aũt suo sibi iure vendicabit. Primùm igitur à sapientissimis Theologis illud explicatum diffinitumq; habeant iudices, an error, quiin iudicium venit, cum fide catholica apertè pugnet. Nã vna ex hac parte dupliciter hæreseos iudicium excludetur: vel quia incertũ est dogma illi errori contrarium catholicæ fidei veritatem esse, vel quia repugnantia erroris eiusmodi & catholicæ veritatis obscura est & in opinione posita. Vt si verbi gratia olim negaret quis epistolã ad Hebręos esse Pauli, habeat autem pro certo illam esse canonicam, & de auctore epistolæ quæstionem moueat, non de auctoritate: sunt Theologi, qui sentiãt hæresim illam esse. Ego verò nisi ecclesiæ definitio obstaret, nõ puto, qui existimẽ Christi fidẽ in nullo extremo versari discrimine, si libri canonici auctorẽ nesciamus, modò sciamus librũ esse canonicũ. Quocirca siue Paulũ, siue Lucã, seu Barnabam illius epistolæ auctorẽ quispiam dixerit, si solida ei est fixaq; & constãs epistolæ auctoritas: non cõtinuò Christi fidẽ euertet. Cùm igitur tẽpore. D. Hieronymi nõdum fuerit exploratè cognitũ an fidei certa veritas sit, Paulũ illam ad Hebræos epistolã scripsisse, si error aduersus ad tribunal fidei tũc referretur, criminis fortasse quidẽ iudiciũ fuisset, sed hæreseos iudiciũ nõ fuisset. Item, Dei auxilio peculiari nos egere, vt sicut oportet credere, sperare, diligereq; possim⁹, fidei dogma est lõgè certissimũ. Qui inficiabũtur, nullos esse habitus spei & charitatis infusos, illi dogmati huic, vt quidã sentiũt, repugnabũt: sed quia ea pugna, tametsi valde, ꝓbabiliter apparet, non tñ est manifesta ratione cõprehensa, eorũ hominũ error notandus est, temeritas & impudẽtia notanda: hæresis ne suspicãda quidẽ ante sacri cõcilij Tridẽtini decreta. Qui locus nullo etiã cõmemorãte fidei cẽsores admonet, vt id mutui, quod â Theologis sunt necessariò accepturi, nõ à quibusuis accipiant: sed ab eruditis, expertis, exercitis. Qui scilicet cũ exploratũ habeãt, qui nam ex Theologię locis certi ac firmi sint, qui cõtrà probabiles & nõ necessarij: tũ argumẽtorũ Theologicorũ frequẽti atq; expedito vsu facilè quoscũq; errores deprehẽdant, q̃ fidei catholicę dilucidè refragẽtur. Altera erat res, vt iudices diligẽtẽ nauẽt operã, quò illis erãtis pertinacia patescat. Quæ si in dubiũ fortasse vertitur, & neq; ex ante, aut dictis aut factis neq; ex errantiũ statu, cõditione & ingenio colligitur, nõ alia eam ratione meliùs deprehẽdent, q̃ si errãti certũ signũ catholicæ eius veritatis ostẽdant, cui error istius cõtradicit. Vt si proferatur apertus aliquis scripturæ locus, aut definitio legitimi cõcilij generalis, aut decretũ constans apostolicæ sedis, aut vna quælibet alia certa nota earũ, quibus & catholicæ veritates & cõtrariæ omnino hæreses dijudicãtur. Quòd si hisce signis notisq;, platis ille cesserit, argumẽtum erit ignorãtiæ probabilissimũ: sin repugnauerit, argumentum erit pertinaciæ certissimũ, præsertim si nec ingenij nec doctrinæ expers sit. Nã si adeò rudis & imperitus est, vt harũ rerũ intelligẽtiam nullo modo habere possit, equidẽ nullã certã regulã præscriptionẽq; constãtẽ exprimerẽ, vt hominis eiuscemodi pũnacia innotesceret. Certè si q̃ est crassa pinguiq;

Sic fortè interpretãda est sententia Bar. I. Tutor. ff. de suspect. tut. et Felini in rubrica. de hæreti. & Cardina. in Clementi 1. de sum. Trini.

Qui sentiũt episcopi & inquisitorũ admonitionẽ esse legitimam, ut qui eam contemnit, hic pertinax censeatur.

guiq; Minerua describẽda formula, ea erit sententia ecclesiæ cõis fideliũq; cõsensus & cõspiratio eadẽ, qbus si iste aduersetur, tũ etiã quũ videt cõtra se venire oẽs, pertinax atque adeò hareticus existimabitur. Nec necesse erit tñ orbẽ omniũ peragrare terrarũ & singulorum fidelium rogare sententiam. Nam quæ sit fidelium singulorum neque arte aliqua nec diligentia, & inquisitione perpenditur, sed quodam quasi prudẽtiæ sensu iudicatur. Quemadmodum enim si quispiam neget omnem ignem calefacere, non est opus, vt contumax in naturam habeatur, propositionẽ illã generalẽ inductione & demonstratione singulorũ igniũ, sed significatione pot⁹ & ratione declarare, cũ quibusdã demõstratis eadẽ sit de cęteris ratio. Sic in fidẽ ecclesię ille erit pertinax, qui suę prouincię aut ciuitatis fidelibus vniuersis in fidei sententia repugnarit. Sed hæc relinquamus, idque largiamur inertiæ nostræ: inepti enim sumus vt hebetes ac rudes ad regulam, & lineam exigamus. Hæc verò omnia, quæ in hac postrema constituenda regula diximus, si ad vulgaris prudentiæ rationẽ dirigas, recta fortasse erunt, sin perpẽdere ad exactioris disciplinæ præcepta velis, reperiẽtur quædam fortasse non recta. Quid enim in tã inæquabili & rerum & ingeniorum veritate præscribere nos possumus, quod æquabile inter omnes & vnum omnibus esse queat? præsertim cũ id genus causæ propemodùm coniectura les sint, in quib⁹ iudices indicijs quibusdã atq; vestigijs in ipsa penetrare hominũ corda pertentant, quæ si cognoscerent, nõ egerẽt perpẽdiculis, non normis, non regulis. Quid igitur hæresis sit, quæ hæretica propositio, qua demũ via ac ratione vtriq; & theologo & iurisperito internoscenda, mihi iam satis superque dixisse videor.

De propositione erronea, sapiente hæresim, piarum aurium offensiua, temeraria, scandalosa.

Caput vndecimum.

DEinceps vt erat propositum, de propositione erronea videamus. Cuius notio ac definitio non eadem omnibus, sed sua cuiq; est, vt hîc etiã verũ id esse cõprobes, Quot homines, tot sententię. Illud autem in primis definitum & constitutũ sit, propositionem erroneam ab hæretica non cogitatione modò, sed re etiam separari. Non enim, vt quidam existimant, cõcilium Constantiense, vnde varia ista errorum genera accepimus, propositionem erroneam vsurpat in significatione generali, vt erroris hæretici & cæterorum genus cõmune sit, quæ videtur esse eius nominis propria significatio. Ecquis enim credat quicquam aliud esse propositionem erroneam quàm errorem? Sed concilium, vt dixi, ab hac vsurpatione lõgè abest, id quod statim planum faciam, si verba patrum adscribam. Compertum est, inquiunt, ex præfatis articulis plures esse notoriè hęreticos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos temerarios. Quæ forma sermonis esset & falsa & absurda, si propositio erronea pro quocunque errore cõmuniter sumeretur. Iam enim rectè quoque dici posset post multas argumentationes enumeratas, in his quasdam esse syllogismos, quasdam inductiones, quasdam argumentationes, quod quàm sit ineptũ, nemo est, qui non intelligat. Sine dubio igitur erronea propositio ab hæretica secernitur, non tanquam genus ab specie, quod esset discrimen rationis, sed tanquã vna erroris species ab altera, quæ vera rerum non modò vocabulorum distinctio est.

Illud deinde constituere debemus, quod priùs forsan dictum oportuit, sed doctrina sera non est reprehendenda, præsertim si in opportunum tempus reseruata sit. Constituendũ ergo catholicas veritates nõ singulari modo, sed bipartito

Universidad de Deusto
Biblioteca

reperiri. Quædam enim sunt catholicæ veritates, quæ ita ad fidem pertinent, vt his sublatis, fides quoque ipsa tollatur. Quas nos vsu frequenti non solùm catholicas, sed fidei veritates appellauimus. Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicę & vniuersales, nempè quas vniuersa ecclesia tenet, quibus licèt euersis fides quatitur, sed non euertitur tamen. Atque in huiusmodi
Cap. 6. veritatum contrarijs erroribus suprà dixi fidem obscurari, non extingui: infirmari, non perire. Has ego nunquam fidei veritates censui vocandas, quanuis doctrinæ christianæ veritates sint. Speciales orationes applicatas vni personæ per prælatos vel religiosos plus prodesse eidem, quàm generales, Fratres non teneri labore manuum victum quærere, sed licere eis esse mendicos, & complures alias similes propositiones, quas omnes catholici veras esse sine dubio existimant, ideoque veritates catholicæ vocari possunt atque etiam debent. Quæ igitur propositiones huius posterioris generis veritatibus contradicent, eas equidem erroneas appello, quæ quoniam doctrinæ catholicæ aduersantur: errores sunt hæresi proximi, hæreses non sunt. Nec nostro more nos ita loquimur, sed est etiam hoc in more positum sermoneq; maiorum: vt nomen generis speciei illi absolutè tribuant, quæ est in eo genere imperfectissima. Sic Aristoteles in prædicamentis dispositionem seiunxit ab habitu: cũ tamen dispositio aliàs habitus ipsius genus sit. Virtus quippè, quam habitum esse nemo est qui nesciat, dispositio est perfecti ad optimum. Ac ne plura exempla, quæ sunt propè innumera, referam°, illud est passim, vulgi etiã ore cõtritũ, quò animalis vocẽ, cùm omnium animantiũ communis sit, interdum pro his solùm accipiunt, in quibus nihil aliud quàm vis animantis apparet. A qua consuetudine ne Paulus quidem abhorruit, quum animalem hominem dixit, quasi brutum expertemq; rationis. Patres item concilij Constantiensis hoc sensu videntur esse locuti, si accuratè eorum voces expendamus. Ex quibus facilè intelligimus, erroneas propositiones contra catholicas fuisse diuisas, & inferiore quodam gradu quàm hæreticas fuisse locatas. Error itaque, qui & minus quiddam quàm aperta hæresis & catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur. Theologi denique modestiores, quum in disputationibus suis quicquam sanæ doctrinæ aduersum hæreticum appellare non audent, temperato vocabulo erroneum esse confirmant. Quum verò in hunc sensum & vulgari consuetudine alliciar, & compellar maiore Philosophiæ ratione: facilè me patior in eum adduci libenterque in eo cupio retineri. Est & propositionis erroneæ alius item gradus. Quum enim veritas aliqua sapientum quidem opinione vehementi fidei veritas est, sed non est planè ab ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata, tunc veritati illi aduersari non est hæreticum, sed erroneum. Videlicet hæresis, quemadmodum suprà diximus, à voluntate quoque errantium pendet, nedum ab intellectu. Error autem sicut & falsitas, è rebus ipsis significatis perpenditur, nulla asserentis habita ratione. Ita licèt veritas illa ad fidem suapte natura pertineat, quia tamen nec hoc certum nec expeditum est: hæretica pertinacia abest, error grauis & periculosus non abest. Similiter & propositio erronea tertio quodam gradu vocari potest, quæ certæ veritati catholicæ fidei aduersatur, non manifestè quidem, sed sapientum omnium longè probabili ac fermè necessaria sententia. Eius quippè erratio grauis est, qui hoc defendit contumaciter, quod viri omnes docti sentiunt periculum grãde catholicæ fidei cõflare. Quicunq; ergo vel doctrinã fidei appendicẽ liquidò euertit vel fidẽ ipsam in discrimen adducit, vehementer ille sanè in

in christiana disciplina errat, atque adeò eius dicta iure appellantur erronea. Verùm de erronea propositione plus quàm satis dictum est.

Propositio verò sapiens hæresim à quibusdam definitur ea, quæ in significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum, quanuis piè intellecta sensum aliqué habeat verum, vt sunt, inquiunt, istæ propositiones, Pater est maior filio, Christus est creatura, Tres sunt dij. Quæ definitio nec vocabuli potestatẽ exprimit, nec rei diffinitæ vim naturamq; declarat, nec mutuo nexu cum illa est copulata. Quis enim dubitet, illam propositionem, Ridiculum est eucharistiæ sacramentum solenni ritu per vias publicas circunferre, Lutheranorum hæresim sapere, qua negant in Eucharistia corpus Christi verũ cõtineri? & tñ in nullo pio sensu vera est. Huiusmodi propositiones multas in Erasmo, Ioanne Carione, alijsq; quibusdã huius seculi scriptoribus passim leges, quę nec apertas hæreses præ se ferant, nec sanum aliquem habeant sensum: sed quia hæreseos saporem quendam & odorem referunt, meritò eas quidem dicimus hæresim sapere, qui verò illas proferunt, hos hęreticorum & saporem habere & proferre odorem. Nec exempla illa placent, quibus hi suam definitionem illustrant. Veriora equidem exempla desidero & magis ad rem, de qua igitur, accommodata: quanuis in hoc genere nihil ab ijs requirendum est, qui omnes istos propositionum gradus permixtos esse ac confusos opinantur. Sed primum exemplum è Ioãnis Euangelio Christique doctrina sumptum est. Quòd verò Christi doctrina & Euangelium hæresim sapiat, scribere ego nó auderem. Illud secundum exemplum congruens atque aptum est, si eis assentimur, qui existimant, illam orationem, Christus est creatura, simpliciter veram esse, sed eam Theologos refutasse, quòd fœtorem quendam ab Ario contraxerit. In quam sententiam diuus Thomas multa dixit. Ac Sophronius in sexta synodo planè fatetur, Christum creatum & increatum, idemque in tertio libro Ioannes Damascenus. Sed & Hieronymus creaturæ nomen in Christo non horret. Ego verò semper habui persuasum, enunciationem illam & simpliciter falsam esse, & catholicæ fidei absolutè contrariam. Est enim in creaturæ voce negatio intus inclusa, quæ Christi suppositò absolutè diuinitatem tollit. Nam qui dicit rem aliquam factam ex nihilo, is negat eam de substantia generantis extitisse: hoc enim discrimine id, quod verè & propriè factum est, ab eo, quod verè & propriè est genitum, separatur. Quemadmodum igitur illud, Christus cœpit esse, fidei aduersum est, quoniam inde perspicua argumentatione sequitur, filium Dei esse cœpisse, atque adeò aliquando non fuisse: sic & illud, Christus factus est ex nihilo, fidei quoque aduersatur: quòd implicitè filius dei de natura eius, à quo extitit, esse negatur. Siue igitur incipere siue factum esse seu esse creaturam, de filio dei verè enunciari non possunt, quoniam inficiationem abditam & latentem continent, quæ à filio dei, pro quo nomen Christi accipitur, vel perpetuum esse vel esse à patre depellat. Itaque, vt mea fert opinio, propositiones illæ ac cæteræ eiusmodi non tanquam sapientes hæresim, sed tanquam hæreticæ à Nicænis patribus sunt damnatæ. At propositionem hæreticam & sapientem hæresim eandem esse, mihi quidem non fit verosimile. Stultus nempè haberetur is, qui quam rem vinum esse constaret, hanc vinum sapere, nisi per iocum & ridiculũ, diceret. Iã patrẽ & filiũ & spiritum sanctum tres deos esse cum fide apertè pugnat. Nam sensus ille, qui pius dicitur, impius est. Pari certè ratione illa propositio, Deitas est crucifixa, hæresim sapere diceretur: quã tamẽ, vt hæreticã manifestè quinta synodus condẽ nauit

1. p. q. 16. ar. 8. ad. 1.

In Isaiæ 45. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nauit. Illa item, Essentia generat essentiam, in gradu sapientiũ hæresim locaretur, quã in hæreticarum numero ponì oportere, cõcilium Lateranẽse definit. Quid illæ? Essentia diuina non est persona patris, In tribus personis tres sunt deitates, aliæq; plures huiuscemodi, quas in sesu nouitio & nuper à se excogitato quidam veras esse dixerunt. Sanè nihil tam absurdum dici aut excogitari poterit, quod in sensum aliquem fictum si detorqueas, verũ non sit, ac rationi tùm humanæ tùm diuinę consentaneũ. Sed consentaneum non est, sensa eiusmodi commentitia, ab vsuq; sanctorum & ecclesiæ aliena pia nũcupare: & homines futiles talium sensorum excogitatione defendere. Ego certè, vt quod sentio loquar, harum propositionum auctores nihil minus quàm hæreticorum saporem habuisse arbitror. Sed si in eis aliquem meo gustu percipio, insciti⁊ sapor ille est, non hæreseos. Quum verò loquendi vim & consuetudinem verborum teneo, propositiones ipsas, de quibus loquimur, non sapientes hæresim dico, sed fidei manifestè cõtrarias. Sermones porrò istos per metaphoram figuratos considerata intelligẽtia magis percipere possumus, quàm circunscripta definitione explicare. Quamobrem quid hæresim sapiat, quid non sapiat, non tam finitione & argumentatione speculatricis disciplinæ, quàm sensu quodam gustuque prudentiæ iudicatur. Videas hominem in Lutheranorum dogmatis expugnandis & internoscenda mente exercitatum, qui, vt canes venatici, in libro, quem legendũ suscipit, hæreses odore quodam suspicionis quàm sagacissimè peruestiget: eiusque libri auctorẽ corruptum esse acutissimè sentiat. Leget eum librum fortasse alius stipes sine sensu, qui nihil omnino indagare, nihil olfacere, nihil ne suspicione quidem possit attingere. Quales sunt hodie nõ pauci, qui Baptistam Cremensem, Henricum Herpp. Ioannem Taulerum, aliosque huius farinæ auctores quotidie habentes in manibus, quotidiè in ore, eorũ errata tamen, mentem, animum, non odore vllo, non vestigijs, non sapore capiunt. Videlicet, abstulit Dominus à Iuda & Hierusalem iudicem & prophetam & ariolũ & senem & sapiẽtem de architectis & prudentem non solùm eloquij mystici, sed hæresis occultæ diiudicandæ. Quid ni muti sint canes & latrare non valeant, quibus ad inuestigandum nulla iam est sagacitas narium? Et cùm tot signis lupi declarent, qui sint ac velint, quid quærant ac desiderent, canes tamen ferè stupor oppresit, pastores verò cæcutiũt & obsurdescunt nescio quo modo: vt nec ea, quæ à viris sagacibus monentur, audiant, neq; ea, quę à lupis geruntur, videant: nisi fortè omnes & pastores & canes stupidi timore obmutuerunt. Atqui vndelibet stupiditas accidat, ad ecclesiæ perniciem idem est. Securi enim iam poterunt viri improbi non modò ad aurem admouere sermonem, qui vt cancer serpat, sed patentius venenum spargere atque euomere virus pestilentissimũ erroris sui. Quòd, si mens non lęua fuisset, etiam occultum atq; in venis inclusum à sano humore secerni & internosci tam poterat adhibita diligentia & cura grauique & acri iudicio, quàm potest color albus à nigro aut dulcis sapor ab amaro distingui.

Sed non est huius loci ecclesiæ calamitatẽ deplorare. Nunc ènim id solũ agitur, propositionum sapores magis sentiendi & gustandi viribus discernendos, quàm speculandi. Causa quippè hos non natura distinguit. Itaq; non pręceptis & regulis, sed prudentia & sagacitate diiudicantur. Expediã breui rem hanc, & planam exemplo vno faciam. Leges illam propositionem, Pater maior me est, in Euangelio. Habes illius doctrinæ auctorem cognitum & perspectũ: antecedẽtia & cõsequẽtia in Euãgelio verba diligẽter attẽdis, eius doctrinæ principia reliqua memoria tenes. Iã experiere, nisi habes humore aliquo malo affectũ gustũ, propositionem illam, Pater maior me est, non hæresim tibi sapere, sed modestiã. Legebat eandem in Arianorũ libris Athanasius: auctores intus & in cute nouerat, Arianæ disciplinæ causas & effecta principia & connexa perspexerat: & quæ in Euangelio Christi dulcis erat super mel & fauum, eadem proposituo in Arij libros transfusa sapiebãt hæresim, eratque eius gustui vel amarissima. Atque vt idem vinum ex vase vno sapit picem, ex altero non sapit, & res eadem illud olet, vnde sit, è cœno malè, ex arcula mulieris benè: sic vna & eadem oratio ex vno corde & ore odorem spirat iucundissimum, ex altero teterrimum, ex vno saporem suauem seruat, ex altero insuauem. Quemadmodum etiam videmus, aquam è radicibus & canalibus, per quas transit, aliud atque aliud & olere & sapere. Non itaque è rerum ipsarum orationumque natura sapor odorve, omnis existimandus est: sed tum res tum orationes ipsæ à venis aliquando & vijs, per quas permeant, saporem & odorem accipiunt. Saporem igitur propositionum, vt dixi, non tam scientia quàm prudentia dijudicat. Quocirca quæ propositio hæresim sapiat, quæ contrà non sapiat, non Theologi quiuis, sed prudentes solùm atque experientes poterunt iudicare.

Idem verò de propositione malè sonante seu piarum aurium offensiua diximus. Est enim, vt linguæ nariumque, ita & aurium iudicium suum absurdos & abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodum autem non solùm res falsæ atque perabsurdæ, sed graues quoque ac veræ sententiæ inconditis verbis elatæ offendunt aures, acres præsertim & acutas: sic Theologorum aures teretes, & religiose non à sententijs modò falsis & hæreticis, sed ab eis etiam abhorrent, quas intelligenti iudicio percipiunt malè atq; absurdè sonare: quamuis nullam in eis falsitatem hæreseos deprehendant. Dupliciter ergo de propositione malè sonante loqui possumus: vno modo generaliter, quo omnis propositio fidei contraria fidelium aures offendit, eoque magis, quò apertiùs illam vident fidei catholicæ esse contrariam. Alio modo specialiter, quo gradum quendam propositionum cõstituimus ab illo hæreticarum supremo distantem. Qua ratione eas propriè malè sonantes propositiones & piarum aurium offensiuas dicimus, in quibus nullus error fidei aduersus manifestè notari potest, sed absonum nescio quid atque absurdum, quod indignum esse pijs & religiosis auribus videatur. Enimuerò in hisce absonis & absurdis propositionibus discernendis, nollem equidem imperitũ atque imprudentũ vulgo aures dedere, quarum est iudicium pinguissimum. Sanè quanquam nonnullis in rebus, quæ fidelium omnium scilicet communes sunt, iudicium rectum adeò doctis atque indoctis est & promiscuè & communiter à fide datum, vt quæ propositiones vulgi opinione malè sonantes habentur, intelligentium quoque iudicio malè sonantes ferè sint: at promiscuum vulgus auditum plerunque hebetiorem habet, interdum etiam teneriorem quàm opus est, & multa sæpè tum auribus accipit, tum animo fert, quæ trita atque intelligentes aures aspernantur: quædam contrà refutat quasi absona, quæ Theologos peritos & sapientes non modò non lacessunt, sed ne mouent quidem. Theologos, inquam, peritos & sapientes. Nam in quibusdam aurium sensus fastidiosissimus est, in quibusdam etiam superbissimus.

Quia igitur vel Theologi quidã nonnulla respuunt, quæ aures clementes & modestas minimè offendunt, necessarium est, si res has rectè & sapienter dijudicare volumus, aurium habere sensum politũ, tersum, subtilem, prudẽtem. Quòd si propositionũ absonarum consonarumq;

iudicium

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicium ecclesia in vulgi auribus collocasset: illam certè propositionem, Beata virgo peccatum originis à primo parente contraxit, malè sonare, & pias aures offendere iudicaremus. Illa enim audita vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur. At piarum aurium offensio crimen est. Id autem in crimine ponere, quod ecclesia ab omni alienum crimine censuit, temerariæ insolentiæ est. Euangelij item verba quædam, si turba nobis lex est, malè sonantia fuissent, & piarum etiam aurium offensiua. Turbas quippè aliquando Dominus vocibus ambiguis obscurisque turbauit. Quin insigniter atq; asperè discipulorum quandoque teneras auriculas perculit: nã Pharisæorum aures mordaci solebat radere vero. Pharisæi audito Christi verbo scandalizabantur, plerisq; discipulis durus erat illius sermo: turbis habere dæmonium videbatur. Nec est ambiguum hoc tempore esse Pharisæos quosdam, esse stolidam turbam, & multitudinem falsis opinionibus obtusam, certos demũ esse discipulos, quibus est sermo veritatis durissimus. Hi, si abusus reprehẽdas, q in imaginibus & colẽdis, & ornãdis in sacellis, tẽplis, monasterijs, sepulchrorũ monumẽtis sempiternisq; memorijs condendis sunt plurimi: si affirmes, in huiusce modi interdum, vel potiùs nimiũ sæpè plus vanitatẽ valere quàm religionem, diabolum quàm Christum: hi, in quam fortasse dicẽt, te Lutheranis opinionibus occupatum intolerabiles sonos fundere. Non est igitur habenda ratio vulgi promiscui, imbecilli, perturbati, imprudẽtis, sed prudentis, synceri, pij, incorrupti. Nec Theologia modò requirenda est, sed pietas & prudentia: sine qua nullæ aures possunt consentaneos sonos abhorrentesque discernere. Itaq;, vt semel finiamus, cũ non sit cuiusuis malè sonantem propositionem à benè sonante distinguere, prudẽtissimi Theologi, quod iam iterum ac sæpè dixi, cõsulendi à iudicibus ecclesiæ sunt: nisi volunt in harum rerum iudicijs vehementer errare. Et quanuis nullam nos quidem comprehensionem habeamus, definitionem nullam, qua iudices valeant singulas in specie malè sonantes propositiones iudicare: illud tamen speciatim admonere possumus, huiusmodi propositionũ duos esse gradus. Vnum earum, quas antè diximus, hæresim sapere. Videlicet, quæ fidelium gustatui malè sapiunt, eædẽ malè sonant auditui. Verùm quia gustatus sensus pinguior & crassior est, auditus subtilior & acutior, alter gradus malè sonantiũ propositionum est, quæ licèt hæresim nõ sapiant, sonum tamen quendam absurdũ & peregrinum referunt, quià doctrina sana syncerõque & solido ecclesiæ sermone discrepare videatur. Qua ratione pias illæ aures feriunt & asperè & grauiter, tametsi curiosa feriant, causa sæpè occultissima est. Huius generis illa exempla videntur appositissima, quæ concilium Constantiense notauit, Graduationes & magisteria vniuersi tatum esse vana gẽtilitate introducta, & tantùm prodesse ecclesiæ quantũ diabolum, Syluestrum & Constantinum errasse ecclesiam dotando, Ecclesiam Romanam esse synagogam Sathanæ, Electionem Papæ à Cardinalibus per diabolum fuisse introductam. Item, Papam non debere dici sanctissimum propter officium. Alioqui diabolus diceretur sanctus, quia est officialis dei. Item, plures Romæ nunc saluari ex coniugatis quàm ex clericis, Itẽ, monachatum non esse pietatem. Item Romani episcopi monarchiam post Diui Hieronymi tempus exortam esse, Item, Phocã instituisse Romanam ecclesiam omnium esse ecclesiarum caput: & alia innumera, quæ, ne longũ faciam, prætermitto. Quòd si quis adeò tenui palato est, vt has etiam propositiones hęreseos saporem referre iudicet, cum eo equidem non magnoperè contenderim, præsertim si de harum vna & item altera sermo sit. Quanquam mihi, fateor, palatum torpet quandoq; ac iacet, auris subtilior & erectior est. Ita mihi videor

deor facilius posse propositiones auditu quàm gustatu percipere. Sed, vt dixi, neuter sensus regulis instituitur, si defuerit prudentia & spiritus quidam diiudicãdi: si verò hæc affuerint, sine præceptis nostris theologi iudicium poterit esse vel rectissimum. Ac de propositione malè sonante hactenus.

Propositio verò temeraria duobus itidem modis vsurpari solet: & cõmuniter & propriè. Communiter, vt omnis propositio à fide aversa temeraria quoque appelletur, etiam si hæresis manifesta sit. Ecquid enim inconsideratissima ac dementissima temeritate plenius quàm Christi ecclesiã contradicere? Propriè autem ea vox vsurpatur, quum asseueratio vt temeraria notari potest. vt hæretica vel erronea vel sapiẽs hæresim non potest. In quẽ sensum post istos propositionum gradus postremum locum propositio temeraria tenet. Temeritas porrò non vno & simplici modo intelligitur. Temerè enim ea quandoq; fieri dicimus, quæ non consilio, sed fortunò geruntur. Quo modo ea temeraria sunt, quæ turbulẽtè & inconsultè effutita sunt. In hoc verò significatu temeritas, quæ nullo delectu aut discrimine ducitur ad iudicandum, sapientiæ cõtraria est, in qua non casus & fortuna, sed ratio & cõsilium valet. Qui ergo nulla aut ratione aut auctoritate impulsus res ipsas affirmat, sed temerè scribit & dictitat vel quod in buccã venit: iure is tanquã stultus & temerarius reprehenditur. Nam quanuis vera aliquãdo dicat, sed vt vera dicat tamen, non id consilium & ratio, sed fors & casus efficit. Qualia sunt nonnulla, quæ viri quidam pij in vita rebusq; gestis Christi Domini magis comminiscuntur quàm contemplantur, quæ etiam scribunt non tam verè & prudenter, quàm deuotè & feruenter. Quorum est interdum cæca ac temeraria quidem & in assentiendo credulitas & in asserendo facilitas. sed temeritas hæc tamẽ nõ est eiusmodi, vt à fidei iudicibus coërceri debeat, qui grauiorum errorum censuram assumere suo iure possunt, leuioris huius vel imprudentiæ vel stultiæ nõ possunt. Fidei quippè cognitio illis mandata est, non prudentiæ, eius præsertim, quæ viros pios sæpè destituit. Videmus autem illiusmodi seu meditationes seu contemplationes, hẽèt inconsideratè atq; imprudẽter sine ratione & graui testimonio editas, cum pietate ferè atq; adeò cum sanctitate esse coniunctas. Nõ decet igitur, vt simplicitas columbina seueriss imi tribunalis iudicio vexetur: quantumuis illa sit incon sulta & imprudens. Dicitur rursum & id temerè asseri, quòd insolenter nimiumque audacter asseritur. Quo modo omnibus in rebus asseuerandi temeritas pronunciãdiq; audacia turpis est quidem, sed in his, quæ ad ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa vel maximè. Habet enim conteptionem superbam ecclesiasticæ regulæ: quam contemptionem nisi fidei iudices coërceant & comprimant, dici non potest quantùm discriminis omnis ecclesiæ doctrina sit habitura. Quæ igitur non incon sulta oratione modò, sed, vt verbis vtar gra uioribus, confidenti audacia, insolẽtia proterua, exultatione impudenti, iactatione superba, non cõtra fidem dico, sed contra ecclesiasticæ modestiæ regulam asseruntur: ea Theologi in præsenti temeraria censent, atque inter errorum gradus constituunt & locant, qui, quoniam hæresum appendices sunt, à fidei iudicibus sunt animaduertendi. Vt, Beatam virginem non esse in cælos cum corpore assumptam, quod licèt fidei minimè aduersum sit, sed quia cõmuni ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur. Item, in baptismo non infundi paruulis informantem gratiam & virtutes. cùm concilium Vienense contrariam opinionem duxerit eligendam. Item, Angelũ non esse simul cũ mundo corporeo creatum aut ipsum etiã nõ esse incorporeum; cuius vtriusque rei contrarium concilium Lateranense sub In

Universidad de Deusto
Biblioteca

nocentio tertio nos docuit. Item, Diem iudicij ad certum quendam diem, mensem annumvè futurũ. Vt verbi causa, ab hinc quinto vel sexto: quod à concilio Lateranen. sub Leone decimo diligenter præcautum atq; prouisum est. Nec enim est parua temeritas eius rei præsagitionẽ vsurpare, quam inclusam diuinitus pater in sua posuit potestate, & neq; apostolis neq; angelis reuelauit. Item, Ioannes Euangelista fuit in vtero sanctificatus, atq; in summa omnes illæ propositiones, in quibus à fidei & scripturarum lege vniuersali quispiam sine idoneo testimonio aut probabili ratione eximitur. Nam huius generis exceptiones temerariæ fidei leges tametsi nõ tollãt, præcidunt tamen. Est demũ & ea temeraria propositio, quæ in doctrina fidei cum celebris vniuersitatis communi decreto ac definitione pugnat. Quanquam enim circunferuntur articuli Parisienses, qui non sunt articuli fidei omnes: quoniãne hãc quidẽ vel longissimè tangũt: sed eiº academiæ tñ de fide & religione fixa constãtiaq; decreta semp Christi ecclesia suspexit. Qui verò cõtempserunt inaniaq; & leuia ac p nihilo existimatũt, oẽs ad vnũ periclitati sunt, & ij, qui manifestè ab ecclesia discessere, & ij qui ecclesiæ fuere suspecti: postremo ij, qui in occulto adhuc latent, sed suo se tempore, vt cæteri, prodent.

Propositionem autem scandalosam quidam cum piarum aurium offensiua cõfundunt, vt verbis distinguantur, re eadem prorsus sint. Atq; huius generis exempla illa ponunt, Tyrannum potest quilibet illius subditus occidere, Ieiunare impertinens est Christianæ perfectioni, Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo. At ijs ita perturbati sunt & confusi errorũ gradus, nullus vt sit primus, nullus vt secundus, nullus vt tertius aut quartus. Propositio igitur scandalosa duobus similiter modis appellari solet. Priùs vsurpatione communi, qua omnis oratio, quæ occasionem ruinæ præstet quanuis hæretica apertè sit, scãdalosa dicitur. Quo sensu concilium Constantiense. 15. illam propositionem, Quilibet tyrannus potest licitè à quocunque subdito occidi, &c. tanquam hæreticam & scandalosam cõdemnauit. Quales sunt item reliquæ duæ, quæ ab his in exemplum sunt positæ. At verò posteriùs scandalosa illa propriè oratio vocatur, in qua scandalum notari potest, hæresis non potest. Qualis illa fuit enumeratio incommodorum auricularis confessionis, in qua incommodorum enumeratione tanto cum Germaniæ scandalo Erasmus versatus est. Tales illæ sunt siue commentitiæ fabulæ seu narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia vel finguntur vel deteguntur. Id quod sine dubio sine imbecillium offendiculo fieri non potest. Non enim hic scandalum more vulgi vsurpamus, pro eo, quod aures offendit, quodvè fidelis populus horret: sed pro eo, quod infirmis causam ruinæ præstat, & quod ante fidelium pedes positũ eos facit in illud incurrere, irruere, offendere. Sic ecclesiæ Romanæ abusus plebi rudi obijcere atq; in vulgus edere, scãdalum est. Sic propositiones illæ scandalosæ sunt, Prælatus malus est verè fur & latro, Per censuras ecclesiasticas clerus populum suppeditat & auaritiam multiplicat, Sacerdotes criminosè viuentes sacerdotij polluunt potestatẽm, Clerici epistolis decretalibus studentes stulti sunt, Dantes eleemosynam fratribus mendicantibus sunt excommunicati, Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris, Vniuersitates & collegia vanitate hominum sunt inducta, Leguminibus & piscibus venter inflatur & turget, atq; adeò ad concubitum ac venereas voluptates aptissimus redditur. Quarum nonnullæ hæresim sapiunt, non inficior, sed quanuis in verum sensum deflectantur, non

non solùm error, sed ipsa etiam isthæc veritas, qualiscunque illa sit, quæ fortè in his dictis inueniri potest, scandalum affert idiotis & infirmis. Non enim solùm falsa scandalum faciunt, sed aliquando etiam vera. Ac de propositione scandalosa satis ferè diximus. Propositionem autem schismaticam, seditiosam, maledicam, & contumeliosam quorsum attinet definire? Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à quibusdam explicãtur? Res itaque faciles & cuique per se satis expositas consultò prætereo.

Quoniam liber hic noster nõ pollicetur, quæ passim vulgata & contrita sunt, sed ea conatur exponere, quę & sunt obscura, nec statim omnibus occurrẽtia & obuia. Sed ne Amalthæam quidem edimus, & bibliothecam rebus vniuersis instructam. Breuitati quippè studemus, atque vnam non hoc decipiat nos breuitatis studium. Decepit enim multos: quosdam, qui cùm se breues esse putarẽt, fuere longissimi: alios, qui cùm se breues esse laborarẽt, fuere obscurissimi. Sed hæc hactenus, iam pergamus ad reliqua.

¶ *Quemadmodum argumenta Theologiæ inuenienda atque è locis ducenda sint.*

Caput duodecimum.

DE notis & catholicæ veritatis & erroris contrarij diximus, erroresque ipsos, quàm breuissimè fieri potuit, internouimus. Sequitur, vt vtriusque generis nota queratur & formula, viam rationemque docere. Quæ eadem erit ars argumenti inueniendi ex locisque Theologiæ ducendi. Quanquam Theologici argumenti inuestigandi quidem atque eruendi cõmuniora præcepta sunt. Illud enim perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatẽ ex eisdem suppeditari locis. Quocirca nihil minus hæreticus è locis Theologiæ argumẽta ducet, quàm Theologus. Sed illius incerta, infirma, & specie veri fallacia erunt: huius, vt qui non vmbrã, sed veritatem ipsam assecutus est, erunt certa firma & constantia. Nec argumentationes tamen omneis Theologus è locis certas exprimit, sed interdum immo sæpè etiam probabiles. Nec id solùm quia loci quidam incerta ferè argumenta præbent: sed quia locus firmus argumentum quandoque præbet non firmum. Nolim enim quispiam hoc ducatur errore, vt si locus firmus est, omnia argumenta inde ducta esse firma arbitretur: aut si ecõtrariò infirmº est locus, oia ex eo accepta infirma esse. E sacris quippè literis interdũ argumẽta probabilia ducũtur. Vt si è sensu mystico petita sint, aut sensus etiã literalis non sit exploratè diffinitus. Atque ediuersò historiæ humanæ auctoritas, imbecilla ipsa cùm sit, certa aliquando argumenta suppeditat. Quapropter vbi artem & præcepta adhibuerimus, quibus argumenta è locis theologicis eruantur, adhuc iudicium deest, vt explorentur. Quòd si nulla iudicij ratio, nullum discrimen accesserit: copia quidem argumentandi facilis & prompta erit, sed nullo in pretio tamẽ nisi apud eos, qui res numero æstimare solent, non pondere. Perfectus autem absolutusque Theologus non modò varia è locis argumenta congeret, sed dissentientia & consentientia certaq; & incerta secernet. Quemadmodum enim dialectici cõsummati facultas duabus rebus expletur inuentione ac iudicio: sic Theologum instructum esse oportet cùm ad inueniendum tùm ad iudicandum, si ars illi in Theologia disserendi expleta futura est, per quam, dico, & sua dogmata firmare possit, & errores contrarios refellere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theologi porrò iudicium tunc mihi videor instruxisse, cùm locorum Theologicorum vim & naturam expressi. Nempè è decem partibus, in quas loci Theologici amplitudinè potestatéq; diuisi, quæna earum partium firma argumẽta continerẽt, quæ verò infirma patefeci. Cumq; etiã veritatũ catholicarũ notæ eædem sint & certissima signa, vt quæstiones fidei discernantur, & argumẽta quoq; certissima, vt conclusiones Theologiæ probẽtur: non aliud mihi negocij dãdum credidi in diju dicãdis argumentis, quæ dogmata nostra probarent, q̃ dãtum paulò antè fuit in ijs notis edẽdis, quæ nostras veritates insigniret. Pars ergo illa iudicandi nec post ea, quæ diximus, admonitione ac præceptis indiget nec propriè ad locorũ tractatum attinet, quẽ liber hic noster sua inscriptione pollicetur. Quod cùm perspicuum sit, sequitur vt disseramus, id quod præsentis est negocij, quibus rebus possimus eum, quem è locis Theologiæ volumus, adipisci vsum argumentandi. Vbi illud primùm occurrit, quod disciplinarum ordo rerumq; contextus ipse ac connexio monet, vt quisquis è Theologiæ locis inuenire cupiet, is communes præceptiones teneat, quas de inueniendis argumentis dialectici tradiderũt. Hæc etenim, si est simpliciter breuiterq; dicendum, quibus præceptis eruuntur à locis dialecticis, eisdẽ fermè à Theologicis: tametsi est alius quoque quidam aditus ad Theologicos, vt ex ijs peculiari via & ratione argumenta deriuentur firma præsertim, quę vsui Theologi sũt necessaria vel maximè.

Primũ præceptum argumenti inueniendi.

Omnium autem eiusmodi præceptorum illud est caput, vt Theologus habeat omnes Theologiæ notos & tractatos locos. Notos, inquam, & tractatos locos. Nec enim memoria tenuisse sat est, sed paratos & expeditos habere oportet. Primùm ergo discatur numerus naturaq; locorũ qui sint, quot sint, quæ vis cuiusq; ac proprietas. Quæ res siue à nobis accipiẽtur seu ab alio, qui ad hæc scribenda paratior post me atq; instructior venerit, nó multùm refert. Certè quæ hisce rebus perdiscẽdis necessaria sunt, ea mediocriter, vt mihi videtur quidẽ, libris superiorib⁹ edocui. Locorũ itaq; numerum, vires & proprietates siue hinc siue aliũde ad manũ habere, id est in eorũ cognitione primum.

Proximũ est locos ipsos lustrasse ac cõprehẽdisse vniuersos. Nam qui sacras literas aut nõ legerit, aut etiã lectas minimè intellexerit, is quo pacto è primo loco argumẽtabitur? Qui traditiones Christi & apostolorũ nusquã omnino obseruarit, quo hic modo è secũdo loco argumẽta ducet? Qui nec in ecclesiæ nec in conciliorũ nec in pontificũ doctrina fuerit assiduus, quẽ huic argumentandi vsum loci eiusmodi suppeditabũt? Quas verò argumẽtationes è sanctis auctoribus ille colliget, q̃ sanctorũ libros ne attigerit quidẽ? Quã aũt dissertẽdi facultatẽ è scholæ Theologis habere poterit, qui nullo se tẽpore in scholæ cõflictationibus exercuerit? At è Physica, Metaphysica, Astronomia, Geometria is homo ratiocinabitur, q̃ humanã rationẽ his nunquã disciplinis excoluerit? Philosophi demũ & historici ecquid ei emolumẽti afferẽt, qui nõ fuerit in illorũ lectione versatus? Hæc igitur oĩa, cùm argumẽtum quęrimus, cõplecti animo, cogitatione intelligẽtiaq; debemus: nec locos modò habere cognitos, sed ipsos etiã diligẽtissimè coluisse. Sed ais. Est ne quisquam tanto inflatus errore, vt sibi se illa scire oĩa persuaserit? Ego si Theologus ist hæc non fuerit cõsecutus, nihil sanè vitupero: id reprehẽdo, si nõ secutus nomẽ sibi Theologi vsurpauerit. Illud aũt argumẽtandi genus, quod ex omnibus locis aptè ducitur, perfectũ et absolutũ est atq; oẽs numeros habet, nec præter cõsummatũ Theologũ cadere in quẽquam potest. Cùm verò aliqd persuasum est, in quo vel mediocria argumẽta cõpareãt, id cumulatè videtur esse perfectum, propterea q̃ vulgus Theologorũ qd absit à perfecto non ferè intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod etiam, vt Cicero ait, in poẽmatibus & picturis vsu venit in alijsq; compluribus: vt delectentur imperiti laudentq; ea, quæ laudanda non sint, ob eam, vt credit, causam, quòd insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros. Sic nonnullos inuenias, quos, quoniam ijdem quid in vna quaq; re vitij sit nequeunt iudicare, mirificè delectent iuniorum opuscula quædam, in quibus nihil reconditum & exactum est, nulla ex proprijs argumenta ducta: communia omnia, vulgaria, imperfecta ac ferè ex genere probabilium. Ita ieiuna & arida illorum tota est disputatio, quę vix vnius fontis eiusq; vulgaris ac triti aqua communi & perexigua rigatur.

Secundum præceptũ.

Quantò D. Thomas copiosior & neruosior est, qui non solùm aut rationi aut auctoritati confidit: sed omni modo argumẽtatur, & accuratè ex omni loco disserit, testimonijsq; simul ac rationibus conquisitis disputat. At obscura quædam in Thomæ lucubrationibus sunt: istorum verò lucubrationes sunt lucidæ. Sanè quidẽ. Nõ tamẽ ab illo ita dicuntur de industria: nec in ingenio inest, sed in rebus ipsis obscuritas. Et propria quàm communia obscuriora sunt. Vinum quoq; aqua mixtũ clarius est quidem, sed dilutius est tamen. Merum ad bibendum difficilius plus omnino habet virium. Ac de primo inuentionis præcepto hactenus. Reliqua persequamur.

Argumentationes porrò theologorum suis locis reddere, adeò videtur esse facile: vt non sit fortasse præcipiendum. Nemo enim tã rudis est, quin sciat, eò statim vnumquodq; argumentum theologiæ referre, vnde petitum est, aut ad sacras literas aut ad concilia, &c. Quanquã non est inutile argumenta, quæ in doctoribus probatis inueneris, ad locum suum quodq; redigere. Hinc enim & thesaurum tibi comparabis ex aliorum inuentis, & cùm intellexeris cuius loci vsus illis defuerit, ipse per te ea, quæ omissa sunt, diligenter inquires: vt in controuersia catholicorum cum Pelagianis post sacrarum literarum, conciliorum, sedis Apostolicæ sanctorumq; testimonia, quibus Augustinus satis abundè causam obtinuit, rationes theologiæ Thomas addidit: quæ & testimonijs põdus & causæ lucem adhiberent. Agnoscere igitur apud veteres Theologos argumentationum locos plurimùm prodest tum in intelligẽdis eorum virtutibus, tum in discernendavaria eorum argumentandi ratione, tùm quòd copia quædam paratur hac diligentia & vsu, vt non solũ quæ illi inuenerint, ea habeamus in promptu: sed vt quoties è locis Theologiæ quæremus, similibus in rebus similes nobis argumentationes occurrant. Atq;, in omni arte vtrumq; scire operæpretium est & quid & quo pacto sit faciendum. Ambas verò has res imitatione peritorum sic assequimur, vt difficile sit iudicare, plus ne præceptis assequamur, an exemplis. Theologos sanè, quod ad inuentionem attinet, magis veterum exempla iuuabunt quàm præcepta, nõ dico nostra, sed ne cuiuscunq; quidem alterius artificis. Prudentia nempè argumẽtandi nedum scientia theologi veteres polluerunt, qui nec indoctiores quàm recentes isti, & certè prudẽtiores melioresq; fuerunt viri. Nam de scripturæ sacræ peritia, in qua argumenti theologici thesaurus præcipuè inclusus est, certare cum veteribus nulli possunt. Verùm non in scripturæ solùm intelligentia quærenda, sed cùm multis alijs in rebus negligentes iuniores sunt, tum maximè in argumentis Theologiæ proprijs eruendis. Nec recẽtiores ego theologos contemno, quorũ satis arguta multa, sed, vt modò primumq;, nasutia, depicta nimis atq; minutã: si ad vetera conferantur. Quæ plus nescio quo pacto videntur habere auctoritatis, plus neruorũ, plus viriũ, non solũ ad affectus permouendos, sed ad fidei quoq; euincẽdos aduersarios. In hac igitur præceptione quãuis facili ela-

Universidad de Deusto
Biblioteca

borandum est, si non copiam modò, sed gradus etiã argumentorum exquirimus.

Tertiũ præceptum.

Multò verò magis theologo elaborandũ, vt cognitis ac tractatis locis quæstioné, quã versare cupit, in locos theologiæ cõjiciat. Cũ autem illã per oés deduxerit, considerare accurratiùs debet, quid è singulis in vtranq; partem dici argumentãdo possit. Tum ei colligenda sunt omnia & quæ consentire causæ propositæ & quæ dissentire videantur, & iudicio adhibito peruidendũ, vtrámne quæstionis partem ducta argumẽta probent. Vix enim, quemadmodum suprà dixi, theologus potest ab inuentione iudiciũ separare: si veritatem quærere & amplecti est illi institutũ. Nec in omni loco tamen aut pro re aut contra rem argumenta semper idonea reperiemus. Non enim si aut venator aut piscator loca apta venationi ac piscationi cognouerint, quãuis diligentiã adhibeant vel maximã, protinus aut piscabitur hic aut ille venabitur. Nulla quippè ars adeò esse certa potest, quæ non interdũ operis sui fructu careat. Vt igitur in disputatione nostra loci cõcurrant omnes, optabile est. Si minus, plures maioresq; ponderis plus habebunt. Si verò nulli, nõ est minuenda artis opinio, nec de gradu deiiciendus animus, sed etiam atq; etiã argumenta quærenda. Quanuis enim demersa sint, emergent tamẽ hæc aliquando: si pelagus vel immensum & nostra diligentia excitetur, & diuina gratia, quæ pulsantibus aperit, & quærẽtibus nunquã deest. Illud autẽ de probabiliũ quæstionũ genere dictũ accipi velim. Nam fidei dogmata ab his locis, q̃ auctoritate consistũt, manant oia. Quare nullũ apud nos certũ decretũ est, qd nõ idẽ è locis oriatur. Nõ ita q̃; verẽdũ, ne in fidei quẽstione locorũ nos argumenta destituant. Sed vtcũq; aderunt res, nec enim omnes eodẽ ingenio & solertia nec similiter inquirimus, argumenta rerum huiusmodi semper quidem in locis inclusa erunt: eò autem eruentur vel pauciora vel plura, quò inquirentis erit eruditio, ingenium ac diligentia maior. Atq; hæc quidem hactenus. Patefacta enim res ipsa est, vt non sit difficile in exquirendo argumento quid cuiq; faciendum sit videre. Et multa etiam sine inquisitione seipsa offerunt, præsertim hominibus eruditis atq; in harum rerum vsu diu multumq; versatis. Quanquam quæ cogitatò meditata & præparata in disputationem inferuntur, ea iure illis anteponimus, quæ repẽtina animi cogitatione prodeunt. Quæ, quoniam celerrima est atq; ad breuissimũ tempus, offerre argumenta potest, ponderare non potest. Itaq; vt sine vllo errore & inuestigare argumenta & inuenire possimus, formula quædam cõstituenda est, quam si sequemur in disputatione theologica, nunquã à recto tramite recedemus. Erit autem hęc formula theologorum rationi disciplinæq; maximè consentanea. Vbi theologo differendi materia fuerit oblata, quæstionem accuratè habet expendere statuereq; in primis, cuius generis illa sit ex omni illa, quã suprà explicuimus, quæstionum varietate. Nisi enim theologus naturam quæstionis comprehenderit, nec facilè intelliget qualia sint ei inuestiganda argumenta, nec ex quibus etiam petenda locis. Quanquam enim omnes inter se colligati atq; implicati sunt, tamen ex singulis certa argumentorum genera nascuntur: nec vniuersi, vt à principio statim huius operis dixi, æquè omni quæstioni accommodantur. Cùm verò genus quæstionis constituerit illud vel maximè, quod est omnium difficilimum, an fidei sit, an non supèr omnes locos ducat eam, illos præsertim, qui erunt quæstioni magis apti & congruentes. Nam si quæstio est superna turalis, in eos locos est coniicienda potissimè, qui Dei auctoritate nituntur. Sin autem est naturalis, per eos præcipuè locos deducetur, qui naturæ ratione constant. Quòd si mixta quæstio est & partim à natura partim à reuelatione pendet, per omnes ducatur oportet: cuncti enim iuxtà pos-

tà possunt argumenta præbere. Tametsi nullius omnino generis quæstio est, quæ non per omneis locos vtiliter deducatur. Naturæ quippè res sæpè scriptura tradit: & res quoq; supernaturales vel suadet ratio vel exponit. Ac diuina auctoritas humanam fulcit, contraq; humana diuinæ seruit. Nec verò veritas, quæ simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri & temperari potest. Sed diuina & humana ratio, quod sæpissimè dixi, dissimiles non sunt: nec aliò hæc aliò ducit illa, quin eodem spectant ambæ, & in eundem finem referuntur. Itaque accepimus maiores nostros solitos execrari eos, qui primùm hæc natura cohærentia opinione distraxissent. Quibus quidem ita sunt scholæ theologi assensi, vt nisi has duas res in disputatione sua coniunxissent, non se putarent theologos verè esse. Coniecta itaq; per omnes locos quæstione & collectis hinc inde argumentis, siue quæ discrepare seu quæ cõgruere videãtur, in vtranq; partem disputet: sed tñ ad extremũ finiat, qd verũ sit qd cõtrà falsum. Doceat verò primum quid fides Christi de ea quæstione teneat, q̃busq; idoneis ac certis testimonijs id qd̃ tenet euincat: deinde, quid aut præscribat aut certè suadeat ratio. Nã si quæstio naturalis est, ratio præscribit: sin est supra naturã, ratio suadet. Qua in re, vt modestissimè dicã, scholã apud nostros mediocriter ego iuui. Quæ ante nos non erat adeò fidei argumẽtis instructa: à ratione ductis res theologica propemodùm agebatur. Ordinem ego D. Th. immutaui. Ita enim in summa aduersum Gẽtes ille quidem primò rationes, mox testimonia ponit. Ego verò in lectionibus meis semper à principio docui, quid præfiniret de vnaqualibet quæstione fides, tũ quid ostenderet ratio. Sed immutationis huius prõpta est atq; expedita causa. D. porrò Thomas aduersum Gẽtes theologiæ negociũ conficere ratione debuit: quia scripturæ testimonia apud eas vel secundo vel nullo etiam loco sunt. At apud nos, qui Christianos discipulos instituimus, primas partes auctoritas habet, secundas ratio. Quin & hunc differendi ordinem tãquam naturę nostræ cõsentaneũ magis Augustinus probat: quanuis Manichæis sese attemperans id agat interdum, quod in disputando fatetur esse vitiosum. Naturæ, inquit, ordo ita se habet, vt, cũ aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Sed quoniã cum ijs nobis res est, qui omnia cõtra ordinẽ & sentiunt & loquuntur, nihilq; aliud maximè dicant, nisi rationem priùs esse reddendam, morem illis geram, & quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Quo exemplo Thomas ad eundem modum se Gentibus accomodauit: nam in summa theologiæ auctoritas ferè rationi præparat hominẽ, ratio deinceps ad intellectũ cognitionẽq; producit. In ipsa verò & auctoritate & ratione sunt gradus argumentorũ, & quod cuiq; præstet intelligi facilè potest: vt prima sint quę è scriptura ducuntur, secũda quæ è traditionibus Christi & Apostolorum, tertia quæ ex ecclesiæ decretis, deinceps gradatim reliqua consequantur. Est autem inter theolgos cõtrouersum, vtra sit prior scripturæ auctoritas an ecclesiæ. Verũ hęc sicut & cæteta, quæ nõ ad inuẽtionem, sed ad dispositionẽ attinent, nõ putaui esse per sequenda. Atq; hæc res, si quãdo in cõtentionẽ venerit, quẽadmodũ diiudicanda sit, satis est, nisi malè memini, suprà disputatũ. Illud perspicuũ est, eandẽ omnino esse spiritus sancti in scriptura & ecclesia auctoritatem, si res ipsas inspicias. Quare in se quidem neutra aut prior aut maior, neutra aut posterior aut minor est. Quid est ergo quod in hoc loco nonnunquã dubitationẽ afferre soleat cõsiderãdũq; videatur? Credo, si quando dubitatio accidit: quale sit hominis eius ingenium, eruditio, institutũ, qui cũ disputationẽ instituris, spectare decet. Vt em̃ sunt, q̃ scripturas ecclesię vsui anteponũt: sic reperias multos, q̃bus ecclesię mos & sensus maiores esse videantur.

De mori. eccle. cath. cap. 2.

Augustin. de uer. relig. cap. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quia vero ecclesia prior & antiquior est, dubitari non potest, ipsius auctoritatem quodammodo esse maiorem: nam quòd sit & notior & crebrior exploratum est. At in omnibus, vt dixi, eius, cùm quo disseris, habēda est ratio. Sic enim Petrus Iudeis 2. Pet. 1. ait, habemus firmiorem propheticum sermonem: cùm Petri tamen sermo nullo nobis gradu inferior sit. Sed de hoc, magna In. 14. lib. enim res est, alio loco pluribus. Nunc ad propositum. Illa igitur & talia circumspicienda sunt in omni quæstione & consuetudo exercitatioq; capienda, vt boni ratiocinatores argumentorum esse possimus & addendo deducēdoq; videre, quę omniū summa fiat, ex quo quantum cuique quęstioni debeatur, intelligas. Sed vt nec medici nec imperatores, nec oratores, quanuis artis præcepta perceperint, quicquā magna laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt: sic argumenti theologici inueniendi precepta traduntur illa quidem vt seruemus ipsi, sed rei magnitudo vsum exercitationemq; desiderat. Quia igitur parum verba prodesse nostra poterunt, nisi ad rem conferantur vsusq; præcepta confirmet: necesse fuerit theses exercitationis gratia dicere, id quod ferè est à Peripateticis institutum. Archelaū primū scribit Diogenes in vtramq; partem disputasse, fides sit penes illum: Cicero enim huiusmodi exercitationem tradit ab Aristotele inuentam. Cuius consuetudo de omnibus in contrarias partes differendi iure ab scholæ theologis probata est: eò quòd quid in vnaquaq; re verum sit, quid cōtrà falsum: aliter nequeat inueniri. Quanquā enim cognitio veritatis, vt Augustinus ad Epist. 56. Dioscorum ait, omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ priùs inaudita erant, & diiudicare & subuertere idonea est: quia tamen hæc ipsa veritas elucere in disputatione nequit, nisi ex vtraq; parte causarū sit facta contētio, nec potest fides vlla de re fieri, nisi priùs aduersariorū persuasiones euellātur: maximè naturale est, vt antequā probem⁹ nostra, amoliamur aduersa, & opiniones cōtrarias refutemus. Vix autē reperietur aliquid tā omnib⁹ ingenijs cōsentaneum & quadrans, vt neminem habeat repugnantem. Omnis nanque, vt Hilarij verbis vtar, humani eloquij sermo contradictioni obnoxius fuit semper, non solùm quia in alio capite & mente alia propemodùm sententia est: sed quia dissentiētibus volūtatum motibus dissentiens quoque fit sensus animorum. Vnde existimat Philosophorum placita dici, quòd vnusquisque illud fermè amplectitur: nō quod ratio præscribit, sed quod placet animo: non quod dictat illa, sed quod dictat affectus. Necesse est ergo Theologis variè in contrarias partes differendo quasi in simulachro pugnæ exercere se ipsos: id quod Diuus Thom. in quæstionibus disputatis diligentissimè fecit. Cū verò in omniū artium vsu optimorum imitatio artificū valeat plurimum, exempla in Theologia differēdi ab his peti æquum est, qui in hac arte excelluerunt: quorum Augustinus & Thomas sunt facilè principes, Augustinus citra aleam, Thomas iudicio peritorū. Neque enim in ancipiti solùm disputatione, in qua de vniuerso genere vtrinque differi copiosè licet, sed in omni omnino quæstione adeò hinc inde vber ac diues est: vt mirandum sit, in rebus tam multis & varijs ijsq; sępè neq; peruulgatis neque tritis egregia in vtranq; partem argumenta prōpta illi parataq; fuisse. In multos articulos, fateor, concidit omnia & articulo ferè cuique præscripsit velut lege quadam argumentationum numerum. Aridum quoque illi fuit disputandi genus & quæstionum tractatus vna perpetuò specie compositus. In ea deniq; fuit auctorum secta, quæ adeò nullum florem orationis sequitur, vt apparentibus sine carne neruis deforme videatur disputationis corpus, certè ab omni eloquentiæ ornatu alienum. Ita à doctissimo & grauissimo viro curiosi quidem homines & delicatuli longioris operis

operis satietate, fastidio similitudinis inculturæque dictionis horrore abalienantur. Dixit in concilio Tridentino vir eloquens sanè ac facundus, sed parùm Theologus tamen: qui id suadere vellet auditentibus, aduersùm hæreticos, præsertim Lutheranos, non esse magnum vsum scholasticæ cōcertationis: oratorio potiùs more cum illis disserendum: nostrum enim spinosum esse ac permolestum. Quæ si vera essent, exempla in Theologia disputandi non ab his, quos antè dixi, meliora peterentur. Equidem etsi non sum nescius, quàm sit non scholæ dico in disputādo mos, sed tota omnino scholæ Theologia hæreticis inuisa: sed eò magis existimo, scholasticam disserēdi formam ad hæreses refellendas efficaciorem, quò magis hæreticis inuisa est. Quòd si Lutheranī academię subtilitate minimè capiuntur, ne oratione quidem ad rhetorum leges artificiosè compositā capi poterunt. quoniam grādiores sunt & callidiores effecti, quàm vt orationis artificio apprehendantur. Cùm autem nec argutū Theologum pertimescant, nec rhetorem quanuis eloquentem: non sunt, mihi crede, aut Theologi acumine, aut rhetoris flumine, hoc est, non verbis sunt & disputatione, sed viribus & flagellis refellendi. Verùm si eo loco res sit, vt aduersum Lutheranā dogmata certare cogar: eligant alij, mihi enim impedio, suaue orationis genus, quo mollius & familiarius homines istiusmodi ad ecclesiæ beneuolentiam alliciant: dummodò mihi relinquant scholæ ossa neruosq; ac pressam differendi soliditatem. Quæ Augustinus porrò contra aduersarios ecclesiæ disseruit: tametsi & inuicta sunt acutiùs & dicta subtiliùs quàm vt quiuis ea possit agnoscere, ad refellendos tamen hæreticos tantò maiorem habent efficacitatem, quantò tenuiùs ad viuum resecata sunt. Atq; etiam quùm oratorum more quasi torrens fertur oratio, quamuis multa cuiusque modi rapiat, nihil tamen ferè teneas, nihil apprehendas. Cùm autem ad scholæ normam certa via & ratione premitur, contineri amplectique facilius potest. Itaque præclarum à Diuo Thoma accepimus morem disputandi, si eum teneremus: Nemò verò à viro grauissimo orationis delicias quærat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras grauesque sententias, argumenta solida & propria, sermonem rei, de qua disseritur, accommodatum. Quæ omnia Diuus Thomas adeò egregiè præstitit, vt si vitia in eo pauca sint, quæ ab istis inuidiosè commemorantur, plurimis tamen maximisque virtutibus illa compenset. Quanquam, vt erat & modestus & prudens, minutissimorum articulorum numerum legemque disputationis æquabilem tum rudioribus tum magis suo illi seculo dedit. Equidem non Diuum Thomam modò, sed scholæ auctores quosdam alios existimo, si humaniores literas coluissent, & quæ in schola didicerant, eloqui voluissent ornatissimè splendidissimeque potuisse facere: & viros eloquentiæ studiosos, si ab scholæ instituto non abhorruissent, sed Theologiam hanc didicissent & tractare voluissent: grauissimè & copiosissimè dicere potuisse. Sed aut vtrique suo studio delectari alteros contempserunt, aut nihil omni ex parte beatum, vt semper aliquid desideremus. Verùm si alterum sit optādum, malim quidem indisertā scientiam, quàm insciticiam loquacem. Nam exempla illa disputatiōis Theologicæ suis omnibus numeris absoluta is solū suppeditare potest, qui eloquētiam sapientiæ coniūxerit. Age tamen qualiacūq; nostra sint, & ea ipsi afferamus: quæ etsi non meliora erūt q̄ vetera, erunt tempori fortasis aptiora.

¶ Exemplum primum, vbi principium Theologiæ in quæstionem vertitur. Caput tertiūdecimum.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE eucharistiæ sacrificio prima mihi cũ Vuitcleffistis & Lutheranis controuersia est. Facioq; cõtra institutũ meũ, cũ de re apertissima disputationẽ instituo. Nã si quid adeò certũ & exploratũ est, vt de eo inter viros doctos constanter perpetuoq; cõuenerit, argumẽtari non soleo: nec rem minimè dubiam argumentando dubiam faciam. Nec verò in hoc dabo operam, vt rem planè in ecclesia definitã meis ego argumentis probem: sed in id potiùs incumbam, vt vnum è Theologiæ principijs nõ tam ratiocinatione q̃ expositione confirmem. Ita fiet, vt veritate illustrata, omnium tenebras depellam errorum.

* Luth. cũ sæpè aliàs tũ in lib. de abrog. mispri. & de capt. Baby. Oecolãpa. in libello, qui à quibusdam inscribitur, d cœnadñi c. 9. Bucerus lib. 2. de ue. et fal. cœn. do. admi. Caluinus in Psi. c. 18. Protestantes in apolo. Augusta. Primũ argum. Hebr. 7.

Quanquam argumenta pro ecclesiæ sacrificio certissima sunt: quibus autem Lutherani contrà pugnant, vt ipsis quidem videtur, sunt maxima: vt ego verò sentio, friuola & commentitia sunt omnia, vix digna lucubratione & ingenio anicularum, talia certè, propter quæ non modò à communi fidelium sensu cuiq; esset, sed nec ab amici vnius priuata opinione discedendum.* At discipuli cæci magistri furentis rapiuntur errore, sibiq; eucharistiam non esse sacrificium argumentando persuadent.

Caluinus porrò illo apostoli testimonio in primis nititur, Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidiè, quẽadmodum sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde p populi: hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines cõstituit sacerdotes infirmitatem habẽtes: sermo autem iurisiurandi, qui post legẽ est, filium in æternum perfectum. Quo loco Paulus sacerdotium veteris testamenti à noui sacerdotio distinguit, quòd in illo plures erant sacerdotes: in hoc vnicus est sacerdos. Huius verò rei causam explicat quòd illi mortales erant: quare indigebant successoribus, qui in demortuorum locum subrogarentur. At Christo, qui immortalis est, nullos oportet succedentes vicarios substituere: quales ij sunt, qui nũc quotidiè sacrificant, & plures ipsi atq; mortales ad vmbras legis deflectunt, in qua plures ijdemq; mortales facti sunt sacerdotes. Nostri quoque sacerdotes infirmi & ipsi sunt, habentq; necessitatem quotidiè, quemadmodum veteres, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Non ergo isti, cùm sint veteribus simillimi, legales sacerdotes sunt, non euangelici. Confirmat autem, vt ait, hoc illud vel maximè, quòd sacerdos à Deo vocatus esse debet, quemadmodum Aaron, vt Apostolus idem affirmat: at nullam vocationẽ proferre nos possumus, quæ nostro sacerdotio patrocinetur. Euanescit igitur sacrificium, quod sine sacerdote esse non potest. Hebr. 5.

Existimat rursum Caluinus idem, Paulum cum ecclesiæ fide pugnare, cùm in eadem epistola inquit, Nec vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat frequenter eum pati ab origine mundi. Nũc autem semel in consummationem seculorum ad destitutionẽ peccati per hostiã suam apparuit. Quo ex loco iterum colligit, nostros sacerdotes esse legales, qui non modò per singulos annos, verumetiam per singulos dies intrant in sancta offerentes alienum sanguinem, qui semel iuxta Apostolum oblatus est. Cùm verò disertè Paulus asserat hostiam, quæ oblatione sacrificatur, immolari & occidi necesse esse, profectò si singulis missis Christus in sacrificium offertur, singulis quoque secundum argum. Hebr. 9.

que missis interficitur. Aut ergo Pauli argumentum vanum est, cùm ait, Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, aut si Christus in sacrificium exhibetur, verè patitur. At corpus viuum & impassibile in altari nos offerrim⁹: oblatio igitur forsitan esse poterit, sacrificium nullo modo. Hoc verò illud argumentum est, quod Caluinus atq; Oecolampadius mirè iactant: & nondum collata manu tãquam feroces victores insultant.

Tertium argumentum. Heb. 10.

Illum præterea locum Lutherani pressiùs vrgent, vmbram habens lex futurorũ bonorum, non ipsam imaginem rerũ per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nũquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri: ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati. Et post multa alia, quæ referre longum est, ita legimus, Omnis quidem sacerdos præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerẽs hostias: hic autem vnam pro peccatis offerens hostiã vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Oblationes igitur veteris testamenti imbecillas ac debiles ostendit Paulus, quòd sæpiùs iterabantur. Qui ergo in noua lege eadem sacrificia iterant, ij sua repetitione testes sunt, oblationes suas priores infirmas exiguasq; fuisse: atque adeò Christi oblationem fuisse imperfectam, qui quotidie multas addijciunt. Medicamenti enim illa virtus est, quod Chrysostomus ait, vt semel imponatur, & non frequenter. Et Theophilactus pharmaca, inquit, fortiora semel etiam imposita curant: quæ autem sæpiùs iterantur & imponuntur, hoc ipso ostenduntur minùs fortia. Sed & pharmacum, quod sæpè admouetur ide, significat eandem ægritudinem interturbare laborantem. Quocirca si eadem etiã hostia nouis sacerdotum oblationibus quasi idem medicamentum sæpiùs apponitur, prima Christi oblatio nec perfectè curauit ægrotos, nec consummauit in æternum sanctificatos: vt pote cùm homines nouis quotidie ac repetitis sacrificijs curentur, sanctificentur, consummentur. Adde quòd paulò pòst Apostolus asserit, Vbi peccatorum remissio est, iam nõ esse oblationem pro peccato. Post Christi igitur hostiam vnicam, qua omnia sunt in cruce expiata delicta, post remissas etiã per Christi sacramenta iniquitates, nulla reliqua est oblatio pro peccato. Non est itaque in ecclesia huiusmodi sacrificium. Id quod Apostolus eucstigio testatur inquiens, voluntariè peccãtibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam nulla relinquitur pro peccatis hostia. Qui autem nullam dicit, is non baptisma solùm, sed nullam dicit hostiam superesse. Nos autem dicimus, quòd aliqua supereſt: contra Apostolum ergo dicimus. Neque his occurri potest, inquiunt, prætexendo in noua lege non varia esse aut multa sacrificia, vt olim in lege: sed vnum idem sæpè repeti: quomodo Chrysostomus & Theophilactus occurrũt. Quoniam Apostolus à nouo testamento non solùm multarũ diuersarumque rerum sacrificia reijcit, sed eiusdem etiam hostiæ repetitam oblationem damnat in hæc verba, Neque vt sæpè offerat semetipsum, &c. At Christus in altari seipsum nunc etiam offert, vt posteriùs ex catholicorum sententia ostendetur. Iteratam quoq; oblationẽ in veteri testamẽto ideò factã esse dicit: quia prior erat imperfecta. Siue autem plures res siue eadem sæpiùs offeratur, Pauli argumentum manet inuictum, si prima oblatio perfecta esset, nulla posteriore indigere: ita posteriores sacerdotes ab offerendo cessaturos. Quo fieri argumentantur, vt illud alterum catholicorũ effugium vanũ etiã sit. Nempè Apostolum loqui de oblatione cruenta, qua Christus semel in cruce defunctus est: nostras autem esse incruentas. Siue enim cruentum seu incruentum sacrificium sit: si sæpiùs resumitur, prio Hebr. 9. Hebr. 10.

Homil. 17. in epist. ad Hebr. In. 10. cap. epi. ad Heb.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prior oblatio nõ ꝓfectè sanctificauit, nec exhausit delicta præterita, pro quibus alia hostia profertur. Nulla itaq;, vt putãt, rima effugere possumus, sed fateamur necesse est, totam ad Hebræos epistolam nouorum sacrificia sacerdotum explodere: præsertim cap. 10. vbi si Paulus de cruenta solùm hostia sermonem faceret, facilè eluderetur: vel quum ait, Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato, vel etiam magis quum dicit, Voluntariè peccantibus nobis nulla relinquitur pro peccatis hostia. Nihil enim interest cruenta sit an incruẽta, si oblatio est & hostia pro peccato.

Quartum arg. Matt. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Ad hæc, Matthæus, Lucas & Paulus apertè narrant, dominum in vltima cœna non obtulisse quidem corpus & sanguinem Deo, sed Eucharistiam discipulis accipiendam distribuisse. Optima igitur missa illa erit, quę erit primæ quàm simillima: prima autem cœna fuit, non sacrificium. Etenim si sanguinem pro peccatis tunc Christus obtulisset, iam ante crucẽ essent remissa peccata, nisi frustra Christi sanguis in Cœna oblatus est, qui peccatorum remissionem non obtinuit, quam vel nunc obtinet patri à sacerdotibus exhibitus.

Quintum argumentũ Luc. 22. 2. Cor. 11.

Ea insuper loca nobis Lutherus obijcit, quibus locis calix sanguinis Christi testamentum dicitur. Testamentum verò non est opus hæredis, sed testatoris. At sacrificium opus est nostrum. Sacramentũ igitur sanguinis non est sacrificium. Hanc verò ratiocinationem bone deus quanto verborum ornatu quasi simiam purpura vestit. Quæ est, inquit, tanta temeritas, vt testamentum, hoc est, promissionem hæreditatis nos opus esse nostrum dicamus, quod testatori in satisfactionem exhibemus? Et vbi de acceptis gratos nos esse oportet, ibi accedam? superbi daturi accipiẽda: vt testatoriã nõ suorũ largitor bonorũ, sed nostrorũ sit acceptor. Neq; ẽm fieri potest, ait, vt idem ab eodẽ simul & recipiatur & detur, & offeratur & accepetur. Quàm verò insanus erit pauper & indigens, si bonum opus dicat se conferre diuiti, de cuius manu accipit beneficium?

Sextum argumentum.

Afferunt etiam in hanc rem sanctorum veterum testimonia. Primùm illud Chrysostomi. Hoc nostrum sacrificium exemplar est illi⁹, quod Christus in cruce fecit. Nõ autem aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus: magis autem recordationem ipsius operamur. Et Theophilactus immo potùs, ait, memoriã illius oblationis facimus, qua se Christus obtulit. Ex qua correctione Oecolampadius colligit, Chrysostomo & Theophilacto missã nostrã nõ esse ꝓpriè sacrificiũ corporis & sanguinis Christi, sed exemplar. Alioqui noñ correxissent quòd verè ac propriè dictum est. Addunt illud Augustini, Holocausti sui imaginem in ecclesia celebrandã dedit. Et alio rursum loco Christianos inquit peracti sacrificij memoriam celebrare. Et in epistola quadam ad Bonifaciũ docet, in Eucharistiæ immolatione nomẽ rerum ipsi figuræ exẽplariq; tribui solere. Basilius demum apud Euthimium hæc nostra exemplaria dixit esse veri sacrificij. Non ergo sunt verum sacrificium, sed sacrificij figura.

In. 10. c. ep. ad Heb.

Lib. 83. quæstionum. Lib. contra Faustum. Cap. 18. Epist. 80

In Matth. 64.

Septimum argumentũ

Nec testimonijs solùm premere nos, sed etiam ratione volũt. Nam si sacrificio peccata redimerentur, quod catholici astruimus, redemptio nostra à nobis quoque ipsis per nostras oblationes existeret. Ita nõ solùm Christus redemptor esset, sed homines etiam sui essent redemptores. Id quod stultitiæ est manifestæ.

Octauum argumẽtũ.

Addunt fieri non posse, vt operatio nostra alteri peccati remissionem cõferat ex vi ipsius operis, quod nostri quidã dicunt ex opere operato. Solius enim Christi opera & actiones ex se peccata remittunt. At sacrificium & missa operatio nostra est: nefarium est igitur affirmare, quòd ratione sui & deũ propitium reddat, & deleat quoque peccata. Atq; in hoc vno Lutherani huius controuersiæ statum constituẽdum

dum censent. Asserunt enim se habere hanc rationem adeò firmam, certam, expeditam, vt aduersus omnes portas inferi consistere queat. Hanc autem rationem videtur confirmare Irenæus in hæc verba, Non sacrificia sanctificant hominem, sed conscientia eius, qui offert, sanctificat sacrificium pura existens, & præstat acceptare Deum quasi ab amico. Peccator, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi qui occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum & Paulus Philippensibus ait, Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis hostiam acceptam, placentem Deo. Dixerat autem sacrificium hoc illud esse, quod ex Malachiæ primo capite Theologi conamur inferre. Nulla igitur apud nos hostia manet, quæ ex se aliorum peccata deleat, sed si quid habet, id habet ex offerente. Quo argumento nos Bucerus impugnat.

Lib. 4. cap. 14.

Nonum argumentum.

Præterea, remissio peccatorum hominis sanctificatio & iustificatio est, hæc autem per fidem cuique propriam obuenit, vt ad Romanos scribit Apostolus: nulla ergo sacerdotis oblatio ex opere operato aliorum peccata remittit. Nam ne Christi operationes quidem nisi per propriam fidem applicantur hominibus, iuxta illud, Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem. Item, si vi sua oblatio sacerdotis aliorum diluit culpas, gratiam ergo hoc sacrificium confert. Ablutio enim culparum sine gratia aquæ salientis in vitam æternam esse non potest. Neque elabi possumus dicentes remitti per sacrificium peccata venialia, non etiam mortalia. Quoniam si sanguis Christi in sacrificium offertur, omnia profectò remittit, qui in omnium remissionem effusus est. Nisi frustra ac sine causa catholici petimus, vt hoc sacrificium omnia crimina nostra detergat: & rursum, vt sit ablutio scelerum, & omnium remissio pecatorum.

Decimũ argumentum.

Præterea, cùm catholici fateamur, in hoc sacrificio sanguinem Christi contineri: fieret, vt vnico sacrificio omnes peccatorum pœnæ abolerentur. Res quippe oblata infiniti valoris est. Vanum itaque esset pro eisdem plures missas celebrare. Qui verò dicunt infinitæ hostiæ fructum à sacerdote offerente limitari, hi refelluntur à Lutheranis multiplici variaque ratione. Primùm, quòd sacramentorum fructus non definitur à ministris: ergo ne sacrificij quidem. Deinde, quia quanuis sacerdos offerens in peccato mortali sit, sacrificium tamen illi prodest pro quo offertur. Non ergo huius sacrificij virtus à sacerdote offerente terminum vllum accipit. Item, quia infinitæ rei pretium non minuitur siue à paupere detur siue à diuite. Centum scilicet aurei centum valent, à quocunque tandem offerantur. Immò quò res oblata maior est, & hic, qui offert, est pauperior, eò oblatio maiori habetur in pretio. Ad hæc, si semel offero sanguinem meum Deo, sanguis meus fusus est idoneus ad omnia peccata delenda, nec pretium imminuitur ab offerente. Martyres nanque vniuersi, inæquabilis licèt meriti, æquè tamen consequebantur omnium veniam peccatorum. Si igitur verè offert sacerdos sanguinem Christi, nullis eum finibus circunscribet, quin satis sit etiam semel oblatus ad omnia redimenda peccata. Sacrificium deniq; altaris à Christo summo sacerdote nunc etiam patri pro nobis offertur, ab illo igitur infinitum valorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet, quem videlicet eadem ex causa infinitum habuit in cruce. Neque enim illud negare possumus, cùm Christus sempiternum habeat sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Atque Lateranense concilium sub Innocentio tertio Vna, inquit, est fidelium vniuersalis ecclesia, in qua idem ipse est & sacerdos & sacrificium. Loquitur autem sine dubio de eo, quod offerimus in altari. In concilio rursum Tridentino definitum est, nostras omneis satisfactiones Christum offerre patri: multò ergo magis illam victimam offeret, quam, vt Deum placemus, nos in altari probemus ad sacrificium. Quam rem non Ambrosius modò insigniter præter latinos cæteros, sed Græci in canone suo manifestè testantur. Sanè quemadmodum sacerdos non nomine suo consecrat & conficit eucharistiæ sacramentum: ita non in nomine suo sed Christi offert eucharistiæ sacrificium. Quòd si Christi sanguis hostia nũc est ad culparum redemptionem, huius verò sanguinis pretium nullo fine concludi tur, præsertim si à Christo ipso offeratur: manet omnino, vnica oblatione omnes culparum pœnas resolui.

Cap. Firmiter. de sum. Tri. & fid. catho.

t. lib. off. c. 48.

Postremũ argumen.

Contendit postremò Caluinus, eucharistiæ sacramẽtum cum sacrificij voce pugnare. Eucharistia, inquit, donum est cum gratiarum actione percipiendum: sacrificium verò est pretium, quod Deus in satisfactionem accipit. Quantum ergo interest inter dare & accipere, tantum à sacramento sacrificium distat. Hac enim argumentatione fit, vt reliqua sacramenta sacrificia esse non queant. Eucharistia quoque post peccata gratis remissa, post reconciliationem adeptam, vitæ nobis promittit & gratiarum augmentum. At sacrificium cantilenam aliam canit, nempe, Deum quasi adhuc iratum tanquam pretio quodam exhibito placari, nec esse expiata scelera, quæ sacrificium expiare dicitur. Prætereo alia argumenta ridicula: indigna enim sunt, quibus nos seriò respondeamus. Sed & illa superiora, vt antè iam dixi, tametsi in faciem apparent probabilia, diligenter tamen inspecta vana esse deprehendentur. Id tantisper dum explico, & fidem meam de ecclesiæ sacrificio breuiter expono, quæso lector attende.

Siqua disputatio est, vbi id, de quo disputetur, necesse sit definire, hanc ego vel maximè esse crediderim, quæ nobis hodie instituitur. Cùm non modo Vuicleffistas & Lutheranos, sed quosdam etiam catholicos videamus, sacrificij vi & natura ignorata in summo errore & maximarum rerum ignoratione versari. Explicaturus igitur quidnam sacrificium sit, quidque sua definitione contineat: illud in primis accipio, sacrificium proprium esse religionis opus, id est, eius virtutis, quæ cultum Deo & cæremoniam affert. Est enim sacrificium quasi sacrum factum, vt Gregorius ait, Sacra verò, Deo facere haud dubiè ad Dei cultum & reuerentiam pertinet. Sacrificare igitur propria est religionis actio: quæ videlicet solius Dei honori dedicata est, quemadmodum Augustinus con. aduer. leg. & prophe. libro primo, capit. decimo octauo. Et de ciuita. Dei. libro decimo, capit. quarto. Acto. quoque decimoquarto, capit. Lucas scribit.

Vide Tho. Vual. lib. de sacramẽtal. c. 31. & 32.

1. q. 1. cap. multi.

Illud deinde sumo sacrificium speciem esse operis sacri & religiosi: atque adeò opus sacrum quasi genus esse sacrificij. Etenim qui vocem hanc ad sacras omnes cæremonias & religionis actus extendunt: qua ratione id faciant, ipsi viderint: certè cum perpetuo & ecclesiæ & scripturæ vsu pugnant. Septem enim sacramenta agnoscit ecclesia, septem sacrificia non agnoscit, Non itaq; quodcunq; opus sacrũ quicunq; ue religionis ritus est sacrificium. Vnde & concilium Florentinum non obscurè à sacris cæteris sacrificia distinguit. Atque in lege veteri alias fuisse leges de sacrificijs constat, alias de reliquis sacris ritibus. Quæ causa necessaria est, ne nos sacrificia cum sacris alijs confundamus. Adde, quòd in sacrificio hostiam esse oportet, quæ Deo immoletur: hostiam verò in omni religiosa cæremonia velle fingere, ridiculum est. Adde etiam, quòd sacrificium latinus interpres semper appellat, quam Græci θυσίαν. Græcis autem θυσία non est quodlibet vnum sacrum opus, sed specialis religionis cæremonia, in qua res Deo sacra vel per sanguinem vel per ignem vel alio quouis modo conficitur. Quanquam Theophilactus auctor est θυσίας propriè magis esse, quæ per ignem sacrificantur, quàm ea, quæ per sanguinem. Sed & Porphyrius ab exhalatione, inquit, ignis, quam Græci ἀναθυμίασιν dicunt, Thysia quoque, quam sacrificium latinè appellamus, apud Græcos antiquitus dicta est. Nunc verò non rectè capimus thysiam illum cultum appellantes, qui sanguine celebratur. Hactenus Porphyrius. Sed, vt prima vocis origo illa sit, non negant auctores hi vulgarem eius vocis vsurpationem vniuersa ea continere, quæ vel per ignem vel per sanguinem immolantur. Atque hæc latini interpretes sacrificia vocari perhibent. Sit itaque exploratum, sacrificium speciem quandam esse cultus sacri.

In lib. de abstinen. ab esu carn. Euse. de præp. euan. lib. 1. cap. 6.

Quòd si ex vsu rectè loquentium diuinæque scripturæ consuetudine propria huius nominis significatio accipienda sit, inueniemus sanè, sacrificium tunc solùm esse, quùm res aliqua sacra offertur Deo. Vbi nanque oblatio non est, ibi ne sacrificium quidem esse potest. Qui enim aut baptismi aut confirmationis aut ordinis aut matrimonij aut vnctionis extremę sacramentum conficit, is quanuis sine dubio rem sacram & diuinam faciat, sacrificium tamen facere non nisi absurdissimè diceretur. Quoniam ne ipsa quidem eucharistia, quandiu seruatur in pixide, sacrificij nomen habet. Tunc verò primùm hostia nuncupatur, quùm offertur. Oblatio igitur est de ratione sacrificij. Id quod Paulus sæpè docet, vt ad Hebræos quinto. Omnis, ait, pontifex constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis. Et capit. septimo. Pro suis delictis hostias offerre. Et capit. nono. Munera & hostiæ offeruntur. &c. Et capit. decimo. Eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter. &c. Nec hic laborare opus est, vbi nihil est ambigui. Illud addo, quod difficulter admittunt quidam, si vis & natura huius vocabuli perpendatur, non omnem oblationem sacram sacrificium esse, sed quiddam aliud præter oblationem sacrificij vocem vendicare: quemadmodum diuus Thomas argutissimè, vt omnia, dixit. Et Theophylactus, Doni, inquit, & victimæ exacta ratione quidem est discrimen. θυσίαι enim, hoc est, sacrificia sunt per sanguinem & carnem oblationes vel certè omnia, quæ per ignem sacrificantur. Dona autem sunt, vt fructus & quæcunque alia exanguia & igni carentia. Quod vtique discrimen Paulus in epistola ad Hebræos diligenter obseruat. Omnis, ait, pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia. Et iterum, Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Atque Chrysostomus explicans illud, Sacrificium & oblationem noluisti, oblationis & sacrificij hanc differentiam esse accuratè notauit. Non itaque omnis oblatio sacrificium est. Quam omnino rem illud vel maximè argumentum probat, quòd cùm animalia viui iuxta legis præscripti fiebat oblatio, nusquam hęc aut hostia aut sacrificium vocabatur. Nisi velis, tum à Iudæis filios immolari in sacrificium, cùm post purificationis cæremonias domino sistebãtur.

2. 2. q. 85. ar. 3. 3.

Ia. c. 8. epist. ad Hebræ.

Hebræ. 5.

Hebræ. 8.

Hom. 18. in epist. ad Hebræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod quoniam absurdum est: consentiamus, non omnes res Deo oblatas hostias esse aut sacrificia. Porrò autem si circa rem, quæ offerebatur, quippiam sacri sacerdos faciebat, vt si animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat, si conterebat frumentum, si oleo similam consperſam frigebat in sartagine, tum demũ verè sacrificium faciebat. Earum quippe rerum omnium sacrificia esse: Leuitici secundo & sexto. Numeri quinto. & secundo Paralip. 28. cap. legimus. Scitè ergo ac præclarè. D. Thomas admonuit, in eo sitam esse rationem sacrificij, si circa rem Deo oblatam quicquã fieret, quo res ipsa sacra quodammodo conficeretur. Nam si integram & illæsam sacerdos offerret, donũ dici & munus: non item sacrificiũ. Id quod in Græca voce ἔνσια explicatiùs animaduertitur, vt paulò antè dicebamus.

Quibus rebus expositis facilè intelligitur, Lutheranos in apologia Augustana perperam sacrificium definijsse, quòd sit cæremonia vel opus à nobis Deo redditum, vt eum honore afficiamus. Veluti munera, primitiæ, decimæ. Hanc verò finitionem cum exemplis suis, vt alia argumenta prætereamus, satis refellit Apostolus tum dona à sacrificijs distinguens, tum magis argumentans, quòd si Christus sæpè se in sacrificium offerret, sæpè etiam pateretur.

Sed vt occultæ atq; inuolutæ rei notitia aperiatur: his, quæ dicta sunt, illud primùm obijcitur, quòd Propheta sacrificium laudis sæpè commemorat, quod Paulus interpretatur fructum labiorum confitentium nomini Dei. Sacrificij igitur definitio non est tam angustè concluſa.

Illud deinde videtur esse contrarium, quod Apostolus ad Roma. scribit, Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. Non ergo in sacrificio hostiam esse oportet, quæ mactetur: sed satis est, si corpus nostrum viuum ad sacrificium præbeamus. Tertio loco id opponitur, quod in omnium ore est, sacrificium Deo spiritus contribulatus. Illa demum, Repletus sum his, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam. Et rursum, Beneficentiæ & cõmunionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Quibus videlicet argumentis moti quidam putauerunt, sacrificij nomen terminis esse latioribus circũscribendum: à nobis enim strictissimè coarctatum.

Ego verò tantum absum ab ista sententia, vt non modò non arbitrer, veram sacrificij finitionem, quæ est à nobis antepositа, his argumẽtis obscurari, sed fieri etiam illustriorem existimem. Duobus quippe modis verba in sacris literis vsurpantur, vno per proprietatem, altero per figuram. Atque id quidem, licèt facillimum, est tamen animaduersione dignissimum. Multos enim & ex alienis & ex nostris huius rei ignoratio fefellit. Dico igitur, nomen sacrificij dupliciter in scriptura sacra accipi, & propriè & translatè. Nos porrò, quùm res definimus, necessaria Philosophiæ ducti ratione non quid vox per metaphoram aut alium tropum translata significet, sed quid propriè contineat, exponimus. Sacrificij itaque natura propria planè nobis definita est, at in omnibus testimonijs, quæ contrà posuimus, nominis translatio quædam & abusus est. Id quod in singulis facilè intelligimus, si ea ad veram & propriam sacrificij naturam referamus.

In primo siquidem testimonio fructus labiorum laudantium Deum hostia dicitur, cùm lingua labiaque mortificata Dei laudibus consecrantur. Quemadmodum enim vitulus mactatus in hostiam nullas alias edebat voces quàm in Dei laudem & gloriam, sic lingua conuicijs, detractioni ac turpiloquio mortua, & soli Deo laudando sacra, quasi sacrificium quoddam offertur, iuxta illud,

Osee.14. illud, quod scriptum est, Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Quanquam in psalmis dici potest sacrificij hostiæque voces sine tropo vsurpatas. Erat enim in lege præscriptum inter cætera gratiarum actionis sacrificiũ, in quo veræ hostiæ mactabantur. Sed Paulus, vt solet, per allegoriã hostias illas carnales ad labiorum laudantium Deum spirituale sacrificium traduxit.

Hebr.13. In secundo verò testimonio expeditior & planior est metaphoræ ratio. Tunc enim offerimus corpus nostrum hostiã Deo, quùm mortificamus mẽbra nostra, quæ sunt super terram, carnemq; nostrã peccato quidem mortuam, viuentem autem iustitiæ domino offerimus. Quemadmodum Hieronymus illa, inquit, virginitas hostia Christi est, cuius nec mentẽ cogitatio neq; carnẽ libido maculauit. Atq; fortasis quùm Apostolus viuam hostiã dixit, quasi pugnantibus inter se vocibus de more lusit. Similia sunt illa, quæ in delicijs est vidua, viuẽs mortua est, mare dulce, terra cœlestis, spiritualis caro, spiritus carneus. Nõ itaq; ex eo quòd Apostolus viuam hostiã dixit, statim colligere oportet, animal non esse mactãdum, quùm in hostiam prębetur. Quin potiùs, si Pauli ingenium tenemus, contrario modo argumentabimur.

Lib. aduer. Ioui. 1. Iam in tertio quoq; testimonio aperta trãslatio est. Cor nanq; instar frumenti cõtritum, & diuini amoris igne quasi succensum similitudine quadam sacrificium vocatur. Adde ꝙ familiare auctoribus sacris est, imaginum vocabula rebus per imagines significatis attribuere: vt nomen Dauidis Christo Ezechielis. 34. Nomen etiam Petræ eidẽ. 1. ad Corinth. 10. Tale illud est, ego sum vitis vera. Quia igitur per sacrificia illa legis externa res quædã spirituales potiores præsignabantur, has omnino res sacrificia, holocausta, hostias sacræ literæ appellant. Vt mactationes brutorum animantium figuræ erãt mortificationis carnalium & irrationalium affectuum, qui regnant in corpore, ideoq; carnis mortificatio hostia dicitur: non propriè quidem, sed figurata dictione. Et hunc in modum cætera, quæ non sunt modò longo sermone explicanda. Tres ergo priores scrupulos planè excussimus: quartum verò illum faciliùs eximemus: si semel stabilitum fuerit his in locis Apostolum non propriè loqui, sed figuratè. Id quod liquidò demonstrari potest. Primùm, quia sacrificium ad religionem proximè pertinet: at eleemosyna & beneficentia ad misericordiam vel liberalitatem. Dein ex illo Oseæ testimonio, Misericordiam volo, & non sacrificium. Quo loco sacrificium non obscurè à misericordiæ operibus separatur. Certè si sacrificij vox dona pauperibus collata propriè contineret, nullo modo Propheta diceret, sacrificium & oblationem noluisti. Quid igitur sibi Apostolus vult, quùm ea munera hostias vocat, quæ pauperibus tribuuntur? Nempè, illa esse Deo acceptissima. Videlicet hostias credebat populus maximè placere Deo, spirareq; illi odorem iucundissimum. Gene. 8. Exo. 29. Leui. 1. & 3. Nume. 28. Vsq; eo autem persuasio hæc in animis vel fideliũ insederat, vt præ sacrificijs opera interdum pietatis charitatisque contemnerent. Huius rei apostoli minimè ignari & plebem rudem ad veram & germanam pietatem reuocare cupientes, misericordię ac charitatis officia hostias appellabant, non falsò id quidem, sed verbis paululùm quadam dicendi figura immutatis. Sic Paulus hostiam acceptam dixit in odorẽ suauitatis. Sic Iacobus, religionem mundam & immaculatã esse, viitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Quam rem planè & sine verborũ immutatione legis ille peritus significauit inquiẽs, Diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Quid ergo propriè sacrificium sit, qua etiam ratione per tropum transferatur, satis dictum est.

Adeundem modũ Aug. 10. de ciui. li. c. 6. loquitur, cũ affirmat, uerum sacrificium esse oẽ ópus, id agitur ut sancta societate inhæreamus deo. Nã. c. 5. dixerat sacrificium inuisibile esse inuisibilis sacrificij sacramẽtum, id est, sacrũ signum. Dna Tho. 2. 2. q. 85. 2. Osee. 6. Phil. 4. Iaco. 1. Mar. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec hæc tamen nimis multa videri debent: cùm huius vocis vi ac potestate ignorata, multorum disputationes vagari & errare cernamus. Erant aũt hæc copiosiùs explicanda, ne immodicæ breuitatis studio raperentur verborum pondera differentis celeritate. Sed de his hactenus. Sequitur, vt sacrificium in species suas quàm breuissimè partiamur.

Lutherani in apolo. August. duas proximas sacrificij species esse aiunt, nec esse plures. Vnum enim esse sacrificium propitiatorium, nempe ad placandum deum, & impetrandam veniam peccatorum: alterum εὐχαριστικὸν, ideſt, gratiarum actionis. Has duas species sacrificij magnoperè oportere asserunt in hac cõtrouersia nos in conspectũ positas habere: & singulari diligentia cauere, ne confundantur. Id quod ipse etiam atq; etiã moneo, sed illud quoque animaduerto, hac diuisione multas sacrificiorum species vitiosè fuisse prætermissas. Non enim solùm vel pro peccato vel etiam ad gratiam referendam sacrificium fieri solebat, sed & vice supplicationis, vt à deo vitæ commoditas ac prosperitas haberetur. Quod, si latinè liceret, possemus impetratorium vocare. Quale fuit sacrificium Iacob Gene. 28. qualesq; etiã mulier illa prætulit, quæ in prouerbijs dixit, Victimas pro salute deuoui. Sanè in Leuitico post sacrificium pro peccato hostiæ pacificæ in duas species distribuũtur: vt aliæ sint gratiarum actionis Deo exorato, aliæ voto vel sponte susceptæ Deo exorando. Ac præter hæc sacrificij genera aliud fortasse fuit in hoc paratũ, vt fœdus cum deo fuso sanguine sanciretur. Cuiusmodi Exo. 24. & 4. reg. 23. mentio fit. Vt omittam sacrificium pro consecratione pontificis, quod legislator à reliquis sacrificijs distinxit. Nam holocaustum, quod humanæ seruitutis tributum propriũ erat & ad testationem diuinæ maiestatis ac dominationis deo sacrum, dubium non est, ad duas illas sacrificij species minimè pertinere. Plura itaq; quàm duo hostiarum genera fuere in veteri testamento: at in nouo vtrum vnum saltem sit, quæritur. Cui quæstioni statim ego respondeo, si duo illa priùs explicuero, quæ in hac controuersia explicatu quidẽ facillima sunt, sed sunt tamen necessaria vel maximè. Illud primũ est, nomen sacrificij interdum pro re, quæ domino offertur: interdũ verò pro actione ipsa sacrificandi solere accipi. Pro re, vt ad Hebræ. 5. Omnis pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Pro actione, vt in illo apud Tullium loco, præbere hostias ad sacrificium. Quo modo Diuus Thomas hanc vocem vsurpauit: nec vsurpauit: absurdè, cùm artificium, lanificium & similia ad eundem modum à doctissimis vsurpentur. Alterum est, catholicos sicut eucharistiæ sacramentum, ita eucharistiæ sacrificiũ duobus modis asserere. Est enim sacramentũ tantùm, hoc est, species illæ vini & panis externæ, quæ corpus Christi ac sanguinem continent. Est item res & sacramentum, nẽpè, corpus Christi & sanguis, quæ res interiùs sub speciebus continentur. Similiter etiam in oblatione & missa nostra est sacrificium externum specierum panis & vini: quod Augustinus in Psal. 37. Sacrificiũ panis & vini nuncupauit. Est & rursus sacrificium interius corporis & sanguinis Christi, quod Deo patri sub speciebus illis potissimùm offerimus. Interius dico, non q̃ ipsum per species nõ suo quodã modo videatur, sed q̃ intra species inclusum occultum in se & inuisum sit.

2. 2. q. 85. a. ti. 3. c. & ad. 3.

His positis sit prima conclusio. In lege noua verè nunc est & propriè sacrificium Quæ omnino res primùm ex Malachia apertè conficitur. Non est, ait, mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. A solis enim ortu vsque ad occasum magnum est nomẽ meum in Gẽtibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Attendant hunc locum Lutherani de sacrificio spirituali omnibus fidelibus communi. Id quod nullo pacto defendi potest. Primùm, quia nostra opera omnia sunt tã quam pannus menstruatæ Esai. 64. non igitur possunt dici absolutè oblatio munda, Luthero præsertim, qui nostras iustitias peccata esse contendit. Deinde quia offerre opus nostrum tanquam mũdam oblationem & sacrificium isti dicunt esse pharisaicum. At Propheta non loquitur de pharisaico sacrificio.

Mala. 1.

Cap. 86.

Præterea, quia sacrificia spiritualia non sunt propria legis euangelicæ, sed communia in omni lege fuere. Propheta autẽ diserte loquitur de sacrificio quodam legis nouæ proprio ac singulari. Postremò, quia idem propheta cap. 3. loquens rursum de ipso eodem nouæ legis sacrificio Sedebit, ait, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nõ dicit filios Israel, sed Leui: & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia. Peculiare ergo sacerdotiũ erat instituendum & peculiares sanctificãdi ministri, ad peculiare sacrificium legis euangelicæ. Nam quod protestantes illud primi capitis referunt ad sacrificium spirituale commune omnium fidelium: hoc verò tertij capitis ad prædicationem euangelij, de qua Paul. ad Roma. 15. Sanctificoeuangelium. &c. sua hac varietate testantur se à veritatis vnitate discedere. Cunq; hæc sint per figuratam dictionem sacrificia, qui ad tropos cõfugiunt hoc loco, ij & omnem scripturarum vim labefactant, & sibi etiam repugnant. Fatẽtur enim & ipsi non esse in sacrarum literarum intelligentia ad tropos confugiendum, nisi ex proprietate vocabulorum magna absurditas sequeretur. Nec verò cum his Augustinus facit, qui libro contra literas Petiliani secundo, hunc Malachiæ locum de laudis sacrificio interpretatur, de quo scriptum est, Immola Deo sacrificium laudis. Sic enim & septuaginta verterunt, Ab ortu solis vsq; ad occasum glorificatum est nomẽ meum in nationibus. Id quod Apostolus explicat inquiẽs, Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, ideſt, fructũ labiorum confitentium nomini eius. Sed ne Hieronymus quidẽ ab his dicit, quùm Malachiæ testimonium his verbis exponit. Ergo propriè nunc ad sacerdotes Iudæorum sermo fit, qui offerũt cæcum & claudum & languidum ad immolãdum: vt sciant carnalibus victimis spirituales victimas succedituras, & nequaquam taurorum hircorumq; sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes domino offerendas, & non in vna orbis prouincia Iudæa, sed in omni loco offerri oblationẽ nequaquam immundam, vt à populo Israel, sed mundam vt in cæremonijs Christianorum. Non sunt, inquam, pro aduersarijs auctores hi, nec stant à mendacio cõtra verum. Regula siquidem scripturarum est, vt idem Hieronymus eodem ipso loco testatur, Vbi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Cùm ergo in vniuerso orbe atque adeò apud omnes gentes vna & eadem offeratur hostia, munda sacramentalis & externa quidem specierum panis & vini ab omni carnis & cruoris fœditate aliena, interior verò incruenta etiam, quanuis corporis sanguinisq; ipsa sit, quid attinet vaticinationem, quam in purissimo Christi sacrificio propriè impletam cernimus, allegoricis & spiritualibus interpretationibus inuertere? Nõ itaq; si Augustinus atq; Hieronymus in ecclesia gẽtium laudis sacrificium, sanctorum orationes & cæteras demum spirituales hostias agnoscunt, quæ allegoricè & figuratè hostiæ sunt: idcirco verum & proprium eucharistiæ sacrificium excludunt. Quinimò is ipse Augustinus ad Paulinũ scribens in missa & sacrificio, quod celebrat ac frequentat ecclesia, omne precum, orationũ laudumq; genus de quo Paulus 1. Timo. 2. loquitur, cõtineri existimauit. Sanè quidẽ eucharistiæ oblatio magna cum excellentia præstantiaq; oblationũ reliqua

Idẽ ferè in Zacha. 8. c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum sacrificium est gratiarum actionis & laudis, in quo nomen dei glorioſiſsimè & magnificentiſsimè ſummo ſplendore illuſtratur. Euchariſtia item verum illud thymiama ſuauiſsimi odoris eſt, quò omnes ſanctorũ preces & orationes referũtur, vnde iucundum & ipſæ odorem mutuãtur. Quę cauſa Irenęo fuit, vt ex Malachię prophetia vtranq; hoſtiam in Chriſti eccleſia futuram intelligeret: & eam quæ propriè hoſtia eſt gratiarũ actionis & laudis quã ob id ipſum euchariſtiam appellamus, & quę figuratè per allegoriam hoſtia nuncupatur. Verùm ne propheticis obſcurisq; teſtimonijs Lutherani ſe impugnari cauſentur, alterum ex euangelio clariſsimum proferamus.

Lib. 4. contra hæres. c. 32. & 34.

Luc. 22.

Extat ergo apud Lucam ſcriptum apertiſsimum teſtimonium ad huius rei approbationem. Accepto, inquit, pane gratias egit & fregit & dedit eis dicẽs. Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis datur: hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem, hoc eſt, accepit & gratias egit dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentũ in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Vbi illud primùm animaduerto, iure Cornelium epiſcopum Bitontinũ in concilio apud Tridentũ à patribus & Theologis vniuerſis exploſum, qui dixerit, Chriſtum in cœna non ſuum corpus & ſanguinem obtuliſſe. Ritu quippe Iudaico gratias deo agere calicem in manibus accipiendo & leuando, verè eſt hoſtiam gratiarum actionis offerre. Quùm itaq; dixit dominus, Hoc facite, planè iuſsit apoſtolis, vt quod ipſum facere cernebant, id quoq; illi facerent euchariſtiæ, hoc eſt, gratiarum actionis hoſtiã exhibendo. Quemadmodum Cyprianus ad Ceciliũ enucleauit in hæc verba, Scriptura dicit, vt quotieſcũq; calicem in cõmemorationem domini & paſsionis eius offerimus, id, quod conſtat dominum feciſſe, faciamus. Et paulò pòſt. A domino admoniti & inſtructi ſumus, vt calicem domini cũ vino mixtũ ſecundũ quod dominus obtulit, offeramus. Atq; Irenæus calicẽ, inquit, ſimiliter ſuũ ſanguinẽ confeſſus eſt: & noui teſtamenti nouã docuit oblationẽ. Quã eccleſia ab apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert deo ei, qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorũ munerũ in nouo teſtamento. Et capit. poſtea. 34. Offerimus, ait, ei cu chariſtiã non quaſi indigenti, ſed gratias agẽtes donationi eius &c. Vbi omiſsis auctoritatibus nõ dubitẽ, ipſa re & ratione exquirere veritatẽ. Quemadmodũ enim in rebus alijs contingit, vt eas ſanctè ac religioſè offeramus deo ab illo primùm acceptas: ita, ac multò etiã magis, cùm in euchariſtia corpus Chriſti ac ſanguinẽ cœleſtis benedictionis largitate acceperimus, impij profectò erimus & ingrati, niſi ſummã gratiã referamus, eadẽ dona, quæ à deo accepimus, ipſi reddẽdo: iuxta illud, quod ſcriptum eſt. Tua ſunt domine omnia, & quæ de manu tua ſuſcepimus, reddimus tibi. Et iterũ, Quid retribuã domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicẽ ſalutaris accipiã. In quẽ locũ paraphraſis Chaldaica ſic habet. Calicem redẽptionis accipiam mũdo venturo. Nam & hunc pſalmũ ad myſteria & fidẽ euangelij pertinere auctor eſt Paulus. Salutare autẽ Chriſtus eſt, vt Simeon in euangelio cecinit. Sed benè. Accipiã: quia niſi accepero, retribuere non valeo. Et cùm generaliter nihil ex nobis deo dare poſsimus, ſed quod ab illo accepimus, id tanquã iam noſtrũ iterũ illi reddere, cuius dono acceperam⁹: peculiariter tamẽ hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia cœleſtia erant: de cœlo ergo accipiẽda erant, & nomen domini inuocandũ, vt tali nomine conſecrata nobis fierent corpus & ſanguis domini noſtri Ieſu Chriſti. Quòd ſi nos piè, gratè atq; ſapiẽter ſanguinẽ deo propriũ fundimus, vt beneficiorũ non memoriã modò ſed obſeruantiã teneamus, cur ſanguinem Chriſti à deo nobis propriè tributu nõ illi refundamus, qui nobis cũ filio filij ſanguinem dedit? He-

De conſecra. d. 2. c. ſcriptura.

Ratio Irenæi.

1. Para. 29.

Pſal. 115.

2. ad Corinthi. 4. Luc. 2.

Propriè dico, quia ſin

gulis attributus eſt: quo ſenſuet ſol cũ omniũ cõmunis ſit, cuiuſque etiã eſt proprius,

dit? Heſiodus eadẽ mẽſura iubet reddere, quæ acceperis: aut etiã cumulatiore ſi poſſis. Nos, qui Chriſti ſanguinẽ & corpus accepimus, ſi menſura cumulatiore non poſſumus, nõ reddemus eâdẽ? Quid Chriſtus? An nõ per amicitiæ vim quaſi vnus nobiſcũ effectus dona nobis à patre collata pro ſuis exiſtimabat? Sanè quidẽ. Niſi ergo ſtultus fuit & ingratus accipiens panẽ & calicẽ nõ ſolùm noſtro nomine gratias egit, ſed patri pro ſuo ſummo beneficio meritã ac debitã gratiã cumulatiſsimè retulit, certè parẽ pari perſoluit, & cõmemorandã, dũ fideliũ genus erit, perſoluẽdã q; putauit. Hoc, ait, facite in meã cõmemorationẽ. Te appello Luthere atq; adeò vos appello omnes Lutherani. Nonne intelligitis, quã apertũ vobis ſit cũ Chriſti euangelio certamẽ? Vos porrò euchariſtiã percipientes non itẽ offerentes domini quidẽ cœnam agitis, ſacrificiũ verò crucis nõ agitis? Quod veſter quidã confitetur eũctus. In noſtra, ait, euchariſtia mors Chriſti tantũ verbis non etiam ſymbolis prædicatur. Non igitur Chriſtiana eſt euchariſtia veſtra. Chriſtus enim non iuſsit vt dicamus hæc in memoriã eius, ſed vt faciam⁹, Hæc facite, ait, in meã commemorationẽ. Non eſt itaq; in myſterijs hoſtia Chriſti dicenda ſolùm, ſed etiã faciẽda. Symbolis ergo & non verbis tantũmodò ſacrificij Chriſti memoria in altari repræſentanda erit. Alioqui ſi manducatio eſt, non oblatio: exẽplar et imago cœnæ erit, exẽplar & imago ſacrificij non erit. Quantò meliùs tota per orbẽ eccleſia intellexit, quę quùm ſacerdos confectis in nomine Chriſti myſterijs ait, Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriã facietis. Ipſius voce ſacerdotis illa reſpondet, vnde & memores domine nos tui ſerui ſed & plebs tua ſancta &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiã puram &c. Nullo ergo modo negari poteſt, quin eccleſia offerens corpus Chriſti & ſanguinẽ in euchariſtia & Chriſti exẽplo id faciat, & euiden-

Bucerus li. 2. de vera & falſa cœnæ admi. c. 9.

ti ratione ducta, & præcepto deniq; ipſius domini impulſa.

Sed his tamen obijcitur, q⁹ cũ Apoſtolus illud domini præceptũ retuliſſet hoc facite &c. eueſtigio ſubiecit, Quotieſcũq; enim mãducabitis panẽ hunc & calicẽ domini bibetis, mortẽ domini annũciabitis &c. Ipſa ergo mãducatio & potatio ſymbolũ eſt dominicæ paſsionis. Nõ itaq; neceſſariũ eſt offerre ſacrificiũ vt hoſtiã Chriſti etiã ſymbolis cõmemorem⁹. Huic argumẽto primũ ita reſpõdeo. Nõ ſi quiſpiã dicat, Quotieſcũq; cõcœnauerimus, cõfabulabimur: mox intelligim⁹ cõcœnationẽ & confabulationẽ eâdẽ eſſe. Sic ſi Apoſtolus dixit, Quotieſcunq; mãducabitis, &c. nõ neceſſe eſt interpretari cœnationẽ domini cę mortis annũtiationẽ eſſe. Voluit ergo domin⁹ vt quæ mẽſa eſt, ea ſit nobis & altare, hoc eſt, vt nõ modò cœnarem⁹ verũ etiã ſacrificaremus. Quare idẽ inſtituit vt eſſet ſimul & ſacramẽtũ & ſacrificiũ, quorũ alterũ dominicæ cœnæ, alterum dominicæ mortis eſſet ſymbolũ. Pauli ergo ſententia hæc eſt, Ne putetis vos ſatisfacturos legi ſi mãducetis & bibatis, qua in re cœnæ Chriſti commemorationẽ facietis: oportet enim vos mortẽ ẽt cõmemorare, id quod magis ſacrificãdo quã mãducãdo fit. Deinde non inficior equidẽ, quin mandũcãdo corpus ſanguinẽq; potãdo in diuiſione ſãguinis ex corpore id, quod in cruce geſtũ eſt apertè delignetur. Cũ frangitur hoſtia, Augu. ait, cũ ſanguis Chriſti in ora fideliũ funditur, quid aliud quã dominici corporis in cruce immolatio deſignatur? Sed re vera, vt diximus, in ſeparatione ſanguinis à corpore mors ſignificari poteſt, nõ autẽ propriè ſignificatur hoſtia, niſi corpus quod moritur offeratur. Quãquã cõſumptuo ſpecierũ oblatarũ ad perfectionẽ ſacrificij pertinet. Ita populus cũ ſacerdote hoſtiã olim conſumẽs, verè explebat ſacrificiũ, atq; adeò hoſtiæ crucis perfectum ſignum dabat.

Illud præterea animaduertendũ cẽſeo, quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quãuis Christus in cœna nullũ omnino sacrificiũ obtulisset, eò tamen q̃ dixit, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur &c. mox verò subiũgit, Hoc facite in meã cómemorationẽ: satis ostẽdisse, nos mysticè corp⁹ tradituros sanguinẽq; effusuros: quod re ipsa apertè & sine mysterio ipse erat postea fact⁹. Hoc scilicet, quod ego faciã vos facite: sed ego faciã sacrificio cruẽto, vos facite in meã cómemorationẽ incruẽto. At dñs, vt in Græcis omnib⁹ exemplaribus videre licet, semper est vsus verbo p̃sentis tẽporis. Nõ enim ait, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis dabitur, sed q̃d pro vobis datur. Nec si verbũ verbo reddas dixit, Hic est sãguis, q̃ pro vobis effundetur, sed q̃ pro vobis effunditur. Et apud Paul. Τὸ μνημα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Ideſt, Hoc meũ corp⁹, q̃d pro vobis frãgitur, quẽ admodũ & Ambrosius in hũc Pauli locũ, & Beda enarrãs euãgeliũ Lucæ legũt. Nec dubitãdũ catholicis est, quãrẽ posteri⁹ explanabim⁹, in altaris sacrificio sãguinẽ christi fundi nõ aliter ad effectũ quãsi nũc fũderetur in cruce: corp⁹ Christi itẽ frãgi ad efficiẽtiã perinde vt si nũc nobis in cruce frãgeretur. Præterquã q̃ in sacrificio externo mysticè et tanquãin exẽplari atq; imagine & sanguis Christi fũditur, & frãgitur corpus. Vnde Augustinus, quùm frãgitur hostia, inquit, q̃d aliud quã dominici corporis in cruce immolatio designatur? Ac ne sacramẽtũ quidẽ solũ, sed verũ etiã corpus Christi sacerdotũ manibus frãgi, Romanũ cõciliũ sub Nicholao definiuit. Videsne quemadmodũ nobis omnia cõsentiũt, qui & Christũ in cœna corpus suũ & sanguinẽ mysticè tradidisse & ad eandem nos formã instituisse nõ rebus solùm & rationibus, sed verbis quoq; ipsis efficimus? Nihil enim prohibet, quùm Lutheranos redarguimus, exẽplaribus Græcis præsertim consentientibus adhærescere.

Lucæ. 22.

1. Cor. 11.

De consec. d. 2. c. quũ frangitur.

De consec. d. 2. Ego Berengarius.

Sed q̃a sacramẽtarij cauſantur se his ferè argumẽtis nõ premi, vt quæ maiori ex parte sumãt, corpus Christi verũ & sanguinẽ in eucharistia esse: id q̃d isti pernegãt, agè rationibus cõquisitis hos quoq; vrgeam⁹. Tametsi quędã ex his quas ante posuim⁹, Sacramẽtarios etiã prestiùs astringũt, quã vt fugere aliquãdo possint. Atq;, vt omittã q̃ rẽ perspicuã atq; è sacris literis manifestè exploratã & cõprehẽsam inficiãtur, nolo enim hodie hac de re cũ Sacramẽtarijs certare: de sacrificio dico, etiã si in speciebus panis & vini nec corpus Christi nec sanguis esset vt verè sunt, adhuc tamẽ sacrificium in altari Christianorũ existere multis & grauibus argumẽtis posse doceri. Est hoc primũ & ex definitione sacrificij & ex ꝑpetua cõsuetudine ecclesiæ grauissimũ & firmissimũ argumẽtũ, quòd sacerdotes nostri panẽ & vinũ offerũt deo, faciũtq; sacri aliquid circa res oblatas panẽ scilicet frangẽtes huiusq; portionẽ tingẽtes vino: adde, si placet, rẽ vtrãq; etiã consumẽtes: verè ergo & propriè sacrificãt. Si enim oblatio similæ ac farinæ conspersæ oleo in figurã mortis Christi futuræ sacrificiũ erat, nihil est ambiguũ, quin panẽ oblatũ frãgere ac vino tingere in figurã mortis præteritæ sacrificiũ sit. Quid aũt in hoc opere Lutherani reprehẽdent? An q̃ panis & vini munera à deo accepta referimus? Arguãt Abel ac cæteros in lege naturæ patres, arguãt Moysen cũ scripta lege sua, arguãt oblationes, quas in ecclesia primitiua piè offerri solere, libẽter illi concedunt. Quin naturã ipsam potiùs arguant, quæ nos ad gratiã referendã informauit: quam deo tamẽ referre aliter nõ valem⁹, nisi dona, quę accepimus, ipsi rẽddẽdo. Sed panẽ frãgi ac tingi reprehẽdẽt. At hisce cęremonijs crucis immolationẽ designamus. Mirũ est autẽ, si hoc nobis vitio vertãt, q̃ Christi passionẽ nõ verbis modò, sed rebus etiã cõmemoremus: præsertim cũ dominus dixerit, Hoc facite in meã cómemorationẽ. Sanè si illud peccatũ est, q̃ baptizãt, ij quoq; peccãt: quoniã symbolis mortẽ Christi figurãt. Si ergo huius verbi definitio rectè nobis declarata & circũscripta est, sine dubio sa-

De consecr. d. 2. ca. quùm frangitur.

bio sacerdos in altari verè sacrificat: quanuis nihil aliud spectes quã speciem ipsas vini & panis externas. Atq; etiã, si sacrificij partes ipsas expẽdas, hoc est, offerri, frãgi, tingi, adde etiã consumi: cũ in his rebus mysticè peragendis nihil insit vitij, quẽadmodum ostensum est, fit vt nõ solũ verè ac propriè, sed piè etiã atq; religiosè sacerdotes nostri sacrificẽt. Eam, quippe rẽ Augustinus consideras speciẽ panis hostiã appellat, quod vtiq; nomẽ vsq; adeò in omniũ fideliũ & auribus & linguis inhæsit, vt vanus & stultus sit, qui illud indẽ euellere tẽtarit. Sacramentarij igitur quanuis negarent esse in ecclesia corporis & sanguinis Christi sacrificiũ: at sacrificiũ panis & vini nullo modo erant negaturi, ne propriã sacrificij notionem ignorare viderentur.

De con. d. 2. Cum frãgitur hostia.

Sacrificiũ panis et vini August. vocat in psal. 27.

Præterea, Melchisedech sacerdos erat dei altissimi, sacrificiũ ergo offerebat deo: omnis enim sacerdos constituitur, vt sacrificium offerat: at non legitur aliud quã panẽ & vinũ obtulisse. Cũ igitur nos ad eundẽ modũ & ordinẽ panis & vini species offeramus, propriè vereq; sacrificiũ exhibemus. Quæ causa ecclesiæ fuit, vt illud diui Thomæ in die festo atq; solenni eucharistiæ celebraret, Sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech panẽ & vinũ obtulit. Verũ argumẽtũ hoc Lutherani duobus modis eludunt. Primũ negãt, Melchisedech deo panẽ & vinũ obtulisse, scilicet, Abrahamo obtulit, nõ deo, vt Gene. 14. c. legitur. Id quod Epiphanius lib. 2. contra hæreses hęresi. 55. agnouit. Deinde negant, sacrificiũ Christi in eo fuisse secundũ ordinẽ Melchisedech, q̃ panẽ & vinũ obtulerit: sed in eo fuisse affirmãt, q̃ Christus nõ secũdũ legẽ mãdati carnalis oleo isto corporeo sacerdos effectus est, sed, quẽadmodũ Melchisedech, oleo spiritus vnctus sit à deo præ participibus suis. Sic enim Apostolus ad Hæbreos interpretatur. Sed scrupulus prior sic eximitur. Nõ inficior equidem, Melchisedech panẽ & vinum Abrahamo ad reficiendum exercitum contulisse, sed cũ scriptura statim adiecerit, Erat enim sacerdos dei altissimi, nisi causa inepta est, intelligere oportet, eãdem res obtulisse solitum deo, quas tunc proferebat Abrahamo, sed huic in cibum, illi in sacrificium. Quemadmodum Cyprianus ad Cecilium, Ambro. lib. 5. de sacramentis. cã. 1. Hieronym⁹ in. 26. Matthęi caput, Augustinus in psal. 33. concio. 1. Cassiodorus in psal. 109. Damascenus lib. 4. ca. 14. Chrysosto. ho. de prodit. Iudæ. auctores sunt. Scrupulum verò posteriorem hoc modo eximemus. Non si in vna re sacerdotiũ Christi simile est Melchisedechis sacerdotio, omnis alia similitudo excluditur. Quin si figura perfecta est, aptè quadrare ad multa potest. Nihil igitur obstat, cur nõ in sacerdotij & constitutione & oblatione Melchisedechi Christus appareat simillimus. Lex insuper et religio nulla est sine sacerdotij munere atq; functione. Hæc enim tria ita sunt semperq; fuere coniuncta, vt si vnũ tollas, reliqua necesse sit esse sublata. Translato, inquit, sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat. Si ergo Christiani legem ac religionẽ habemus, habemus profectò & sacerdotium. At sacerdos omnis in hoc paratur, vt sacrificium offerat: Christiani ergo etiamnum sacrificium tenemus, sine quo nec sacerdotium nec religionẽ nec legem tueri possumus. At nos omnes esse sacerdotes affirmant, hostiasq; spirituales offerre. Sed cùm hæ non propriè sint hostiæ, sed translatè, sacerdotium quoq; non proprium sed translatũ & impropriũ erit: translato verò sacerdotio, religionis item translatio fiet. Ita nimirum qui nobis sacrificiũ eripiunt, simul hi & veram Christi religionem conantur eripere, & falsam eius inducere, qui iuge ab ecclesia auferet sacrificium. Nam & Danielis testimonio cõstringi fortiùs poterunt, quàm vt elabantur. Rogandi sunt videlicet aduersarij, quodnam sit illud iuge sacrificium quod Antichristus ab ecclesia ablaturus est per dies. 1290. Et cũ in ecclesia nõ sit aliud

De consecra. d. 2. in calicem. & ca. accipite.

Ad Hebræ. 7.

Ad Hebræ. 5. & 8.

Danic. 12.

Ad Hebr. 7 Euse. 1. lib. eccle. histo. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit aliud sacrificiũ iuge præter id, quod in altari offerimus, iure arguimus, Lutheranos ministros esse Antichristi. Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? Etiã ne in tã perspicuis rebus argumẽtatio quærenda, aut cõiectura capienda est? An dubitari potest, vbi nullũ peculiare sacrificium, priuatim res sacra nulla, sacerdos propriè nullus, est ibi ne religionẽ quidem esse posse? Tradit Plato, sacerdotes magna claritate oportere abundare propter eorũ, quæ tractant, magnitudinẽ. Quapropter apud Aegyptios non licere regem absq; sacerdotio imperare. In plurimis quoq; Græcorum ciuitatibus præcipua sacra à magistratibus summis institui, atq; apud Athenienses creato regi sacra maxima esse atributa. Tradit rursum oportere, vt vnus semper ex magistratibus deorum alicui pro ciuitate sacrificet. Aristoteles deinde auctor est, in heroicis temporibus reges diuinæ rei cultum exercere solitos, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent. Docet alio loco idẽ, in optima Republica sacerdotes honoratissimos cõstituendos. Neq; enim, ait, agricola, neq; artifex, neq; viliũ exercitiorũ quisq; sacerdos est deputãdus: honos nãq; dijs est à ciuibus impẽdẽdus. Cicero & Valerius scribũt, tãtũ stu diũ antiquis obseruãdæ religionis fuisse, vt senatus tũc, quũ florebat imperiũ, decreuerit, vt de principũ filijs pauci quidã electi Hetrurię populis ad disciplinã sacrorũ percipiendã traderentur: ne ars tãta propter tenuitatẽ hominũ & religionis auctoritatẽ adduceretur ad mercedem & quæstũ. Tãtus honos apud veteres natura duce religioni est habitus, vt nulli nisi principes & optimates cęremoniarum erga deum haberent facultatem. Et volunt Lutherani adeò Christum desipuisse, vt Rempub. instituerit, in qua sacrificia omnia vulgaria passim & cõtrita essent: sacerdotes deliri etiã senes, garrulę anus, adolescentes leues, sartores, lanij & coqui, quos, honos præfandus sit, si vel curlim velis recensere. Scilicet, sacerdotiũ nostrum Lutherani Turcarũ more informare cupiunt, apud quos à cõmuni populo non multũ sacerdotes differunt. Quãtò religiosiùs antiqui olim Germani statuerunt, vt verberandi animaduertendiq; in hominẽ nisi sacerdotũ auctoritate nullis esset concessa facultas, quò iudicia nõ humana sed diuina viderẽtur. Sed quid ego cõmunes naturæ rationes profero? Ad nostras: hoc est, Theologicas redeamus. Apostolus fideles cupiens ab idolorũ cultu deterrere eo maximè argumento vsus est, quòd si idolis immolarẽt, participes essent altaris & mẽsæ impiæ atq; irreligiosæ: nã sine discrimine eandem vocat & mensam & altare. Qui autẽ ad altare Christi accedunt, participes sunt huius etiã altaris: fieri autẽ nõ posse, vt vtriusq; simul participes simus, nisi deo & idolis pariter seruiamꝰ. Altare igitur habet ecclesia, habet igitur sacrificium. Etenim sicut mẽsa dicitur, in qua editur cibus, sic altare, in quo offertur sacrificiũ. Negẽtergo altaria fidelibus Lutherani, solũ cõcedant mẽsas: quia cibum nobis esse aiũt, sacrificium non itẽ. Nec altaris modò sed & missæ nomenclaturã adimant, quæ casum quiddã & inanis vocis sono decoratum erit, si nobis in altari oblatio nõ est. Missę porrò vocẽ ex Hebręa linguamutuò acceptã cũ doctissimi è nr̃is tũ plerìq; è Lutheri familia testãtur.* Est aũt Hebręis Micça oblatio.

Sanè verò tũ altaria tũ oblationẽ corporis & sanguinis Christi quã missam & sacrificiũ appellamus, ex apostolorũ traditione nos habere, exploratissimũ erit, si regulas eas huc referamus, quæ inuestigandis apostolorũ traditionibꝰ libro huius operis tertio sunt à nobis cõstitutæ. Certè *Irenęꝰ verbis nihil obscuris affirmat ex traditione apostolorũ esse, quòd corpus & sanguinem domini offeramus. Andreas quoq; apostolus referente Philacteto ex literis sacerdotum Achaiæ Egææ proconsulis immaculatũ, ait, agnũ quotidie in altari sacrificeo. * Iacobũ et missæ celebrationẽ addidisse testes sunt patres Trullanę synodi cano. 32. Concilium insuper Carthag. 3. ait dominum tradidisse, vt in sacramento corporis & sanguinis eius nihil amplius quàm panis & vinũ offerantur. Sed, vt dixi, nihil est opus oratione lõgiore, vbi prõptum est formulas illas quærẽdæ traditionis ad præsentẽ disputationẽ accõmodare.

Iam ecclesiæ authoritas pro hac cõclusione notior & crebrior est, quàm vt indicanda sit. Nihil enim frequentius tũ in canone tum aliàs sæpè intonat, quàm hostiã deo se corporis & sanguinis Christi purã & immaculatam offerre.

Concilia verò ab hac sentẽtia sunt plurima. Toletanum primum cap. 5. Toletanum vndecimum capit. 14. Tolatanum. 12. capit. 5. Bracharense tertium cap. 1. Antisidiorense capit. 8. Carthaginense tertium. Ephesinum. Nicænum capit. 14. Lateranense sub Innocentio. 3. Adde etiam Trullanum, quòd nomine sextę synodi à Gratiano refertur. Adde etiam Florẽtinũ in decreto vnionis Armenorũ. Sed & in cõcilio Cõstantiensi ille error condẽnatus est, Non esse fundatum in euangelio, quòd Christus missam ordinauerit.

Quid sedis apostolicæ antistites? Nẽpe, eandẽ apostolorũ & ecclesiæ fidẽ profitentur. Anacletus de cõsc. dist. 2. c. episcopus. Clemens de consecr. d. 2. c. hic ergo. Alex. 1. de consecr. d. 2. c. nihil. Eusebius de consecr. d. 1. ca. consulto. Iulius de consecr. d. 2. c. cũ omne crimẽ. Fœlix de cõsecra. d. 1. c. sicut non alij. Sother in epistola ad episcopos Italiæ. Syricius ad Cumerium Tarraconẽ. epm. cap. 1. Inno. 1. ad Exuperiũ Tolos. epm. cap. 1. Leo ad Dioscorum epistola. 79. de consecr. d. 1. ca. necesse est. Hi omnes antiqui ecclesiæ pontifices, nã posteriores quid attinet commemorare?

Auctores verò veteres, quos ecclesia & cõsecrauit & publicè dedicauit, si referre velim, negotiũ lectori facessetur. Itaq; non omnes referam, sed nobilissimos. Docẽt in primis hoc ex Grecis Dionysius. c. 3. lib. de eccl. Hiera. Ignatius in epistola ad Smirnẽ. Athanasius in lib. quæstionũ ad Antiochum. quæst. 34. Gregorius Nazanzenus in carminibus ad episcopos. Eusebius Emissenus de consecr. dist. 2. quia corpus. Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Hebræos, qui falsò nomine Ambrosij citatur à Gratiano de cõsecr. d. 2. ca. in Christo. Chrysostomus quoq; idẽ lib. 6. de sacerdo. paulò post principiũ. Cui Theophilactus cõsentit in ca. 10. epist. ad Hebræ. Et Damascenus lib. 4. ca. 14. E latinis verò habes Irenęum lib. 4. ca. 32. & 33. & 34. & 63. Cyprianum lib. 2. epistol. 3. quæ scribitur ad Cæcilium de consecr. d. 2. c. 1. & 2. Atq; idem repetit in sermone de cœna domini. Ambr. li. 1. officiorũ cap. 48. Hieronymũ ad Hedibiam quæst. 2. & ad Tit. 1. Paschasiũ in lib. de pascha. de consecra. d. 2. c. iteratur. Augustinus lib. 10. de ciui. cap. 20. & lib. 17. cap. 20. & lib. 20. contra Faustum. cap. 18. Quem locum & Caluinus & Bucerus impudenter pro se referunt. Grego. 4. lib. dialogorũ. ca. 58. & in quadã homilia paschali de cõsecr. dist. 2. cap. quid sit. Fulgẽtium deniq; lib. 2. ad Monimum.

At omnibus his testimonijs Caluinus respondet, eucharistiam ideò à patribus sacrificium vocari, quia est exemplar & imago sacrificij. Nec enim aut nouum aut insolitũ est, rerum vocabula rerum imaginibus attribuere. Ad Gala. 3. Ante quorũ oculos Iesus Christꝰ proscriptus est, & in vobis crucifixus, ad Roma. 6. Consepulti in baptismũ, Apocal. 10. Agnus, qui occisus est ab origine mundi. Sic autẽ Chrysostomum, Theophilactum & Augustinũ fidem suam de sacrificio explicuisse. Hæc Caluinus. Nam Bucerus dicit quidẽ alios patrum in hac sacrificij appellatione id spectasse maximè: sed alij tamẽ in vsu, inquit, huius vocis præcipuè spectarunt oblationes, quas suarum rerum fideles offerebãt & domino consecrabant. Id quod Luther us etiam animaduerterat in libro illo pestilentissimo de captiuitate Babylonica.

Lib. 16. qui est de regno

Dial. 8. de legibus. Lib. politi. 3 cap. 10.

Lib. poli. 7 cap. 9.

Li. de diui. Cic. libr. 1. Valerius.

Deutero. 16. ubi nos habemus spõtaneã oblationẽ vt ibi habẽt Micçam. Quoctiã significatu cõci. Cartha. 4. cap. 84. hoc nomẽ usurpauit, in hac uerba, Episcopus nullum probibeat ingredi ecclesiã & audire uerbũ dei siue gentilẽ siue hæreticũ siue iudæũ vt ei ad missã catechumenorũ. decẽ. d. 2 episcopus. li. 4. c. 32. 33. & 61.

De cõsec. d. 2. Sacrificio de cõsecra. d. 2. necessarie. 93 deprehendit. de sum. trinit. firmiter. de consec. d. 2. didicimus cõciliũ Martini Papæ de consecra. d. 2. Non oportet. Epist. 3. quæ est de officio sacerdotis.

Cap. 24.

1. Corin. 10.

Institutio. c. 18. libr. 2. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed scitum illud est, qui verecundiæ fines semel transierit, eum benè & nauiter oportere esse impudentem. Primùm enim isti colligunt, si sancti auctores asserunt, eucharistiã esse exemplar sacrificij in cruce facti, statim haberi, nó esse verum sacrificiũ. Quòd si ad eum modũ colligere licet, ne vetera quidem sacrificia propriè & verè sacrificia fuissent: quoniam omnia figura & imago erant vnicæ illius hostiæ, quã Christus moriens immolauit. Vtrumque igitur signum vnius & eiusdem hostiæ censendum est: nostrum quidem præteritæ, illud autem legis veteris futuræ: sed vtrumque tamẽ verè sacrificium. Nisi quis adeò insaniat, vt putet, magis pertinere ad rationem sacrificij, quòd significet rem faciendam, quàm quòd commemoret rem factam. Ego sanè ita iudico, eucharistiam nostram exemplar sacrificij Christi esse non posse, nisi esset quoq; ipsa sacrificiũ. Quæ res paulò antè est à me diligẽter explicata. Quemadmodum enim cœna nostra cõmemoratio nó esset dominicę cœnæ imagoq; illius & exemplar nisi verè manducaremus: sic nec eucharistia nostra hostiæ Christi exemplar & imago esset, nisi verè sacrificaremus. Deinde illud ab his quæro, an sancti dicãt, offerre nos in hoc mysterio corpus Christi & sanguinem. Bucerus negat, sed rem tamen apertam negat. Nam, vt cæteros omittam, manifestè id tradũt Cyprianus ad Cæcilium. Ambro. lib. officiorum. 1. August. 17. de ciui. dei. Et contra Faustum lib. 20. Damascenus lib. 4. Irenęus itẽ lib. 4. Ac demum Alexander papa ad omnes orthodoxos: nolo enim esse longus in reliquis excitandis. Quòd si sanguinẽ Christi in hoc mysterio offerimus, verè illud est quidem sacrificium: & exemplar est tamen, quoniam hostiæ cruentæ imago incruenta est: sed ita incruenta, vt pro eo sit ac si nũc cruor ipse effunderetur.

Atq; argumẽta hæc vsq; adeò plerosq; Lutheranos cogũt, vt in sacrificio asserendo ex parte iã cũ ecclesia consentiant. Nõ enim penitũ sacrificiũ negãt: sed in eo perstant, qui hostiam pro peccatis admittũt, eos iniuriam imponere Christi perfectissimo sacrificio, quo vno cuncta sunt remissa peccata. Itaq; gratiarum actionis sacrificium in ecclesia esse quidem, quod eucharisticum isti vocant, sed pro peccato nullum esse, quod propitiatorium appellant. At nobis secunda in hac controuersia conclusio certissima & ipsa est, Eucharistiam non modò iuxta nomẽ suum sacrificium esse, quo deo gratiam referamus: sed id etiam esse, quod nobis deum plácatum propitiumq; reddat. Eandem itaq; hostiam pro gratiarũ actione & pro peccato esse. Hæc primùm ostenditur ex illo loco apud Lucã, hoc est corpus meũ qđ pro vobis datur. Et de calice similiter, Qui pro vobis effunditur. Est ergo sacrificium pro peccatis. Id quod forma consecrationis prę se fert: quę habet, effundi sanguinem in remissionem peccatorum. Nã quod Lutherani quidam aiunt, verba, quibus hoc mysterium sacerdos conficit, materialiter accipi, non significatiuè, non est huius loci temporisq; refellere. Illud sanè exploratum est, si verba formæ materialiter acciperẽtur, nec sacerdotem in Christi nomine corpus sanguinémue conficere: immò ne conficere quidem vllo modo. Quin etiam, si sacerdos verba illa significatiuè nó profert, ex vi verborum neq; corpus Christi in sacramento habemus neq; sanguinem. Ex quo Sacramentariorum stultitia existit.

Luc. 22.

Ambro. de consecr. d. 2. c. si quo tiesçunque.

Deinde, omnis sacerdos, vt ad Hebræos tradit Apostolus, constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: aut ergo nullus nobis sacerdos est, aut sacrificiũ propitiatorium habemus. Nec verò Paulus de solo legali sacerdote loquebatur, nisi inepte argumẽtatus fuisset, Christũ ꝓ peccatis quoq; obtulisse, quoniã sacerdos erat.

Hebræ. 8.

Præterea, pœnã aliquam manere remissa iam culpa, non solũ ecclesia definiente sed scriptura etiam tradente credimus. Cùm ergo corpus Christi & sanguinem dei do no tanquam res nostras habeamus, vtiq; poterimus offerre deo ad redemptionẽ animarum nostrarum, quẽadmodũ & pœnas proprias & sanguinem quoque nostrum offerimus.

Hanc verò esse apostolicam traditionẽ & Epiphani⁹ lib. 3. cõtra hæreses. & Chrys. ad populum Antioch. apertè docent, & facilè per regulas suprà à me positas ostendi potest, quas permolestum erit post tã longam disputationẽ ad huius nos loci vsum in præsentia conuertere. Quanquam vna ecclesia satis est ad huius rei certam fidem in animis inserendam. Illa quidem cùm alias frequentissimè tũ in canone maximè profitetur, plebem sanctam fidelium hãc hostiam deo pro redẽptione animarum suarum offerre.

Romanos verò pontifices superuacaneum erit recensere. Itaq; duos solùm antiquissimos & sanctissimos referemus, Alexandrum in epistola ad omnes orthodoxos inquientem, crimina atq; peccata his sacrificijs deleri. Cui assentitur Iulius de consecr. dist. 2. cap. cùm omne crimen. Quibus diuum etiam Gregorium addo de consecr. dist. 2. cap. quid sit.

Nam in concilijs habemus Cambilonense de consecr. dist. 1. cap. visum est. Florentinũ quoq; habemus ac Tridẽtinũ: addo etiam, si videtur, & Trullanum.

Iam sancti veteres eam rem constantissimè tradunt. Chrysostomus homil. 17. ad Hebræos, & Theophilactus in cap. 8. eiusdem epistolæ palàm dicunt, in mysterijs & sacrificio esse remissionem peccatorũ. Eusebius Emissenus hanc redẽptionis oblationem vocat. Damascenus affirmat esse omnis sordis expiationem. Idẽ astruxit & Athanasius lib. quæst. ad Antiochum. Epiphanius itẽ inducit hæresim Aerij in hec verba, Orat viuus aut dispensationem facit, id est, missam: quid ꝓfuerit mortuo? Cui respondet Epiphanius, quòd omnino prosunt preces eiusmodi defunctis etiã si totã culpam non abscindunt. Quem locũ incredibile dictu est, quàm prauè Bucerus torquere nititur. Sed benè habet, quòd habemus alios, quos hæretici, rumpãtur licèt, torquere non possunt. Chrysostomus homil. 69. ad populum Antiochenum, Non temerè, inquit, ab apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim inde multùm eis posse cõtingere lucrum. Cùm enim totus constiterit populus, sacerdotalis plenitudo & tremendum proponatur sacrificium, quomodo non exorabimus pro his deprecantes? Vide etiam eundem lib. 6. de digni. sacer. Gregorius li. 4. dialog. cap. 55. Si culpæ, ait, post mortem insolubiles non sunt, sicut non esse docuerat, multum solet animas etiam post mortem sacra obiatio hostię salutaris adiuuare. Theophilactus in ca. Lucæ. 12. in illud. Eum timete &c. Non semper, ait, qui moriuntur peccatores mittuntur in gehennã. Sed sunt in potestate dei vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parùm conducunt etiam ijs, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Vide etiam Ambrosium epistola. 8. lib. 2. ad Fausti. Et Cyprianũ lib. 1. epistola. 9. nam in sermone de cœna domini apertè dicit, hoc sacrificium esse iniquitatum expiationẽ. Vide etiam Paschasium de consecratio. dist. 2. c. iteratur. & Aug. de cu. pro mor. ge. c. 1. & lib. con. 9. c. 11. & 28. & de hęre. c. 53. & in ench. c. 110. Possemus his Theologorũ sequentiũ manum adiungere in hæreticorũ cæde iam sæpè victricem. Sed victoribus occurrent acto iam de inimicis ecclesiæ triumpho? Itaq; ad prælium serò venient quidẽ, sed ad palmam opportunè. Quãquam hoc loco necesse fuit eos aduocare: non vt nostra confirmarent argumentis ac rationibus, sed vt scholæ more presè atq; argutè contraria refutaret. In refutãdis quippe hæreticorũ argumẽtis tantùm scholæ Theologia

Universidad de Deusto
Biblioteca

logia valet, vt facilè possit ea, quæ istis videntur esse grauia, ostendere vel leuissima.

Primũ sanè argumẽtũ, quod Caluinus tãtoperè iactat, facillimè diluitur. Quis est enim, cui nõ perspicua sint illa, quæ verbis iste multis exornat & amplificat? Vnicũ sacerdotẽ nostrũ præstitisse id, quod omnes illi veteres minimè præstiterũt, nẽpe remissionẽ peccatorũ in sanguine proprio. Rursum immortalẽ esse & perpetuũ, qui semper corã deo ꝓ nobis assistat: nec suorũ modò vulnerũ cicatrices, sed etiã sanguinẽ, quem effudit in cruce, omneis ecclesiæ & oblationes & orationes, se demũ ecclesiamq; suã patri in sublimi altari repræsentet. Itẽ vna sola oblatione cõfecisse, qđ ne plurimis quidẽ veteres illi sacrificiis valuerũt. Hæc videlicet contrita sunt & vel minutis Theologis peruulgata. Illud nos addimus, quod Caluinus ignorat, discrimen esse inter sacerdotes veteres & nostros, ꝙ in illis nemo fuit, cuius cæteri vicarij essent, neq; enim posteriores prioris alicuius gerebant vices, sed quisq; suã afferebat hostiã, & suo nõ alterius sacerdotis nomine offerebat. Ita ex hac parte plures omnino erãt sacerdotes. Nõ enim in vno veluti capite cõueniebãt, cuiꝰ loco administrarẽt. At nostri cum in nomine Christi & in persona eius accedãt ad altare, quodãmodo omniũ vnũ est sacerdotiũ, sicut episcopi ac vicarij vnũ iudiciũ est. Aliũde etiã veteres illi plures erant sacerdotes, quia plures hostias easdemq; differentes exhibebant, at sacerdos à sacro faciendo dictus, vbi eandem hostiam offert, idemq; omnino sacrũ conficit, aliquo modo idẽ est, licèt plures esse videantur. Ac reuera sacerdos, qui deũ sanguine placaret & recõciliaret mundo, vnus est Christus. Nos quippe hoc sensu nõ dicimur sacerdotes: sed quia dispensatores sumus mysteriorũ eius applicãtes populo sanguinem, quem ille effudit in cruce, & simul cum illo offerentes. Inde enim nostra oblatio vim habet non ex nobis. Non igitur nos plures sacerdotes sumus ad eum modum, quo veteres plures fuisse tradit Apostolus. Quòd verò Caluinus ait, nostros sacerdotes esse infirmos ac peccatores, vt olim in lege, magno discrimine agnoscimus. Et enim illi cùm adferrent hostias, quæ ex se placere deo nõ poterant, Nec placita sunt inquit, quæ tibi secundũ legem offerũtur, cùm sanguinem, inquam, hircorum & taurorum afferrent, si peccatores erant, per sacrificia sua nihil consequebantur: Respexit quippe deus ad Abel & ad munera eius, neq; offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt, vt rectè Gregorius admonuit. Legis ergo infirmitas erat: quòd nec hostiam habebat, quæ ex se deo esset accepta, nec sacerdotes impollutos, qui deo gratiosi gratam quoq; hostiam efficerent. Sacerdotes verò nostri, tametsi infirmi sunt, nihil tamen ecclesiæ sacrificio incõmodant, vt pote quòd vim suam non ab illis habet, sed à Christo summo sacerdote, in quo patri benè complacuit, qui simul est & sacerdos & sacrificium, quemadmodum Innocentius tertius in concilio dixit. Hostiæ igitur euangelicæ excellens præstantia est, quòd & ipsa per se deo est quàm gratissima, & vnũ habet perpetuò sacerdotem sanctum atq; impollutum, cuius oblatio vim tribuit sacrificio, omnibusq; fidelibus memoria seculorum omnium prodest. Quocirca sicut in Christi sacramento impius administer nihil ecclesiæ nocet: ita ne in Christi quidem sacrificio sacerdos improbus diuinæ vtilitatis fructu ecclesiam priuat: quanuis ipse sibi non emolumentum cõparet, sed exitium. Verùm de primo argumento hactenus.

Ad Hebr. 9.

De summa trini. c. fæmiter.

Huius autem confirmatio argumenti non est nunc oratione longa infirmanda: ne nouam hic controuersiam de noui sacramenti sacerdotio constituamus. Illud breuiter dicimus, eos sacerdotes à deo esse vocatos, qui ab apostolis & eorum successoribus ritè & ordine vocati sunt. Nec verò sacerdotij nostri ratio popularis est multorũue suffragijs declarãda: nõ de terra cõficta, sed de cœlo ducta & delapsa est.

2. ad Timo. 1. Resuscita, inquit, gratiã dei, quæ est in te per impositionẽ manuũ mearũ. Et alio loco, Noli negligere gratiã, quæ data est tibi

1. ad Timo. 4. Tit. 1. eũ impositione manuũ presbyterij. Et in epistola ad Titũ. Reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Paulus deniq; & Barnabas cõstituerũt per singulas ecclesias presbyteros in oratiõe & ieiunijs, vt mos est & nũc in ecclesia fieri solet. Quemadmodũ igitur qui apostolos audiebat, is Christũ audiebat: ita etiã quos apostoli vocabant, hos vocabat Christus, & quos à sacerdotio repellebãt, eos Christus ipse repellebat.

Actio. 14.

Nam quòd hæc nunc ab illis defensionis ratio viaq; tentatur, in his scripturæ locis de senioribus agi, qui Rempublicã gererẽt nõ de sacerdotibus, qui rem diuinam facerent: satis ostendunt quàm parum in sacerdotij dignitate & auctoritate ponant, qui illud existiment aut à senectutis veneranda canicie aut ab ecclesiæ administratione seiunctum. Aristoteles porrò non credidit alios fore ad sacerdotium idoneos, nisi vel qui reges essent aut principes ciuitatis, vel certè quos post Rempublicã diu suo consilio gubernatã, aut res in bello præclarè gestas defessos iam atq; defatigatos omni cura humana & labore vacuos esse oporteret, vt nõ nisi in ætate & auctoritate senatoria sacerdotiũ resideret. Quam naturæ institutionem apostoli secuti, cùm sentirent sacerdotibus ecclesiæ gubernationem fuisse à Christo commissam, eos existimarunt esse in sacerdotum ordinem cooptandos qui verè presbyteri essẽt, hoc est, seniores. Ita factũ est, vt presbyteri nomen in eum, qui sacrã facit, remaneret. Sed nos eo loco locati sumus, vt non longè prospicere oporteat futuros sacerdotij casus, cùm eos in præsentia videamus. Defluxit enim iam de spacio curriculoq; multumq; deflexit consuetudo maiorum, & eos nobis episcopi initiatos sacerdotio tradunt, qui non modò presbyteri non sunt, sed sunt etiam valdè iuuenes. Ita sacerdotij auctoritas sceleratissimis ecclesiæ hostibus ludibrio est. Verùm de episcoporũ abusu minimè contendimus: in eo certamus, sacerdotis creãdi rationẽ nos ab apostolis, apostolos à Christo accepisse. Qđ ne dubitare possim⁹, certissimo est argumẽto ꝙ Christus in cœna dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Si enim hoc, quod præcepit facere, sacrum erat: immò si, vt antè probatum est, sacrificiũ erat: apostolos sanè tunc sacerdotes instituit, nisi iussit facere nec dedit tamen potestatẽ faciendi. Conficere autem Christi corpus & sanguinem, vt sacra nostra deo faciamus: quòniam supra naturam est, sine diuina facultate fieri non potest. Quia verò sacrificium hoc dominus facere iussit donec veniat, necesse est, vt copiam, quam Christus fecit apostolis sacrificij iugis & perpetuũ faciendi, illi in posteros sempiternis seculorũ ætatibus transfuderint. Sic enim, vt Oecumenius ait, sacerdotiũ Christi æternum est secundum ordinẽ Melchisedech. Sed primi argumẽti confirmationi refellendæ plusculum etiam quàm concedebat ratio largiti sumus.

Poli. 7. c. 9.

In secundo verò argumento multa simul obijciũtur aduersum ea, quę ex ecclesiæ sentẽtia diximus: sed nos exprimemus omnia perspicuè, vt res dicta propè manu tentari possit. Primũ autẽ illud sacerdotibus nostris opponitur, ꝙ offerunt alienũ sanguinẽ. Id quod sine dubio falsum est: quippè cũ Christi sanguis, dono dei licèt noster sit tamen, noster, inquã, veluti vniuersalis causa nostra est. Sol autẽ tuus ad generandũ est, at non ita tuus, vt sine peculiari tua generet actione.

Illud deinde Caluinus obijcit, Christi sanguinẽ semel iuxta Apostolum oblatũ esse. Quã rẽ nõ absurdè intelligũt plurimi de oblatione cruenta, quæ palã ante oculos omniũ posita fuit. Sic enim se idẽ Apostolus

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolus exposuit: quũ subiecit, Semel in cõ summationem seculorũ per hostiam suã apparuit. De illa ergo victima sermo fit, quæ in monte Caluariæ palàm in ore atq; oculis Iudææ prouinciæ mactata est. Ex quo intelligitur, contra oblationem altaris, vbi sanguis Christi in mysterio fusus non corporis sed mentis oculis cernitur, ne verbũ quidem vllum Apostolum dicere. Aequè videlicet Pauli verba torquere aduersarij possunt in eam oblationẽ quã Christus in cœlis incruentã facit semper patri pro nostris peccatis apparẽs. Sed ne me in hanc quasi fugam conferam, maximè animaduertendum censeo, oblationẽ non simpliciter & vno modo esse. Vna enim est vniuersalis: altera est particularis, quæ generalem illam quasi ad efficiendũ applicat. Et quoniam Lutherani omnes oblationes ad vnum exemplum & regulam quærunt, nos huius diuisionis exemplum ex similitudine rerum naturalium capiemus, vt horum ignoratio illustrior appareat. Illuminatio dupliciter a Philosophis accipitur: & ea, quæ vniuersalis est: & ea, quæ est particularis. Videlicet, simul atq; deus produxit solem potest dici semel mundum illuminasse: nempe, tanquã in causa vniuersali. Sed sunt tamen plures quotidiè illuminationes propriæ, quæ nõ solũ cũ generali illa nõ pugnãt: sed ita subseruiũt, vt sine illis vniuersalis illa aut prorsus supersedeat, aut certè penitùs otiosa. Sic & illud interpretamur, Illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mũdũ: scilicet, illustratione quadã generali, quæ in hoc quidẽ genere vna & eadẽ sufficiẽs & idonea est, atq; adeò sempiterna: sed si illustrationes peculiares desint, quib⁹ singulorũ hominũ mentes priuatim illuminẽtur, vniuersalis illa sufficiẽtiã habet, efficaciãnõ habet. Nec enim generales causæ quicquã efficiũt, nisi priuatis & proprijs causarũ secũdarũ actionibus vis illa efficiẽdi cõmunis ad singulos effectus adiungatur. Similiter ergo oblatio Christi vna generalis fuit redẽptionis ac sanctificationis humanæ nõ solũ idonea causa, sed suis etiam omnibus numeris absoluta: cui, in genere suo dico, nihil addi nihil detrahi possit. At sunt plures oblationes particulares, quibus vniuersalis illa efficientia ad effecta quædam singularia contrahitur. Nemo igitur nos legales sacerdotes existimet: quòd singulis altarium sacrificijs sæpè ac priuatim offerimus, sed potiùs ita secum reputet, sacerdotes sunt isti secundi sub vno primo pontifice Christo administri & dispensatores mysteriorum eius. Ac de prima quidem huius argumentationis parte itemq; dicendum est: reliqua est tertia eadẽq; postrema in qua Caluinus ac Bucerus se insolentiùs iactant: quasi argumẽtum inuenerint, quod refellere nequeamus. Qua vna in re, fateor, superiores sunt. Illi nanq; quomodo opinionem cõmentitiam confirmarent, inuenerunt: ego tam leue argumẽtum qua ratione infirmẽ ac diluam reperire non possum. Sed age, horũ insolentiam reprimamus: iamq; doceam⁹ seriò, quàm ridiculè exultent homines nõ solùm doctrinæ Apostolicæ ignari, sed omnis omninò Philosophiæ. Primùm autem, quanuis denuò velimus sacrificij cõplicatam notionem euoluere, non facilè tamen reperiemus, an ea cædem occisionemq; contineat, cùm animal sacrificandum est. Contrà enim dicet fortasse quis, Prophetas Baal quoddam etiam sacrificij genus præbuisse, qui lanceolis & cultris se inciderint, donec perfunderentur sanguine. At demus illud & concedamus argumentantibus, quod ad perfectam animalis immolationem nos quoq; attinere credim⁹, cõfici, dico, ipsum & occidi oportere, si verè sacrificatur. At corp⁹ viuũ & spirãs nos offerimus: idẽ enim in eucharistia est atq; in cœlo. Sed & si Christi corpus in eucharistia viuũ est, ac sanguis in corpore: nõ tamẽ à nobis aut corpus offertur qa viuũ est, aut sanguis qa est in corpore. Sed illud qa mactatũ, hic quia effusus in cruce.

3. re. 18.

Quòd.

Quòd si Christ⁹ in cruce se offerẽs nõ se è cõspectu nostro abstulisset, sed ppetuò pẽderet in cruce ante omniũ fideliũ oculos oĩ & loco & tẽpore positus, nihil necesse erat, vt exẽplum facti relinqueret, & in simulacrum ex animali exẽplo veritas trãsferretur. Sicut enim ij, qui tunc fuerũt iuxta crucẽ, eandem cum Christo hostiã patri obtulerunt, si modò verè erant pij & rẽ, quæ gerebatur, intelligebant: sic si eadẽ externa crucis hostia in conspectu nostro æterna permaneret, nullo exẽplari & imagine hostiæ illius indigeremus. Quia verò licèt oblatio illa & mactatio externa transierit, sic tamen corã Deo constat accepta bilis & perpetua virtute consistit, vt non minùs hodie in cõspectu patris illa sit efficax quàm eo die, quo de latere sanguis exiuit, ideò verè nũc offerimus eandẽ crucis hostiam cum Christo perinde atq; illi, qui erãt iuxta crucẽ, quanuis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat: cùm res ipsa viua in præsentia esset atq; ante oculos proposita: nobis autem per imaginem Christus hostiã illam excitauit, & quasi in quodam exemplari statuit ante oculos. Sed imago hæc & exemplar nihil reuera obstat, cur non eundẽ illum sanguinẽ modò offeramus, quem Christus fudit in cruce, non aliter ac si nunc corã effunderetur. Quæ est sententia Chrysostomi falsò tamen Ambrosio attributa. de cõsecr. dist. 2. cap. in Christo. Adde, quòd quale fuerit sacrificiũ, talis est requirenda mors: vt si illud cruentũ est, hæc sit etiam cruenta, sin illud incruẽtũ erit, mors quoq; erit mystica & incruẽta, idest, effectus mortis ceu nunc præsens adesset. Satis est enim vt verè & propriè sit sacrificium, quòd mors ita nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nũc Christus ipse moreretur. Id quod scriptorũ veterum testimonijs confirmatur. Gregorius, In se ipso, inquit, immortaliter viuẽs iterum in hoc mysterio moritur. Et Augustinus, Semel immolatus est in semetipso Christus: & tamen quotidiè immolatur in sacramento. Paschasius, Quotidiè Christus mysticè pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur. &c. Et Cyrillus in concilio Ephesino, Athanasius ad Antiochum, Theophilactus in decimum caput epistolæ ad Hebræos, Damascenus in quarto libro, Gregorius demũ Nazanzenus, vt cæteros prætermittam, hanc incruentam exanguemq; immolationem vocãt: vnicam illam quidẽ, qualis nõ fuit alia similis, per quam ad effectum scilicet sic nobis Christus immolatur, vt illis, qui præsentes erant quãdo se in cruce offerebat. Sed quia sine effusione cruoris, quæ in præsentia cernatur oculis, applicatione verò cruoris iã effusi fit oblatio, rectè à patrib⁹ incruẽtũ sacrificiũ nũcupatur. Atq; ad ea quæ sunt a Lutheranis in secundo argumẽto dicta, diximus satis.

Vide etiam Eusebiũ Emissenũ de cõsecr. d. 2. quia corp⁹.

De cõsecr. d. 2. semel.

De cõsec. d. 2. literatur.

In tertio quoq; argumento refutando posthæc nihil est necesse laborare. Docuimus enim, Christi oblationem in cruce non aliter se habere ad redimenda peccata, quàm aut lucem ad illustrandum, aut medicinam ad curandum. Lucẽ dico, quę omne lumen ederet: medicinam, quæ omnes sanaret morbos. Ecquis autem dubitet, causas perfectas & principales sine adiuuãtibus & proximis nihil efficere? Medicamẽtum quippè quanlibet præsens & salutare sit, nisi ægro corpori adiungitur, neq; opem indigẽti fert nec salutẽ. Quòd si agnus, qui tollit peccatũ mundi, sine adiutrice & socia causa ipse p se expiauit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitentia absit, sacerdotia sileãt, ministeria facessant: atq; adeò omne salutis nostræ & sacramẽtũ remoueatur & instrumentũ. Præceptũ illud vanũ sit, Baptizate in nomine patris & filij & spũs sancti, gratia illa vana, Quorum remiseritis peccata remittẽtur eis, inanis sermo ille, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionẽ peccatorum, sit deniq; ille falsus, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

ad 3m

Matth. ult. Ioan. 20. Actо. 2. Tit. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quin etiã, si ita libet, quia orauit pro nobis Christus, nõ oremus: quia ieiunauit, non ieiunemus: quia lachrymatus est, non plo remus. Colligũt enim argutũ isti dialectici, quia obtulit semel Christus, nos nõ offera mus. Sicut ergo compatimur, vt passionis eius participes simus: ita etiã offerimus, vt oblationis ipsius partẽ capiamus. Nobis sanè religio actuosa est, Lutheranis ociosa. Qui nos feriatos volũt cessatione torpere & quasi pueros delicatos nihil agere. Ita ex animis hominũ extrahũt radicitus religionẽ, cùm sacrificia, sacerdotes cęterosq; religionis administros tollũt. Nõ ergo nos repetitis oblationibus Christi sacrificiũ testamur fuisse imbecillũ, sed causam principalẽ perfectãq; fuisse, quę quantũuis licèt sufficiẽs in se & consummata sit, sine applicatione tñ causarũ adiuuantiũ nihil efficit. Illud verò, Vna oblatione cõsummauit in æternũ sanctificatos, simile est, vt si dicerẽ, Deũ vna illustratione mundũ in ęternũ illustrasse. Id quod reuera fecit, quùm solẽ quasi sempiternũ lumẽ accẽdit. Alioqui
2. ad Corin. 7. quid alio loco Apostolus iubet, vt emũdemus nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritus perficiẽtes sanctificationẽ in timore dei? Certè Christi sanguis emũdauit nos ab oĩ dilecto: & tñ Paulus ait, Mundemus nos. Certè vna oblatione Christus cõsummauit sanctificatos: & tñ Paul⁹ monet, vt ipsi perficiamus sanctificationẽ in timore dei. Christus igitur mũdat ac pficit, & nos quoq; perficim⁹ ac mũdamus: sed ille agit
4. Corin. 3. nobiscũ vt causa principalis, nos sub illo agimus vt causæ adiuuãtes. Dei nãq; adiutores sumus. Sed addũt illud, Vbi pctorũ remissio est, iam nõ est oblatio p peccato. Respõdemus. Si remissio solùm est vt in causa vniuersali, iam nõ est oblatio generalis quidẽ pro peccato: est tñ oblatio specialis, quæ vim illius ad efficiendũ applicat. Quemadmodũ si illustratio est mũdi vniuersalis, nulla alia generali est opus: nõ em̃ alio sole indigemus, alia luna, alijs stellis. Sed necesse est tñ illustrationes quotidiè singulas aeris interuenire, si terra est diebus singulis illustrãda. Addunt etiã, Post remissas per Christi sacramẽta iniquitates, quorsum oblationes facimus, p peccato? Respõdeo, remissio iniquitatis duplex est: vna perfecta, altera imperfecta. Perfecta, quùm nõ solùm culpa, sed tota etiã pœna remittitur, de qua illa intelligũtur, Proiecisti post tergũ tuum oĩa peccata mea: Beati, quorũ remissę sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Proijciet in profundũ maris peccata nostra, Mich. 7. & cætera similia. Atq; hæc per baptismũ cõtingit oĩbus baptizatis. Imperfectã verò illam dicimus, in qua vel culpa remittitur sed nõ tota pœna, vel remittitur pœna remissa iam culpa, de qua illud accipimus, Propter remissionẽ præcedẽtiũ delictorũ. Et rursum, In redẽptionem earũ præuaricationũ, quæ erãt sub priori testamẽto. Antiquis porrò patribus culpas ante Christi mortẽ fuisse remissas ambiguũ non est: iuxta fidẽ quippè defuncti sunt testimonio fidei probati. Non esse autẽ perfectè remissas cõfirmat Paulus cùm ait, Christũ mortuum esse in remissionẽ præcedentiũ delictorum. Quę si plenè Moysi, Aarõ, Dauidi cęterisq; sub lege & natura sanctis condonata fuissent, nec illis esset ianua regni cœlestis occlusa, nec loci inferi in custodiã deputati. Ecquis enim dicat, omninò resoluta crimina, quorũ pœnæ luuntur in carcere? Dauidi rursum homicidij & adulterij scelera relaxata quo tẽpore ad Nathan prophetę vocẽ peccatũ cõfessus est, & Nathan ipse idẽ & au- 2. reg. 12.
ctor libri ecclesiastici testes sunt. At si plenam remissionẽ percepisset, quorsum illa? Dele iniquitatẽ meam, Ampliùs laua me ab iniquitate mea, Auerte faciẽ tuam à peccatis meis. &c. Certè hanc amplioré & plèniorẽ indulgentiã nõ priùs à dño impetrauit, q̃ multis supplicijs in eo dominus acerrimè vindicasset. Itaque si per Christi sacramẽta plena cuiquam peccatorum remissio cõtigit, nos pro illiusmodi peccatis hostiã minimè offerimus, vt si quis proxumè

Ecclc. 47.

ximè recens baptisma susceperit: at si peccator non est perfectã remissionem consecutus, quod in sacramento pœnitentiæ ferè accidit, pro huius delictis sacrificium exhibemus, vt cui Deus subiratus etiamnũ est, ei fiat aliquando propitius.

Quid igitur sibi Apostol⁹ vult, quũ minis horribilibus audientium animos perterrefacit in hæc verba, Voluntariè peccãtibus nobis iam nõ reliquitur pro peccatis hostia? Nępè, qui dicit, volũtariè peccãtibus post acceptã notitiam veritatis nullam hostiã esse reliquã, is sine dubio significat, ignorantibus aliquã hostiam superesse, ijs præsertim, qui ante acceptã notitiã veritatis peccauerũt: quemadmodũ Chrysostomus ac Theophil. actus argumentãtur. Rem ergo Apostolus verbis grãdiori bus exaggerat, atq; vt solet, terrorẽ exuperatione injicit. Ostendit itaq; nõ quid clemens & misericors iudex interdum sua lenitate cõcedat, sed qua pœna is dignus sit, qui singulari baptismi beneficio suscepto filium Dei cõculcat, & sanguinẽ testamẽti pollutum ducit, & spiritui gratiæ contumeliã facit. Indignus nimirum est, qui fuerit huiusmodi, cui Christus iterum crucifigatur. Toties aũt nobis crucifigitur, toties immolatur, quoties eius crux nobis & mors ad peccati remissionẽ applicãtur. Si de iustitia ergo agitur, nulla relinquitur p peccatis hostia ijs, qui ex malitia peccant. Sin verò de misericordia Dei agitur, quæ omnem etiã sensum exuperat, non solùm infirmis & ignorãtibus aliqua supereſt hostia, sed ijs etiã, rarò tñ, qui voluntariè peccauerunt post acceptã notitiam veritatis. Enimuerò quod hęc Apostoli oratio alta & exaggerata sit, illud primùm argumẽto est, quod statim subditur, Terribilis autẽ quædã expectatio iudicij. &c. Atq; euestigiò, Irritam quis faciens legẽ Moysi. &c. & post pauca, Rememoramini pristinos dies &c. & tandem, Nolite amittere confidentiam vestrã, quæ magnam habet remũnerationẽ. Illud deinde hoc confirmat maximè, q̃ in. 6. cap. cùm dixisset, Impossibile est eos. &c. ne existimaretur nulla esse rerũ expectatio meliorũ, quasi à desperatione ad spem reuocare cupiens, cõfidimus, ait, de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Ex quo tẽpera mẽto Hieronymus lib. aduersus Iouinia- De pœni. d.
nũm. 2. colligit, Apostolum Hebrẽos per 2. cap. Si exaggerationẽ territasse. Est et aliud respõnim.
sum dignũ, nisi me fallunt omnia, quod magnoperè animaduertatur. Videlicet, hostia pro peccato duobus modis intelligi potest. Vno modo pro pœna: altero etiã pro culpa. Quòd em̃ peccati vox pro pœna peccati vsurpetur, illa demõstrant, Non Rom. 7.
ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ. Et rursum, Remittuntur ei peccata multa: quoniã dilexit multùm. cui autẽ Luc. 7.
minus dimittitur, minus diligit. Quo loco multorũ peccatorum pœnas multa dominus peccata vocat. Nã culpas antè fuisse remissas, qui superiores lachrymas cõsiderauerit, is vocare in dubiũ nõ poterit. Et quæ dilexerat, & ingemuerat, ea certè culparũ veniã fuerat cõsecuta. Sed cui in præsenti dicitur, Remittuntur tibi peccata, Vade in pace: ei plenissima indulgẽtia cõcediturom niũq; pœnarũ persolutio. In pœnis verò locũ habet, vt maiori dilectioni maior remissio respõdeat, minoriq; etiam minor: nã culpę vel simul remittũtur oẽs, vel nullæ. Macchabęorũ sentẽtia vulgò etiã sermone teritur, Sanctã & salubrẽ cogitationẽ esse pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Vbi pœnas purgatorias pro culpis debitas peccata sine dubio appellauit. Simile est illud, Peccata tua eleemosynis redime. Pœnas aũt Daniel pecu- Dani. 4.
nia redimẽdas existimabat: nã culpas aut Sine pretio remittitur
pœnitẽtia diluit, aut certè sine argẽto gra- culpa, nõ tñ sine dispositia resoluit. Atqui siue figuratè nomẽ cau- tione.
sæ ad effectũ trãsferatur, siue remissio pœnæ ad integrã remissionẽ culpæ pertineat, nõ valde interest qdẽ: tametsi. D. Thomas 4. d. 12. q. 2.
atq; Innocẽtius huiusmodi locutiones im- ar. 2. q. 2.
pprias esse testãtur, q̃bus pctã deleri, deter

gi, ablui,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gi ablui, remitti dicuntur: quia soluuntur pœnæ. Iam ergo cùm Apostolus ait, nullã hostiam superesse pro peccato: pro culpa propriè intelligendus est. Cui sententiæ non est illa cõtraria, relinqui pœnitentiæ sacramentũ, quod iudiciũ est, non sacrificiũ, relinqui etiam hostiã pro pœna, quæ impropriè dicitur hostia p peccato. Sed quæris, quid causæ plenisq; antiquorũ fuerit, vt baptismũ hostiam appellauerint, ideoq; dixerint, nõ superesse hostiã pro peccato: qa baptismus repeti non potest. Sanè quia in baptismo Christo cõmorimur, & per hoc sacramẽtũ applicatur nobis hostia crucis ad plenã peccati remissionẽ: hinc illi baptisma translatitiè hostiã nuncuparũt, ac post baptisma semel acceptũ nullam hostiã esse reliquã interpretati sunt: quia baptisma secundũ non est. At in pœnitentiæ sacramẽto non applicatur mors Christi per modũ hostiæ, sed per modũ iudicij. Itaq; quãuis pœnitentia post baptisma superlit, nõ proinde tũ hostia supereſt, p peccato. Sed de tertio argumento nimium multa.

Sermo est de mortali b̃, quæ simpliciter & quasi peremptoriam siam peccata dicuntur. Nã venialia hoc penitus sacrificio delẽtur. de cõ. d. 2. c. Iterat. & ca. utrum.

Quartũ verò non cõfutatione eget, sed reprehensionẽ. Eequa enim vel insciti vel imprudentia est, ea aduersum nos testimonia excitare, quę à nobis faciunt maximè,

Probabilissimum est, specierum quoq; mixtionẽ ad sacrificij integritatẽ attinere. Nam ab apostolis ecclesiæ traditũ, ambiguum nõ est.

Constat sanè, eucharisticũ sacrificij partes quatuor esse: vnã cõsecrationẽ corporis & sanguinis, alterã oblationẽ, tertiã fractionẽ postremã cõsumptionẽ. His quippè quatuor partibus nostrũ sacrificiũ redintegrari, confici, absolui qui negauerit, nihil illũ de ratione perfecti sacrificij didicisse, nihil quęsisse, nihil scire conuincã. Consecrationem porrò atq; oblationẽ cum gratiarum actione coniunctã ex euangelio colligi, ostendimus paulò antè, fractio aũt apertissimè traditur. In eo discrimẽ est, q̃ Lutherani in fractione nihil mysticũ esse arbitrantur, sed solã panis distributionẽ: nempe, vt sua cuiq; portio contingat: at ecclesia sancta quũm hostiã frãgit, dominici corporis in cruce fractionẽ significando Christũ hostiam cõmemorat: quemadmodum Christus ipse & verbo & exẽplo cõmemorandam tradidit. Quod verò ad plenã huius sacrificij rationẽ consumptio specierũ attineat, conciliũ Toletanũ duodecimum testatur inquiens. Quale érit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur. Augustinus insuper in libro sententiarum Prosperi cõsentit, dum sanguis de calice in ora fideliũ funditur, dominici corporis immolationẽ ciusq; sanguinis effusionẽ designari. Spectat ergo ad pfectã significationẽ sacrificij cõsumptio specierũ. Quæ causa catholicis perpetua fuit, vt dũ sacerdos species sumit, nõ edere illũ dicant, edat licèt, sed cõsumere. Vt intelligamus, in missã potiùs haberi rationẽ cõsumptionis q̃ mãducationis, magisq; sacrificiũ spectari q̃ cœnã. Quod Lutherani sentientes negauerunt, Christũ corpus suum sanguinẽmq; sumpsisse, ne cõsumpsisse & sacrificasse probaretur. Verùm ratio primùm cõuiuij hoc exigit, vt cibi cõmunionẽ & consociationẽ habeat alioqui qui ad cœnã inuitat, is non conuictor esset, sed cõditor instructorq; cõuiuij. Atq; accubationẽ epularem amicorũ, tametsi melius nostri conuiuium, benè tñ Græci tum cõpotationẽ tum concœnationẽ vocant: vt qui vocat ad cœnã, nec cõcœnator ipse & cõpotator est, non solùm nõ vtbanũ conuiuiũ ineat, sed ne conuiuiũ quidẽ. Deinde, vt Chrysostomus argumẽtatur, ne discipuli horrerẽt carnẽ & sanguinẽ, necesse erat vt Christus prior ipse degustaret. Christus certè quod se videbãt facere, id vt facerẽt iussit apostolis. Intellexit aũt semper ecclesia sacerdotibus iniunctũ esse vt sumerẽt: sumpsit ergo & Christus: nisi sacerdos omnibus suis numeris absolutus nõ absolutũ sed inchoatũ sacrificium fecerit. Nec me fugit. D. Thomam aliquãdo, vt videtur quidẽ, docuisse sacrificiũ ante fractionẽ hostiæ esse peractũ, sumptionẽq; spectare, p̃riè ad sacramentũ, oblationẽ verò ad sacrificiũ. Et rursum asserere, fractionem hostiæ nõ ita esse necessariam, vt, si omittatur, sacrificiũ maneat

De cõsec. d. 2. c. relatũ.

De cõsec. d. 2 quãmfrãgitur.

De cõsecr. dist. 2. quũ frangitur.

3. part. q. 83. art. 4.

Art. 6. 6

neat imperfectum: q̃ videlicet huius rei significatio non ad corpus Christi verum, sed ad mysticũ referatur: non ergo fractio in partibus sacrificij numerãda est. Quod autem sacrificiũ ante fractionẽ peragatur, id magno argumẽto sit: sacerdotẽ statim à cõsecratione illa verba dicere, Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiã puram. &c. Iam ergo nondum fracta hostia & oblatio est & sacrificium. Verùm qui Diuum Thomã nobis obijcit, id ille agit, vt & secum ipse Thomas & cum vera sacrificij ratione pugnet: eius enim in secunda secundæ, verba nõ obscura sunt, sacrificium propriè dici, cùm circa res oblatas aliquid fit. Quam rem illo etiam exemplo confirmat, vt quùm panis frangitur & comeditur. Vnde colligit, primitias oblationes esse, non autẽ sacrificium: quia nihil sacrũ circa eas fiebat. Hostiam igitur aliquãdo ante fractionẽ non solùm. D. Thomas sed etiã ecclesia vocat eo more, quo rẽ instãtẽ & proximã quasi præsentẽ nominamus. Sic Cicero præbere, ait, hostias ad sacrificium. Vbi animal sacrificandum hostiam appellat. Quin & in Leuitico & in alijs quoq; plerisq; locis holocaustũ, hostia ac sacrificiũ ab eo, quod proximè futurũ est, nomen accipiunt. Sed & panem ipsum ante consecrationem hostiam vulgò appellamus: à qua appellatione ne Diuus quidem Thomas abhorret. Sacerdos porrò ante cõsecrationẽ dicit se offerre sancta sacrificia illibata. &c. Quis aũt theologus tã insigniter stultus fuit, vt peractũ sacrificium ante hostiã cõsecratã existimauerit? Atq; vt de occulto & interiore sanguinis & corporis sacrificio nihil dicam, externum certè & mysticum sola oblatione non cõstat. Cùm itaq; circa species ante fractionem nihil sit à sacrificio factum, ne sacrificium quidẽ peractum est. Item cùm symbolis rerum Christo instituente debeamus mortẽ ipsius agere, si verum & perfectum nostrum sacrificiũ est, eiusq; victimæ absolutũ exemplar, quam Christus in cruce præbuit: nullum autem sit rerum symbolũ antè quàm species frangantur, misceantur, consumentur: certissimum accipere argumẽtum possumus, ante fractionem nondũ esse expletum sacrificium. Manet igitur, non consecrationem modò & oblationẽ, verùm & fractionem quoq; ac consumptionem ad integritatẽ externi sacrificij pertinere. Quæ res nõ pertenui nobis argumẽto indicioq; patefacta est, sed graui constantiq; ratione: præterquàm q̃ ab apostolis has nos sacrificij partes accepisse, promptissimum est ostendere: nam Christum tradidisse, satis supra est à me demonstratum. Vt Lutherani argumenta probabiliora deinceps excogitent: siquidem quartũ hoc, quod modò diluimus, improbabile est. Improbabile esse dico, Lucæ Pauliq; testimonijs vti: vt ecclesiæ sacrificium explodatur. Nam ratio ea, quæ adiungitur, captiosa est: & veri similitudine fallere imperitos potest. Primùm autem qui Lutheranis responderet, Christum in cœna sacrificium nõ pro peccato quidem, sed gratiarũ tamen actionis obtulisse: hic non ab illis facilè eluderetur. Eius enim rei probabilem rationem redderet, quòd cùm sacrificij cruenti dies instaret iam planè, aut certè iam appropinquaret hora: nõ oportebat, hostiam in cœna pro peccato mysticam exhibere, cùm impenderet generalis hostia illa, in qua patri complacuit omnia peccata resolui. Quãquam & sanguinẽ circũcisionis pro nobis Christus obtulit & ieiunauit fleuitq; pro nobis: nec tamen remissio ea peccati secuta est, quæ à cruce tandem expectanda erat. Quemadmodum enim martyrij plena efficacitas non in qualibet sanguinis effusione est, sed in ea demum, in qua martyrium consummatur, quãuis sanguinẽ suum deo statim à principio martyr obtulerit: sic passionis Christi perpetuæ vis illa absoluta & perfecta non in initio aut medio sed in fine fuit. Deinde mysticæ oblationis effectus nõ is est, quem falsò existimant Lutherani

Universidad de Deusto
Biblioteca

therani nos credere: nempe, vt oēs culpas pœnasq; resoluat. Qua de re paulò pòst dicturi sumus. Alia enim efficiētia hostiæ illius est, quam Christus palàm mactauit in cruce: alia illius, quam sub speciebus definitis mysticè præbuit in cœna. Illa generalis est, sicut diximus, nec per sacrificium modò, sed per omnia sigillatim sacramenta ad effecta lōgè diuersa applicatur. Hæc peculiaris efficientia est & sub speciebus certis ad peculiaria quædam effecta concluditur. Obtulit ergo Christus hostiam in cœna tum pro culpa veniali tum pro pœna, quæ pro culpa etiam mortali deberetur. Qui in peccato soluēdo sacrificij peculiaris effectus est. Hunc verò habuit in cœna sanguis oblatus: nam in cruce vim remissionis habuit generalem. Sed quoniam, vt modò dixi, hāc rem sumus in cōfutatione sequentium argumentorum fusiùs explicaturi, pergamus ordine refellere argumenta, quæ restant.

Quinto verò argumento refutando Roffensis episcopus calicē ait nouum testamentum ideo dici, quia noui testamenti confirmatio est. Quē vocis vsum vt probare testimonijs nō queo, ita non audeo explodere. Illud affirmo, nomen hoc pro re, quæ ex testamento obuenit, interdum accipi: vt in epistola ad Hebræos ca. 7. Melioris testamēti sponsor factus est Iesus. Sic enim promissionis vocabulū pro re, quæ promittitur, scripturæ auctores vsurpant: ad Hebræos. 6. Imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabūt promissiones, ad Hebræos. 9. Repromissionem accipiant æternæ hęreditatis, & Actorum. 1. expectarent promissionem patris. Si ergo promissio pro re promissa accipitur, & testamentum Luthero ipsi quoq; promissio est: nihil mirum si pro re ipsa, quæ testamento est relicta, vsurpetur. At prima res eadēq; potissima, quam nobis in testamento suo legauit Christus, fuit sanguis. Quid igitur obstat, cur rem, quam beneficio testatoris habuerim, nō ego in funus eius exequiasque rependam? Quid inquam, obstat: cur quod de manu morientis accepimus, non id nos viuenti illi reddamus? Nisi illud frustra atq; importunè repetimus, Tua sunt domine omnia: & quæ de tua manu suscepimus, reddimus tibi. Quod autem calix impropriè dicatur testamentum, manifestum est. Siue enim, vt Innocentio placet, testamentum promissio est: siue, vt Vlpianus verè sentit, sententia est voluntatis iusta de eo, quod post mortem fieri voluerimus: omnino liquet, calicem nec promissionem propriè nec sentētiam esse, sed rē, quæ testatoris promissione voluntatisq; sententia relinquitur. Hanc verò nos hostiam præbere ad sacrificium quis prohibet? Sed de quinto argumento hactenus.

Cap. cum Marthæ. de celeb. Miss.

Iam argumento sexto quid attinet respondere: nisi eadem velim, quæ suprà dixi, verbà repetere? Colligūt enim acuti sci licet dialectici, si eucharistia exemplar & imago est: nō esse illam verè ac propriè sacrificium. Quæ sanè collectio perridicula est. Quid enim stultius dici potest, quàm legis veteris hostias sacrificia non fuisse: quòd verorum exemplaria fuerint Innocentius porrò tertius quosdam meritò irridet, qui putarint, in sacramento non esse corporis Christi & sanguinis veritatē: ex eo quòd scriptura interdum commemorat, id', quod in altari suscipitur, mysteriū, imaginem, figuram & exemplū esse. Quorum errorem Pōtifex doctè grauiterq; refellit: si enim, quia figura est, sacramētum altaris veritas esse negatur: ergo nec mors nec resurrectio Christi veritas est credenda: siquidem eas similitudinem & imaginem esse Apostolus tradit, ac Petrus quoque scribit Christum exemplum nobis in sua passione reliquisse. Nihil igitur obstat, cur nō in externo sacrificio forma sit, species, imago & exemplar sacrificij crucis: in sanguine verò & corpore, quæ sunt res intus inclusæ, eiusdem sacrificij existat veritas. Sed quoniā in cruce, quod aliàs diximus, palàm & sine mysterio hostia cruēta fuit, in altari

Cap. cum Marthæ. de celeb. miss.

in altari occultè & mysticè absconditā: ne eodē modo, quo Christ⁹, sacrificare putarentur, rectè cū suo Chrysostomo Theophilactus admonuit, nos non immolare Christū, quemadmodū se ipse in cruce immolauit, sed potiùs illā crucis hostiam cō memorare. Verùm quia cōmemoratio nostra ociosa & vmbratilis nō est, sed efficit quod significat: quanquā non Christum occidimus, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, Christi tamen mortē applicamus ceu nunc facta sit. Applicamus autem non fide sola aut solis verbis, sed etiā symbolis. Post illa nāq; verba, Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur, nō ait domin⁹, Hoc credite: nō, Hoc dicite: sed, Hoc facite in meā comemorationē. Quæ causa, nisi me fallit animus, Apostolo fuit, vt veteris legis symbola, quoniam vacua erant, vmbras appellaret, nō ipsas imagines rerū. Nā euangelium ipsas rerū imagines quasi viuas continet nō ad significationē modò, sed ad efficientiā. Vt baptismus imago est spiritualis ablutionis, quæ per Christi sanguinem facta in cruce est, sed habet tamē res ita coniunctas, acsi Christus ipse nunc pro baptizato sanguinem funderet. Quocirca & aliquando idem ausus est dicere, in singulis baptizatis Christum crucifigi: non illa solùm loquendi forma, qua Ioannes euangelista scripsit, agnum occisum esse ab origine mūdi, sed ita potiùs vt ad effectū idem prorsus sit, ac si Christus verè nunc pro his, qui baptisma suscipiūt, crucifigeretur. Nec verò existimo, quùm Paulus legem dixit vmbram habere futurorum bonorū non ipsam imaginem rerum, de significatu disceptasse, quod plerique interpretati sunt, vt vmbra signū obscurū & imperfectū: imago rei expressum perfectumq; signum intelligatur. Quæ vt vera esse non inficior, ita à præcipuo Apostoli instituto esse aliena iudico. Id quod ex verbis eiusdem Apostoli manifestè cōficitur. Ait enim, Vmbram habens lex futurorum bonorum, nō ipsam imaginem rerum eisdē ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquā potest accedentes perfectos facere. &c. Quia igitur hostiæ illæ vim efficiēdi nō habebāt, ideo legē vmbrā habere dixit futurorū in lege gratiæ bonorum. Vmbra quippe ignis non id efficit, quod ignis: nec vmbra hominis idem præstat atq; homo: neque enim in agēdo quicquam aut imbecillius vmbra aut inanius est. Sacraméta verò & sacrificiū nostrum imagines rerum sunt, nō pictæ vel vmbratiles inanesq; ad efficiendū & imbecillæ, sed cùm ad viuum rerū ipsarum expressiæ: tū, si ita loqui liceat, ad efficacitatē res ipsæ viuę, quarū imagines sunt: tanta Christi & euangelij potentia est, vt eandē vim penitus symbolis imaginibusq; tribuerit, quā res ipsæ haberēt, si quùm earum cōmemoratio fit, verè patrarentur. Sed in sexti argumenti reprehensione multùm tēporis insumpsi. Nihil enim resp̄sione opus erat: sed vt loca eadē diligenter isti pertractarēt & bona fide relegerent. Ibi enim planè reperirent, auctores sanctos & verū in ecclesia corporis ac sanguinis Christi sacrificiū & verissimum quoq; exēplar affirmare: alterum in externa forma & figura: alterū in re, quæ inclusa atq; abdita in mysterio latet occulto. Quanquā Euthimius ante cō secrationē exēplar interpretatur: post consecrationem autem sacrificij veritatem. In quem etiam modum Basilium exponit Damascenus. 4. lib. cap. 14.

In septimo argumento existimant homines parùm in Theologia exerciti, actus nostros nostræ redēptionis, sanctificationis, ablutionis nullo modo causas esse. Quæ si vera essent, illa omnia essent falsa, Omnis qui habet hāc spem sanctificat se. 1. Ioan. 3.
Item, Mūdemus nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus perficientes sanctificationē in timore Dei. Item, Peccata tua eleemosynis redime. Itē, Per misericordiā & fidē purgantur peccata. Itē, Misericordia & veritate redimitur iniqtas: & cætera id genus, quæ in sacris literis passim occurrūt.

2. Cor. 7.
Dani. 4.
Prouer. 15.
Prouer. 16.

Sī Neq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neq; ex his, quemadmodum isti falsò iudicant, quicquã de Christi in nos gratia, merito, vi et redẽptione detrahitur: quin gratiæ dei & Christi multò magis attribuitur. Exemplum ponam ex natura, vt gratiæ vis manifestiùs eluceat. Res vniuersas ad suum quãq; finem vi quadam ingenita moueri, philosophis omnibus explora tum est. Sic igni, vt ad locũ naturæ suæ cõgruentem ascenderet, leuitatẽ indidit pro creator ille mũdi deus: vt verò calefaceret quæ erat actio ignis naturę cõueniens, impertijt calorem. Id quod in reliquis promptũ est cernere: quæ sic à principio et forma interiore mouentur, vt nõ solùm non repugnẽt, sed agi sponte videãtur. Animalia porrò non modò hanc inclinationem & formã à natura habent, verùm ipsa etiã se mouent actionibus quibusdã suis et ad quærendũ sibi cõsentiens bonũ & ad propulsanda aduersantia mala. Quæ res præcipuè in hominibus illustrior apparet, qui quoniã nõ aguntur, vt serui, sed liberè potiùs agunt, vt domini: ratione eligunt media & se ipsi cient, vt per talia media fines propositos consequantur. Nec idcirco tamen aut primæ causę virtus minor est aut potestas infirmior: imò hoc vberior et maior, quòd attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter & disponit omnia suauiter. Ecqua enim vis ea fortior esse potuit, quæ adeò suaues et congruẽtes impetus in rerũ natura posuit, vt eas nulla vi quidẽ illata moueat, sed vehementissimè moueat tamen? Quę dei virtus eximia insigniq;, suauitas multò latiùs in gratuitis effectis quàm in naturalibus se effundit. Non enim solùm vitales operationes, quæ supra naturã sunt, in se edit mortalis homo per gratiæ formã & virtutes: sed ad vitam ipsam capiendã sua se actione parat & viuendi sibi causa est. Quemadmodum enim, si materia dispositiones, quibus ad suscipiendam formam ignis præparatur, ipsa in se faceret, eadẽ sibi causa esset effectrix, vt à forma illa informaretur: sic, quoniã præparationes viuificãtis gratiæ homo in se efficit, ipse in sui generatione Dei adiutor existit. Qua in re, vt dixi, suauior & effusior gratia q̃ natura est. Vitam nanq; à natura datã curare ac tueri ipse valeas, saluté quærere, morbos pellere aduersos, tum externis quibusdã medicamentis adhibitis tum animæ viribus interiùs excitatis. At vitæ causa tibi esse nõ poteris, sed aliunde eam accipis nulla interueniẽte operatione tua, dispositione tua nulla. Dispositio quippe omnis, qua ad animam corpus aptatur, à patre generãte editur, à filio genito nullo modo. In natiuitate verò spirituali is ipse, qui nascitur, nõ solũ principiũ est, vt post ægritudinẽ sanus sit; verùm etiã, vt postquam fuerit mortuus, & vitã habeat & abundãtiùs habeat. Præclarè itaq; dictum illud est atq; ad Philosophiæ rationẽ aptè, Iustus ex fide sua viuet. Ex quo Hieronymus colligit, hominẽ sibi esse viuificationis suæ causam. Nempè actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, quibus Deus vtitur ad animum viuificandũ, homo ipse in se facit, gratuito quãuis & supernaturali auxilio permotus. Ne certes, quasi actus nostri gratiæ remissionisq; cuiparũ causæ efficiẽtes sint: cùm nihil aliud q̃ disponant animũ, vt gratiam Dei iustitiamq; recipiat. Quemadmodũ calor præparatio est, quæ ligni materiã afficiat, vt & formam ignis capiat & naturam. Sed sicut homo alteri homini non est causa animæ rationalis: sed causa tamen est, vt per rationalẽ animam viuat, sic homo licèt causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est vt per gratiam viuat. Cuius sententiæ illa iam cõfectaria sunt, Animas vestras castificantes: Item, Ablue à malitia cor tuum: Itẽ, Siquis emundauerit se ab istis, erit vas in honorẽ sanctificatum & ad omne opus bonũ paratum. Ac vasa hæc quidẽ Deus ipse fecit in honorẽ & præparauit in gloriam. Sed si non à voluntate nostra purgatio animæ nostræ fieret, vt Damascenus argumentatur, non vtiq; dixisset Paulus, Si quis emũdauerit se. &c. Verùm hęc subtiliùs fortasse dis-

Primæ Petr. 1. Hier. 4.

2. Timo. 2.

lib. 4. c. 20. uide Chrys. ho. 42. ad pop. Antio.

se differuntur, quàm vt ea Lutherani omnis omnino Philosophię ignari possint agnoscere. Illud breuiter intelligant, nos in salutis nostræ opere, sanctificatione, purgatione, curatione dei adiutores esse. In die inquit, salutis adiui te: ac rursum, Gratia dei mecum. Nam de peccatorum redemptione quæstio est multò facilior. Ea nempe voce aliquando per solutionem pœnarum scriptura significat, quæ post culpam remissam manent. Has autem non modò Christus per sacraméta sua, sed nos etiam ieiunijs nostris eleemosynisq; resoluimus. Pretia itaq; deo constituta quùm pro pœnis debitis enumeramus ac pendimus, tũc peccata nostra redimimus. Nec verò pretium hoc æquale natura nostra sed dei gratia fecit, qui tum pro culpis grauiores pœnas tum pro pœnis grauiorem posset compensationem exigere. Sed hæc pretia ille pepigit lege clementiæ & misericordiæ quidem, sed æquitate iustitiaq; permixtæ. Quòd si ad peccatorum redemptionem pretia hæc, nostra licèt, momenti alicuius sunt tamen, quoniam ita sua is lege constituit, qui arbitrio propriæ voluntatis rerum omnium iustus æstimator est: quãtò veriùs & iustiùs nostras ipsi iniquitates redimemus Christi corpus & sanguinem in altari offerendo? Christi, inquam, qui nobis est factus sanctificatio, iustitia & redemptio. Ac tametsi redemptor noster vnus est ille: sed quia nobis tamen nostrisq; actionibus vtitur ad effectum redemptionis explendũ, eũ quoq; in hac parte nos iuuamus. Nec gloria redemptoris minuitur inde, sed augetur, qui non naturæ diuinæ modò, verũ diuinæ operationis socios nos etiam fecerit & consortes. Sed in hoc argumento refutando multum omnino operæ laborisq; consumpsimus: præsertim cùm proximè quędam horum simus adhuc latiùs explicaturi.

2. Cor. 6. 1. Cor. 15.

In octauo enim argumento ridiculi citharedi chorda semper oberrant eadẽ, cũ causas deo adiutrices in redemptionis humanæ opere negant. Quæ stultitia cuiusmodi sit, exemplo naturæ demonstrare possumus. Fuerunt quidam vsq; adeò naturalis sapientiæ imperiti, vt opinarentur causas secundas, sic enim appellant Physici, nihil omnino ex se agere: sed rerum omnium effectorem deum ad præsentiã causarum quæ secundę proximęq; dicuntur, per se ipsum omnes effectus edere. Quæ deliratio incredibilis stultissimorum hominum è schola Philosophiæ non modò sibilis sed etiam conuicio exposa est. Verùm quod isti in natura, idem in his, quæ supra naturã sunt, Lutherani peccãt, qui soli deo redemptionem tribuentes causas adiutrices excipiunt, quasi blasphemia sit, quod in natura sapientissimi quiq; dixere, id nos in gratia dicere: nempe causas esse adiuuãtes & proximas, quibus prima & principalis vtatur, vt res supernaturales efficiat. Quo loco vis & potestas illius eò præclariùs extat atq; eminet, quò magis se homini confert cum illoq; communicat non modò vt sit, sed vt causa etiam sit: quæ, vi licèt accepta diuinitus, verè efficiat tamen & deum quoq; ipsum in rebus faciendis adiuuet. Nam & Apostolus non dubitauit scribere, dei nos adiutores esse dispensatoresq; & ministros mysteriorũ eius. Item, se plantasse & vt sapientem architectum fundamentum posuisse ac filios per euangelium in Christo genuisse. Vt illa prætereamus, Baptizãtes eos in nomine patris &c. Quæcunq; solueritis super terram &c. Quorum remiseritis peccata &c. Ex quibus Constãtiẽsis synodus apertè confecit, sacerdotẽ verè absoluere. verè cõficere Quæ si certissima sunt, vtsũt sanè: nihil necesse est, qđ Albertus Pighius facit, sacrificiũ operationem nostram esse negare. Multò enim doctiùs Diuus Thomas asseruit, quem locum breuiter perstrinxi paulò antè, sacrificium oblationem esse & eius actum virtutis, quæ dei cultu pio continetur. Nostra igitur est o-

1. Corin. 2. & 3.

Matth. vltimo. Matth. 18. Ioan. 20. ui de Ambr. Libr. 1. de pœni. ca. 2. Nouatus enim aiebat se dño deferre bonorem, cũ soli remittendo rum crimiñ potestatem tribuebat

Universidad de Deusto
Biblioteca

peratio, non inficior equidem. Sed duplices sunt operationes nostræ. Quædam, quas nostro nomine reddimus, & quę nostra gratia meritisque nituntur: vt eleemosyna & ieiunium. Alterę verò sunt, quæ non à nobis efficacitatem habent, sed prout sus à Christo: vt baptismus & absolutio sacerdotis in pœnitentiæ sacramento. Quia enim sacerdos non in suo sed in nomine Christi baptizat & absoluit, istiusmodi actiones, in quibus purum nudumque ministerium est, non à ministro vim accipiunt sed à Christo, cuius reuera magis dicuntur esse quàm nostræ. Nam ille est, qui baptizat: ille est, qui absoluit. Quocirca, siue iustus administer sit siue iniustus, ad effectum sacramenti nihil omnino interest. Sicut refert etiam nihil, quiignem accendit & ad exustionem admouet, frigidus an calidus ille sit. Tantum quippe caloris impertiet, non quantum habet ipse, sed quantum habet ignis admotus. Priores igitur operationes nostræ non conferunt alijs peccati remissionem ex opere operato, id est, ex vi reifactę: sed quécunq; effectum sortiuntur, ex merito eum nostro sortiuntur. At posterioris generis operationes ex se possunt peccata remittere, quia, vt diximus, Christi sunt potius quàm nostræ. Ità si semel nos Christi sacramenta conficimus eaq; alijs admouemus, ex vi rerum effectarum & aliorum culpas pœnasq; resoluimus & gratiam Christi impartimur, non nostram. Sacrificium porrò altaris, quod primo argumento refutando explicui, in posteriore operationum genere includitur. Non enim suo nomine sacerdos hostiam præbet, sed Christi: nec suum meritum & gratiam deo repræsentat, sed Christi, nec suum offert sanguinem sed Christi. Quemadmodum autem si ignem faceret & ad comburendum adiungeret, ignis effectionem induceret: sic cùm sanguinem Christi in altari conficiat, eundemque sua oblatione applicet, sanguinis Christi efficientiam affert. Quo fit, vt nec sacrificij huius effectus aut à bono administro maior sit aut á malo minor, nec sacerdotis iniquitas effectum huius impediat sacrificij, quemadmodum Innocentius lib. 3. de sacro altaris myste. cap. 5. testatur. Non est autem dogma hoc nuper inuentum: nam auctorum etiam veterũ libris peruulgatũ est. Id Gregorius tradit. 1. q. 1. Multi. Augustinus de consecra. distinct. secunda. Vtrum. Hieronymus aduer. Lucif. Chrysostomus ho. secunda in secundam ad Timo. epistolam, cuius verba libuit subscribere. Sacra, inquit, oblatio, siue Petrus siue Paulus siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines sed Christus, qui ante sacrificauerat. Qui autem hanc illa minus habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atq; operatur. Hactenus ille. Quam rem exemplo Philosophiæ apertiùs exponemus. Docent sanè Philosophi causas administras non eodem modo esse omnes. Quædam enim non agunt, nisi qualitatem similem à principali causa receperint. Vt aer non illuminat oculos nisi sol lumen cum eo communicauerit: aqua non calefacit, nisi priùs ab igni calorem habuerit. In quo genere eo effectus vel maior vel minor est, quò forma & virtus agendi magis vel minus fuerit adiuuanti causæ communicata. Qua etiam forma & virtute si caruerit, nihil penitus aget, vt aer sine lumine sine calore aqua &c. Aliæ sunt causæ adiutrices, quæ vim principaliũ causarũ applicant, vt is qui admouet ignẽ ad stipulã vel lignũ. In quo genere actionis non facit diuersos effectus diuersa applicatium qualitas, modò ignis idem applicetur. Ministri autem & sacramenti & sacrificij Christiani sunt causæ secundi generis. Non enim per sanctitatem participatam reliquos ipsi sanctificant: nec mundant alios, quia priùs à Christo ipsi mundati sunt. Sed qualescunque sint, si Christi aut sacramentum exhibent aut præbent sacrificium, eundem Christi sanguinem & merita adiungunt.

Ireneus verò primùm non de solo altaris sacrificio loquitur, sed de cæteris quoque oblationibus, quæ figuratè sacrificia dicuntur. Id quod facilè apparet, quoniam Pauli testimonium ad Philipenses excitat, vbi de eleemosynis sermo fit. Illud etiam refert, Respexit deus ad Abel & ad munera eius: & item illud, Si offers munus tuum ad altare &c. Deinde Irenæus sermonem apertè facit de sacrificio in ordine ad offerentem. At ne hostia quidem altaris eum, qui offert, purificat: si ipse nequam & impurus est.

Li. 4. c. 34. Quin magis ex oblatione sacrilega inquinatur. Vnde & ait, quòd siquis timorem dei non habeat, nequaquam per id, quod rectè foris oblatum est sacrificium, ad se ducit deum intus habens peccatum. Nec oblatio talis, inquit, proderit ei aliquid. Præterea sacrificium altaris non solius administri est, sed ecclesiæ totius. Ita licèt sacerdoti malo offerenti nó prosit sed noceat: at ei, pro quo offertur, vtile est non sacerdotis merito, sed ecclesiæ. Quam rem exposuit Ireneus eo etiam capite in hæc verba, Quia igitur cum simplicitate ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium deputatum est. Cùm verò in ecclesia dei caput etiam includatur, quod est Christus, consequens fit, non oportere, vt sanctitas sacerdotis administrantis sanctificet sacrificium: quod & per se sanctum est, & ab impolluto sacerdote oblatum. Idem quippe est & sacerdos & sacrificium Christus Iesus. Cùm ergo argumentũ illud, quod istis firmissimum & grauissimum videbatur, responsis omni luce clarioribus ego refellerim: qualia obsecro erunt argumenta reliqua? in quibus ad probandum vis nulla est, ad contradicendum est profectò imbecilla.

Videlicet argumentum nonum minimo negotio refutabitur. In remissione enim peccati duo intelliguntur, & condonatio culpæ, & resolutio pœnæ. Atque illa quidem vel per propriam fidem & charitatem contingit hominibus vel per fidei sacramentum: hæc verò per fidem etiam & charitatem alienam. Ecclesiæ nempe societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit: quam rem probare, alterius loci ac temporis est. Multò verò magis hanc pœnæ relaxationẽ vir iustus à Christi passione participat: Christi autem passio per sacrificium altaris non solùm commemoratur, sed communicatur etiam. Sacerdotis igitur oblatio ei, pro quo fit, bis conducit ad relaxandam pœnam, & quia sacerdotis ipsius opus meritoriũ est, quod ille ad soluendam pœnam proximo suo benignè ac liberaliter impartitur, & quia ecclesiæ atque adeò Christi sacrificium est, quem effectum sacrificio ex opere operato attribuimus: nam priorem illum habet ex opere operãtis. Quare si sacerdos probus est, & suam operam & satisfactionem vult fratri indigenti dare, dupliciter, vt modò dicebam, illius commodis & vtilitati seruit: sin est improbus, vna est vtilitas sacrificij, quæ ab ecclesia & Christo offerente proficiscitur, quam omnino minister sacrilegus non intercipit. Sicut ne eleemosynæ quidem fructum domino adimit seruus, qui eam distribuit, detestabilis.

In huius autem confirmatione argumenti vis sacrificij in peccato remittendo quæritur: culpas ne remittat an pœnas an vtraq; potiùs & culpas & pœnas. De qua re tres video sententias ferri, quarũ nullam probo. Vnam, vt oblatio sacra culpas etiam mortales remittere possit atque adeò gratiam conferre. Alteram, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

in remissione peccati nullam vim sacrificio tribuit nisi ad impetrandum: quomodo eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, quia orationis loco apud Deum est, per quam ea bona impetramus. Id quod Ecclesiasticus exponit inquiens, Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Nec ideo tamen sacrificium propitiatorium esse negant. Quoniá & is, qui veniam alteri impetrat, illum propitium reddidisse dicitur, quem suis precibus placauit. Per hanc igitur viam & rationem hoc sacrificium non pœnas solùm aiunt, sed culpas etiam omnes veniales mortalesque remittere. Tertia sententia est, quæ sacrificium ex opere operato in pœnas valere dicat: in culpas nullo modo. Satisfactionem itaque in altaris hostia esse & exolutionem pœnæ, non expiationem & remissionem culpæ. Ad hunc enim effectum sacramenta parata esse: ad illum verò esse institutum sacrificium.

Sanè qui primam illam opinionem induerunt, hi eisdem argumentis vtuntur, quæ nos attigimus: quòd Alexander & Iulius tradunt, crimina omnia hoc sacrificio deleri: Athanasius Cyprianus, & Damascenus affirmant omnes sordes expiari: Chrysostomus & Theophila non obscurè docent, esse remissionem peccatorum. Quòd si ex verbis illis, quorum remiseritis peccata. &c. colligunt Theologi, ministros posse & culpas omnes remittere & gratiam ex opere operato conferre: cur nos aliter eadem verba de sacrificio interpretemur? Præsertim cùm peccata propriè vocentur culpæ: reatus verò pœnæ non nisi per tropum, quo effectus significatur nomine causæ. Atqui confugere ad tropos Theologo non licet, quando nihil absurdi est in proprio sermone.

Rursum sancti patres docuere, sacrificium hoc crimina abluere sordesque detergere. Qui autem abluit & detergit sordes, is maculam tollit: non ergo solas pœnas hæc hostia resoluit, sed culpas quoque, in quibus maculam intelligimus. Remissa enim culpa manet pœna, non macula. Adde quòd sanguis Christi mysticè hîc funditur in remissionem peccatorum, quemadmodum nos ipsa forma consecrationis instituit: at sanguis Christi pro culpis etiam effusus est, non pro pœnis tantùm. Vtrasque ergo hoc sacrificium soluit. Postremò, cùm idem Christus patri offeratur in altari, qui se patri offert in cælo, sicut oblatio, quam sancta sanctorum ingressus patri exhibet, mortales etiam culpas remittit: ita & ea, quæ in altari fit, culpas remittet & pœnas.

Nec secunda opinatio præsidijs suis destituta est. Quoniam post oblatum sacrificium pro peccato, vt fideles intelligerent vim orationis in hostia ad illud delendum esse, ecclesia his verbis deprecatur, sit hoc sacrificium intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit remissio omnium peccatorum. Atque Diuus Thomas in quarto. distinctione duodecima. quæstione secunda. articulo secundo. quæstiuncula secunda. cùm in primo argumento obiecisset illud, sit ablutio scelerum. &c. respondit, huiusmodi locutiones esse improprias. Dicitur enim hoc sacramentum scelera abluere, quia ipsa impedit contra ipsa robur ministrando. Et ad quartum, Eucharistia (ait) inquantum est sacrificium, habet effectum

ctum in illis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu: & ideo si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute veri sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit: & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat. Hactenus Diuus Thomas.

Tertia demum opinio, si opiniones tamen istas habeo dicere, quas video cum communi Catholicorum sensu pugnare, quoniam in hostiæ huius efficacia peccata mortalia nescit à venialibus secernere, ne vtraque concedat per sacrificium remitti: ad pœnas vtrorumque necessario confugiendum putat, quæ est his potissima ratio ita sentiendi.

Harum trium sententiarum, vt dixi, nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, nisi omnes Theologi fallantur, qui vno ore animoque dissentiunt. Nam si culpæ mortales per sacrificium soluerentur, pœnitentiæ sacramentum non esset ad salutem necessarium. Vbi enim sacerdos ea semel oblato sacrificio deleisset, non esset opus easdem iterum culpas alio remedio extinguere. Neque deus, qui non abundat in superfluis, duo externa signa proximè ad eundem effectum instituerit. Constat autem pœnitentiæ sacramentum ad remittendas culpas fuisse institutum. Quòd si sacrificium altaris ex se quoque peccata aboleret, duobus externis signis indiscriminatim ad culpæ remissionem abuteremur. Hanc cum adeò facilè sacrificium exhiberet, pœnitentiæ disciplina penitus euderetur: quoniam sacrificium offerre remedium est cuique vel promptissimum. Quid? quòd culpas mortales sine confessione sacerdotes remitterent oblatis videlicet sacrificijs. Id si fieri à sacerdote potest: frustra confessionis præceptum ecclesia vrgeret. Siquidem sacerdotes & sine cognitione causę & sine confessione peccantium culpas vniuersas per sacrificium soluerent. Ita post baptisma susceptum aliqua superesset hostia pro peccatis, id quod retro diximus antiquis omnibus expositoribus repugnare; nouos enim fortasse isti contemnent.

Ex quo Ambrosij Catharini deliratio patet, peccata ante baptismum admissa per crucis sacrificium remitti, post baptismum verò omnia per sacrificium altaris. Hostiam quippe crucis generalem causam esse remissionis peccatorum, siue ante baptismum siue postea commissa sint, tum ad Romanos & Hebræos tradit Apostolus, tum etiam nos manifestissimè probaremus, nisi stultum esset commenta improbabilia refellere. Illa potiùs refellenda sunt, quæ isti contrà afferebant. Alexander, Iulius, Athanasius, &c. sacrificium aiunt delere crimina peccataque remittere. Hoc tribus modis refutamus. Primùm diximus, nec ita multò antè, cùm pœnæ pro culpis debitæ delentur, soluuntur, remittuntur: tunc crimina deleri, solui, remitti. Quo sensu ecclesia per indulgentias concedit peccatorum omnium plenissimam veniam, idest, pœnarum omnium, quas peccando contraximus. Nec refert multùm, an impropriè & figuratè illa sint dicta, an sine figura propriè, quia scilicet non est plenè remissa culpa, quandiu peccator reus est soluendæ pœnæ. Ad 3.

Deinde cùm ad perfectionem sacrificij pertineat sumptio, quemadmodum superiùs ostendimus, nisi enim consumeretur, non existimabant veteres consummatum & perfectum esse Ad 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificium: nihil mirum est, si corpus & sanguis Christi, quoniam gratiam conferunt dum sumuntur, culpas omnes ex consequenti remittant, nempe is effectus gratiæ proprius & coniunctus est. Atque hoc ecclesia videtur significare cũ ait, Sũpta sacramẽta quæsumus domine omnia crimina nostra detergant. Quibus verbis intelligi voluit, sacrificium, si culpã spectes, non quia offertur delere crimen, sed quia sumitur. Eadem enim hac ratione & sacramentum est & perfectio sacrificij. Postremò Diuus Thomas in quartum sententiarum, vt modò citatum est, respondit sermones illos ad eam formam esse redigendos, qua hæc, quæ oratione impetrantur, dicitur oratio facere. In quem sensum dictum est, Vitam præsta puram, Solue vincla reis &c. Quò Moyses etiam spectasse videtur, cùm præscriptis singulis hostijs pro peccato subiungit. Et orabit pro eo sacerdos & dimittetur.

Leuit. 4.5. & 6.

At verò ridiculum est, si verba illa, quorum remiseritis peccata &c. simpliciter ad culpas pœnasque referimus: omnia similia, vtcunque, vbicunque & à quocunque dicantur: ad eundem quoque modum interpretari. Aliud est mihi crede, iudices constituere, qui de peccatis sententiã ferãt, qui retinẽdi ac soluẽdi habeãt potestatem, qui pro culparum vel leuitate vel grauitate seueriorem mitiorèmue pœnam iniungant: aliud post gratiam initã & sacramentum reconciliationis acceptum altaris domini participem fieri. Quòd si post remissam culpam nulla prorsus maneret pœna nec post mortales condonatas veniales admitterentur, nihil esset opus, post institutum pœnitentiæ sacramentum hostiam propitiationis habere. At hac etiam in re precipuè nobis indulsit Christus, qui non solùm pœnitentiam dedit ad reparandam relarciendamque amissam gratiam, sed sacramentum Eucharistiæ idemque altaris sacrificium reliquit, quò gratiam sartam tectam haberemus. Hoc enim sacrificio non modò pro conciliata amicitia par pari referimus, verumetiam subiratum iudicem & pœnam temporalem pro admissa ac remissa culpa minitantem propitium reddimus: hoc sacrificio detergimus pedes, & quod apostolis aqua in peluim missa contulit, id ac multò etiam magis pœnitentibus tribuit sanguis missus in calicem: hoc denique oblato sacrificio disponimur, abluimur, præparamur: vt ad mẽsam dominicam puriter nedum amicè valeamus accedere, epulisque accumbere diuum. Ordo igitur rerum sacramentorumque natura poscit, ne remissionem peccatorum eodem modo in pœnitentiæ sacramento & in altaris hostia interpretemur.

Nec ad tropos hìc fugimus. Explicatum est nanque resolutionem pœnæ ad remissionem integram peccati attinere, nec esse plenè remissam culpam, pro qua manet soluenda pœna.

Ac si sanctorum dicta hoc sanè loco ad tropum deflecteremus, nec sine necessaria causa, nec sine peruulgata eius vocis vsurpatione id faceremus.

At ablutio criminum sine aqua gratiæ non est, nec nisi maculam habeat, quicquam aut tergitur aut abluitur. Ego Lector nolo ablutionis & maculæ metaphoras ad viuum resecare, quemadmodum ij, qui ista subtiliùs inquirunt fortasse verè sed ad communem vtilitatem parum. Nam si scripturæ ac veterum testimonia semper ad illam normam velimus exigere, inueniemus ea quandoque à veritate discrepare. Id quod vno solùm exemplo manifestũ faciã, quoniam vel mihi ipsi iã huius disputationis lõgitudo molesta est. Dauidi ad peccati cõfessionẽ culpã esse remissam, nemo vocare in dubiũ potest, nisi qui ea, quæ paulò antè scripsim⁹, aut nõ legerit, aut nunquam secum reputauerit. Dixi, ait, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino &c. Sed quòd remissa culpa nondum fuisset plenam munditiem consecutus, is ipse testatur inquiens, Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me. Item, Asperges me &c. Qui amplius dicit, hic totum se esse procul dubio sentit: sed non plenè atque perfectè Macula igitur aliqua relicta erat, sordes aliquę permanebant, quæ non fuerant penitus priore ablutione detersę. In hunc ergo modum dixere veteres, sacrificium abluere crimen sordesque purgare: quanuis scirent, per pœnitentiam ante & remissam culpam & gratiam iustificationis acceptam. Pœnæ itaque resolutionem, quoniam purgatio & medicamentum animi est pœna omnis, ablutionem detersionemque appellarunt veteres: vel certè senserunt, per gratiam imperfectam non plenè sanari, ablui, mundari cor humanum: quoniam habitus vitiorum inhærentes & inclinationes quasdam ad bonum commutabile ex peccato trahimus, quæ omninores, cùm non statim per quamlibet contritionem euanescant, tum exploratum est, quasi sordes animi & morbos esse. Benignè igitur fecit dominus in voluntate sua Sion, cùm post sacrificium cordis humiliati atque contriti, quo deletur culpa, alterum acceptat sacrificiũ iustitiæ, quo resoluitur pœna. Vtroque purgantur sordes, vtroque abluimur & mundamur: sed non eodem modo tamen. Multæ enim variæque purificationes à rebus diuersis existunt, quas si similes omneis esse velis, stultum te esse fateare. Nam peccati maculam omnino totam, ita vt ne vestigium maneat quidem, per quamuis gratiæ ablutionem penitus elui, nec ratio admittit nec auctoritas.

Sed sanguis Christi offertur & mystice funditur in remissionem omnium peccatorum. Mihi profectò sæpissimè de ea re cogitanti maximè illud considerandum videri solet, quod in superioris cuiusdam argumenti refutatione breuiter admonui, sanguinem Christi in omnibus quidem sacramentis operari: sed in singulis suum cuique proprium effectum edere iuxta cuiusq; peculiarẽ & significationem & naturam. Quemadmodum causa vniuersalis prima, non totam vim in singulis adiuuantibus causis effundit, sed ad illarum omnino vim vel perfectas, vel imperfectas se attemperat, & varios quasi partus procreat perfectione & imperfectione differentes. Sic Christi sanguis per se quidem & in baptismo & in pœnitentia remissionem peccatorum facit: sed non similiter tamen. Nam in baptismo quoniam regeneratio est, totam perfectè culpam pœnamque resoluit: in pœnitentia verò, quoniam est iudicium & satisfactionem habet adiunctam: culpam resoluit, pœnam non plenè, donec satisfactio fuerit expleta. Atque in reliquis sacramentis omnibus remissio quidem peccatorum est, sed quodam modo & quasi per accidens. Quia nimirum non sunt per se aut confirmatio aut eucharistia aut ordo aut matrimonium ad remittendum peccatum instituta: sed proprias tamen operationes habere nequeunt sine gratia, quæ si peccata in anima reperiat, ea depellit, vt contraria. Sacrificium altaris inuenio, cum adveritatem cœpi reuocare rationem, quia per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum. Verùm cùm species habeat panis & vini idemque & altare hìc & mensa sit, ratio ipsa rerum & ordo naturæ postulat, vt huius altaris effectus in illis existat, qui mensæ huius participes esse possunt, nempe sacramento reconciliationis accepto, antequam ad amicorum conuiuium accedere absurdum est. In his autem culpa mortalis remissa est. Quare sanguis Christi in speciebus panis & vini per se quidem remissionem pœnæ & culparum venialiũ tribuit: interdum tamẽ, quãuis per acci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

accidens, tribuit etiam mortalium non quia offertur, sed quia sumitur. Tũc enim vt sæpè dixi, consummatur sacrificium. Quod quum fortè inuenit hominem in peccato mortali, ignorato tamẽ, gratiam confert illumq; iustificat, si D. Tho. auctori credimus.

Quamobrem tametsi Christi sanguis offertur & mysticè fũditur in remissionẽ peccatorũ, vt iam argumẽto respondeamus, ex significatione tamen specierũ panis & vini tanquã ex causa instrumẽtali & adiutrice definitur, vt eam remissionem efficiat, cuius participes sunt ij, qui non indignè ad altare domini accedunt, id est, qui nullius culpæ mortalis sibi sunt conscij, quam non priùs per pœnitentiã eluerint. De effectu sacrificij ex opere operato sermo fit: nã quasi orationis loco ad impetrãdam gratiã scio pro mortali posse etiã offerri. Nec tamẽ effectum semper habere necesse est & quasi lege edita pœnitentiã peccatori atq; adeò veniam impetrare: tametsi oratio est hęc deo gratiosa vel maximè. Sed obijcis. Exauditus est filius semper pro sua reuerentia: & hoc sacrificium semper offert patri filius: sempiternũ ergo effectum habet. Nec enim oratio filij frustra & vanè fundi potest. Cui argumento respondeo. Quas Christus per se ipse fundit preces, eas omni & tempore & loco exaudit pater: at quas ille offert per homines, non semper exaudit. Sicut causa prima quos effectus per se sine adiutrice alia voluit edere, in his nihil frustra egit aliquando. At cùm per secundas causas operatur, frustra quandoq; agere dicitur, hoc est, quandoq; finis euanescit non à præcipua causa, sed omnino ab adiutrice.

Ad eũdem quoq; modum, si Christus in cælo hoc sacrificium offert, vt verè offert, nõ ad omnem effectum sanguinis instituit offerre, sed ad effectum sub certis speciebus & figuris definitum. Prima igitur sententia sic nobis refutata sit.

Qui verò solam vim impetrandi in altaris hostia ponunt, hi in pœnis peccatorũ primùm errant. Quas sacrificio sanguinis Christi tanquam pretio exhibito redimi, quoniam res nota erat, perstrinximus breuiter paulò antè. Si enim eleemosynis peccatorum pœnæ redimũtur, cur negemus Christi sanguine oblato in altari redimi? Ecquis autem ferat sacrificijs veteris legis pœnas resolui, sacrificio nouæ legis non resolui? An vilior est deo sanguis Christi quam sanguis hirci? Sed quemadmodũ in sacramentis non modò quia actio nostra meritoria est, satisfactionem habet adiunctam pro pœna culpæ debita, verum etiã ex eo quòd per talia signa propriè nobis sanguis Christi applicatur, vi ipsius sanguinis & maior gratia confertur & maior pars pœnæ remittitur: sic in sacrificio altaris non solùm quia oblatio nostra meritũ habet, sed qa per eiusmodi externũ signũ passionis Christi commemoratio atque adeò applicatio fit, ex ope operato, id est, virtute sanguinis ipsius cumulatior pœnę remissio & offereti contingit, & ijs etiam, pro quibus offertur. De viuis intelligo: nam in defunctis nõ subest causa eadem. Ad hos quippe sicut merita Christi per indulgentias non nisi ad modum suffragij perueniunt: ita forsan nec sacrificij vis nisi orationis & suffragij locum habet. At viuis per viam redemptionis & pretij prodest, quod lege iustitiæ acceptandum est, perinde vt si quanta pecunia debetur, tanta etiam exoluatur.

Errant deinde isti in culpis venialibus, quas hoc omnino sacrificio deleri, testes sunt & scholæ Theologi & veteres etiam sancti. Nec enim minore ecclesiæ consensione venialia per sacrificium altaris quàm per aquam benedictam, per orationem dominicam aut similia huiusmodi religionis opera remittuntur. Estque argumentũ in prõptu certissimũ, quòd ex vi formæ, qua cõsecratur sanguis, specierũq; panis & vini retro collegim⁹, peccata amicorũ, qui videlicet ad mensam dominicã haud

De consid. 2. ca. iterum. & ca. utrum.

haud indignè accedunt, per hoc sacrificium resolui. Illa autem leuia sunt & venialia, quæ in amicis etiam inueniri queunt. Vt apertè Christi erga nos prouidentiã & benignitatẽ intelligas, qui grauioribus morbis grauiorẽ pœnitentiæ curationem adhibuit: leuiores autẽ faciliori sacrificij medicamento curauit. Sed hæc hactenus. Isti atq; etiã qui tertiã sententiã secuti sunt, videant quomodo tueri causam suã possint, cũ nõ solùm pœnas, sed veniales etiam culpas per altaris hostiã remitti, ratio & veritas ipsa conuincat. Ac de argumenti noni confirmatione vereor ne nimium multa dixerimus.

Decimum verò argumentum quæstio nẽ perobscurã habet de valore sacrificij, vbi quibusdã Theologis, quos video doctissimos habitos in schola, placuisse intelligo mirabilia quædam, sed nihil est tam improbabile, quin argumentando probabile quandoq; appareat: his præsertim, qui de facie rerum iudicant, & argutijs suis fumos Theologiæ persequuntur. Horum de valore missæ sententias refellere longũ & molestum erit. Meam itaq; breuiter exponam, quantum videlicet satis erit, vt argumento huic respondeatur. Primùm ergo vocari in dubium non debet, quin valor missæ ratione quadamtenus infinitus sit, hoc est, ad sufficientiam non ad efficiẽtiam. Nam sicut dei virtus & potentia sufficiens est quidem, vt infinitum effectum edat, quoniam infinita ipsa est, sed semper tamen edit finitum, quia infinitum capere res creata non potest: sic Christi sanguis, vbicunq; reperiatur siue in cruce siue in altari, infiniti pretij est, quia idoneus vt ꝓ infinitis, si essent, homin⁹ib⁹ satisfaceret: sed quoniã sunt finiti semper, effectus semper finitus est, quanuis pretiũ sanguinis nullo fine circunscriptus sit. Ac de hostia crucis quidem nulla hodie nobis controuersia est: hostiã verò altaris infiniti v, aloris esse duobus argumentis exploratè perceptũ est & cognitũ. Vnũ illud est, quod refutare modò nitimur. In ea enim parte, qua docet, sacrificiũ infinitũ esse, quia sanguinem deo infiniti pretij exhibet: difficile factu est, efficacitatem illius argumẽtationis non probare.

Alterũ argumentũ est, ꝙ si valor missę, finitus esset, minùs satisfaceret pro pœna debita decem homines, qui offerrent sacrificium, quàm si duo tantummodò offerrent. Si enim rem quancunq; finitam decem hominibus partiaris, non tanta portio obueniet singulis, quanta duobus contingeret, si inter duos solùm diuideretur. Ita si decem audirent missam, valor distributus in plures minor in quocunq; illorũ existeret, quàm si duo tantùm sacrificio interessent. Item quò plures ministri vel in altari vel in choro sacrificio solenni inseruirent, eò minorẽ hostiæ partẽ acciperẽt. Quare quipost me vel auditor vel adiutor ad missã accederet, is fructus mihi & satisfactionis partẽ adimeret. Quæ profectò oĩa absurda sunt. Quibus rebus efficitur, vt si duo fideles sacerdoti stipem & eleemosynam conferant, qui pro illis hostiam præbeat, non sit prior minorem ex Christi sanguine vtilitatem percepturus, quã si posterior nullus omnino extitisset. Quẽadmodum si iuxta crucẽ quis vnà cum Christo patri offerret sanguinem illum, nihil consequeretur minus, si solus, quàm si infiniti tunc simul adessent, quilibet cũ filio sacrificium exhiberẽt. Eadem quippe hostia in cruce atq; in altari est: tametsi ibi patens, hic in mysterio abscondita. Nec sacerdos tamen laboris sui mercedem quãlibet accipere à multis pro missã vna potest, sed quæ satis erit, vt de altari ad sobrietatẽ comedat. Non enim sanguinis Christi fructum meritumq; vendit, sed operas suas ministeriumq; locat. Quocirca nihil omnino plus à pluribus vendicare potest, ac si minor esset vtilitas in pluribus quàm in vno. Omnis autem opinio in hoc consentiat necesse est, sacerdotem, siue pro paucis siue pro multis celebret, cibũ vitæ

neces-

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessarium expetere suo iure posse. Quē si vnus non dederit, nulli facit iniuriam, si expetierit à pluribus. Quin iniurius es tu si cogas sacerdotē, vt solùm pro te ille hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum. Qui quantus qualisq; sit homini necessarius, prudentia magisq; Theologia diiudicat. Vno in tempore & loco non satis erit argenteus nummus: alio forsitan plus nimio erit.

Sanè quod de vtilitate sacrificij diximus, rectè Caietanus admonuit, hoc ad eos tātùm, qui offerunt, referendum esse. Nam qui non offerunt, ij non æqualem partem accipiunt, si pro pluribus ac si pro vno dū taxat offerretur. Vt si sacerdos sua sponte à nemine amicorū inuitatus pro illis absentibus sacrificet, dico non tantum valere multis, quantum valeret vni, si pro vno illorum singulariter sacrificaretur. Ad satisfactionem loquor: ad impetrationē nāq; nulla vis minor in sacrificio est, quod pro multis offertur, quā in eo, quod pro vno solo. Quæ omnino res cunctis orationibus communis est, quibus nihil detrimenti ad impetrandum est, quòd pro pluribus effunduntur. At adiutores auditoresq; missarum ij etiam, qui sacerdoti alimenta ministrant vel quoquo modo sacrificio inseruiant, re vera offerunt sacrificium: ideoq; pro sua deuotione quisq; partem capit hostiæ illius. Certè quò causa adiutrix sacrificij principali causæ coniunctior est, eò magis pro pœna satisfacit. Vt sacerdos plusquàm diaconus, diaconus plusq; subdiaconus, subdiaconus plusquā acolytus, acolytus plusq; auditor, horum autem vtrunq; excellit is, qui sacerdoti stipendium vitæ necessarium dederit. Atq; hi etiam, quò deuotiùs ac religiosiùs suo quisq; munere fungentur, eò magis satisfacient. Tanta verò deuotio & religio in offerendo sacrificiū esse poterit, vt vna oblatione tota pœna debita resoluatur. Nec enim si sacrificium infiniti valoris est, idcirco tota semper pœna redimitur. Quoniam infinitum est in genere causæ vniuersalis, quam, infinitam licèt, causæ adiuuantes ad finitos effectus determinare solent, tātò vel maiores vel minores, quā tò vis adiuuantium causarum vel maior vel minor est. Id quod in prima rerum naturalium causa cernimus, quæ tametsi infinitæ virtutis ipsa est, per causas secundas finitos effectus edit tātos & tales, quā tos & quales causarū adiutricū vis & natura posit. Nec sacerdos sacrificio imponit limites ex merito & sanctitate, sed ex intentione & applicatione sua, qua huic aut illi, pro quo offert, sacrificij virtutem applicat. Sanè quemadmodū paruulis baptizatis per ministri intentionem Christi sanguis applicatur certusq; gradus gratiæ cōfertur, non quem administri sanctitas præfiniuit, sed quem præscribere voluit Christus, nam quotus gradus ille sit, mortalibus ignotum est: sic his, pro quibus sacrificium offertur, si simul ijdem non offerūt certus gradus pœnæ remittitur: quē nos ignoramus, Christus sua voluntate præstituit. Sed vt adulti eò maiorem à baptismo gratiam percipiunt, quò religiosiùs & deuotiùs percipiunt baptismum: ita à sacrificio maiorem vtilitatem capiet is, qui sacrificium sanctiùs & feruentiùs offeret. Paruulis porrò ablutio peculiaris ministri vim crucis ad certum gradum gratiæ definit, quem æqualem in omnibus illis esse credimus, quòd æqualis in omnibus dispositio est: adultis verò, quoniam non est eadem dispositio sed alia cuiq; atq; alia, non idem gratiæ gradus sed alius alij conferetur. Quomodo vim sacrificij vniuersalem & infinitam sacerdotis singularis oblatio determinat vel ad certam & æqualē remissionem pœnæ in his, qui eodem modo se habent ad sacrificium: vel etiam ad inæqualem in ijs, qui cùm causæ adiuuantes sint sacrificij, aliter atque aliter afficiuntur, hoc est, bene, meliùs, optimè.

Quòd si Christi sanguis tam propriè noster esset, quā suus cuiusq; proprius est, sine dubio Christi sanguine oblato tota pœna quanuis infinita solueretur. At, sicuti diximus, noster est Christi sanguis eo modo, quo lux solis nostra est: nempè vt causa vniuersalis, cuius vis maior minoruè recipitur, pro eo vt subiectum magis minus uè disponitur, pro eoq; vt causæ adiuuantes maius minusuè opis ferunt ad effectū. Atq; post hæc in refutando argumēto decimo ociosum erit verba plura prodigere.

Vndecimum quoq; argumentū ridendum magis erat quàm refutandum. Sed ridicula missa: præsertim cùm in tanta hominū cæcitate & miseria nihil est, quod rideamus. Prior ergo eius argumenti particula facillimè eluditur. Nulla enim repugnantia est, quin cōuenit maximè: vt quare deo gratiam referimus benefico, eam ré offeramus irato. Eisdem quippe muneribus boue, oue, agno veteres patres & gratiam deo referebant, & illum placare curabant. Quem in modū nos corpus & sanguiné Christi, diuino nobis dono concessa munera, deo & propitiatoriè reddimus & eucharisticè. Nam quod putant sacrificiorum species confundi, si idem eucharisticum & propitiatorium sit, in eo mirificè isti falluntur. Non enim confunditur triplex animæ vis vegetandi, sentiendi, intelligendi: si in vna rationali anima tres excellenter existant. Ex quo intelligitur, si veteris legis multa eademq; varia sacrificia in vnum nouę legis omnia transierint, vbi cō tineantur & emineant: nō hanc esse specierum permixtionem confusam, sed Christiani sacrificij excellentiam perfectā. Deinde in moribus hoc videmus, vt diuersa virtutum ac vitiorum genera in vnam actionem coeant, si huic diuersi fines accedant. Idem scilicet actus est furtum & sacrilegiū idem misericordia & religio. Nihil igitur vetat, quin eadem hostia ad diuersos relata fines & propitiatoria sit & eucharistica. Deū sanè nos in remissione etiā peccati & misericordē & iustū agnoscimus: vt & gratis remittat peccata, & pretio remittat tamen. Iustificati, ait, gratis per redemptionē, quæ est in Christo Iesu. Et rursum, Empti estis pretio magno. Donauit autem Christus nobis pretium hoc gratisq;, donauit, vt debita nostra soluamus. Quamobrem tum filio tum patri ingētes gratias agimus: imò, vt aliquando diximus, par pari referimus. Quia verò pretiū istud acceptum licèt, sed nostrum est tamē, verè hoc exhibito peccata nostra redimimus, deutmq; suis beneficijs placamus. Quam rem Ireneus in hęc verba persequitur, Qui nullius est indigens deus in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, vt præstet nobis retributionē bonorum suorū: sicut dominus ait, Venite benedicti &c. ita & verbū dedit populo faciendarū oblationum, quanuis non indigeret eis. Ita & nos offerre vult munus ad altare. Hactenus Ireneus. Et Celestinus huius nominis primus eleganter exclamat, O misericordiam dei, qui nostra vis esse merita, quæ tua sunt dona: & pro his, quæ liberaliter largitus es, æterna præmia es daturus. Quæ causa Christo domino fuit, vt in initio statim cœnæ gratias egerit accipiens panem & vinum vt distribueret discipulis. Accipiebat ergo ipse, qui dabat, & ideo gratias agebat. Quo modo nos & gratias agim⁹ deo pro accepto munere, & damus acceptū pro redemptione animarū nostrarū. Quæ omnia ferè in argumento. 2. pro prima coclusione, & in argumento. 3. pro. 2. conclusione & in respōsione ad. 5. argumentum explicata sunt. Nam & posterior huius vndecimi argumenti particula in responsione ad. 3. satis confutata est. Cur autē eucharistia sacrificiū sit, cætera sacramenta non sint, non est illa causa quā isti reddūt, sed quia in eucharistia corpus & sanguis Christi verè manēt, in cæteris sacramentis non manent. Vnde cū tam pretiosa munera in eucharistia habeamus, offerre ea deo & possumus iure & debemus. Sine oblatione autē sacrificiū nō est. In eucharistię quoq; oblatione mystice Christus & incruentè immmolatur:

Rom. 3.
1. Cor. 6.
lib. 4. c. 34.
In epist. ad omnes Galliarū episcopos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideoq; ibi hostia est, in alijs sacramẽtis nõ est. Propriè dico, nam per translationẽ baptismus quãdoq; hostia dicitur. Abeãt ergo cæci & indocti Lutherani, quos in vno hoc exemplo patefecimus disciplinarum omnium ignaros esse: Theologiæ, Philosophiæ, Dialecticæ, Grãmaticæ. Nec enim rem tantummodo, sed sacrificij etiam nomen ignorant.

Exemplum secundum, vbi Theologiæ conclusio in quæstionem vertitur. Caput quartumdecimum.

QVanquam in singulis præcedentibus libris Lutheranorum nos malitia, coegit, de vno aliquo Theologiæ principio disserere, atque adeò quæstionum, quæ præter naturæ ac disciplinæ ordinem in controuersiam veniunt, multa exempla ponere: sed capite superiore tam in eo pugnæ genere stylum diligentiùs exercuimus, & quasi ad spectaculum liberiore disputatione lusimus. Tametsi non ludicrum hoc sed verum certamen fuit, quod spectante orbe in Tridentino cõcilio certauimus. Vbi patribus magnum lumẽ accendimus, tenebras aduersariorum dispulimus, Theologi visi sumus. Audaciùs verò fecimus quàm scholæ auctores cæteri. Illi enim ieiunè solent nullis ornamentis oratorijs adhibitis hæreticorum sensa rationesq; referre: nos autẽ illa ipsa hæreticorũ argumenta ita amplificauimus, auximꝰ ornauimus: vt & quæ arma inimici habẽt, acuisse videamur: & quæ non habẽt, suppeditasse. Sed, quod aliâs sæpè dixi, veritas mendaciũ superat miris licèt modis instructũ & ornatũ. Verùm ne plus iusto volumen excrescat, nõ ad eũ morẽ reliqua copiosè exẽpla persequemur: sed an gustè & cõtractè disputabimus, atq; vtriusq; partis argumẽta nõ omnia sed præcipua breuiter perstringemus.

Agedũ ergo illa sit nobis secũda quæstio, An Christi anima statim abinitio creationis suæ deum clarè viderit? Sunt enim in vtranq; partem argumenta adeò probabilia, vt neutra firmè stabilita videatur. Bucerus porrò negat Christi animã fuisse à principio perfectã, Erasmus in dubium vocat, Theologi vix ostendunt. Qui verò inficiãtur, ij huiusmodi argumentis vti possunt. Primũ in Christo fuit fides: sicut scriptum est, Erit fides cinctoriũ renum eius. Non ergo mens eius videbat deũ: quoniã fides argumentũ est non apparentium. *Isai.11.* *Hebr.11.*

Deinde Christus spem habuit, quemadmodũ ipse patri loquens ait, spes mea ab vberibus matris meæ. Quod autem videt quis, quid sperat? *Psal.21.* *Rom.8.*

Præterea timuit, vt videre est apud Marcũ, timor aũt futuri & incerti mali est Aristoteli. 2. rhetori. lib. Non igitur videbat clarè deum, in quo nihil vt futurum incertumuè cognoscitur. *Mar.14.*

Præterea creuit gratia non solùm apud homines, sed etiam apud deum. Non itaq; erat beatus nec videbat deum: quia beati crescere in gratia non queunt. *Luc.2.*

In notitia insuper & visione beata nulla rerum cognitarum successio est. At deus Christi animę quędam demõstrabat, alia celabat postea demõstraturus, iuxta illud, Pater omnia demonstrat filio, quæ ipse facit: & maiora his demõstrabit ei opera. Et rursum, de die illa nemo scit nec filius. *Ioan.5.* *Mar.13.*

Præstantius itẽ & iũcundius est gloriã & honorẽ cõsequi per opera digna, quã si ne vllo omnino merito. Christus ergo animæ suæ felicitatẽ tanquã virtutis præmiũ accepit. Quare non est in primo instanti visionẽ dei consecutus. Meritũ enim præmiũ antecedit laborq; mercedẽ. Nec fieri potest, vt simul quis & mereatur beatitudinẽ & beatus sit, nisi simul sit anima & in via & in viæ termino. Confirmant autẽ argumentũ hoc sacrarũ literarũ testimonia plurima. Vt illud, Pro eo quod laborauit anima eius videbit & saturabitur. Satiabimur au- *Isa.53.*

mur autem, cùm apparuerit gloria dei. *Psal.16.*
Item, Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Psal.44.*

Itẽ, cũ dixisset, Caro mea requiescet in spe: & nõ derelinques animã meam in inferno, subijcit Christus ipse, Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cũ vultu tuo. Non igitur ante mortem adimpleuerat eũ deus lætitia vultus sui: qua de re ne ad faciẽ quidẽ videbat deũ. Itẽ, Dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuinitatẽ & sapientiã: non ergo ante mortem acceperat, sed meritus est eas accipere moriendo. Itẽ, Ecce saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. En merces, en opus: gloriã ergo animæ eó meruit. Nam gloria corporis, tametsi merces fuit operis sui Christo: non tamen fuit simul cũ eo. Itẽ, Decebat eũ, propter quẽ oĩa & per quẽ oĩa, q̃ multos filios in gloriã adduxerat, auctorẽ salutis eorũ per passionẽ cõsummari. Quid aũt per cõsummationẽ intelligat Paulus, quanq̃ nomẽ ipsum præ se fert, in eadẽ epistola exponit inquiẽs vt nõ sine nobis cõsummarẽtur. Finẽ ergo suum Christus per passionẽ adeptus est. *Apo.5.* *Isa.62.* *Hebr.2.* *Hebr.11.*

Postremò, nõ potest esse cũ summo gaudio summa tristitia coniũcta: at qui videt deum, is maximè gaudet, Christus verò maximè tristatus est, iuxta illud, Tristis est anima mea &c. & iterum, Repleta est malis anima mea. Non ergo deũ videbat, nisi velis duo simul contraria in eodẽ subiecto extitisse, eandẽq; animã pariter & repletam malis & repletã lætitia cum vultu dei. Hæc videlicet sunt argumenta potissima, quæ è locis Theologiæ contra veram Theologiæ conclusionem depromuntur. Nam si quæ sunt alia, vel facilia sunt & cuique in promptu parata, vel ad ea, quæ posuimus, omnia referuntur. Sed nihil mouere nos debet, vt ab scholæ decreto recedamus.

Omnes autẽ theologi definiunt, Christum ab instanti conceptionis dei essentiã *D.Th.3.p. q.9.ar.2.*

videsse. Quæ conclusio, licèt sola Theologorum auctoritate probaretur, satis firma habẽda esset, quẽad modũ lib. 8. constituimꝰ: sed his quoq; argumẽtis demõstratur. *et.q.34.articulo.4.*

Primùm ex illo, vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Quo loco diuus Thomas aduertit, gloriã animæ Christi ex personali vnione verbi & animæ esse deriuatam. Id enim euangelista non obscurè significat, cùm voce eadem repetita ait, Gloriam quasi vnigeniti à patre. Illam sanè animam talem existimemus necesse est, qualem decebat eam esse, quę esset deo coniuncta vel maximè. Nimirum vndecumq; perfectam, omnibusq; omnino numeris absolutam. Quod qui non sentiat, hic de vnione personali dei & hominis stultissimè sentiat. Iã si anima Christi vni taverbo non fuisset glorificata, fuisset profectò imperfecta. Magna quippe humanę menti perfectio deest, si felicitas deest. Ac videre deum per speculum in ænigmate imperfecti hominis esse, testis est Paulus in hæc verba, Cùm venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tũc autem facie ad faciem. Nũc cognosco ex parte &c. Quia igitur ab vtero Christus non sapiebat vt paruulus, sed vir omnino perfectus erat: ab vtero quoq; deum facie ad faciem videbat. Id quod Hieremias prę dixit inquiens, Nouum creauit dominus super terram: fœmina circundabit virum. Adde, quòd cui communicatur esse, ei etiam communicatur propria rei operatio, quæ consequitur esse. Vt cui datur esse ignitum, eidem quoq; datur vt calefaciat: & cui daretur esse solis, is sine dubio illuminaret. At propria dei actio est videre se ipsum: hac enim visione beatus est: ergo cum anima Christi haberet esse diuinum, habebat item suo modo diuinæ naturæ propriam actionem, atque adeò videbat *1.Cor.13.* *Hiere.31.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

deum. Adde etiam, quòd maior erat vnio animę Christi cum verbo, quàm vnio beatorum, sed ex hac existit claritas in intellectu beati vt deum videat: ergo multò magis ex illa talis claritas orietur. Id. D. Tho. hac ratione cõfirmat. Quãtò receptiuũ ꝓpinquius est causæ influenti, tantò abundantiùs & plenius recipit influẽtiam eius. Sed mens Christi propinquior erat causę luminis gloriæ q̃ oés angeli beati: pleniùs ergo atq; perfectiùs cognoscebat deum.

Argumentatur præterea. D. Tho. gloriã in anima fieri ex eo quòd diuinitas sit
Ezech. 43. præsens intellectui, sicut lumen in aere ex præsentia solis. Quia enim gloria dei ingrediebatur per viam orientalem, terra splendebat à maiestate eius. Cùm ergo lux ipsa non solùm ingressa fuerit in animã Christi, sed ei fuerit in idem esse personale coniuncta: claritas gloriosa inde secuta est, vt splendor sequitur solem. Præterea deus attingitur à natura intellectuali per cognitionem & amorem, at anima Christi propinquissimè attingebat deum, quia erat deo propinquissima: ergo eius propriæ actiones, notitia & amor, non longè sed proximè deum attingebant. Mens verò cùm est viatrix, peregrinatur à domino à longeq; repromissiones aspicit: cùm autem videt per speciem, præsens est & propinqua: vt
2. Cor. 5. Hebr. 11. ad Corinthios & Hebr. tradit Apostolus. Si ergo anima Christi peregrina & hospes erat super terram, certè non erat deo per cognitionem proxima: sed angeli erant deo proximiores.

Nec me fugit posse à calumniantibus obijci: aliud esse quòd res sit præsens animæ secundùm esse reale, aliud quòd sit præsens secundùm esse intelligibile. Anima enim nostra intellectui nr̃o coniũctissima est, si esse reale consideres. Sed quia coniuncta non est secundùm esse intelligibile: videre eam in se, quandiu mortali corpore circundamur, non valemus.

At hæc obiectio haberet fortasse locũ, si filius dei animæ rationali perinde vt lapidi aut stipiti fuisset vnitus: nec in vnione illa esse intellectuale primò spectatum exquisitumque fuisset. Verùm patres ecclesiæ veteres mentẽ potissimè assumptã credidere: p mẽtẽ animã, per animã vel ipsam carnem. Augustinus in lib. de ago. Christia. Inuisibilis, ait & incommutabilis veritas per spiritum animam & per animam corpus accepit. Et in epist. ad Volusianũ, Ipsa magnitudo, inquit, diuinæ virtutis animam sibi rationalem & per eandẽ corpus humanum totumq; omnino hominem in melius mutandum coaptauit. Ac Damasce. in. 3. lib. vnitum esse ait carni per medium intellectum verbum dei. Quam rem. D. Th. 3. p. q. 6. diuinè, vt omnia explicauit. Atq; hæc causa, ni fallor, euãgelistæ fuit, cur non diceret aut filium aut vitam aut lucem sed verbum carnem factum esse. Verbum enim prolem mentis apertè significat, & naturam intellectualem præ se fert. Quorsum autem Ioannes diceret, primum intelligibile, hoc est, verbum extremo illi, id est, carni se iunxisse: nisi vt moneret, Sapientiam dei attigisse quidem à fine vsque ad finem fortiter, sed disposuisse tamen omnia suauiter, & carnem sibi propter animam vniuisse. Etenim quod per se intelligibile erat, id cui se prius quàm intellectui mentique coniungeret? Nempe ex fine assumptionis liquidò apparet, quid dei verbum in ea coniunctione expetierit. De qua re quoniam non ita multò pòst latiùs dicturus sum, nunc illud satis est: finem hominis dei notitia constare. Qui ergo factus est homo, vt hominem ad finem suum, id est, claram dei cognitionem duceret: is mentem sibi præcipuè cõiunxit, qua finis prænoscitur, quæritur, possidetur.

Hoc verò illa etiam argumentatio confirmat, Filius dei in hoc natus est et ad hoc Ioan. 18.
venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati. Ecce, ait, testem populis dedi Isa. 55.
eum, ducem ac præceptorem gentibus. Vt autem testis perfectus sit, illa res in eo prima quæ-

ma quæritur: vt hoc probè cognoscat & teneat, de quo testimonium est laturus. Si dux itidem & præceptor consummatus quispiam habendus est, scire illum oportet & finem, quo ducat, & veritatem omnino, quam doceat. At Christus testis veritatis erat à patre dux & præceptor constitutus: quocirca necesse erat, vt à dei verbo mens potissimùm & ratio hominis in ipsa vnione perficerentur. Nec laborare diu opus est, vt inuenias, quando apostoli gloriam quasi vnigeniti à patre viderint:
1. Pet. 1. cùm Petrus id significantissimis verbis patefaciat. Non indoctas fabulas secuti, ait, notam facimus domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à deo patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus in monte sancto cum ipso. Virtutem & potentiam vocat, qua verbum caro factum est: præsentiam verò, qua habitauit in nobis: at virtutem & præsentiam simul, quia filius hominis erat in cælo, hoc est, eius anima videbat deum: & viuebat tamen in mortali corpore super terram. Ita enim prænunciauerat Dauid in paucissima verba, Beatum faciet eum in terra. Nam quòd beatus aliquis quasi transiens fuerit in terra, in scripturis sæpe legimus. Sed quòd habitauerit in nobis quasi colonus & quasi viator declinans ad manendum, hæc præsentia potentiæ miraculum est. Sanè viderũt gloriam animæ in corpore tanquam in speculo: ideo aptè dixit, speculantes: gloriam autem quasi vnigeniti in voce delapsa à magnifica gloria, Hic est &c. Testis oculatus est, Ipsum audite: doctor veritatis exploratæ ac visę est, Ipsum audite: dux est, qui & viam sciat & terminum sciat, Ipsum audite atque adeò videte & contrectate: nam habitat in vobis, quanuis glo-

Memento scriptũ esse, Non videbit me homo & viuet.

Psal. 41. ad Christũ esse referendum ostendit Ioannes e. euangelij 13. uide Caiet. 14. in psalmos. Hier. 14.

ria ea sit apud me, quam in præsentia cornitis. Sed de primo Ioannis testimonio nimium multa. Secundum principale testimonium pro ea conclusione comprobãda illud est, Verbum habitauit in nobis 1o4. 1.
plenum gratiæ & veritatis. Vnde. D. Tho. bifariam colligit. Siue enim plenitudinem gratiæ in Christi anima ponas siue plenitudinem veritatis: vtrinque conficitur, eam dei essentiam vidisse. Gratia quippe viæ in ordine ad gratiam patriæ imperfecta est, tantumque deficit à plenitudine, quantum à perfectione deficit. Quare si imperfecta gratia in Christo fuit, non fuit nimirum gratia plenus. Obijcit autem, Beatam virginem, dum vitam etiã mortalem degeret, plenam gratia fuisse: nec vidisse tamẽ deum. Verùm hunc scrupulum eximit. 3. p. q. 7. ar. 10. Nõ enim fuit Christus gratia plenus ex parte, sed omni modo, vt arti. 1. &. 9. eiusdem quæstionis ostenderat. Nempe in ipso complacuit Colo. 1.
omnem plenitudinem inhabitare pacificans &c. Et iterum, In ipso inhabitat om- Colo. 2.
nis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nulla ergo ei gratiæ perfectio aut plenitudo defuit. Ita habuit gratiam consummatã, cum quia gloria animæ coniuncta & colligata est.

Quòd autem anima illa habuerit scientiæ ac veritatis plenitudinem, probat. 3. p. q. 9. ar. 1. &. 2. q. item. 10. ar. 4. Videlicet non in Christo omnis plenitudo inhabitasse, quia plenitudo ei scientiæ defuisset. Iam, cùm venit quod plenum & perfectum est, euacuatur quod ex parte est. Non igitur cognoscebat ex parte anima Christi deum, sed plenè atq; perfectè. Quocirca non erat in ea fides sed visio.

Atqui huius argumenti vim & neruos omneis Caietanus frangit, cùm probabili ratione contendit, legi oportere: Plenus gratiæ & veritatis Ioannes testimonium perhibet de his. Frangeret sanè, si probabilis sententia esset. Verùm vulgata editione reprehensa, græcis latinisque exem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plaribus reiectis, interpretibus suggillatis, sanctis expositoribus explosis, quid probabile fore putamus? Ecclesia certè melius intellexit verba illa, Et vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, per parenthesim fuisse interiecta: cùm ait, Verbum caro factum est & habitauit in nobis, cuius gloriam vidimus quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

Tertium pro illa conclusione testimonium mox in eodem euangelio sequitur, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus: quia gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quæ sententia superiori connexa, nisi cæci sumus, apertissimè ostendit, verba ea, Plenum gratiæ & veritatis, ad Christum esse referenda. Sed hac re missa, id, quod instat, agamus. Accepit igitur Christus gratiã & veritatem, vt ex eo gratia in omnes & veritas emanarent. Habuit itaque maximam & perfectissimam gratiam ac veritatem. Quia enim sol lucem habuit, vt inde omnia lumẽ acciperent: habuit nimirum maximam & perfectissimã lucem. Quare sicut perfectissima lux omnes lucis effectus edere potest perfectissimaque iustitia omnes effectus iustitiæ, sic Christi gratia & veritas omnes habebant gratiæ & veritatis effectus. Vnde Dionysius ait, solem, quia vniuersalis causa generationis est, ad ea omnia sua virtute se extendere, quæ sub generatione cadunt. At effectus præcipuus gratiæ & veritatis consummatæ est videre deum.

4. c. de diui. no.

Præterea, salus humanæ naturæ finis fuit humanitatis assumptæ. Per hanc enim tanquam per instrumentum operatus est deus salutem in medio terræ. Vnde & Christum Apostolus scribit multos filios in gloriam adduxisse auctorem salutis eorum. Et alio loco, Misit deus filium suum, inquit, vt adoptionem filiorum reciperemus. Instrumenti vero dispositio & qualitas præcipuè quidem pensatur ex fine. Salus autem animæ intellectu sanoconstat & voluntate sana. At volũtas per gratiam sanatur, intellectus per veritatem. Perfectam igitur oportuit habuisse & gratiam & veritatem eum, per quem cæteris omnibus salus futura erat omnisq; omnino & gratia & veritas. Quia principium in vnoquoq; genere oportet esse perfectum: sicut solem videmus in genere lucidorum, Ignem in genere calidorũ. A principio ergo Christi voluntas perfectè amabat deum ex gratia perfecta, & perfectè cognoscebat ex perfecta veritate. Iam felicitas animæ in perfectis dei & amore & cognitione sita est. Felix itaque erat ab initio Christi anima ideoque videbat deum.

Heb. 2.

Præterea illud quod est in potentia reducitur in actum per id quod est in actu: oportet enim esse lucidum per quod illustrantur alia.

Cùm ergo per Christum gratiam, veritatem, gloriam cæteri essent habituri: ipse profectò simulatq; cæteros illum ad finẽ mouere cœpit & gratiam habuit & veritatem & gloriam. Eam verò motionẽ ab initio nimirum inchoauit.

Ea demum, quæ à primis causis mouẽtur in finem, quadam solent temporis successione perfici: at causæ ipsæ mouentes à principio statim suam largiente prouidenteq; natura perfectionem habent. Vt ignis cum substantia calorem accepit, aqua paulatim fit calida. Cœlestia quoq; corpora mox omnino suas virtutes accepere, quibus in tempore res terrestres inferioresque perficerent. Deus ergo, qui per Christi humanitatem & gratiam & gloriam erat omnibus communicaturus, eas licèt res cæteris in tempore largiatur: at Christi animæ ab initio statim contulit. Nam cur non corpori gloriam ab initio daret, causę sunt in promptu expeditæ.

Quartum pro illa conclusione testimonium cuestigio subditur. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Vbi in homine piscatore videre licet & rerum contextum admirabilem, & compositionem disciplinæ incredibilem. Quod vt perspicias lector, quæso diligenter attende. Nullum porrò fidei negotium ritè trãsigitur, si omnes testes auriti sint, oculatus nullus. Quin vt Augustinus ait, auritis credimus: quia audierunt à fide dignis, qui oculis suis rẽ se vidisse testificarentur. Cùm ergo Moyses & Ioannes Baptista primus & postremus è lege antiqua atque adeò prophetæ omnes, è noua item lege apostoli Christi testes fuerint ex auditu vniuersi: oportuit vnum esse pro omnibus, qui ex visu testimonium daret. Testis autem eiusmodi, qui non pro mille dico esset, sed pro mille millibus, esse non poterat nisi & iustus esset, ne scilicet vellet fallere: & sapiens etiam, ne ipse vtiq; falleretur. Quocirca necesse fuit plenum fuisse gratia & veritate, ne quicquam in optimo & absolutissimo teste desideremus. Etenim quia gratia plenus, iustissimus erat: quia plenus veritate, veracissimus.

Quia igitur plenitudo testificationis & absoluta omnino perfectio ex visu est, ideoque ex auditu testis plenus veritate non est: cùm scriptura de Ioanne dixisset, Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de luce: de Christo verò, Erat lux vera &c. & de Moyse, lex per Moysen data est, illa etiam illico nexuit, De plenitudine eius omnes, Moyses, Ioannes, prophetę apostoli prorsusque testes in vniuersum omnes accepimus. Quia & lux erat, & plenus gratia & veritate erat, & gratia & veritas per eum facta erat, & deniq; testis ex visu erat. Deum quippe nemo vidit vnquã nec Moyses nec Ioannes nec prophetæ nec apostoli nec euangelista: vnigenitus, qui est in sinu patris, qui vidit arcana, ipse enarrauit. Ne verò hoc ad diuinitatem filij, non etiam ad humanitatem referatur: tum ratio prohibet, tum auctoritas. Ratio

illa est, quòd Christus testis veritatis erat à patre destinatus non solùm quia deus sed quia homo. Quare ex vtraque natura opus erat testimonium esse perfectum. Auctoritas eiusdem Christi est, qui hanc rem postea manifestiùs exposuit inquiés, Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur &c. Et protinus, Nemo ascendit in cælum nisi, qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cœlo. Quo loco verè Caietanus & diligenter aduertit, verbum, Ascendit, non præsentis sed præteriti temporis esse, quæ res ex græco exemplari patet. Quod enim Ioannes antè dixerat, Deum nemo vidit vnquam, id nunc alijs verbis Christus ait, Nemo ascendit in cælum. Tunc enim homo secundùm animam in cælo esse dicitur, quum videt deum. Quo sensu latroni dictum est, Hodie mecum eris in paradiso. Et angeli in custodiam hominum diffiniti, quia semper vident faciem patris, qui in cælis est, semper quoque in cælis esse dicuntur, quanuis in terra sæpe sint. Ante Christum ergo, sicut nemo viderat deum, ita nemo in cœlum ascenderat. Vt autem quasi manu tangeres, sermonem de Christo secundùm naturam humanam fieri, appositè subiunctum est, Filius hominis, qui est in cælo. In quam sententiam patri ipse postea locutus est, Volo pater, vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Nec Baptista hanc Christi in testificando perfectionem tacuit: imo in hac quoque re suum à Christi testimonio excelli professus est inquiens, Quod vidit & audiuit, hoc testatur.

Mat. 18.

Ioan. 17.

Ioan. 3. Affirmat Hieronymus Christũ iuxta susceptiꝰ corporis dispensationẽ à patre audire quid loquatur. ergo iuxta humanam naturã & audit & audiuit &c. in Isa. ca. 50.

Nec verò insçius sum veteres Theologos hæc ferè loca ad Christi diuinitatem retulisse, secundùm quam Christus & videbat deum & vbique erat. Sed ea ætate bellum erat illis cum Arianis & Eunominianis acerrimum, ob idq; omnib' testimonijs, quibus poterãt Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sti deitatem asserebant, præsertim cùm res erat in promptu & facillima, quemadmodum fermè in præscriptis locis. Nam illud, Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis, qui est in cælo, quo pacto verè ac propriè in diuinitatem quadrare possit, non satis intelligo. Non enim filius hominis, quia deus erat, tunc in cælum ascenderat, sed quia homo. Quomodo autem in cælum ascendisset nisi secundùm animam, vix explicari queat. Cogor itaque cum Caietano hunc euangelij locum ad astruendam animæ Christi gloriam vrgere.

Quintum testimonium, quo Diuus Thomas vtitur, extat eiusdem euangelij capite octauo. Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni & quò vado. Et posterius, si dixero, quia nescio deum: ero similis vobis mendax. Sed scio eum: & sermonem eius seruo. Quòd enim sermo sit de scientia, vt à fide distinguitur, illa verba videntur ostendere, Ero similis vobis mendax. Iudæi quippe fidem habebant eo tempore, quanuis cum Christo certarent. Quòd autem secundùm humanitatem loqueretur, illud probat, scio eum, & sermonem eius seruo.

Hoc verò Diui Thomæ argumentum video refutari posse. Quoniam est quædam scientia sanctorum, quæ cum charitate coniuncta est: quanuis euidentiam non habeat. In hoc scimus, ait, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non seruat, mendax est. De hac scientia si quis contendat Christum Ioannis octauo cap. sermonem facere, vix refelli poterit. Quin dicet fortassè quispiam, hæc Diui Thomæ argumenta probare id quidem, quod deceat: non id tamen, quod oporteat. Ita congruentia illa esse, cogentia non item. Sed nos primùm non id agimus, omnia Diui Thomæ argumenta ea etiam, quæ ad certam Theologiæ conclusionem probandam afferuntur, certa esse & necessaria. Nimirum enim in veteribus quoque Theologis, in summis ecclesiæ pontificibus, in concilijs tandem quædam argumenta inuenias, quæ suadeant quidem, nó cogant: at certis alijs exploratisque permixta non modò totum disputationis corpus exornent, verum etiam confirment. Probabilia igitur argumenta necessarijs adiuncta tantum abest, vt reprehendenda sint, vt sint etiam commendanda. Quanquam istis equidem argumentis vtor, dum adsunt: cùm absunt, non requiro. Illud huius generis videtur esse, In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ dei absconditi. Illos in Christo non fuisse omnes, si scientia ei beatorum defuisset. Simile est hoc, Christum fuisse caput non solùm hominum, sed etiam angelorum Ephe. 1. Colo. 2. Incongruens verò esse, vt membra capiti scientia & claritate antecellerent. In hoc denique probabilium genere forsitan & illud est, Quòd si ministratio mortis fuit in glória, ita vt non possent intendere filij Israel in faciē Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur &c. Et posterius, Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multò magis quod manet, in gloria est &c. Vsque ad illud, Nos autem reuelata facie &c. Non ergo decebat, vt primus noui testamenti administer spiritus atque animæ gloria careret, ex qua non solùm facies, sed totū corpus glorificaretur ex integro Matth. 17. vide Orige. ho. 12. in Exo. Hæc igitur dicta in primis sint.

Colo. 2.

2. Cor. 3.

Deinde, quæres certè est animaduersione dignissima, non mihi illi probari possunt, qui ea in Theologia argumenta confundunt, quæ id, quod decet, ostendunt: quasi non interdum idem etiam oporteat, quasiue indecora omnia paria sint & nó sint quædā, à quibus & ratio & Theo-

Theologia omnis abhorreat.

Sanè argumenta, quæ confirmant esse quæ in religione nostra cógrues & decés, ea omnino bipartita sūt. Quædā enim sunt eiusmodi, vt etiam si non extitisset ea res, quæ probanda sumitur, nihil tamen inconsentaneum emergeret. Vt cū Theologi ostendunt, decuisse, vt deus ad reparā dum humanum genus carnem sumeret: vtque ex diuinis personis filius is esset decuisse: cæteraque id genus plurima. Quę decentia fuisse vel maximè Theologus probat quidem, sed quando alia deus remedia peccato nostro parasset, quę innumera sine dubio potuit, nullum rationis incommodum, nihil deo indecorum haberetur. Talia verò argumenta nil profectò in Theologia demonstrant: sed solùm explicant, id, quod fide credimus, congruentissimum deo nobisq; fuisse. Altera argumenta sunt, quæ ita monstrant quicquam consentaneum esse, vt nisi res sic habeat, aliquid semper emergat, quod nullo modo aut diuinæ naturæ aut rationi humanæ consentiens videatur. Vt Diuam virginem intactam extitisse post partum, scriptura sacra in sensu literali nusquam forsan edocuit. Id tradit apertè, in conceptu & partu virginem extitisse. Sed quoniam indecens virgini erat, vt integritatem tam singulari & miraculo & mysterio conseruatam ipsa postea volens, vt dicitur, & prudens labefaceret, & quæ præter naturæ ordinem incorrupta permansérat, eadem se exponeret corruptori: adeò fidelium animis inhæsit perpetuæ huius virginitatis firma sententia, vt etiam si nulla fuisset apostolica traditio, ea tamen ratio esset idonea ad faciendam fidem ijs, qui non ad contentionem informati, sed ad disciplinam sunt vel mediocriter instituti. Nec aliter ego puto in præsenti quæstione philosophandum. Cùm enim ostendimus non decere, vt verbum dei animam intellectualem imperfectam scientiaque ac sapientia vacuam assumeret, causam nos obtinuisse arbitramur. Quia res contraria scilicet adeò indigna verbi sapientia & prouidentia est, vt ne vero similis fiat quidem, si de vnione personali verbi & animæ rectè sentimus. Consentiamus igitur, cæteris ecclesiæ sanctis gratiam per partes distributam, nempe secundùm mēsuram donationis Christi: at Christo ipsi non fuisse datum spiritum ad mensuram. Tantam enim gratiam dari congruebat, quantam anima capere illa posset: tantam quantam in rebus esse ipsa gratia natura pateretur. Quod verò de spiritu gratiæ dicimus, id vt de spiritu sapientiæ, scientiæ intellectusq; dicatur, subest omnino causa eadem. Tantò enim melior in omnibus est angelis effectus, quantò differētius præ illis nomen hæreditauit. Itaque vnctus est à deo oleo exultationis præ participibus suis. Non ergo solùm habuit parem cum angelis felicitatem, sed multò etiam maiorem. Quo circa vt fruebatur, ita quoque videbat deum. Quod qui negant, ij non ab schola modò, verùm à Theologiæ veteris institutione desciscunt.

Ephe. 4. Ioan. 3.

Hebr. 1.

Ambrosius, Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis &c. Perfectam ergo animam assumpsit verbum non imperfectā. Et lib. 7. epist. 47. ad Irenęum, Accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ: sicut deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit Speciosus forma &c.

De incar. do. Sacr. ca. 7.

Augustinus in libr. de trini. Mox vt verbum venit in vterum, factum est perfectus homo. Et super Exod. Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quòposset proficere. Et illū versum Psal. 64. Beatus, quem elegisti & assumpsisti, de vnita humanitate interpretatur.

Remigius in illud, Et ecce aperti sunt ei cæli, Sed nunquid tunc primò aperti sunt ei cæli etiam secundùm humanam naturam? Fides enim ecclesiæ tenet, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd non minus aperti sunt ei cœli antequàm post.

Græcus, quem refert sæpissimè D. Th. in catena, quanuis hoc loco vitiosa sit lectio & tribuatur Gregorio Nazanzeno. Dicitur, ait, secundum humanitatem proficere, non quòd ipsa suscipiat augmentũ quæ ab initio fuerit perfecta: sed ex eo q̃ paulatim manifestabatur.

3. lib. Damascenus, Qui proficere dicũt Christum gratia, non venerantur vnionẽ, quæ est secundum hypostasim.

Theophilactus. Diuina erãt, quæ dicebantur & agebantur à puero, non quasi duodecim annorum, sed quasi perfecti viri. Euãgelista verò interpretatur, quid sit proficere illum sapientia. Subdit enim & statura. Profectum enim ætatis sapientiæ dicit profectum.

In illud, ut sciat reprobare malũ &c. Hieronymus in Esa. 7. cap. Licèt multa post secula de eo euangelista testetur, Puer autem proficiebat &c. & hoc dicatur vt veritas humani corporis approbetur: tamen adhuc pannis inuolutus habebit boni maliq; iudicium, vt per hæc verba noscamus infantiam humani corporis diuinæ non præiudicasse sapientiæ. Et in Hieremiam 31. cap. Iuxta incrementa quidem ætatis proficere videbitur sapientia: sed perfectus vir in vtero fœmineo continebitur.

In illud, Nouũ creauit dñs. &c.

Epi. ad Leonem Augu. 95. Leo, Deitas assumptam naturam beatificans, vt glorificata in glorificante permaneat. Loquebatur autem de incarnatione. Et alibi itẽ loco Cyrillũ citat in hæc verba, Assumpsit verbum humanitatis naturam in sua ratione perfectam. Et Cyrillus ipse in Ioan. libr. 1. cap. 17. Vidimus, inquit, gloriam Christi adeò sublimiorem creaturarũ gloria, vt mentis quisq; compos nulli alij quàm vnigenito dei filio illam conuenire fateretur. Plenus enim erat veritate ac gratia. Non enim mensura sibi datur vt cæteris, sed vt in perfecto perfecta inest. Sed si plena est, inquies, gloria eius gratia & veritatis, quomodo sapientia & gratia profecisse apud Lucam scribitur? aut quid accedere potest ad plenum? Illorũ potiùs de Iesu opinio quàm illius perfecta crescebat gratia, vt magis indies cognoscentes magis illum procedere ac gratia crescere arbitrarentur. Vide etiam c. 20 in illud, De plenitudine eius omnes accepimus.

Multa sunt eius modi veterũ testimonia, quæ nos gratia breuitatis omittimus: cũ hæc etiam, quæ excitauimus, sine vlla aut expositione aut argumentatione præstrinxerimus. Nunc argumenta contrariæ partis breuiter quoq; refellemus. Non enim hoc loco volumus, nisi per quasdã summas & signa data rudiores admonere: vt in similibus quæstionibus, quæ non sunt Theologorum vsu contritæ, se diligẽtiùs exerceant. Inuenient quippe semper, si quæsierint. Atq; in præsenti etiam quæstione non dubito eum longè plura inuenturum, cui & vberior lectio & maior eruditio fuerit.

Primum autem argumentum nihil difficile est, si intelligamus, iustitiam ibi & fidem pro iustis & fidelibus vsurpari: cuius rei non modo Hieronymus auctor est, *In cõmen.* sed. 70. etiam interpretes. Vide Thom. 3. *super Esai.* par. q. 7. ar. tertio.

Ad secundum facilior adhuc responsio est. Dicitur enim deus spes Christi, quia in deo erat fiducia eius, non in homine. Item quia multa etiam à deo sperabat, quanuis non speraret gloriam animæ, quã iam habebat. diuus Tho. 3. part. quæst. 7. articul. quarto.

Ad tertium vide sanct. Thom. 3. part. q. 15. artic. 7.

Ad quartum vide sanct. Thom. tertia part. quæstio. septima. articu. duodecimo. vbi etiam respondet illi euangelij testimonio. Ac nos etiam paulò antè veteres referebamus non paucos, qui nullo modo admitterent, aut gratiam aut sapientiam Christi potuisse in seipsam aliquando proficere: adeò plenus ab initio & gratia & sapientia fuit. Sed qui in hominum existimatione crescit, tametsi idem ipse omnino perseueret, eum dicit scriptura crescere. Proficiebat Dauid vadens & crescens. Item, Creuit Iosaphat & magnificatus est vsq; in sublime. Item, Illum oportet crescere, me autem minui. Quia verò sæpè quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, ne existimares ostentationem esse præstigiosam & Pharisaicã, talis, inquit, erat Deo intus, qualem se homini exhibebat foris: nec hominibus probabatur solùm, sed etiã Deo. Voluit enim euangelista illud forsitan commemorare, quod de Samuele scriptũ est, Puer autẽ Samuel proficiebat atq; crescebat & placebat tam Deo q̃ hominibus. At D. Tho. docet Christum creuisse in effectibus & operibus gratiæ & sapientiæ, quia in dies perfectiora opera faciebat. Quod autem in effectu crescit, hoc crescere quãdoq; dicitur. Vt ibi, verbum Dei crescebat, & rursum, Fortiter crescebat verbum Dei.

1. Para. 11. 2. Para. 17. Ioan. 3. 3. p. q. 15. ar. tic. 7. Acto. 6. & 19.

In quinto argumento duo testimonia referuntur, quibus Ariani filij sapientiam atque adeò diuinitatem impugnare sunt soliti. Quæ causa quibusdam patribus fuit, vt ea de filio iuxta humanam naturam interpretando satis se putarint aduersarijs respondisse. Ac re vera in ea pugna, quam cum Ario gerebamus, satis illud erat, vt in hac parte ictus eius conatusq; omnes eluderẽtur. Sed nobis opus est vni uersos errores euincere, & Christi etiam animam ab omni ignorationẽ vendicare, quæ de eius dignitate quicquam detrahere videatur. Ambrosius porrò libro quinto de fide cap. 8. non audet asserere, tamet si cum Ario disputabat, Christum secundum humanitatem aut in sapientia profeciisse, aut quicquam penitus ignorasse: si hæc vocabula propriè capiamus. Contrariam verò sententiam nõnullos ait tenuisse, sed qui fuerint, inquit, intimidiores quàm ego sum. D. sanè Thomas non dubitat vel eiusdem Ambrosij auctoritate confirmare, Christum non secundum

scientiam aut beatam aut infusam, sed secundum aliam acquisitam seu experimentalem quidpiam aliquando ignorasse, quod postea didicerit. Didicit enim ex ijs, quæ passus est. Itaq; si de scientia hac experimentali sermo sit, Pater demõstrabat filio ea, quæ faciebat per illum mirabilia, maiora tempore futuro demonstraturus, quoniam & maiora facturus. Secundum hanc sciẽtiam item diem iudicij nesciuit antequam esset, nam tunc experietur, cũ iudiciũ fiet. Probabiliter dicta sint hæc, nõ negemus: verùm nihil necesse est, in has nos angustias conijcere: quippe cũ sit alia horum locorũ intelligentia sanior. Ac de priore quidem testimonio sic sentio. Reprehensus fuerat à Iudæis Christus & quòd sabbatũ solueret, & quòd se æqualem faceret Deo. Respondet ergo simul vtriq; calumniæ in hæc verba, Nõ potest filius à se facere quicquã, nisi quod viderit patrem facientem. Vbi primùm sic potentiæ æqualitatem agnoscit, vt nihil sibi arrogare videatur. Agnoscit enim patris etiam auctoritatẽ, cui accepta refert quæcunq; facit. Non potest, ait, filius à se facere quicquam. Deinde ita arguentes redarguit. Cur me ô Iudæi reprehenditis? Eadem certè ratione & patrem meum reprehendetis. Quoniam non ex meo capite, vt dicitur, quæ facio, ea ego confingo, nec affectu & libidine opera edo: sed à patre accepi id, quod facio. Non potest. &c. Non autem somnio accipio aut opinione aliqua commentitia, sed visu certissimo atq; clarissimo cerno & comprehendo operantem patrem, & quæcunq; ille facit, hæc ipsa eadem ego non clausis oculis, sed videns similiter facio. Si ergo me carpitis, quasi opera illicita faciam in sabbato, facio autem eadem, quæ pater meus eodemq; modo facio: coarguite, si ita lubet, Deum ipsum, quem ego operum omnium meorum auctorem & principium habeo. Vt autem probet se videre patrem facientem opera, subdit:

Pater

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pater enim diligit filium, ideoq; nihil illũ celat, sed in cõspectu eius ipsoq; adeò cernente omnia facit. Nec solùm quæ antehac fecit, ea corã filio fecit, sed & maiora, quæ facturus est, in conspectu filij filioq; proinde spectante simulq; faciente faciet. Quibus verbis non negat filium intelligere res priùs omnino quàm fiant, sed humano more loquitur, & se nostris sermonibus accommodat. Tunc enim res ostẽdere dicimur, cùm ita præsentes sunt: vt non ad intellectum, sed quasi digito adsensum demonstramus. Quæ est nobis rei certitudo maxima. Nec obstat quòd verbo futuri vtitur, Demonstrabit, in his, quæ æterno Deo præsentia sunt. Sic enim solet scriptura nobis nostroque tempori res æternas attemperare. Pater siquidem verbum & genuit & gignit & semper gignet. Quanquam qui subiungit, Vt vos miremini, is de demõstratione quadã futura videtur loqui, quę cæteris etiam patent. Quare ex hoc loco nihil contra gloriam animæ Christi haberi potest.

Posterius quoq; testimoniũ nihil contra nos facit. Primùm quia Hieronymus Ambrosiusq; negant, illa verba, Neq; filius, nisi in paucis quibusdam Græcis exẽplaribus haberi. Quin Ambrosius contendit, ea ab hæreticis esse interposita. Eadem quippe lectio Matthæi & Marci erat. Matthæi verò euangelium Arianicorruperant eisdem quoq; verbis adiectis. Quæ modò nec latina nec Græca exemplaria habent. Deinde etiam si ita fuisset ab euangelistis scriptum, in eo sensu filius nescire dicitur, quia scire se dissimulat, nec vult alijs reuelare. Pater si quidem scit, quia filio manifestat: filius nescit, quia occultat nec alios scire facit. Quod autem verbum, Scire, in hunc modum aliquãdo accipiatur, & vsu vulgi contrito liquet, & Ambrosius probat exillo, Descendam & videbo, vtrum clamorem opere compleuerint, an nõ est ita, vt sciam. Simile est illud, Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligẽs. &c. Et vbi nos habemus, Tentat vos dominus Deus vester, vt palàm fiat an diligatis eum, editio. 70. habebat, vt sciat, an diligatis eum. Sed de hac re vide Ambro. Hierony. Augustinum, ac patres cæteros. In his enim, quæ peruulgata sunt, longus ego esse nec debeo nec volo.

Hierony. in Matth. 24. Ambro. li. 5. de fi. c. 8.

Gene. 18.

Psal. 52.

Ad sextum respondet egregiè. D. Tho 3. part. quæst. 19. art. 3. vide illum. Primùm verò testimonium, quo illa ratio cõfirmata est, verba proximè antecedentia explicant. Si posuerit, ait, pro peccato animam suã, videbit semen longęuũ. &c. & statim, Pro eò quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Secundum testimonium D. Tho. sic interpretatur, vt dicat, Christũ meruisse manifestationem vnctionis quidem iuxta illud, Propter quod Deus exaltauit illũ. &c. Sed vnctionẽ ipsam nõ meruisse. In scriptura autem tũc rem aliquam fieri aliquando dici, cùm innotescit. Data est mihi oĩs potestas. &c. Quia ergo Christus dilexit iustitia. &c. ideo exaltauit eũ Deus in regem dæmonum, hominum & angelorum: vngere enim est regem constituere. Respondet item, idq; meliùs, hunc sensum esse, vt virga directionis esset virga regni tui, vt diligeres iustitiã. &c. propterea, id est, vt hæc egregiè faceres, vnxit te Deꝰ oleo. &c. Illud est simile, Homo ridet, flet, discurrit: propterea intellectum habet & animã rationalẽ. Non enim necesse est, ea, quæ antecedunt, causam esse eorũ, quę sequuntur. Vt ibi, Propterea & sapientia Dei dixit. &c. Lucæ. 11. Nec si diceretur expressè, Vnxit te Deus oleo lætitiæ, quoniã dilexisti iustitiã. &c. quicq̃ cõtra nos faceret. Nam more scripturæ fit, vt interdum effectus loco causæ ponatur, Vt ibi, Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus.

Qui dissimulat, is exhibet se ad modum nescientis. Sic Marci. 12. Cũ audisset, inquit, alongè sicũ habẽtẽ folia, venit, si quid forte ĩueniret in ea. Sicut ergò ille qui præstat speciẽ fingentis et aliquid prudenter simulat, dicitur fingere: sic enim se longiùs vertit qui gerit speciem & formam nescientis, dissimulatoq; aliquid se scire eũ nescire scriptura dicit.

Psal. 16.

Tertiò demum respondere possumus actiones Christi non fuisse meritorias causas vnctionis, sed quasi materiales & dispositiuas. Docet enim. D. Tho. 3. part. quæst. 34. ar. 3. sanctificatum fuisse Christum per pro-

In hãc psal. Phil. 2.

prium actum. Quemadmodũ ergo verè dicimus, materiam ligni fuisse calore dispositam, propterea fuisse ignitam: Hominem fuisse contritum, propterea ei gratiã iustificationis esse donatam: sic dicere propheta potuit, Christum optimos actus in primo instanti habuisse, propterea fuisse oleo spiritus sancti perunctum. Nec opus est vt vox illa, propterea, causam efficientem aut meritoriam denotet: sed satis erit, si sit causa, quæ disponat subiectum, quasi materialis. De tertio verò testimonio sic habeto. D. Thom. existimat in eo psalmo de resurrectionis æterna vita agi nõ solùm in Christo sed in membris. Nam illa omnium capitis & membrorum resurrectio vitaq; plena delicijs fructꝰ passionis Christi sunt. Qui, vt Paulus ait, conresuscitauit nos & consedere fecit in cælestibus tunc scilicet, cùm ipse excitatus sedit à dextris dei. Si ergo Christus in hoc loco nõ in persona sua modò sed in membrorum persona loquitur, nihil est difficile intellectu. Quòd si Saulo dicebat, cur me persequeris, quia membra ipsius Paulus insectabatur, dicere quoq; potuit patri, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Quoniam gloria nostra gloria Christi est nõ minus quã ignominia laborq; noster Christi omnino est. Mox etiam non video equidem, cur non propriè de Christo ipso accipiamus, quòd post resurrectionem adimpletus lætitia fuerit cum vultu dei. Antè enim & corpus vacuũ erat ea voluptate, quæ à visione dei in corpus emanat, & anima nõ vndiq; plena erat lætitia, quin appetitus sensituus totus tristitiæ angoriq; patebat. Post passionem ergo implcuit eum lętitia deus cum vultu suo. Quoniam & si priùs dei vultum clarè plenèq; videbat, non tamen affectus appetituq; omnis plenè perfecteq; gaudebat. Qua de re in refutatione postremi argumenti nonnihil adijciemus, quod sit animaduersione dignissimum. Quartum insuper testimonium facilem intelligentiam habet: nam & scriptum à poeta est, Priami faciem dignam fuisse imperio. In quinto autem mercedẽ Christi Isaias vocat fidelium populum. Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam. Vnde eu estigio subdit, Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à domino. Iustinus vero martyr in dialo. cũ Tryph. aliter legit & interpretatur hunc locum. En tibi, inquit, seruator adest qui mercedem suam reddit opusq; suum ante se. Verè enim Christus id quod meruit, hoc est, mercedem operis sui, nobis reddidit. At Hieronymus planè interpretatur, hoc ideo dici: quia saluator ipse iudex sit omnium, vt reddat vnicuiq; secundũ opera sua iustis præmia, peccatoribus æterna supplicia. De sexto testimonio deniq; nil aliud in præsentia dico, nisi gloriã Christi ante passionem nondum fuisse cõsummatam, sed quicquid ei propter nos & propter nostram salutem ad absolutam hominis glorificationem defuit, hoc non dubium est per passionem suam Christũ meruisse. Sanè verò non eodem modo omnia ædificia consummãtur, quibusdã enim vel parietes desunt, alijs non deest nisi tectum. Nos itaq; consummamur accepta non solum gloria corporis, verũ etiã animæ, quoniam vtriusq; partis gloria derat: at Christo non nisi alterius duntaxat, quare per illius adiunctionem consummatus est.

Ad postremum argumentum. D. Th. respondet de passionibus animæ articulo. 10. ad. 9. Contraria non posse esse in eodem per se quidem, sed benè per accidens. Vt cùm quis in naui deambulans fertur in contrarium eius ad quod nauis mouetur. Ita, inquit, in superiori ratione animæ Christi erat gaudium per se, quia per actũ proprium: dolor autem per accidẽs, quia per corporis passionem. Deinde respondet, quòd gaudium illud & dolor nõ erãt contraria, quia non erant de eodem. Verùm responsum illud priùs refelli potest. Quoniam locales motus si in eodem con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trarij aliquãdo sunt, nihil mirum est, quip pecùm tota ferè eorum substantia & ratio externus quidam respectus sit. Ita pater & filius relationes cõtrarias præ se ferunt, & in ordine ad diuersos terminos esse in eodẽ verè possunt. At in formis & qualitatibus absolutis id fieri nequit, vt siue per se siue per accidens duo contraria in eodem subiecto sint. Pugnat enim cum natura rerum, vt aqua simul calida & frigida sit, præsertim in summo: nec siquis contendat alterum esse per se alterum per antiparistasin. Gaudiũ verò & tristitia qualitates sunt absolutæ. Sed & posterius responsum qui spiã coarguet, quoniã Christus videns rationes in dei essentia diuinas, de sua morte lætabatur, quã cernebat dei & rationi & voluntati conformem. Tristabatur autẽ de eadẽ, quia erat malum naturæ cõtrariũ. Quare obiectum materiale gaudij atq; tristitiæ idem erat. Vt gaudiũ porrò tristitiæ contrarium sit: sat est vtrunq; in materiali obiecto conuenire. Nã formalis gaudij tristitiæq; ratio discrepant semper, siue de eadẽ re siue de alia atq; alia tristemur & gaudeamus. Non ergo negare possumus, si in Christi voluntate gaudium summũ summaq; tristitia de morte sua fuit, quin duo simul in eodem fuerint cõtraria. Atq; hæ animi affectiones se vicissim expellunt, tametsi non res eadem obiecta est. Nimirũ enim, cũ pellere tristitiã volumus, alijs nõ modo rationibus sed rebus etiã gaudere curamus. Quod argumentum est, eas affectiones esse contrarias.

Cæterũ difficultas hæc tribus modis videtur expediri. Primũ enim dicet fortasse quispiã, in appetitu intellectuali Christi, quæ voluntas propriè vocatur, nullam penitus tristitiam extitisse. Quoniam illa animæ portio deo fruebatur plenissimè. Quẽ admodum autem à superiore potentia non deriuabatur gaudium ad inferiores, vt salutis nostræ mysterium in Christi passione transigeretur, sic ab inferiore potentia nõ perueniebat ad superiorẽ dolor. Nõ fuit itaq; in Christi voluntate tristitia, sed in appetitu sensitiuo fuit, qui propriè tristitiæ subiectum est. Quam sententiam visus est dominus significare, cùm ait: Tristis est anima mea. Appetitus enim animalis, quia animalis est, non est intellectualis sed sensitiuus. Cui etiam sententiæ fauet D. Th. 3. par. q. 15. ar. 4. &. 6. &. q. 46. ar. 7. &. 8. Nã Scoti argumenta abundè refutat Caietanus. Quod si verum est, iam contraria nõ sunt in eodem subiecto proximo: sed gaudium in volũtate, tristitia in appetitu sensitiuo. Ideoq; propriè ne contraria quidem sunt. D. Thom. 3. par. q. 18. ar. 6. in corp: & q. 46. ar. 8. ad. 1.

In. ar. 7. q. 46.

Huic verò responsioni illud obijcitur quòd dominus habuit in voluntate actũ, quo mortem verè noluit: at tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidũt, vt Augustinus ait. Prior propositio, quoniã eam Caietanus negat, probatur. Primò ex D. Tho. 3. par. q. 18. ar. 6. vbi dicit, quòd voluntas naturalis & voluntas sensualitatis aliud voluit in Christo quã diuina voluntas. Et ar. 5. refert Augustinũ contra Maximinũ in hęc verba: in hoc quod Christus ait, Nõ quod volo sed quod tu: aliud se ostendit voluisse quàm pater. Quod nisi humano corde non posset. Ac reuera ex illo euangelij testimonio non solùm sancti veteres sed synodus sexta sub Agathone collegit & duas voluntates in Christo & duas voluntatum operationes. Sanè qui ait, Non sicut ego volo, is actũ voluntatis apertè significat. Verùm Caietanus elaberetur dicens, appetitum sensitiuũ vocari interdũ voluntatem. De qua Ambrosium hunc euangelij locum explicare D. ipse Thom. interpretatur. 3. p. q. 18. ar. 2. Quin D. Tho. quæstionis decimæ octauæ: tertiæ partis articuli quinti argumẽtũ tertiũ nõ poterat refellere, si admisisset, Christi volũtatẽ aliquid velle, qp nõ habuerit. Beat⁹ enim est, vt Augustinus docet, qui habet quæcũq; vult. In reliquis certè beatis ꝓbabilissimè Caietanus eiusmodi noleitates negat, quoniam

3. p. q. 46. ar. 8.

niã in illo statu otiosæ sunt. Cũ ergo Christus secundũ intellectũ & voluntatẽ perfectè fuerit beatus, non videtur eiusmodi nolitiones habuisse.

Possumus deinde postremum hoc argumentũ eludere, etiã si dicimus, id quod re vera probabile est, in voluntate Christi intellectuali, quæ propriè voluntas est, non tristitiã modo, sed summã maximãq; fuisse. Quia enim in hostia pro peccato cordis contritio voluntatisq; tristitia potissimè

Psal. 50. desideratur, sacrificiũ quippe deo spiritus cõtribulatus &c. & tristitia spiritualis hęc contraria est peccato medicina, quod sedem suã præcipuè in voluntate habet: cõsentaneũ profectò erat, vt filius dei hostiã se pro peccato exhibiturus non solũ corporis & animę sensitiuæ dolores sed angores quoq; spiritus & voluntatis tristitiã susciperet: quò pro culpis nostris omnibus

Isa. 53. hostia illa deo acceptissima omnibus omnino modis contereretur. Sic verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit. Sic nõ modò vulneratus est propter iniquitates nostras sed attritus est propter scelera nostra. Sic disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore atq; dolore eius

c. 9. sanati sumus. Sic dominus eum voluit in infirmitate conterere, qui posuit pro peccato animam suam.

Augustinus insuper. 14. de ciui. lib. asserit Christum eos naturæ nostræ defectus suscepisse, qui perfectioni gratiæ non repugnant quidem, sed de amore boni & sancta charitate veniunt. At commendat magis charitatem suam Christus, si tristitiam quoq; eam deo pro culpis nostris in sacrificium præbuit, quam nos deo pro illis debemus maximè. Planè itẽ Ambrosius ad Gratianum imperatorem dixit, Sicut susceperat voluntatẽ meã, suscepit tristitiam meã. Nam voluntas propriè appetitus intellectualis est. Et velle propriè actus volũtatis est: ait autem, Non sicut ego volo.

Voluntatis etiã dolor hominis propriè tristitia est: nã qui in solo appetitu sensitiuo reperitur, hic animantis magis dolor est quàm hominis. Decuit autem vt per dolorem propriè humanum humana peccata soluerentur. Ita cùm dixit, Repleta est malis anima mea, omnem animæ appetitum repletum dolore intellexit siue sensualẽ siue rationalem. Quoniam & pronomen, mea, rationalem magis quàm sensualem præ se fert. Ea si vera sunt, vt videntur esse, nihil obstat, cur non per potentiam supernaturalem & gaudium summum & summa tristitia in eodẽ subiecto fuerint. Tum quia nec propriè contraria erant, cùm oppositio debeat fieri circa idem, vt D. Tho. sæpe sumit. Tum quia quod præter naturæ ordinẽ à deo fit, id in naturæ leges referre velle stultum est. Miraculũ fuit, quòd idem homo esset & viator & comprehensor miraculum, quòd à gloria animæ nihil deriuaretur ad corpus: miraculũ, quòd à superioris gaudio potentiæ nihil solatij in inferiores redũdaret: miraculũ, qp inferioribus perturbatis nec superiores turbarentur nec à sua perpetua operatione cessarent nec remitterent opus nec quietẽ & delectationem vel ex minima parte resoluerent. Inter hæc miracula propter mysterium nostræ redemptionis explendum, quanquam voluntas deo viso fruebatur, suscepit tamen sponte tristitiam quantã maximam capere potuit: potuit autem capere tãtam, quanta maxima esse in rerum natura poterat. Vt dolor pro peccatis nõ minor esset quàm charitas & scientiæ ipse quoque supereminere t.

Ephe. 3.

Sed & olim inuenimus, vt hinc iam nos demum extricemus, coram celebri Theologorum concione diximus: quòd sicut per totam vitam dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret: sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara dei notitia prodiret. Gaudium, fateor, ex deo viso in voluntate necessariò nasci non secùs atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquãdo sol radios suos: & ne calefaceret, compressus est etiam ignis: quare nihil mirum videri cuipiam debet, si in hominum re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

demptione per hominis vnius dolores ex plenda voluptas omnis reprimeretur, quã aliâs ex visione dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Nec obstat, quòd beatitudiné Benedictus huius nominis duodecim' definiuit in visione & fruitione cõsistere. Christus autem beatus fuit in via. Quoniam illud pontifex tradit de beatitudine consummata: Christus autem licèt habuerit essentiam beatitudinis, non tamen accidentia, quæ inde per se etiam consequuntur. Decuit enim eum per passionem consummari. Quanquam & fruitio sine gaudio intelligi potest: fruitur enim arboris suæ fructibus tunc etiam homo, cùm per morbum voluptatem nullam capit ex eis. Ita Christus non solùm videbat sed etiam fruebatur, quanuis derelictus à deo omni q; penitus solatio destitutus non gaudebat. Quamobrem, vt cæteri martyres, gaudium sibi futurum ante oculos posuit, vt crucem sustineret confusione cõtempta ad Hebræos. 12. ca. Vbi miris omnino modis & charitatem suam in nos commendauit & exemplum. Certè siue primo siue secundo seu tertio modo quæstionem solues, miraculum facis: sed est hoc postremum eò plausibilius, quò maiores in nobis igniculos excitat tum pœnitentiæ tũ amoris tũ gratitudinis. Sed sit iam huius quæstionis finis. Perspicuum est enim, in re sterili & ieiuna non paruam & exiguã copiam è locis Theologiæ suppeditatam. Restat tertium quæstionis genus pertractandum eius, quæ à fide & natura pẽdet: de qua re capite sequenti differemus.

Vt quid de reliquisti me.

Caput quintumdecimũ, in quo ea ea quæstio vocatur in dubium, quæ cum naturalis sit, tum etiam ad fidem pertinet.

QVoniam de eo genere argumentorũ dictũ est, quæ & ad fidei principia explicãda spectãt & ad cõclusiones Theologiæ confirmãdas: deinceps de ijs, quæ ad rerum etiam naturalium probationem attinẽt, disputandum est. Sunt autem naturales quæstiones in duplici differẽtia. Quędam enim solis naturę argumentis probari possunt: aliæ fidei etiam auctoritate confirmantur. Et in naturæ ratione quidẽ nullum inter hæc duo genera discrimen est. Vtriusq; enim quæstionis argumenta ex eisdem omnino locis petenda sunt, hoc est, ex humanis disciplinis. Quæ argumenta omnia tribus vltimis locis continentur. In hoc differunt, quòd quæstiones posteriores, quoniã fidei sunt, latiùs patẽt atq; ex oĩ loco cõprobari possũt. In hoc genere illa est, quã hoc capite versare cupio.

An animus hominis ímortalis sit, quẽad modũ Pythagoræ, Socrati, Platoni, Theophrasto, Themistio, Senecæ, Ciceroni, melioribusq; philosophis visum est, an potiùs mortalis, quod Luchretio, Galeno, Plinio, Alexãdro video placuisse. Nec me verò reprehensores vituperare debẽt: q̃ rem aggrediar, quæ diligẽtissimè est à plurimis disceptata. In quibus D. Thomã esse constat, cuius tanta est in vtranq; partẽ argumentorum copia, vt nihil addi posse videatur. Sed quoniam fidei argumenta nulla ferè protulit, naturæ verò rationes Etricus atq; Scotus probabiliter suadere aiunt, non necessariò demõstrare: nihil, vt mihi videtur quidẽ, temerè facturus sum: si de ea ipsa quæstione disputo, quã tam multa & prædara ingenia versarunt. Non enim rem actã agam: sed, nisi me fallit animus, planè vtilem, ne dicam necessariam: præsertim cũ Caietanus etiam noster sui valde dissimilis scripserat, se credere quidẽ animam rationalem incorruptibilem esse at nescire tamen. Qua in re cũ Enrico & Scoto ex parte consentit: quos idem miris olim modis exposerat. Ex parte, inq̃, quoniã nõ alios quidẽ, sed se scire inficiatus est.

In. c. 9. epis. ad Ro. Contra scripserat & in primã par. & in. 2. lib. de anima.

Vt ergo hæc cõtrouersia, quàm fieri poterit, accuratissimè constituatur: principiò argumentabimur, hanc quæstionem nullo modo ad fidẽ attinere: deinde, non posse naturæ ratione demonstrari.

Docet

1. argum. Docet porrò Augustinus, idq; non semel sed sæpius, nõ esse fidei quæstionem, an animæ rationales ex traduce sint: an potius ex nihilo in singulis creentur singulę. *De bap. par. lib. 3. c. 10. & primo retra. c. 1. & decimo super gene. c. 1. 3. & 4.* At si anima hominis ex traduce vi seminis propagaretur, sine dubio esset vt generabilis ita etiam corruptibilis.

2. argum. Dein Sadducęi existimabant animũ hominis esse mortalem: nec tamen habebantur hæretici, quin vt religiosos eos colebat fidelis populus.

3. argum. Præterea quatuor sunt scripturæ testimonia, quibus vel maximè animorũ immortalitas doceri potest. Vnum illud est, *Donec reuertatur puluis in terram, vnde erat, & spiritus redeat ad deum, qui dedit illũ.* *Eccle. 12.* Alterum, Deus creauit hominem inexterminabilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Tertiũ, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* *Sap. 2.* *Matth. 10.* Quartum, quo dominus in euangelio vtitur, *Ego sum deus Abraham, Isaac & Iacob. Non est deus mortuorum sed viuentium.* Etenim quod Augustinus affirmat ex lege Moysis esse cęteris euidentius, id ne probabile quidẽ mihi videri solet, vt animas ab interitu vẽdicemus. Ex quatuor autem illis, quæ passim à Theologis referuntur, primum eludi potest, quòd Augustinus docet, infirmum esse aduersum eos, qui credũt animas per propaginem generari. Infirmum ergo etiã est contra eos, qui dixerint eas cum corporibus interire. Ac sicut scriptum est, *Donec spiritus redeat ad deum, qui dedit illũ*; sic etiam legimus, *Spiritus vadens & non rediens.* Secundum item refellet fortasse quispiam dicens, non ibi de anima sermonem esse sed de homine, quem deus per gratiam fecit à principio immortalem. Vnde statim subiicitur, *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Tertium autẽ de morte spirituali animæ, hoc est, de æterna interpretari licet, de qua illud habes, *Dentes leonis dentes eius interficientes animas hominum.* Quæ res suadetur, quia protinus additur, *Eum timete, qui postquàm occiderit, habet potestatẽ mittendi in gehẽnam.* Quare D. Tho. nec in. 1. p. nec in sum. contra gen. nec in. q. de anima hoc testimonium voluit vsurpare. Nam quartum de resurrectione agit, non de immortalitate. Sic enim dominus ait, *De resurrectione autem mortuorũ non legistis &c.* Nihil verò prohibet, vt anima cũ corpore simul intereat, & postea cũ corpore simul exsurgat. Non ergo fidei decretum est, animas esse immortales.

1. argum. *Li. 10. super gen. capit. 9.*

Quòd verò naturali argumẽtatione animæ immortalitas nequeat ostendi: illa prima cõiectura est, quòd cùm Ambrosius & Augustinus, vtrid probarẽt omneis nervos intenderint, nihil omnino confecere. Non autem præcellimus Ambrosium & Augustinum. *4. argum.* *De bono mort. c. 9. 2. soli. et li. de immor. ani.*

Adhæc cùm Scotus, Iandunus, Caietanus Diuꝰ Thomæ rationes expẽderint, vtpote scilicet magnio ingenio magnaq; Philosophiæ eruditione prædití; at pronunciarunt tandẽ, rem non esse demonstratã sed creditã. Nõ est autẽ vero simile, rationes eas, si euidẽtes essẽt ac lucidæ, nullũ euidẽtiæ lumẽ acribus acutisq; oculis allaturas. *5. argum.* *Sco. 4. d. 43. q. 2. iãd. 3. de ani. q. 5. & 29. Caieta. in epistola ad Roma. c. 9*

Præterea Aristoteles non idẽ semper in hac re, sed tũ hoc tũ illud scripsit: nõ est ergo probabile, eũ in tanta varietate & incõstantia certã exploratãq; animæ immortalitatẽ habuisse. Nam q̃ pro animæ rationalis incorruptione aliquando senserit, vt cętera loca omittã, quę & D. Th. 2. aduer. gẽ. c. 79. & Ferrariẽ. in cõmẽtarijs asserũt, is locus planus & expeditus est, qui. 2. lib. de gene. anima. c. 3. habetur: vbi apertè docet Arist. mentẽ hominis nõ in seminis virtute esse, vt reliquas animas, sed extrinsecus aduenire. Quod si non educitur de potentia materiæ nec à generãte homine vi seminis editur: certè subsistẽs est nec à materia dependet. Quòd verò de hac sententia interdũ etiã desciuerit, Caietanus multifariã suader: & mihi his argumentis fit verosimile. Primò, quòd nõ põt effugere si sua prin- *6. argum.* *In. 3. li. de anima.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipia Aristoteles retinet, animarũ infinitatem: nisi incidat in errorẽ Auerrois vel in Pythagoræ deliramẽtũ. Scdò qa. 1. cęli asserit, q̃ quid incorruptibile sit, id ꝑpetuũ etiã fuisse. Tertiò quia in eth. li. 1. Solonẽ reprehendit, qui asseruerit, post mortẽ verã superẽsse hominis beatitudinẽ. Vnde & deplorat breuẽ hominis felicitatẽ & opes ac diuitias tanquã felicitatis adiumenta requirit. Nec de hominis animo post mortẽ verbum vllũ in illo reperies. Non est autẽ credibile eũ si existimaret animã esse immortalẽ, nec de modo, quo intelligeret separata, nec de eius felicitate quicquã vel breuiter perstricturũ. Quartò ex procemio libri de anima, vbi illud fundamentũ iecit: si intelligere est fantasia aut non sine fantasia, non contingit animã separari: in tertio aũt libro posuit antecedẽs, quòd intelligere non est sine fantasia: vnde & consequẽs &c. Quintò quia non Gregorius Nissenus modo, quẽ D. Th. refert, verùm etiã Iustinus martyr in libr. admonitorio gentiũ, & Theodoritus lib. 5. de curati. grę. affecti. cõsentiunt, Aristotelẽ animorũ immortalitatem negauisse. Quis autẽ credat, tantos talesq; viros falsum testimoniũ dixisse? Nisi etiã Alexander Aphrodisæus insignis præter cæteros Peripateticus falsò etiã magistro suo hanc sententiã imposuit.

7. argum. Præterea animorũ immortalitas cũ dei erga homines prouidentia adeò cõiuncta & colligata est, vt qui illã negarit, is hanc quoq; inficiaturus sit: qui verò hanc concesserit, eũ necesse sit illã admittere: quẽadmodũ supra diximus. At dei erga res humanas prouidẽtia nõ potest esse per rationes humanas manifesta, sed solũ ex diuinis

Psal. 72. oraculis exploratè percipitur. In quod Propheta testatur inquiens: Existimabã vt cognoscerẽ: hoc labor est ante me, donec intrẽ in sanctuariũ dei & intelligã in nouissimis eorũ. Et iterũ, Dñs scit cogitationes ho-

Psal. 93. minũ, quoniã vanę sunt. Beat⁹ homo, quẽ tu erudieris dñe: & de legetua docueris eũ.

8. argum. Præterea ad indagandã animi immortalitatẽ illa rectissima via est, quã Aristoteles est ingressus: nẽpe animi operatio propria. Sicut enim res se habet ad operationẽ, ita se habet ad esse. Experimento autẽ quotidiano ille probauit, animã nostrã nihil sine fantasmate intelligere. Pendere itaq; à corpore non solũ vt species intelligibiliũ accipiat, sed vt eis etiam vtatur resq; ipsas intelligat. Respondent, pendere animi propriã actionẽ à corpore nõ tanquã à subiecto sed tanquã ab obiecto. Verũ hæc responsio refellitur. Quia si, quantũ rationis lumẽ & sensuũ indagatio docet, nulla nostra intellectio sine corpore est: nihil refert hoc an illo modo sit, cũ vtriq; probabilissimè colligatur, animã, si extra corpus esset, in modũ glirium torpentẽ omni opere vacaturã. Experimur siquidẽ species intelligibiles & in fieri & in operari à fantasmate dependere. Hinc enim Aristoteles vacillauit nec quicq̃ effecit, si effecit tamẽ, nisi animas cũ corporibus interire: ne vanæ scilicet & ociosæ extra corpora remanerent.

9. argum. Cõfirmat autẽ hoc vel maximè, quòd si anim⁹ per se subsisteret atq; adeò immortalis esset: nõ indigeret corpore, quemadmodũ aliæ formæ, propter esse sed solùm propter operationẽ. Necesse quip̃e est, cũ species intelligibiles à corporibus per corporis sensus emẽdicare. Alioqui intellect⁹ per se in natura subsistẽs, ideoq; à corporis grauitate & materiæ imperfectione liber nullo se modo corpori colligaret: si ex se haberet species ingenitas, quibus sine corporis adiumẽto intelligeret. Videmus aũt, species à corpore acceptas à corpore etiã in operãdo pẽdere. Ideo enim necesse est, intelligentẽ phãtasmata speculari. Nõ ergo per illas anim.a à corpore separata intelliget. Alias verò species nõ habet superinditas. Quare seiũcta à corpore, somno ocioq; torpebit, quod est absurdum.

10. argum. Sexta insuper synodus actione. 11. tradit, animã hominis nõ esse immortalẽ per naturã, sed per gratiã illã à morte coercentẽ. Et rursum, non, inquit, naturã propriè immortalẽ habent animæ sed gratia id fortitæ sunt. Nulla ergo ratio naturalis animæ immortalitatẽ mõstrare potest: vt pote cũ sit suapte natura mortalis.

11. argum. q. de anima ar. 14. Adde vnũ & viginti argumenta, quibus S. Th. probabiliter egit, vt anima corruptibilis videretur. Quæ si ego hîc repetã molestus ero. Nã his alia adijcere, non video quî possem: nisi Iãduno alijsq; huius farinæ auctoribus velim esse simillimus, qui vt argumẽta afferãt, quibus animi mortalitas probari posse videatur: ea ponunt, quibus suadeant eũ nõ esse formã actũq; corporis essentialiter. Quæ argumenta quidẽ Caietan⁹ in. 3. li. de anima retulit, fecissetq; fortasse multò prudentiùs, si contẽpsisset.

12. argum. 4. d. 43. q. 2. Adde etiã, q̃ Scotus argumẽtis, quæ probant animã esse immortalẽ, argutè respondet. Si ergo rationes inuentæ à prioribus nõ demõstrant, alias verò excogitare nouas non opis est nostræ: fateamur, animã immortaliter viuere, nullo certo naturæ argumento patescere. Hæc afferre breuissimè potui, quibus illi vterentur, qui animorũ immortalitatem infirmare pergerent. Quã tamen & fides catholica firmissimè docet & certa naturæ ratio. Id quod conclusiones rationesq; sequentes patefaciẽt.

Prima cõclusio. Animum hominis esse mortalẽ, fidei catholicæ manifestè repugnat. Gene. 37. Descendã ad filiũ meũ lugẽs in infernũ. Iob. 21. Ducũt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descẽdũt. Sapiẽ. itẽ cap. 2. 3. 4. & 5. apertissimè traditur, animas cũ corporibus nõ interire. Eccles. 12. Et spirit⁹ redeat ad deũ qui dedit illũ. 2. Machab. 12. Sãcta ergo & salubris &c. Matth. 10. Nolite timere eos, q̃ occidũt corp⁹, animã aũt nõ possũt occidere: sed potiũ timete eũ, q̃ põt & animã & corpus perdere in gehẽnã. Ioan. 12. Qui odit animã suã in hoc mũdo, in vitã ęternã custodit eam. Phili. 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ. Coartor autẽ è duobus desideriũ habens dissolui & esse cũ Christo. Primæ ad Corin. 15. pro absurdissimo Apostolus colligit, Ergo & qui dormierũt in Christo, perierũt. Si in hac vita tantũ in Christo sperãtes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Et posterius referens illã insipientiũ vocẽ, Mãducemus & bibam⁹, cras enim moriemur: illicò subdit, Nolite seduci. Corrũpunt &c. 2. Cor. 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à domino, audem⁹ aũt & bonã voluntatẽ habemus magis peregrinari à corpore & prẽsentes esse ad deũ Et paulò antè, Scim⁹ q̃ si terrestris domus nostra &c. Sed de scripturæ testimonijs quæ D. Tho. dixit esse infinita, satis multa excitauimus. Quãquã vereor, ne quis nos iure ac merito reprehendat: qui in re non dubia vsi fuerimus testibus nõ necessarijs. Præsertim cũ ij, qui animæ immortalitatẽ inficiãtur, nec Christo nec euangelio credant, ecclesiæ verò sanctorũq; fidẽ pro nihilo putent. Ita superuacaneũ videtur esse, ex ijs locis, qui auctoritatẽ fidei continent, argumẽta depromere. Nec cõclusio hæc ꝑpriè Theologica est, vt sit argumẽtationibus Theologiæ cõfirmãda. Quin Theologia, qua ratiõe effectrix est & agẽdi muneri incũbit, illa duo habet primaria fundamẽta, Deũ esse hominis & principiũ & finẽ, atq; adeò procuratorẽ esseq;, itẽ animorũ perpetuã vitã, in qua remunerator deus sit inquirẽtiũ se. Quæ nisi fidelis penitus habeat infixa & in animo quasi insculpta, nõ dico media & finẽ cõsequi felicitatis suæ, sed ne ad deũ quidẽ accedere ꝑt, vt ab eo media finẽq; requirat. Cũ igitur prima cuiusq; disciplinæ principia tanquã notissimæ anticipationes supponantur: nihil opus erat vel ea testimonia referre, quę ex sacris literis cõmemorauim⁹. Ni si q̃ sunt quidã adeò curiosi, qui etiã optarint, Paulũ de animorũ incorruptione manifestiꝰ loqui. Quod perinde est, ac siquis Philosophus adeò esset insigniter stultus: vt in philosophorũ libris præsertimq; Aristotelis cuperet principiũ illud sæpè & clarè resumi, Quodlibet est vel nõ est. Verũ & hac prima propositione, quoniã est ante

Iustinus in colloquio cũ Tryphone illud affert, q̃ Phytonissa spiritũ S. Samuelis euocauit. In quæstiõ. uerò gẽtiũ. q. 75. citat illud. Infern⁹ subtẽ cõturbatus est in occursũ ad

uentus tui. Quod de Nabuchdonosor dictũ esse, ambiguũ nõ est Et. q. 76. illud, Hodie mecũ eris in paradiso

Heb. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oculos posita, diximus satis. Secũda ppositio: Animus naturaliter est immortalis & nõ ex dono gratuito. Fuere porrò quidã Arabes, qui dicerẽt, animũ natura esse mortalẽ: sed in nouissimo die corpore immortaliter suscitãdũ. Simili aũt errore duct⁹ posset q̃spiã dicere, animũ cũ corpore statim qdẽ interiturũ si naturæ suę relinqueretur: sed vi diuinæ potẽtię fieri, vt vel ad præmia vel ad pœnas cõseruetur æternus.

Hoc q̃ assereret, is scripturas facilè in sensum suũ detorqueret. Nõ enim affirmãt illæ, animũ esse naturã sua immortalẽ, sed solũ eũ, aiũt manere post mortẽ. Sicut corp⁹ post resurrectionẽ fides astruit perpetuã vitã habiturũ: nõ tñ id in natura corporis, sed in diuina potẽtia erit. Quã sentẽtiã sextæ synodi verba retro citata sonare videtur. Atq; Augustinus. 10. super gene. ad lit. c. 23 in illã magis opinionẽ inclinat, quæ docet animas à parẽtibus generari. Quę si vera sẽtẽtia est, nõ est anim⁹ sua natura immortalis. Id qđ̃ solebã equidẽ nõ tãquã hęreticũ sed tanquã erroneũ cõdẽnare: semper qppe malui citra lineã cõsistere q̃ trãsire, stultæq; ignorãtiæ potiús argui, q̃ insolẽtię temerariæ. At si rẽ diligẽti⁹ animaduertas, nõ dubites, huic errori hæreseos notã inurẽdã: quãdo ad Sedẽ Apostolicã referatur.

Augustin⁹ 11. de trini. ca. 9.

Primũ, quia manifestũ est, quosdã philosophos naturę ratione duce animorũ immortalitatẽ & vestigasse & inuenisse. Nõ est ergo supernaturalis animorũ perpetua vita aut dono eis gratuito cõcessa. Quis enim hominũ scire poterit cõsiliũ dei? aut quis poterit cogitare quid velit deus? nisi ille dederit sapientiam & miserit spiritum sanctum suum de altissimis?

Sap. 9.

Deinde in cõci. Laterane. sub Leone. 10. sessione. 8. definitur, hæreticũ esse dicere q̃ ex principijs Philosophiæ sequitur, animã esse mortalẽ. Et tamẽ si naturaliter esset anima corruptibilis hui⁹ corruptionis esset causa aliqua naturalis. Itẽ cũ nõnulli, inqt, ausi sint dicere de natura animæ rationalis q̃ mortalis sit: & aliqui temerè philosophãtes secũdũ Philosophiã saltẽ verũ esse asseuerẽt: dãnamus oẽs asserẽtes animã rationalẽ mortalẽ esse. Cũ illa nõ solũ per se & essentialiter humani corporis forma sit, verũ etiã immortalis. Hactenus conciliũ.

Præterea nõ Theologi modò, verũ fideles etiã vniuersi animarũ immortalitatẽ ita à maioribus accepimus, vt nõ per miraculũ eas incorruptibiles sed per naturã esse credamus. Hic aũt ecclesiæ cõsensus certissimo nobis argumẽto esse debet catholici dogmatis. Quod aũt idẽ in hac re Theologi ac fideles sentiãt oẽs vel ex eo liquet, q̃ asserẽtẽ quẽcunq;, animos esse mortales, statim exhorrẽt. Eadẽ q̃ppe fide inscriptũ in mẽte habẽt, angelos & hominũ animas natura sua vt intellectuales, ita quoq; immortales esse. Adde quòd post Augustini seculũ nemo fideliũ i dubiũ vertit, q̃n animę rationales creentur ex nihilo, & singulæ singulis corporibus infundantur, vt cõcilij Lateranen. verbo vtar. Quòd si nõ generãtur vi naturæ animæ rationales nec de potẽtia materiæ educũntur sed foris veniunt: nimirũ ex se subsistunt, quare nõ cũ corpore intereunt. Illud verò testimoniũ, spiritus redeat ad deũ, qui dedit illũ, ne Augustinus quidẽ ipse expedit. Si enim foris venit spiritus hominis: cõsequẽs fit, vt nulla vi agentis naturalis propagetur. Quocirca si ingenitus natura est, natura quoq; est incorruptus. Nec enim naturales causæ corrũpũt aliquid, nisi qđ̃ eędẽ possunt gignere. Nã qđ̃ interpretatur Augustinus, deũ primo homini spiritũ dedisse, cũ inspirauit in faciẽ eius spiraculũ vitę, in illo verò qui cæterorũ hominũ caput erat, cæteris dedisse spiritũ: hoc, pace tanti viri dictũ sit, nulla ex parte argumẽti vires infringit. Cũ enim Moyses in principio Geneseos rerũ naturaliũ propriã vim & naturã exprimat quod in primo homine significatũ est, id de reliquis etiã intelligitur. Scriptura porrò, vt ostenderet viuentia reliqua viribus naturę edi posse, ait: Germinet terra herbã virentẽ &c. Et rursum, Producãt aquæ reptile animæ viuentis &c. Et iterũ, Producat terra iumẽta & reptilia &c. Nemini qppe ambiguũ esse põt, prima cetorũ iumentorũ, serpẽtiũ, leonũ indiuidua à deo fine media causa adiuuãte cõdita creataq; fuisse. Ob id nãq; adiectũ est, Creauitq; deus cete grãdia & omnẽ animã viuentẽ atq̃ motabilẽ, quã produxerãt aquæ in species suas. Item, Et fecit deus bestias terræ iuxta species suas &c. At significare scriptura voluit, sic tunc à deo huiusmodi animãtia esse edita, vt in vi tñ elemẽtorũ & corporũ, quæ ex elementis conflarentur, illorũ generationẽ sitã esse censeremus. Sed enim cũ ad hominẽ ventũ est, ne huius similis conditio crederetur de corpore ait, Fecit deus hominẽ ex limo terræ: de animo aũt, Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Quod differẽtis conditionis variũ discrimen à Moyse adeò accuratè obseruatum manifestè indicat, cæterorũ viuentium animas in potentia materiæ esse: hominis spiritũ, quo factus est in animam viuentem, non esse: sed à deo creari & infundi, qui solus eius & spirator & creator est. Præterquã q̃ qui dicit, Redeat ad deum, qui dedit illum, is non obscurè docet: spiritũ non perire, sed manere. Explicat enim id, quod paulò antè dixerat, Ibit homo in domũ æternitatis suæ. Alioqui, quomodo ad deũ vadit, si dissoluitur tanquam mollis aer & sicut vmbra ac fumus euanescit? Quemadmodũ autem corporis naturam exprimit, cũ ait, Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat: sic naturam spiritus manifestat inquiens, Et spiritus redeat ad deum. &c. Iam quod Augustinus affert, spiritus vadens & nõ rediens, à nobis est. Non enim scriptura dicit, spiritus veniens & non rediens: sed spiritus vadens scilicet à corpore & non rediens &c.

Ecclę. 12.

Præterea stulti illi, quorum error Sap. c. 2. inducitur, animum existimabant naturaliter esse mortalem. Non enim de miraculo loquebantur, sed de natura. At Sapiens nõ modo cũ illis apertè pugnat, verũ etiã vt insipientes & insensatos reprehẽdit. Animos ergo sentit natura esse immortales.

Tertia propositio. Erroneum est ne dicam hæreticum, astruere: animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari nõ posse. Si enim naturam habet incorruptibilem, huius rei vel à priori vel à posteriori ratio aliqua demonstratiua erit. Nulla siquidem propositio ex natura rei & connexione terminorum per se ac necessaria est, quin vel ex effectu vel ex proprietate vel ex definitione vel ex causa subiecti ostendi necessariò queat. Sed ais. Quadratura circuli demonstrabilis est quidem: sed demonstratio adhuc inuenta non apparet. Sic ergo Scotus Iãdunusq; sentiẽt, animæ quidem immortalitatem ostendi posse: at non esse ostensam tamen.

Caietanus turpiter hic lapsus est nõ intelligens scripturæ sensũ.

Quarta propositio. Periculosũ ac temerariũ est, ne qđ̃ amplius addã, affirmare: q̃ nullũ argumẽtũ hactenus inuentũ verè demõstrat animæ immortalitatẽ. Quia argumentũ, quod sumitur ex operatione propria vel etiã ex potẽtia, quæ substantiã rei necessariè naturaliterq; consequitur, verè ostendit, qualis ne sit eius rei natura atq; substãtia. Theologi verò tũ ex propria operatione tũ ex ppria potẽtia, intellectione scilicet & intellectu, animi incorruptionẽ argumẽtantur. Syllogismi igitur illi verę sunt demõstrationes. Dicet fortasse quispiã, nõ nego demõstrationes esse: sed nobis demonstrationes esse nego. Quibus argumenta illa certa & clara nõ sunt, quanuis idonea ex se sint, vt certitudinẽ atq; euidentiã pariãt. O insolentẽ temeritatẽ: cęteros ex tuo ingenio metiri, exq; tuis aliorũ oculos æstimare. Asserere, mel qdẽ ex natura sua dulce esse: sed dulce tamẽ fuisse nemini, qa tibi nõ fuerit: nullum videre id posse, qđ̃ tu nõ videas: omnibus obscurũ esse, qđ̃ tibi nõ pateat. Ait diuus Thomas, Ex præmissis manifestè ostendi posse, animã humanã nõ corrũpi cũ corpore: cõcludit verò in hęc verba, Patet igitur, q̃ intellectus humanus est incorruptibilis, ergo &

Qui dixit rationes nõ esse nec demonstrationes nec necessarias, is uidetur hãc cõclusionẽ reprobare.

2. con gen. c. 79.

Universidad de Deusto
Biblioteca

anima humana, quæ est intellectiua substãtia. Ité, Necesse est dicere, animã intellectualẽ esse incorporeã, subsistentẽ, incorruptibilẽ: Scotus cõtrà nõ sunt, inquit, rationes patẽtes & necessariæ. Affirmat Chrysostomus, q philosophi de animæ immortalitate dubitẽt, eos addubitare, ari in meridie sit dies: & credem⁹ nos, viros & sanctissimos & modestissimos euidentiam, quã nõ habebãt, fuisse emẽtitos? Atq; Augustin⁹ asseuerat, philosophos quosdã naturali ratione animæ immortalitatẽ inuenisse: quanq; pauci, ait, idq; ægrè inuenerũt. Præterea deus nõ deficit in necessarijs ad vitã iuxta naturæ rationẽ benè & cõstãter instituendã. At vix homo potest vitã rectè & iustè instituere, nisi & deũ esse sentiat & animos esse immortales: vix, inquam, aut certè nullomodo. Qui enim vel sine deo fuere vel animũ putarũt cũ corpore interire, eos ferè perditissimis moribꝰ fuisse memoriæ ꝓditũ est. Quã omnino rẽ * Sapiẽs sapienter expressit. Nã simulatq; impij illã opinionẽ induerũt, animos mori: cõsequẽter de omni bono futuræ vitæ desperãtes & nihil post mortẽ mali timẽtes, semetipsos tradiderũt impudicitiæ in operationẽ immũditiæ omnis in auaritiã. Post hæc, inquiũt, erimus tanq; si nõ fuerimꝰ. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt &c. Et Augustinus cõf. lib. 6. c. postre. nisi credidissẽ aut, restare post mortẽ animæ vitã & tractꝰ meritorũ, quod Epicurus credere noluit Epicurus palmam in animo meo accepisset. De atheis autẽ cũ propheta illud posuisset, Nõ est deus: statim subiunxit, Corrupti & abominabiles facti sunt &c. Sic Iustinus in dialogo cũ Thryphone, eorũ, inquit, sententia, qui deũ me atq; te curare negãt: quò spectet, nõ est difficile cognoscere. Impunitas enim & licentia faciendi & dicendi, quæ velint omnia, eos cõsequitur, qui nec supplicia metuant, nec beneficiũ vllum à deo spectẽt. Diuinæ itaq; procurationis fuit, vt in morũ & vitæ necessaria regula duces naturæ ac magistros non cõiecturis & opinionibus imbueret, quæ huc atq; illuc facilè traherẽtur, sed certa cõstantiq; ratione. Sic enim scriptũ est, Qui docet hominẽ scientiã. Et iterũ, qui docet nos super iumenta terræ & super volucres cæli erudit nos. Quòd si animantibus cæteris dati à natura sunt quidã instinctus & quasi anticipatæ cognitiones nõ vagæ & instabiles sed fixæ firmæq;, vt ad bonũ naturæ cõgruẽs rectà ferãtur, retrahãtur à noxio: cur in eorũ saltẽ mẽtibus. quos naturę auctor ad aliorũ institutionẽ cõparauit, inditas esse certas et cõstãtes prænotiones inficiemur, sine quibus ad veritatẽ bonitatis nõ satis instructi informatiq; fuissẽt? Nec enim melior est belluarũ cõditio q̃ nostra. Nihil verò piget, eadẽ sæpe verba resumere. Hinc barbaræ etiã nationes pœnas improbos luere cũ sapiẽtibus cõsenserũt, atq; adeò animos esse immortales. Deus enim semper ea, quæ cuiq; naturæ necessaria sunt, prouidẽtissimè curat. Quis aũt cõmunes animi corruptiones incertas esse asseueret? Sed ais tandẽ. Quæ nã istę rationes sunt necẽsariæ & euidẽtes, quæ Scoto & Caietano probabiles & obscuræ visę sunt? Dicã, si illud priùs cõmemorauero quod ab Aristotele prudẽtissimè dictũ est stultũ esse æqualẽ in omnibus certitudinẽ & euidentiã exigere. In naturalibus quippe disciplinis minor est q̃ in mathematicis in moralibus minor etiã q̃ in naturalibus. At in dispari certitudine tã stultus nemo est, qn sciẽtiæ illis nomẽ impertiat. Syllogismi ergo illi & faciũt scire & verè demõstrationes sunt, qbus & de natura & de moribꝰ philosophamur: quãuis in eis rationibꝰ nõ adeò magna aut necẽsitas aut euidẽtia insit. Prima igitur ratio demõstratiua auctore Chrysostomo est hæc. Qui animum esse mortalẽ ait, is neget necesse est deum humanarum rerum esse & procuratorem & iudicẽ. Si enim iusti migrãt affecti iniuriis, improbi rerum oĩm abundãtia potiti, nec post mortẽ aut merces aut supplicij est: nulla certè est in cælo pietas, quę talia curet: nulla iustitia, quæ vel malos puniat vel tribuat præmia bonis. Et cætera, quæ capite huius libri quarto latiùs persecutus sum.

1.par.q.75. ar.2.ef.6.

Homi.4. de prouid.

13. de trinitate c.9. Mirũ est, Scotũ hũc Augustini locũ citauisse, ut opinionẽ suã cõfirmaret. De resurrectionẽ Augustinꝰ ait nõ rationes sed auctoritate teneri: at de immortalitate animæ cõtrà dicit Nã & lib. de ci. dei. 1. c.22. scribit, Platonẽ qua mente immortalitatẽ animæ uidit, ne quis sibi mortẽ conscisceret, prohibendum iudicasse.

**Sap. 2. Psal.93. Iob.35.*

Psal.93. Iob.35.

1.Ethi.

Homil. 4. de prouidẽtia dei fato

Respondet Scotus, argumentum hoc infirmius multò esse quã reliqua. Nõ enim, ait, ratione naturæ notum est: esse vnũ rectorem hominum secundum leges iustitiæ retribuentem & punientẽ. Quæ respõsio bifariàm confirmari potest. Prius quia Sapiens, cum hoc eodem argumento vsus esset, huius rei ignorationem inscitiam esse dixit sacramentorum dei. Quòd si inter mysteria dei censet & dei prouidẽtiam & animorum immortalitatem: non est cur nos inter perspicua censeamus. Verba autem illius sic habẽt, Et nescierunt sacramẽta dei, neq; mercedem sperauerunt iustitię, nec iudicauerunt honorem animarũ sanctarum. Posterius quia Iustinus Martyr & philosophus in lib. de Aristotelis reprehensione docet, gentes non scientia, quæ ad demonstrandum valẽt, de deo creataq; natura disputationes confecisse, sed probabili ratione suam explicasse sententiam. Et postea, Hæc, inquit, satis etiam declarant, verum esse quod à nobis de gentium philosophis dictum est, eos non scientia demonstrandi de naturis disseruisse, sed coniectura verisimiliq; ratione suam explicauisse sententiam. Adde his, quòd D. Tho. hoc argumentũ vbiq; gentium prætermisit, non prætermissurus, si certum & necessarium esset.

vide lib.10 c.4.

sap.2.

c.4. ad.7.

Verũ enimuerò nulla me huius generis argumẽta mouere possunt, vt ab ea sentẽtia discedã, quã Chrysostomo video placuisse. Habuit quippe pro re perspicua & cõstanti non aliũ negaturũ deũ esse hominũ & gubernatorẽ & iudicẽ, nisi eũ qui dixisset in corde suo: Non est deus. Sed quia hæc res supra, vt dixi, manifesto argumento nobis demonstrata est & accuratiùs est postea demonstranda: satis nunc confectũ esse arbitramur, si rationem illã, quę animæ immortalitatẽ doceat, eò tandẽ duxerimus: vt nõ possit dei erga homines prouidentia iustitiaq; constare, nisi animæ incorruptio cõsistat. Nã quòd Scotus aliter eludi hãc ratiocinationẽ putat, perridiculũ est. Vt admittamꝰ, ait, deũ pro meritis & præmia bonis & malis supplicia retribuere: nõ exigua tamẽ improborũ vindicta est culpæ turpitudo ipsa, cruciatus animi cõscientiæq; flagellum.

Abundè verò magna merces & prẽmiũ, fructus ipse virtutis, quo mirificè delectantur probi. In quã sententiã illud Augustini citat omniũ sermõne cõtritũ, Voluisti domine & ita est, vt omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna. Poterat & illud ex Apostolo afferre, Mercedẽ, quã oportuit, erroris sui in semetipsis recipiẽtes. Quæ cũ dicit, parũ attentè considerat, in quos laqueos incurrat. Primùm enim nodum illum explicet necesse est, si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Roma. 1.

1.Cor.15.

Deinde Propheta nõ existimauit quæstionẽ hãc expediri posse, nisi ad fines bonorũ & malorũ referretur, hoc est, ad nouissima quę probos improbosq; manerẽt. Ex præsentibus aũt aut bonis aut malis illã nõ modò nõ solui: sed etiam implicari. Mei, inquit, moti sunt pedes: quia zelaui super iniquos pacẽ peccatorũ vidẽs &c. Existimabã, vt cognoscerẽ: hoc labor est ante me, donec intelligã in nouissimis eorum. Quomodo facti sunt in desolationẽ &c. Nec aliter aut Hieremias aut Abacuc huic quæstioni respondẽdũ putauerũt. Quorũ ego sensum libentiùs exponerem, nisi ad alia festinaret oratio.

Psal.72.

Hierem. 12. Abac.1.2.3

Prætereà valde restrictũ deũ facimꝰ, qui suis id solũ in mercedis loco numeret: ꝙ animo æquo imò verò etiam gaudenti ac libenti seruierũt. O præmiũ singulare, qđ eripit spem futuri cuiusque boni, quæ sola, vt ait Cicero, hominẽ in miserijs cõsolatur. Quis enim dubitet, mortaliũ animos in arduis aduersisq; rebus spe futurorum erigi & subleuari: frangi autem & concidere, si

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,si cum omnium rerũ desperatione confligant? Talem mihi remp. finge, vbi pessimi ciues metum omnem pœnæ & futuræ vindictionis abijciãt, optimi verò de spe futuræ gratiæ ac beneficij depellantur: & cũ nec probis lex adhibuerit calcaria nec improbis frenos, ciuitas non dico benè morata, sed ne esse quidem poterit. Ita quicam sine præmio pœnaq; constituit, hunc tù ipse stultissimum iudicabis. Quale ergo est eius reip. deo procurationem administrationemq; tribuere, quam nemo vir sapiens sibi assignari pateretur? Demonstratum est igitur, animas esse immortales, tam euidenti & necessaria ratione, quæ refelli non valeat: nisi deum facias aut improuidum esse & negligentem rerum hominis, aut eam stultè vrbem constituisse, in qua nullus supplicij timor sit, præmij expectatio nulla.

At sapiens ait, animorum incorruptionẽ ad dei sacramenta pertinere. Primùm id ego negare verè possum. Nec enim rem hanc ille in mysteria retulit: sed quòd via impiorum prosperetur, quòd vbiq; relinquant lætitiæ signa, quòd opprimant paupertem iustũ nec viduæ parcant &c. & in his omnibus deus non taceat modò, verũ etiam probos duriter & acerbè, improbos contrà blandè & molliter tractare videatur. Hæc scilicet dei sacramenta sunt, quæ humana ratio cõprehẽdit aut vix aut nullo certè modo. Deinde sunt naturales res quædam in oculis omnium clarè positæ: aliæ latent in occultò tenebris densissimis circunfusæ. Quæ naturæ mysteria rectissimè dixeris. In his, fateor, animi immortalitas est: quæ à paucis quidẽ idq; difficulter, sed inuestigari tñ atq; inueniri põt. Iustini aũt verba magna ex parte vera sunt: at vniuersas demõstratiões philosophis eripere, tũ absurdum est tum Paulo etiã contrariũ quemadmodum refutando septimo argumento patefiet. Nam D. Tho. eiusmodi argumentationibus vti non solet, quanuis sint liquidæ & exploratæ. Cauet enim ne argumentando de genere in genus transeat, quod Aristoteles in demonstrandi arte docuit esse vitiosum. Constat verò in hac ratiocinatione à dei prouidentia & iustitia ad animi incorruptionem transiliri quæ in eodem genere non existunt. Verũ de prima demonstratione satis.

Secunda est huiusmodi, vt à proteruis refelli queat, à viris rectè institutis nõ queat. Eam verò in probatione quartæ propositionis postremam fecimus. Confirmat illam Cicero in hunc modũ. Sicut satis probatur deum esse, quia nulla natio tam fera est, quin deum habendũ sciat: ita apud omnes gentes cõmuni consensu firmatũ est, animos defunctorum interitu esse liberos. Quã omnino rem funeris cæremonijs testatã esse voluerunt. Nec enim eas corporibus impararet, nisi animos sacros esse ac diuinos in animũ induxissent. Hinc verò, vt Cicero affirmat, & mercedem funeris sepulturæq; constitui, nefas esse putarunt: & brutis animãtibus huiusmodi honores negauerunt. Quas duas rationes sapiens, vt mihi videre videor, perstrinxit. Vnam, cũ ait: Nec mercedẽ sperauerunt iustitiæ: alteram, cũ subdit: Nec iudicauerunt honorẽ animarũ sanctarũ. Sanè qui iudicat, vnum esse interitum hominũ & iumentorũ: is, cũ animum suum summa ignominia & dedecore afficiat, non hominis interitu ac religione, sed sepultura asini sepeliendus erat: vt dignũ haberet sua opinione & sententia funus. Sed de secunda ratione hactenus. Tertiã significat magis scriptura quàm explicat, cũ euestigio subijcit, Quoniã deus creauit hominẽ inexterminabilẽ, & ad imaginẽ similitudinis suæ fecit illũ. Hominẽ quippe ad imaginẽ dei esse factum, eò quòd natura intellectualis est: verti in dubium non potest. Ex ea ergo parte homini incorruptio conuenit, qua intellectum habet. Animum igitur, vnde homo intelligit & similis deo est, inexterminabilem esse oportet. Quæ ratio, quoniam ex hominis natura & forma propria

Lib. de senect. & Tuscu. q.

propria ducitur, atq; adeò non ex alienis & extraneis sed ex proprijs aptisq; principijs: diligentiùs nobis & illustrãda & exponenda est. Id quod D. Thom. diuinè fecit: intelligebat enim hanc esse certam expeditamq; viã, qua ad animi immortalitatem veniretur.

Primum igitur fundamentum huius demõstrationis est, formã omnẽ intellectualẽ esse subsistentẽ, hoc est, esse eius non à materia pẽdere. Hanc propositionẽ ostendit D. Th. 2. con. gen. c. 51. Quia intellectus nõ eget corpore sustinente: cũ intellectio nec recipiatur in corpore nec per corpus fiat. At dicis. Non eget corpore quidẽ tanquã subiecto, sed eget tanquã obiecto. Verũ hoc duob⁹ modis manifestè refellitur. Primũ enim Animal non esset per se subsistens, quia indiget ad propriã operationẽ externis obiectis. Deinde id, quod per accidens alicui conuenit, non variat iudiciũ de natura rei. Vt lapis, qui in loco superiore detinetur &c. Cùm ergo anima intellectiua ex natura propriæ operationis nõ sustentetur à corpore, consequens est, q̃ per se non pendet ab illo. Quia actus nõ põt per se à corpore pẽdere, nisi tãquã à materia & subiecto, in quo recipitur. Vide. S. Th. in. q. de ani. q. 14. & 2. cõtra gẽ. c. 55. & 79. Certè si intellectio in corpore susciperetur, nec oẽs res sine discrimine intellectus perciperet, nec vniuersale cognosceret, sed solũ singulare. Quòd si huiusmodi argumẽta tibi euidentia nõ sunt, memẽto nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neq; hîc euidentiã mathematicã requirendã. Sed iam tempus est vt obiectiones oppositas repellamus.

Prima ergo sic repellitur. Fidei quæstionẽ duobus modis interpretari possumus & ex natura sua & quo ad nos. Ex natura sua illa fidei quæstio est, quæ est à deo ecclesiæ reuelata, quãuis à plerisq; ignoretur. Vt spiritũ à patre filioq; procedere, ipse spiritus apostolis reuelauit. Itẽ, animas sanctorũ, statim vt à corpore exierint, videre deũ. De quibus licuit olim variè sentire & sine fidei discrimine aut affirmare aut negare, cũ neutra res scilicet erat planè ab ecclesia definita. Ita quo ad nos nõ semper fidei quæstiones illæ sunt habitæ, sed salua fide viri quidã docti contrariã veritati sentẽtiã tenuerũt. Quomodo asseruit Augustinus nõ esse fidei quæstionẽ, nũ anima rationalis ex traduce fit. Nunc autem cum post ea tempora Theologorũ fideliumq; omniũ cõsensu firmatũ sit, animũ nõ per generationẽ sed per creationẽ existere: fine dubio ad fidẽ illa quæstio pertinet. Nec tamen si hoc fuit aliquãdo in cõtrouersia positum, eadẽ de animę immortalitate causa subest quæ nunquam est à catholicis in dubium vocata. Sed de primo argumento satis.

Hieronymi ppetua constansq; sententia fuit, animas in singulis corporib⁹ creari singulas quæ pòst tota ecclesia secuta est. de ecclesiasticis dogmatibus. c. 14. Animas enim nõ creari, sed ex parẽtũ semine esse, Luciferianorũ error fuit, ut August. refert de hæresibus. c. 81. Ac certè cũ Zacha. c. 12. ait, Dixit dominus extendens cælũ & fũdans terrã & fingens spiritũ hominis in eo nihil aliud significat, nisi ea opera à deo ipso sine causa subiecta & subsistẽtia patre vt quemadmodũ Hieronymus idẽ ad monuit ut ide Esa. 42. a. et. 45. c.

At secũdo nil est difficile respõdere. Cũ videamus, nõ solùm sub infideli principe, quales Romani tũc erãt, sed sub imperatore catholico multos in Germania nũc publicè manifestas hæreses profiteri. Tantũ refert principes habere & fideles & qui hęreticorũ insolẽtissimã temeritatẽ coercere tũ velint tũ etiã possint. Præterquã q̃ vbi factiones sunt, ibi fauore partiũ in rep. tolerãtur: quid dico tolerãtur? quærũtur, fouẽtur, stringũtur homines teterrimi ac sceleratissimi. Hoc in statutes Iudæorũ publica cũ esset, nõ est sanè mirãdũ: si saduccęos ferret carnalis populus homines videlicet factiosos, qui & carni vsq; adeò inseruirẽt, vt omnẽ spiritũ esse negarẽt. Quemadmodũ aũt gẽtes tales esse volebãt deos, quales ipsi etiã essent, nępe adulteros, bellatores, raptores. sic plebs vitijs corrupta eos vult habere religionis pfides, q̃ nõ religati sint, sed liberi: nõ spiritus serui, sed mãcipia carnis. Verũ in argumẽto facillimo refutãdo plura quã necesse erat verba cõsumpsim⁹.

Tertiũ verò breuissimè refellemus. Nã primũ illud testimoniũ certissimè probare animorũ immortalitatẽ ostẽsum est à nobis paulò antè. Secundum etiam quantũ momẽti habeat, nũc nũc explicabam⁹. At tertium nulla respõsione eludi potest. Si enim homines animã non possunt occidere, corpus autem occidere possunt, certum

Universidad de Deusto
Biblioteca

certum est, animas non cum corporibus interire. Item si animas deus mittit in gehennam, non ergo cum corpore moriuntur. Quartum deniq; Caietanus affirmat probare quidem simpliciter animæ immortalitatem: vnde Sadducæos de resurrectione vinceret, quia eo negabant mortuos resurgere, quia credebāt cum corpore animam mori. Per synecdochen autem scriptura nomina Abraham, Isaac & Iacob pro animis eorum vsurpat. Quo loco Ambrosius Catharinus eum, vt sæpe aliàs, sine causa reprehendit. Coarguit enim Theophilactum, imò verò Hieronymũ, qui Caietano illius auctor sententiæ fuit. At D. Tho. expositio præclarior est. Non repugno. Nec D. Tho. solum illum locũ sine figura intellexit, sed Chrysostomus Theophilactus etiam atq; Ambrosius. At dicis. Quomodo Abraham illo tempore viuus erat? Respondet Chrysostomus, quomodo Adam posteaquã de ligno vetito comedit, sententia tamen plata mortuus erat. sic Abraham pollicitatione resurrectionis certissima viuus erat. Alioqui, quid sibi ecclesia vult, cum ait: Regẽ cui omnia viuunt, & cui non pereunt corpora nostra? Ac de tertio argumento hactenus.

Ho. 71. in Matt. de fide resurrectio.

Quartum autem iam ante expeditum est. Diximus enim in. 7. huius operis libro, sanctos veteres non tam humanas disciplinas quàm diuinas literas coluisse. Quæ causa fuit, vt in rebus naturæ perobscuris ratione vulgari contenti essent nec meliores requirerent. Conclusionum itaq; naturalium à philosophis petenda demonstratio est, præsertimq; à D. Tho. perfecto mea sententia, philosopho, cuius admirabilem naturam & ingenium cum gratia perfecisset, tum vbiq, aliàs tum in libro cõtra gentes maximè quidquid expeti ab hominis ingenio poterat, id vnus videtur admiraculum præstitisse.

Sed Scoto, Ianduno, Caietano rationes probabiles viæ sunt, non item necessariæ. Scotus porrò & Iandunus, nam de Caiet. dicam postea, videntur demonstrationes Mathematicas quæsiisse. Si enim sapere ad sobrietatem vellent & rei naturam, de qua disseritur, attentè perpenderent: sanè intelligerent, rationes, quæ animæ incorruptionem probant, non suadere sed vincere si non proteruum & repugnantem, at certè docilem hominem & ad disciplinę leges benè informatum.

FINIS.

Ad Lectorem.

EN damus tibi, Candide Lector, Reuerendi quõdã patris fratris Melchioris Cano ordinis prædicatorũ de locis Theologicis duodecim libros, perfectos quidem, limatos, atq; omnibus (vt aiunt) numeris absolutos, typisq; quã fieri potuit elegantissimis elaboratos. Tetamen admonitum velim, duos huic operi deesse libros, quos author morte præuentus reliquit infectos. Nec tamen hoc te moueat, & ab eius lectione remoretur: illi enim & si huic operinõ accesserint, tamẽ quod ad perfectionẽ eius attinet, parũ aut nihil facere quilibet etiã mediocriter eruditus facile iudicare poterit. Qua propter authoris labore fruere, Quod si feceris, quãtum vtilitatis inde sis, reportaturus tu ipse postea libenter fateberis. Vale.

SALMANTICAE,
Excudebat Mathias Gastius, An. domini.
M. D. LXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX COPIOSISSIMUS rerum omnium, quæ in hoc opere continentur ordine alphabetico digestus.

In quo littera A. columnam 1. B. verò 2. indicat.

A

ABraham non est mẽtitus pueris cùm dixisset spectate hic ego & puer cùm adorauerimus, reuertemur ad uos. 12. A.

Abraham fuisse mentitum, ea ratione q; contra mentẽ dissimulandi causa locutus est, aliqui admittunt. 12. A.

Actio & passio in uno eodemq; opere considerari possunt. 14. B.

Actus qui peccatum est, si in rerum moralium ordine consideretur, ad causas naturaliter agentes ineptè quidem & absurdè reuocatur. 18. B.

Actus humani in iustificatione impij nihil aliud faciunt quàm disponere animam ut gratiam Dei iustitiamq; recipiat. 482. B.

Adam primum iacere ubi secundus sepultus est, publica rerum ueterum memoria prodit. 338. B.

Affectio animi optima facit, ut homo doctrinã Dei ad salutem necessariam, discernat ab errore contrario. 36. A.

Alexander Tertius cùm iubet in testamentis duos uel tres solùm testes à iudicibus exigi. c. cùm esses, de testa. quomodo sit intelligendus. 231.

Alexander uoluit iudices etiam laicos in ecclesiæ patrimonio non secundùm imperatorum leges, sed secundùm statuta canonum de testamentis iudicare. 231.

Alexander non impedit, quin principes seculares liberè possint plures quã duos uel tres testes in ciuium suorum testamentis exigere. 231. A.

Aloisius Lippomanus historiam de uitis sanctorum edidit grauem. 376. A.

Altare dicitur in quo offertur sacrificium, sicut mensa in qua editur cibus. 468. B.

Ambrosius cùm ait Petrum amisisse fidem, nomen fidei pro fidelitate accipit, seu pro fidei confessione. 238. B.

Ambrosius non audet asserere Christum secundùm humanitatem aut in sapientia profecisse aut quicquam penitus ignorasse. 503. A.

Animæ immortalitatem ratione naturali demonstrari non posse asserere, erroneum est, ne dicam hæreticum. 513. B.

Animam esse immortalem demonstratiuis rationibus ostenditur. 514. B. usq; 516. A. B.

Animam Christi ab instante conceptionis dei essentiam uidisse omnes Theologi definiunt. 495. A.

Animus hominis naturaliter est immortalis & nõ ex dono gratuito. 512. A.

Animum hominis nõ esse in potentia materiæ, cæterorum autẽ uiuentium animas esse Moyses manifestè indicat. 513. A.

Animum hominis esse mortalem catholicæ fidei manifestè repugnat. 511. A.

Annorum numerus ab egressione filiorum Israel de AEgypto ad tẽplum à Salomone inchoatum. 352. A. &c.

Annorum numerus omnium qui præfuerunt à Moyse ad Salomonem in ueteris testamenti libris singillatim designatè est, quatuor exceptis, nempe Iosue, Sangar, Samuel, & Saul. 356. A.

Antonius & Vincentius Valuacensis non tam uera scribere curant, quàm ne nihil prætereant quod ubiq; scriptum reperitur. 378. B.

Apocalypsis librum à canonicis excipere, hæreticum est. 39. A.

Apostatæ in pœnas hæreticorum incurrũt. 424. B.

Apostasia non est hæresis. 423. A. B.

Apostoli maximis de causis alia quidem literis, alia autem uiua uoce prodidere. 103. B. usq; 107.

Apostoli tempore dominicæ passionis Christi fidem non amiserunt. 140. B.

Apostoli ex animi perturbatione & ignorantia dubitauerunt. 435. A.

Apostoli cum baptizarunt in nomine Christi, non putandi sunt spiritus sancti patrisq; nomen omisisse. 233. A.

Apostoli rationibus naturalibus multis in locis usi sunt. 295.

Ad apostolos spectantia quatenus ecclesiæ sacerdotes, hæc ad solos futuros sacerdotes referenda sunt. 235. A.

Apostolos confirmatos fuisse in gratia, Theologi rectè colligunt, ex illis uerbis ego rogabo patrẽ, & alium paracletum dabit uobis &c. 140. B.

Apostolos Christi hæreseos insimulare stultitiæ est manifestæ. 435. A.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolorum nemo in legibus ecclesiæ ferendis potuerat errare, successores uerò illorum possunt errare. 88. B.
Ad apostolos primùm pertinet, libros sacros probare, non sacros reijcere. 26. A.
Arabes quidam fuere qui dicerent animum natura esse mortalem, sed in nouissimo cum corpore immortaliter suscitandum. 512. A.
Arca in eo potissimùm ecclesiæ Typus est, q. extra eam nullus seruatus est. 130. B.
Argumenta omnia uel à ratione uel ab authoritate ducuntur. 3.
Argumẽta eorum qui suadere conantur scripturã sacram non egere ecclesiæ approbatione habentur. 21. B. 22. A. B.
Argumenta cõtra authoritatẽ scholasticorũ. 269. A
Argumenta quæ confirmant esse quicquã in religione nostra congruũ et decẽs bipartita sunt. 501. A.
Argumentis quæ posita sunt contra Machabæorum libros fit satis. 48. usque. 50. A.
Aristoteles cùm ait summũ hominis bonum in contemplatione supremarũ rerum consistere, errat, nam de præsentis uitæ felicitate loquitur. 300. B. 301. A.
Aristoteles euidentiã in disciplinis flagitat ut rerũ cognitio nec fallere possit nec mutari. 390. A.
Ars est dux certior quàm natura. 393. A.
Articulus fidei est, Deum in principio temporis cælum terramq; creasse, non tamen est fidei articulus, mundum à Deo extitisse. 403. B.
Auctoritas in Theologia disciplina primum locum tenet, ratio postremum, in reliquis uerò disciplinis est econtra. 3. B.
Auctor libri regum interregnorũ annis omissis eos tantũ redegit in numerũ, quos intellexit, dum iudices administrarent, intercessisse. 336. A.
Auctores aliqui ex iunioribus arbitrantur se posse probare, Deum & si non per se, per aliũ tamen posse decipere. 8. A. B. 9. A. B.
Auctores sacri quomodo se habeant circa uulgi opiniones falsas. 337. B.
Auctores sacræ scripturæ aliquando loquuntur ut uulgus solet loqui. 72. A.
Auctores sacros in libris canonicis non semper diuino spiritu fuisse locutos aliquibus argumentis quidam nituntur probare. 81. B. &c.
Auctores sacri in libris canonicis singula quæq; siue magna seu parua spiritu sancto dictante locuti sunt. 84. A. B.
Auctores sacri quæ scripsere, in duplici sunt differentia. 86. B.
Auctores sacri non habuerunt expressam & peculiarem reuelationem in singulas scripturæ particulas: sed tamen singulas ex peculiari spiritus sancti instinctu afflatuq; scripserunt. 85. B. &c. 183. A.
Auctores sacros post apostolos & eos, qui ab apostolis probati sunt, nõ debemus expectare. 188. A.
Auctores doctrinarum prisci magnam copiam diuitiarum doctissimis quibusq; suppeditauere, fuerũt enim rerum inuentores. 1.
Auctores recentiores parauerunt rationem & uiã qua disciplinæ facilius traderentur. ibidem.
Auctores profani sunt non pauci, quorũ ingenuitas & uerecundia sic celebrata est, ut nemo illos mendaces & infingendo imprudentes existimauerit. 376. B.
Auctoribus sacris familiare est imaginum uocabula rebus per imagines significatis tribuere. 461. A.
Augustinus cùm ait concilia priora sæpe à posterioribus emendari, loquitur de emendatione legum, non fidei. 207. A.
Augustinus non sit quicquam ait nisi omnipotens fieri uelit, uel sinendo ut fiat, uel ipse faciendo. 18. B.
Auxilium speciale Dei necessarium est ad credendum. 31. B.

B

BAlam & Caiphæ uerba non quia ipsi dixerunt ad fidem spectant, sed quia auctores sacri scripserunt. 397. B.
Baptismus dictus fuit hostia ab antiquis, quia per illum Christo commorimur, & applicatur nobis hostia crucis. 478. A.
Baptismus in nomine Christi collatus nostro hoc tẽpore ratus ne sit. 232. B.
Baptismi trina immersio per contrariam consuetudinem abolita est. 111. A.
Baptismi sacramentum an institutum fuerit ante passionem Christi non satis constat. 273. A. &c.
Baptismum fuisse collatum ab apostolis sub illis uerbis. Ego te baptizo in nomine Christi, non est necesse sentire. 232. A.
Baruch. à canone sacrarum scripturarum eximere, non solùm temerarium, sed etiam erroneum est. 37. A.
Baruch propheta tanquã pars quædã Hieromiæ fuit à ueteribus computata. 45. A.
Berosos duos ponit unum Annianum & mendacẽ alterum uerum. 366. A. B.
Berosos duos opponit in multis. 366. B. &c.
Bucerus asserit tunc esse credẽdũ ecclesiæ, cùm pronunciat secundùm scripturas rectè intellectas. 137.
Bucerus errat turpiter cùm ait, in synodum ecclesiæ non debere cogi nisi Dei filios. 168. B.
Bucerus negat Christi animam fuisse à principio perfectam. 494. B.

Caietg

C

CAietanus habet Deum non esse auctorem peccati ut sic, sed quatenus est pœna peccatis uel alterius. 15. B.
Caietanus fallitur in eo, quòd putat Danielis prophetiam non potuisse ad idolum Antiochi referri. 49. A.
Caietanus arguitur de falsa intelligentia illius loci, accedentem ad Deum oportet credere quia est &c. 400. B.
Caietani error in sacrarum literarum expositione. 250. B.
Caluinus ait eucharistiam ideo à patribus sacrificium uocari, quia est exemplar & imago sacrificij. 469. B.
Canones apostolorum non sunt computandi inter libros canonicos. 184. B.
Canones Trullani non habent ecclesiasticam auctoritatem. 201. usq; 203.
Canonici iuris cognitio Theologo multùm necessaria probatur. 282. B.
Canonum sacrorum interpretibus Christus adesse creditur, cùm canones in ecclesiæ utilitatem per spiritum sanctum editi sint. 286. B.
Carion & eius historia Lutherum sapiunt. 380. B.
Causæ adiutrices non eodem modo se habent omnes. 484. B.
Causarũ duo sunt genera naturale & morale. 18. B.
Censores fidei admonentur. 436. B.
Cham Typus hæreticorum fuit. 423. B.
Chaldæi & AEgyptij nõ alios authores historiæ approbabant, nisi qui sacerdotio fungerentur, quos mentituros esse nullo modo existimabant. 377. A.
Christus non accepit testimoniũ ab homine propter se, sed propter alios. 29. A.
Christus nullum unquam uerbum locutus est, quod non idem à spiritu sancto extiterit. 86. B.
Christus in cælo altaris sacrificium offert, non ad omnem effectum sanguinis, sed ad effectum sub certis speciebus & figuris definitum. 490. A.
Christus est ecclesiæ saluator, nec tamen omnes, qui sunt in ecclesia saluos facit. 150. B.
Christus & spiritus ueritatis cum ecclesia usq; in finem seculi permanebunt, sine quibus constare illa non potest. 199. B.
Christus quæ dixit Petro ut præfecto ecclesiæ, ea ad successores illius sine ui aliqua pertinent. 243. B.
Christus eucharisticum sacrificium, hoc est gratiarũ actionis obtulit. 245. A.
Christus præcepit Apostolis ut hostiam eucharistiæ in gratiarum actione offerrent. 235. A.
Christus quæ mandauit Apostolis quia pastores ecclesiæ futuri erant, hæc ipsa episcopis & pastoribus succedentibus ad literam esse mandata tenendum est. 235.
Christus ecclesiæ suæ librum signatum perpetuò deseruit. 413. B.
Christus & Melchisedech in oblatione similes. 467. B.
Christus non fuit gratia plenus ex parte, sed omnimodo, nulla ei quidem gratiæ perfectio aut plenitudo defuit. 497. B.
Christus gratiam & ueritatem accepit, ut ex eo gratia in omnes & ueritas emanarent. 498. A.
Christus solus fuit testis oculatus in fidei negocio, omnes alij auriti. 499. A.
Christus testis ueritatis erat à patre destinatus, non solum quia Deus, sed quia homo. 499. B.
Christus quomodo proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines. 502. B.
Christus passus est anno ætatis suæ. 33. inchoato per tres menses & decem fortasse dies. 384. B.
Christus primo anno post baptismum non est publicè concionatus. 335. B.
Christus secundùm D. Thom. aliquo mõ interius admiratus est. 538. A.
Christi præceptum consiliúue in quo differat à præcepto & consilio Pauli. 86. B.
Christi corpus uidetur, tangitur, frangitur &c. cũ speciebus sacramentalibus uidentur, tanguntur &c. 207. B.
Christi corpus frangitur manibus sacerdotum, & non solum sacramentum. 466. A.
Christus in sacrificio altaris immolatur quotidie pro nobis, & passio illius in mysterio traditur. 475. B.
Christi sacrificium per sacramenta expiat nostra delicta, sicut principalis per adiuuantes causas proximus efficit. 475. B. &c.
Christi gratia & ueritas omnes habebant gratiæ & ueritatis effectus. 498. A.
Christi gratia & redemptio commendatur in eo, q. homo sua operatione est causa aliquo modo et redemptionis & sanctificationis propriæ. 482. A.
Christi gloria ante passionem non fuit consummata, &, quidquid ei defuit ad absolutam hominis glorificationem, hoc per passionem meruit. 505. B.
Christum passum fuisse. 34. ætatis suæ anno defendi nulla ratione potest. 335. B.
Christum in cœna non suum corpus & sanguinem obtulisse dixit quidã episcopus in concilio Tridentino, qui propterea à patribus exploditur. 464. A.
Christum nullam tristitiam habuisse in uoluntate, sed in solo appetitu sensitiuo potest dici. 506. B.
Christum habuisse in uoluntate intellectuali maximam tristitiam probabile est. 507. A.
Christum in cruce saltem non habuisse gaudium quod ex Deo uso in uoluntate necessariò nasci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, probabiliter sustentari potest.507.B.
Clemens non omnes libros canonicos collegit, quos apostoli uerbo tenus ecclesiæ tradiderunt.47.A.
Clemens non omnes canones apostolorum edidit, sed nonnulli à Græcis adiecti sunt. 47.A.
Cognitio naturæ manca quodāmodo est, si nulla actio rerum consequatur 388.A.
Cognitio gratiæ supponit cognitionē naturalem, quemadmodum gratia naturam. 400.A.
Conclusionum aliquam theologicam si uel ecclesia uel concilium uel etiam sancti una mente conscripserint, et fidelibus præscripserint, hæc ueritas catholica censebitur 417.A.
Ad Concilium uniuersale præcipuè pertinet definire, qui liber sit canonicus.27.B.
Conciliorum aliud generale, aliud prouinciale, aliud uerò episcopale.169.B.
Concilium generale est, quod omniū Christianorum pontificum conuocatione & congregatione celebratur.169.B.
Concilium prouinciale est, cùm à Metropolitano uel primate omnes unius prouinciæ, aut etiam regni pontifices euocantur.170.A.
Concilium episcopale est, quod ab episcopis singulis in sua Diœcesi haberi solet.170.A.
Concilium generale quod authoritate Romani pontificis nec congregatum nec confirmatum est, errare in fide potest.170.B.
Concilij generale etiā cogregatū Romani pōtificis authoritate errare in fide potest.171.B.193.B.
Concilium generale confirmatum authoritate Romani pontificis certum fidem facit catholicorum dogmatum.172.A.416.B.
Concilium prouinciale non confirmatum à summo pontifice errare in fide potest.174.A.
Concilij prouinciale summi pontificis authoritate firmatum in fide nequit errare.174.A.
Cōcilium prouinciale licèt episcopi Romani authoritas ei desit, probabile argumentum facit ad fidei dogmata suadenda 175.A.
Concilium episcopale si a Romano pontifice in decretis fidei confirmetur, certū argumentum ueritatis exhibet.175.B.416.B.
Cōcilium episcopale per se quidem in iudicio hæresis probabilem fidem facere potest, certam non potest.175.B.
Concilium per legatos pontificis actum errare in fide posse aliqui asserunt: alij uerò fatentur concil. generale etiā antequā à summo pōtifice cōfirmetur, solidā certāq; habere authoritatē.177.B.178.
Concilium totum cum legatis posse errare non est admittendum.180.B.
Concilium, aut pontificem maximum, diligentiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernendis ozisisse non est admittendum.186.B.
Concilium definire potest duplex conclusionum genus. 187.B.
Concilium summi pontificis authoritate firmatū minimè per aliud posterius emendatur, sed illud qō pontificis confirmatione caret.270.A.
Concilij et synodi nomen pastores & pontifices in unum locū congregatos ut causas definirent, quæ ad ecclesiæ fidem seu mores pertinerent, complectitur. 166.A. &c.
Concilij generalis maioris partis iudicium, etiam si legati sequantur, non est certum, erit tamen si à summo pontifice confirmetur.180.B.
Concilij patres in fidei causa non modò consiliarij sunt, uerum etiam iudices.181.B.
Concilia minimè frustrà coguntur, etiam si summus pontifex firmus in fidei causa iudex sit.207.
Concilia & epistolæ pontificū certas notas habent, quibus internoscimus quando desiniant. 275.B.
Conciliorum authoritas multis argumentis impugnatur. 163.&c.
Conciliorum definitiones non pertinent ad sacram scripturam.183.B.187.B.
Conciliorum & pontificū iudicia ut firma esse credantur, non sat est in diuino officio publicè à toto etiam ecclesia celebrari.189.A.
Conciliorum certa in fide decreta quibus notis internosci queant.189.B.
Conciliorū robur ab eo est pro quo rogauit Christus ne deficeret fides eius.200.B.
Constantinū donasse urbem Syluestro pontifici nō est certum 338.A.
Constantini lepra.358.B.
Constantini baptismum, ibidem.
Corpus & sanguis Christi in eucharistia à nobis offertur, non tamen quia corpus uinum est & sanguis in corpore est, sed quia illud mactatum hic autem effusus in cruce.474.B.
Contrarietas quæ est mali & boni eadem est ueri et falsi.11.A.
Creaturæ uox negationē habet intā inclusā, quæ christi supposito absolutè diuinitatē tollit.441.B.
Credo huic, Deus reuelauit motus à Deo immediatè per instinctum speciale.33.A.
Culpa interdum est alterius pœna.15.B.
Culpa condonatur hominibus per propriam fidem & charitatē, pœna uerò nō solum per propriā sed per alienam.485.B.

D.

Decretis pontificijs duo distinguenda sunt, unū est intentio conclusioq; decreti, alterū quasi ratio & causa à pontifice reddita.231.A
Deo excæcare, indurare, decipere, hominum corda in odium conuertere, impropriè & figuratè tribuuntur

buuntur triplici ratione.17.A.B.
Deus tam alienus est à falsitate quàm ab iniquitate. 11.A.
Deus mentiri non potest nec per se nec per alium, etiam de potentia absoluta.11.A.
Deum posse mentiri ex ordinata potentia asserere hæreticum est.10.A.
Deum mentiri uel fallere posse per administrum ex potentia ordinata, qui existimat, errat in fide turpissimè.ibidem.
Deus præcepit filijs Israel ne redderēt Aegyptijs uasa quæ ab ipsis commodatò acceperant.14.A.
Deus non iussit filijs Israel ut circūuenirent Aegyptios, sed ut uasa peterent commodato. ibidem.
Deus in opere quocūq; illius auctor est quod est bonum: ab eo autem alienus quod est malum.14.B.
Deus non decipit, deceptionem ipsam faciendo, sed permittendo ut fiat.15.A.
Deus indurare eum dicitur, quem mollire noluerit: excæcare etiam quem noluerit illuminare.15.A.
Deus earum pœnarum uerè & propriè causa est, quæ solum pœnæ sunt, non culpæ.15.B.
Deus rectè potest dici auctor esse operis mali, non quia est malum culpæ sed malū pœnæ: deest Deus potest dici auctor non malæactionis, sed bonæ passionis.16.A.
Deus eodem omnino lumine male affectum excæcare dicitur benè institutum illuminare, eodemq; beneficio indurare illum hunc mollire.17.B.
Deus est causa naturalis omnium motionum: moralis autem causa non est nec erroris nec prauæ cuiusq; actionis.18.B.
Deus propriè loqui dicitur & quæ necessariò euenium, & quæ nobis in casu & fortuna sunt posita.390.A.
Deū bifariam possumus considerare: aut quia principium est finisq; naturæ: aut quia supra naturā est, & principium & finis.399.B.402.B.
Deus si iudex hominum & rector est, sit ut præmia uirtutibus parata habeat, & supplicia uitijs. 400.A.
Deum quomodo naturæ lumine agnoscimus esse, agnoscimus & esse remuneratorem inquirentium se.401.B.
Deus humano more homines instituit, & erudit, hoc est rationales rationibus.401.B.
Deus in remissione peccati & misericors & iustus est, gratis.n. & remittit peccata, & pretio remittit tamen.493.A.
Disciplina quælibet duas habet partes, unam in qua principia ipsa tanquam fundamenta statuuntur, alteram in qua principijs positis conclusiones leguntur.20.A.B.
Disciplina omnis humana ad deum tanquam ad fontem & primum sapientiæ cuiusq; principium referenda est.298.B.
In disciplinis humanis duo uitia sunt maximè uitanda.297.
In disciplinis humanis uiri doctissimi patresq; nostri quid reprehendant damnentq;.299.B.
Discrimen duplex inter sacros auctores et summū pontificem patresq; concilij reperitur.181.B.
Distributio accommoda est ibi, spiritualis hō iudicat oīa. sicut & ibi, ille docebit uos omnem ueritatē. & ibi etiā, unctio docet uos de omnibus.36.A.B.
Doctrina moralis non minus exigitur ad pastum ouium Christi salutarem, quàm fidei disciplina.192.A.
Doctrina fidei singulis hominibus necessaria unicuiq; spiritum manentem in se habenti, per se fortè innotescit.29.A.
Doctrina euangelica propriè nec hæresis nec secta appellatur.422.B.
Doctoris Christiani præcipuum institutū est, exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.2.
Doctores ecclesiæ uniuersi quoniam diuino spiritu gubernantur, nequeunt in falsam fidei doctrinam uenire.141.B.
Doctores iuniores in sacrarum literarum expositione quid facere possunt & debeant.263.B.&c.
Doctores Hebræorum multo studio contenderunt textum hebraicum corrumpere.64.A.
Dogma quodcumque fidei uel ecclesia habuerit, uel concilium uel summus pontifex fidelibus præscripserit uel omnes sancti concordissimè tenuerint: nobis pro catholica ueritate habendum est, quamuis nec aperiè nec obscurè in scriptura sacra contineatur.416.B.
Dolor uoluntatis est propriè hominis tristitia, qui autem in solo appetitu sensitiuo reperitur, magis est animantis dolor quàm hominis. 507.A.
Driedo uehementer errauit, qui reiecto Hieronymo & alijs probæ fidei, aurem Beroso & alijs accommodauit in Persarum regum gestis.371.B.
Dubius in fide an infidelis sit.416.A.&c.
Dubitatio sine assensu atq; dissensu nec error propriè est, nec fidei ex omni parte inimica.428.A.

E

Ecclesia fidelium nunc uiuentiū scribere librum canonicum non potest, sed definire quisnam liber sit canonicus potest.26.A.B.397.B.
Ecclesia præsens docere eos, qui fidem susceperint, suo iure potest quæcumq; fidei sunt.26.B.
Ecclesia quæ præcepta posuit soluere, quæ uerò non posuit.88.A.B.
Ecclesia antiquior est quàm scriptura, fidesq; proinde ac religio sine scriptura constant.102.A.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia nō potest eximere fideles à traditionum uinculo quas à Christo apostoli acceperunt, nec illas contraria aliqua consuetudine abolere. 111.A.
Ecclesia græcum nomen est, latinè, conuocatio seu concio dicitur. unde Ecclesiastes concionator. 127.A.
Ecclesia est locus ipse quo multitudo confluit & ipsa multitudo, ibidem.
Ecclesia conuocationem sonat synagoga uerò congregationem notat, congregari pecora solent, homines conuocari. ibidem.
Ecclesia dupliciter potest dici, primùm ea quam fidelium omnium ab initio mundi usq; in finem congregatio conficit, secundò ea dicitur quæ in Christi nomine per baptismum cogitur. 128.A.
Ecclesia è quibus uerè & propriè constetur. 130. usque. 133. item. 151.
Ecclesia in credendo non potest errare. 135.A.
Ecclesia, quæ nunc est quæ ue futura est, in fide errare non potest, sicut nec ecclesia antiqua. 138. A. 416.B.
Ecclesia est immaculata in his qui à crimine damnabili mundi sunt, quamuis culpæ uenialis nonnihil contrahant omnes. 155.B.
Ecclesia nec debet nec potest appellari synagoga Satanæ. 157.A.
Ecclesia una manet mortuo summo pontifice, manca tamen & imminuta, & ideo licèt spiritum habeat ueritatis, iudicia illius in controuersia fidei non adeò certa erunt. 157.A.
Ecclesia catholica ideò est uniuersalis nominatur propter communem fidem uniuersalemq; doctrinam & quia in toto orbe iuxta prophetarum edictiones diffusa est. 159.A.B.
Ecclesia in morum doctrina eorum qui ad salutem sunt necessarij errare non potest. 191.B.
Ecclesia in re graui non potest toti populo iubere quicquam quod euangelio aut rationi naturæ cōtrarium sit. 193.A.
Ecclesia in moribus qui ad priuatos homines uel ecclesias referuntur, errare per ignorantiam potest. 195.A.
Ecclesia ne erret in canonizatione sanctorum, Deus peculiariter prouidisse credendus est. 195.B.
Ecclesia Christi custodit custodietq; semper scripturam & scripturæ intelligentiam. 413.A.
Ecclesia non haberet uerum Dei euangelium atq; adeò ne fidem Christi si non haberet legitimum scripturæ sacræ sensum. 413.B.
Ecclesiæ auctoritas certa regula est ad determinandum quisnam liber sit canonicus. 24.B.
Ecclesiæ auctoritas cum sacrarum literarum auctoritate connexa est, & per legem connexorum utraque in alterius probationem sumitur. 34 B.
Ecclesiæ auctoritas nūquid est ratio per se mouens ad credendum, sed causa sine qua non crederemus. 35.A.
Ecclesiæ illi omnes sunt partes, qui à baptismo Christi characterem habent, nisi post hæresim exteriorem publico ecclesiæ iudicio fuerint excisi. 128.A. 138.B.
Ecclesiæ fides deficere non potest. 134.A.
Ecclesiæ quæ futura erat post Apostolos Christus promsit spiritum ueritatis, quem ipsis Apostolis promisit. 135.B.
Ecclesiæ, quam Apostoli fundarunt, spiritus ueritatis cæteraq; spiritus sancti charismata & promissa & data sunt. 143.A.
Ecclesiæ decreta quæ non certis & firmis principijs innituntur certa & firma esse non possunt. 195.A.
Ecclesiæ Romanæ auctoritas multis argumentis impugnatur. 209.&c.
Ecclesiæ publicum priuilegium fuit, quòd Petrus alijs confirmandis soudam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret. 240.A.
Ecclesiæ Romanæ consuetudines aliæ sunt communes toti ecclesiæ, aliæ uero ipsi peculiares: illas ecclesiæ omnes tenētur amplecti has non tenētur. 241.A.B.
Ecclesiæ intelligentia eadem est Germana scripturæ intelligentia. 413.A.
Ecclesiæ societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiā facit. 485.B.
Ecclesiam manifestam esse & cognitam fidelibus necessum est. 131.A.B.
Ecclesiastici scriptores si mētiantur impudentes & impij sunt: quia ratio uirtutis & bonæ fidei cognoscendæ facilior est illis. 376.B.
Editio uetus atq; uulgata fidelibus est retinenda in his omnibus, quæ ad fidē & mores spectabunt. 61.A.
Editionem latinam uulgatam corrigendam esse per Græca, Hebræaq; exemplaria aliqui intendunt probare. 59.A.B. usq; 61.
Enuntiationes loco interrogationum in iudicijs usurpantur. 19.A.
Epiphanius in rerum gestarum temporumque ratione nullos graues auctores sequi solet, atq; adeò in his interdum fallitur. 334.B.
Episcopus Antiochenus si Petrus semper Antiochiæ sedisset ut cœpit, legitimè illi in pontificatu successisset. 236.A.
Episcopum Romanum esse qui Petro in eadem auctoritate & potestate succedat, ex multis pontificum sanctorumque ueterum ac conciliorum testimonijs clarissimis comprobatur. 218.B. usque. 224.

Episco-

Episcopum Romanum in fidei controuersijs definiendis errare nō posse, multis exactissimisq; rationibus ostenditur. 225.A.B.
Episcopum Romanum Petri successorem esse non constat per se ex sacris literis, sed ex grauissimis historijs. 235.B.
Episcopi anulares sine causa aliquando in concilio sunt admissi. 168.B.
Episcopi succedere apostolis in potestate ordinaria, quam singuli in suis ecclesijs habuerunt, non tamen in potestate generali & extraordinaria. 240.A.B.
Episcopos Romanos Petro succedere ab apostolis quasi per manus traditum est ecclesiæ. 237.A.
Epistolam ad Hebræos inter canonicas non reponere est hæreticum. 38.A. 52.B. 53.A.B.
Epistolā Iacobi inter canonicas non referre hæreticum est. 38.B. 57.A.
Epistolam secundam Petri, duas posteriores Ioannis & illam aliam Iudæ in canonicis non annumerare hæreticum censetur. 38.A. 57. A. &c.
Erasmus quas tenebras super uniuersam terram factas scribit euangelista: ipse super Iudæam tantum ignorans humanas historias, fusas intelligit. 320.A.
Erasmus licenter multum, Hieronymum mendacio notat. 373 B.
Error duplex alter personalis alter uerò iudicialis. 230.A.
Essentia diuina nec genita est, nec generat. 417.B.
Euangelium Pauli non fuisset receptum nisi authoritate Petri & ecclesiæ fuisset roboratum. 25. A. 28.B.
Euangelium non in scripturis, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in uerborū folijs, sed in radice rationis consistit. 413.A.
Eucharistia sacrificij Christi exemplar non esset nisi esset quoq; ipsa sacrificium. 470.A.
Eucharistia non modò sacrificium est quo deo gratiam referimus, sed id etiam est qđ nobis Deum placatum propitiumq; reddit. 470.B. 491.A.
Eucharistia est sacrificium gratiarum actionis & laudis 464.A.
Eucharistiæ sacrificium quatuor partes habet, consecrationem, oblationem, fractionē, consumptionem. 479.A.
Eucharistia inter omnia sacramenta solum est sacrificium, quia in ipsa duntaxat corpus & sanguis Christi uerè manent. 493.B.
Eusebius & ueteres non satis explicant quantum fuerit tempus prædicationis Christi. 336.B.
Eusebij Cæsariensis persona, chronicon, & historia ecclesiastica à Gelasio papa & multis alijs notatur. 379.A.&c.
Exemplaria latina in his quæ ad fidem & mores pertinent, non sunt per Hebraica uel Græca corrigenda. 62.A.&c.
Explicatur illud Actorum. 7. Ioseph accersiuit omnem cognationem suam in animabus. 75. & componitur cum illo quod habetur Geneſis 46. & Exodi. 1. ubi solum. 70. animæ numerantur. 94. 95. A.
Explicatur caput primum de hære. dubius in fide infidelis est. 428.A.B.
Explicatio optima illius loci Ecclesiastes. uidi cuncta quæ fiunt sub sole & ecce. &c. 300.B.&c.
Exponitur illud, perdam sapientiam sapientum &c. item illud, scientia inflat &c. 303.A.B.
Expositio illius sententiæ, accedentē ad Deum oportet credere quia est &c. 399.B.
Exponitur locus ille Zachariæ primo. Vsquequo domine non misereberis Hierusalem. &c. 343.B.&c.
Expositores quæ apponūt in margine ea scriptorum uitio textui nōnunquam inseruntur. 54.A.

F

FAlsum, absurdè in typum ueritatis assumitur. 12.B.
Festus dies pro pascha solet in euangelio accipi. 335.B.
Festum de quo meminit Ioannes. c. 5. non erat Pentecostes licèt Chrysost. & Cirill. affirment. 337.A.
Fides non potest manere in solo uno: quia si unus tātum crederet, non crederet ecclesia.
Fides Romani pontificis interior non est ecclesiæ necessaria. 240.B.
Fides se ipsa sola sine doctrina & ratione tuturi non potest.
Fides immediatè authoritate nititur, Theologia uerò immediatè ratione. 390. B.
Fides & theologia non aliter se habent, quàm habitus principiorum & scientia conclusionum. 390.B.
Fides innititur reuelationibus quas apostoli & prophete ediderunt. 396.B. 397.A.
Fides non sequitur priuatas reuelationes, sed eas quæ ad communem religionem attinent. 397.
Fides cum natura non pugnat. 403. A.
Fides rationem naturalem dirigit. ibidem.
Fides non ad uerba sed ad sensa refertur. 413.B.
Fidei quædam sunt, quæ omnes fideles explicitè credunt, quædam quæ soli maiores credere tenentur explicitè. 27.B. 160.B.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fidei ratio formalis non est ecclesiæ auctoritas. 32. A.
Fidei resolutio ultima fit in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum mouentem ad credendum. 33. A.
Fidei ratio formalis quæ est diuina ueritas reuelans non sufficit ad mouendũ nisi adsit Deus interiùs mouens. ibidem,
Fidei dogmata siue Christus per se Apostolis reuelauerit, seu Spiritus sanctus post eius ascensionẽ, mutari non possunt. 111. B.
Fidei dogma non statim si quicq̃ iuris canonici uolumine continetur, credendum est. 189. A. 230. B.
Fidei doctrina non solùm illud est, quod apostolis expressè reuelatum habetur, uerum illud etiam quod ex altera propositione reuelata & altera certa in lumine naturali conficitur. 236. A.
Fidei ratio formalis non est ratio Theologiæ formalis. 396. A.
Fidei quæ sunt ea in duplici sunt differentia. 402. A.
Fidei quodammodo aduersum est quod sanæ doctrinæ aduersatur. 411. A.
Fidei habitum per dubitationem pertinacem amitti uehementer probabile est. 428.
Figurata dictione multa, quæ parti conueniunt, solent in totum transferri. 149. B.
Filius Dei dicitur nescire diem iudicij quia scire se dissimulat, nec uult alijs reuelare. 504. A.
Filij Dei non semper probi intelliguntur, sed ij quoque interdum, qui bona paterna prodegerunt. 151. A.
Finis est duplex, alius doctrinæ, alius doctoris. i. alius finis doctrinæ primarius, alius secundarius. 388. A.
Flumen omnium uerborum displicet quibus sententia deest. 5.
Fractio & consumptio specierum ad integritatem externi sacrificij pertinent. 489. B.
Fratres in scriptura non modò germani, sed propinqui dicuntur. 329. B.
Fratres uocat scriptura eos, qui sunt consobrini. 331. A.
Fundamentum secundũ metaphoram domus, idẽ est, quod seruata analogia corporis caput. 213. B.

G

Gelasius multos libellos reijcit. 379. A.
Gelasij papæ censura de historijs sanctorum. 374. B.
Gens tam fera nulla est, quæ non sciat Deum habendum. 400. A.
Gentes tales esse uolebant Deos, quales ipsi etiam essent. 517. B.
Gratia suauior & effusior est quã natura. 482. B.
Græca historia falsa creditur ante Olympiades, post Olympiades res uerè gestas scribere orsi sunt Græci. 361. A. B.
Græci non solùm schismatici, sed sunt etiam hæretici. 157. A.
Græci negant unum totius ecclesiæ pastorem esse à Christo in beato Petro institutum. ibidem.
Græci multis locis ut scripturam ad suum sensum traherent, Nouum testamentum uiolarunt. 64. A. B.
Gregorius primꝰ & Grego. tertius loquũtur de muliere quæ ante matrimoniũ erat impotens ad soluendũ debitum. 233. B.
Gregorius decimus ratione Theologiæ constanti demonstrauit spiritum sanctum ex patre & filio tanquã ex uno principio unaq; aspiratione procedere. 417. A.
Gregorius in dialogis & Beda in historia Anglorum quædam miracula scribunt, quæ minus certa haberi possunt. 378. B.

H

HAbitus fidei in ordine ad Theologiam habet se ut habitus intellectus in ordine ad disciplinas humanas. 33. A.
Hebræi historiæ humanæ penitus sunt ignari, quia nulla externi regni monumenta habent. 372. B.
Heli idem fuisse qui & Ioachim pater uirginis Mariæ quibusdam probabiliter quidem usum est. 328. B.
Heli, Heliaquin, Ioachim idẽ fere significant. 329. A
Hæreseos nota non est inurenda illis, qui tenent ecclesiam in aliqua lege & more posse errare. 193. B.
Hæresis secundùm propriam hominis rationem sine pertinacia non constat. 420. A. B. 429. B.
Hæresis est error pertinax illius, qui professus fuit fidem, contrariusq; ueritati quæ catholica certò sit. 421. B.
Hæresis & secta eadem res sunt. 422. B.
Hæresis generale nomen est, sed contracto uocabulo hæresis dicitur secta seu diuisio qua quis à communi se ecclesiæ fide seiungit. 422. B.
Hæresis non incurritur ex uerbis inordinatè prolatis si error in fide absit. 425. A. B.
Hæresis, hæreticaq; propositio in mente eadem res sunt. 435. B.
Hæresim constare posse sine pertinacia, aliqui docto res asserunt. 419. A. B.
Hæreticus est qui uolens uni cuilibet dogmati assentitur etiam cùm intelligat ecclesiæ fidei esse contrarium. 431. A, B.

Hæreticus non est qui paratus est corrigi ab ecclesia. 431. A. B.
Hæreticus nisi à perfecta & consummata hæresi nullus nominabitur. 433. B.
Hæreticus ut quispiam constituatur quæ necessaria sint. 435. A.
Hæretica propositio dicitur quæ hæresim interiorẽ enunciat, illiusq; est omnino signum. 435. B.
Hæretici non sunt partes ecclesiæ. 127. B.
Hæretici spiritum ueritatis concedunt ecclesiæ sanctorum, ecclesiæ uerò quæ malos habet permixtos non concedunt. 142. A.
Hæreticis omnibus commune est aut ecclesiam spernere, aut ecclesiæ nomen ad se transferre & eam in illis esse negare ubi reuera est. 121. B.
Herodes Romam uocatus ut accusationi filiorum responderet distulit necem Innocentium. 333. B.
Hieronymus non est regula ecclesiæ in libris canonicis decernendis. 45. B.
Hieronymus risit Adami sepulturam in loco caluarij. 338.
Hierusalem ab Aram centum septuaginta duabus parasangis Persicis & Hispanis, Ab Vr uerò Chaldæorum. 212. distat. 334. A.
Historia etsi ad narrandum non ad probandũ scripta sit, aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter ferè, nam aliquando etiã necessariè. 328. A.
Historia non solum ecclesiastica sed etiam ethnica Theologo contra aduersarios fidei utilissima est. 321. A.
Historiæ cognitio Theologo necessaria multũ. 319. A
Historia Socratis Scholastici non placet auctori. 381. B.
Historiæ humanæ authoritas multis argumenti. impugnatur. 322. A. & seq.
Historiæ ueritatis signum certum est, si de eisdem rebus eadem omnes conscribant. 328. A.
Historiæ ueritati non satis est si quæ auctor firmat, uera à uulgo esse credantur. 337. B.
Historiæ usurpatio & approbatio non est idem. 317. B.
Historiam Sozomeni improbauit D. Grego. 381. A.
Historiam esse utilem Theologo usus clarissimorũ uirorum confirmat. 321. A.
Historias scribẽtes sanctorum res humanas ab ipsis alienas fore non censeant: sed sicut euangelistæ nec affectus naturæ imbecilliores nec casus etiã grauiores dissimulent. 376. A.
Historicus certus esse non potest ad faciendam certam Theologiæ fidem præter auctores sacros. 327. A.
Historico debemus fidem cui auctoritatem tribuit ecclesia, cui autem ecclesia derogat fidem & nos similiter. 379. A.
Historici graues ac fide digni probabile argumentum Theologo suppeditant. 327. A.
Historici omnes in eadem rem gestam concurrentes certũ argumẽtũ faciũt ut Theologiæ dogmata firma etiã ratione constituantur. 327. B.
Historici quomodo debeant in una re concordare ut certa sit illorum doctrina. 330. A.
Historici gentium ueraciores fuerũt quàm multi ex nostris. 373. B.
Historici illi præponendi sunt qui ingenij seueritati quandam prudentiam adiungunt & ad eligendum & ad iudicandum. 377. B.
Homo non solùm uitales operationes per gratiæ formam & uirtutes in se edit, sed ad uitam ipsam capiendam suas se actione parat, & uiuendi sibi causa est. 482. A.
Homo in sui generatione Dei adiutor existit, quoniam præparationes uiuificantis gratiæ in se efficit. 482. A.
Homo in se facit actus fidei spei & charitatis, quib⁹ deus utitur ad animũ uiuificandum gratuito quãuis & supernaturali auxilio permotus. ibidem.
Homo licet causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est ut per gratiam uiuat. 282. B. 283. A.
Homo tunc secundum animam dicitur esse in cælo, cùm uidet Deum. 499. B.
Hominem peccare in eo quod deo præcipiente agit cum recta ratione pugnat. 18. A.
Homines eo ingenio sunt, ut mentiri possint. 11. A.
Homines boni & si pauci sint, plus ualent ut plebs bona sit, quã multi mali ut nominetur mala. 157. A
Homines hominibus credant necessarium est, nisi uita pecudum more degenda sit. 326. A.

I

IAcob in illis uerbis, Ego sum primogenitus tuus Esau &c. secundũ aliquos mẽtitus est, sed matre consulente non Deo reuelante. 12. A.
Iacob cùm præripuit fratri benedictionem, fidẽ gentium prænotauit. 13 A. B.
Iacob & est primogenitus secundùm carnem, & est primogenitus secundum ius. ibidem. A.
Iacobus frater dñi uocatus, nõ fuit filius Ioseph, nisi illũ duas simul uxores habuisse nulla ratione cõtendas. 331. A.
Ieiunũ quadragesimale apostolicã institutũ est. 110.
Iesu epistola ad Abagarũ regẽ. 379. B. fabula est. 380.
Incitamenta aliqua exteriora & humana necessaria sunt iuxta communem legem, ut in euangelij fidem inducamur. 30. B.
Interpretatio quæ apponitur retentis uocibus Hæbraicis, pertinet ne ad sacram scripturam. 54. B
Interpres Machabæorum neniam petit non falsitatis sed elocutionis. 49. A.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Interpres uerbis Hebraicis retentis iure suo potest interpretationem apponere, quod facere poterat uerbis Hæbraicis non retentis. 54. B.
Interpres non est astrictus, eadem omnino res quæ in Hebræo habentur semper in Græcum latinúq; conuertere, si sensus idem manet. 72. A.
Interpres editionis uulgatæ habuit spiritum quendã prophetico uicinum & proximum. 75. A. B.
Instrumentum à sanis obsignatum testamentum dicitur. 56. B.
Ioãnes euangelista quare non dixit, aut filium, aut uitam, aut lucem, sed uerbum caro factum esse. 496. B.
Ioannis locus ille, Omnis qui natus est ex deo nõ facit peccatum, triplici explicatione optimè exponitur. 154. A. B. 155. A.
Ioannes Vergara canonicus Toletanus Græcæ & latinæ linguæ peritissimus. 371. A.
Ionas nolebat Niniue subuersionem prænunciare eo q; diuinã putabat misericordiã Ninuitis pœnitentibus esse flectendam. 13. B.
Ioseph non esse mentitum in illis uerbis. Per salutem Pharaonis exploratores estis uos &c. asserit D. Augu. accepit enim uerbũ, estis, pro uerbo, habemini. 18. A.
Ioseph duos patres habuit Heli legalem, Iacob uerò naturalem. 329.
Ioseph aliam præter Mariam habuisse uxorem contectatur, quia aliqui in euangelio fratres domini uocantur. 330. A.
Ioseph cum Mariam coniugem accepit, octoginta fuisse annorũ Epiphanius nõ semel astruit. 330. B
Ioseph & Cleophas erant fratres secundum Egesippum. 331. A.
Iosephus egregius historicus à multis laudatur. 382. B.
Is longissimè abest à uera disciplina, qui Deum non prænouerit procuratorẽ esse rerũ humanarũ atq; adeò hominum rectorem & iudicem. 400. A.
Iudaico ritu gratias Deo agere calicem in manibus accipiendo & leuando, uerè est hostiam gratiarum actionis offerre. 464. A.
Iudæi habebant uerba quædam uel Chaldaica uel Syriaca, quæ potuerunt commodè in linguam Hebræam uerti. 49.
Iudicem uiuum oportet in ecclesia esse, qui fidei controuersias decidere possit. 26. B.
Iudices qui fidei & religionis iudicium exercent admonentur. 425. B.
Iudices ecclesiastici meritò eos omnes hæreseos nomine condemnant, qui de dogmate catholico dubitarint. 429. A. B.
Iudices tunc de hæresi tutò pronũtiabunt, cũ error circa ea sit quæ nullo modo est probabile ab errã tibus ignorari. 437. A.
Iudices de errantis pertinacia dubitantes duas rẽ transigere debent. 438. A.
Iudicium de scripturis per scripturas ipsas idoneũ esse non potest. 23. A.
Iudicium de scripturis canonicis ad priuatos reipublicæ ciues non pertinet. 24. A.
Iulij Aphricani de temporibus quinq; uolumina. 383. A.
Iuniores aliqui arbitrantur se persuadere posse aliquando Deum humano angelicoue ministerio homines fefellisse, non seipso tamen. 8.
Iuris canonici cognitio Theologo necessaria probatur. 282. B.
Iurisconsultorum auctoritate non eget Theologus in his quæ ad fidem pertinent. 284. B.
Iurisconsultos modò primum locum tenere in negotio cognitionis fidei, Theologos uerò postremũ non uidetur quonam consilio fit. 285. A.
Iurisconsultorum auctoritas Theologo parum confert in his, quæ ad mores pertinent, de quibus lex euãgelica uel rõ philosophiæ præscribit. 285. A.
Iurisperitorum omnium concors sententia fidem facit Theologo cùm de moribus ecclesiæ & religionis institutis per leges tantum pontificum decernitur. & c. 286. A.

L

LAtinus fulgor & gloria Græciæ claritatem obscurauit. 376. B.
Legatum uetus testamentum erat signatum à uiuo sed apertum moriente Christo. 56. B
Leges ecclesiæ non omnes petendæ sunt à iuris uoluminibus, in quo multi fallunitur. 424. B.
Lex illa quæ ponitur numerorum ultimo intelligi debet de fœminis illis quæ ex defectu masculorum paternam hæreditatem sortiuntur. 70. B.
Leges Ecclesiæ multæ sunt, quas non scriptura sed usus inseruit. 424. B.
Lex de hæretico denuntiando quamuis occulto, fraternæ correctionis legem non uiolat. 434. B.
Libri sacri appellantur, quos spiritu sancto dictante sacri auctores exceperũt. 7. A.
Librum esse huius aut illius scriptoris non admodum interest catholicæ fidei, dummodò spiritus sanctus auctor esse credatur. 51. B. 52. B.
Liber qui sub antiquitatis nomine profertur maximè, maximè doct uiro prudẽti suspectus esse. 372. A
Libellos Adam, Enoch, & Noe nouit recipere Ecclesia. 371. B.
Libri lintei apud Romanos fuere quondam. 363. B.
Libros profanos redarguit, & quos contra sanctos nonnulli eduut mysteriorum ecclesiæ pleno-

rum. 377. B.
Linguarum hebraicæ & græcæ peritia utilissima est, ubi infideles alienæ linguæ ad fidem instituuntur uel cum illis disseritur. 76. A.
Linguarum peritia utilis est ad explicandas dictiones illas, quæ magnam emphasin habent. 76. A.
Linguarum est alia utilitas ad accipiendos plures sensus catholicos ex eadem scriptura. 76. B.
Linguarum quarta utilitas est, ad cognoscenda idiomata phrases et prouerbia linguæ alienæ. 77. A.
Linguarum quinta commoditas est, ad mendacia corrigenda quæ, ex incuria typographorum aut eorum qui scripsere imperitia obrepserunt. 78. A.
Linguarum sexta utilitas est ad intelligenda quædam loca quæ ab interprete apertius reddi poterant quæ uel sine linguarũ cognitione nequeũt explicari. 79. B. 80. A,
Linguarum septima utilitas est, ad euitandum errorem ex latini sermonis amphibologia. 80. A.
Linguarũ alia utilitas est ad quædam uocabula uel Hebraica uel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt. 80. B.
Litera eadem plura simul literalia sensa continere potest. 55. B.
Literis sacris explicandis eodem spiritu opus est, quo ipsæ sunt conditæ, diuino utiq; atque prophetico. 74.
Literæ sacræ etiam num non continent expressè omnia, quæ ad doctrinam christianam pertinent. 103. A.
Literæ sacræ multa quæ ad christianorum doctrinam & fidem pertinent, nec apertè neq; obscurè continent. 103. A.
Literarum sacrarum consuetudo est, eundem omni no populum nunc propter iustos fœlicem dicere, nunc propter improbos miserum & infœlicem. 156. B.
Locus ille, Omnes quidem resurgemus. 1. Corinth. 15. bifariam apud Græcos legitur, & neutra lectio à uiris ecclesiæ reprobata est. 73. B. 74. A.
De Luengas uias luengas mentiras. 375. B.
Lutherani aliquando asseruerunt sacram scripturam perse cuiq; habenti spiritus sancti & fidei lumen esse manifestam. 21. A. B.
Lutherani negant, ecclesiam quicquam sine scripto ab Apostolis accepisse, nos contrà plura esse accepta asseueramus. 138. A.
Lutherani putant nullum dogma posse traditione probari. 97. B.
Lutherani nullam in ecclesia legem esse uolunt, per quam scripturæ sensa finiantur præter rationem propriam. 99. B.
Lutherani nec suas nec Magistri possunt ineptias deprehendere, nec nos cum illis disserendo aliud possumus, quàm tempus & operã ludere. 100. A.
Lutherani asserunt sacras literas unum solùm habere sensum, illumq; in promptu cuiq; sine magistro docente patere. 100. A.
Lutheranorum sententia refellitur multis rationibus. 100. B.
Lutherani sanctorum auctoritatem multis argumentis expugnare contendunt. 242.
Lutherani nequando à discipulis errores sectæ absurdissimi deprehendantur, cupiunt eos ab omni ratione cognoscendi seuocare. 291. A.
Lutherani nituntur probare eucharistiam non esse sacrificium. 454. & seq.
Lutherani perperam sacrificium definierunt, quod sit cæremonia uel opus á nobis deo redditum, ut eum honore afficiamus. 460. A.
Lutherani duas proximas sacrificij species esse asserunt, & non plures. 462. A.
Lutherani sacerdotium nostrum Turcarum more informare cupiunt. 468. B.
Lutherani Eucharistiam percipientes non item offerentes domini Cœnam agunt, sacrificium Crucis non agunt. 465. A.
Lutherani Ministri Antichristi iure dicũtur, qui sicut & ille faciet, iuge sacrificium ecclesiæ tollunt. 468. A.
Lutherani non omnino negant sacrificium, sed in eo, q. pro peccatis dicitur offerri: Christum uolentes magnificare, qui semel oblatus omnia remittens peccata. 470. B.
Lutherus asserit philosophiam esse theologo inutilem & noxiam, omnesq; disciplinas speculatiuas errores esse. 190. B.
Luthero data est clauis putei abyssi, ut errores ibi demersos erueret. 149. B.
Lumine naturæ errantes non minùs à Deo fallerẽmur, quàm si per fidei lumen erraremus, utrum q; enim lumen à Deo est. 298. B.
Luminis naturalis inuestigationem & argumenta repellere, non modò stultum est, uerùm etiam impium. 229. A.
Lux diuina per se quidem ad uidendum editur, sed per occasionem in eo cæcitatẽ efficit, qui prauè affectos habet oculos. 17. B. 18. A.

M.

MAchumetus omnem disputationis aditum suis edictis lege præclusit. 99. B.
Magi qui Christum adorauerunt, fuerint ne reges an non parum interest. 332. A.
Magi Christum. 13. die ex qua natus est, adorauerunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerunt.332.B.
Marcus euangelista in illo quod scripsit hora tertia dominum crucifixum,quo pacto uendicandus sit à falsitate.90.91.
Maria Magorū oblationem in quo cōsumpsit.333.A.
Matrimonij materiam & formam,& an matrimonium conferat gratiam inconstanter & uariè affirmant Theologi.275.A.&c.
Matrimonium sine ministro ecclesiæ contractum an sit sacramentum. 276.A.
Matrimonium sine ministro ecclesiæ contractum nō esse sacramentum multis rationibus probatur. 277.A.&c.
Matrimonij ministri uir & fœmina contrahentes non sunt.277.B.
Melanchonis tanta stultitia fuit, ut æquè proprium dei opus Iudæ proditionem,ac uocationem Pauli esse affirmet.15.A.
Melchisedech panem & uinum obtulisse deo in sacrificium quomodo colligatur ex.14. capit.Genes.467.A.B.
Mendacium emanaret à fonte ueritatis,si quispiam deo auctore falleretur.11.B.
Mendacium dicere sicut & facere malū cū natura stabili immobiliq; pugnat.11.B.
Mentiri est asserere falsum animo fallendi.9.B.
Metaphoram & figuram imaginemq; rerum trahi nisi à rebus uicinis & similibus minimè consentaneum est.13.A.
Metasthenem Annij historicū repellit auctor.368.A.
Miccа Hebræis est oblatio. 468.B.
Ministri & sacramenti & sacrificij altaris, sunt causæ ad modum,quo qui applicat ignē accensupā causa est .484.B.
Missæ ualor infinitus est quo ad sufficientiam,non autem quo ad efficientiam.491.A.
Missam ex traditione Apostolorū habemus.468.B.
Missam esse sacrificiū probatur auctoritate ecclesiæ conciliorum,pontificum, & sanctorum.469.A.
Moyses præceptum accepit à Deo,ut legem populo scriberet, legis autē occulta mysteria ministro suo Iosuæ reuelaret.104.A.
Moyses fuit sacerdos.167.A.

N

Nemrot translatum à dijs dixit Berosus. 366.B.
Nicænum concilium tempore Constantini à Syluestro uero ecclesiæ pontifice esse coactum historici quiq; grauissimi prodidere.327.B.
Noë præter tres primores filios plures genuisse post diluuium asserit Berosus Anianus contra sacras literas ut uidetur.366.A.
Noë cùm iaceret ebrius carmine magico à Chan filio sterilis effectus est secundùm Berosum, essetq; Ianum &c. 366.B.
Nomina quædam sunt,quæ si in eadem lingua aliis uerbis explicentur, nihil absurdum orietur,quod in nominibus Benoni & Melchisedech euenire potuit.54.B.
Nomen generis speciei illi absolutè tribuere quæ est in eo genere imperfectissima, in more sermonēq; maiorum positum est. 440.A.B.
Numerus locorum Theologicorum denarius est.4.
Numeri deprauati reperiuntur in historia sacra & prophana.349.B.
Nuptias in Cana non fuisse factas anno integro post baptismum elapso, non sine causa aliqui putant.334.B.

O

Oblatio corporis & sanguinis Christi quā missam & sacrificiam appellamus, ex apostolorū traditione habetur.468.B.
Oblatio duplex,una uniuersalis altera, particularis.474.A.
Offerentes sacrificium non minorem partem accipiunt si pro pluribus,ac si pro uno duntaxat offerretur.491.B.492.A.
Non offerentes non accipiunt æqualem partem si pro pluribus ac si pro uno tantùm offerretur, 492.A.
Offerentes sunt adiutores, auditoresq; missarum,hi etiam qui sacerdoti alimenta ministrant, uel quo quo modo sacrificio inseruiunt.492.A.
Offerentium quisq; prosua deuotione partem capit sacrificij altaris.492.A.
Officium diuinum usq; eo immutatū, ut uix antiquæ religionis forma in quotidianis precibus relicta sit.357.A.
Operationes humanæ sunt quæ in propria gratia et meritis nituntur, aliæ uerò sunt,quæ non à nobis efficacitatē habent,sed prorsus à Christo.484.A.
Operosum et arduum est simul in Theologiæ cōtroversijs & elegans dicendi & argutum disputandi genus obseruari. 5.
Opus idem si quatenus pœna est ad Deum,quatenus est culpa ad satanam auctorem referamus, nihil absurdi est.14.B.
Ordines à summo pontifice approbari uel refelli nō pertinet ad ea, in quibus ipse errare non potest. 196.A.
Oriens in sacris accipitur pro terris quæ oriētales ad illam sint, in qua sunt qui loquuntur.334.A.
Osiander & alij catholici contendunt,quod de duobus patribus Ioseph naturali & legali refertur commentum esse.328.A.
Osiandro familiare est,sanctorū cōmunem intelligētiam pro nihilo habere.329.A.

Ouis

Ouis nomen plerunq; pro iustis & bonis accipitur, nonnunquā etiam pro malis & improbis.151.B.
Ouile Christi aliquando pro solis probis iustisq; accipitur.151.B.

P

PAstum ueritatis eum ecclesiæ initium ad pastores & doctores ipsius tandem referendum est.197.B.
Parabolæ aliud in medulla aliud in superficie politi centur.78.A.
Passio non potest esse honesta sicut nec actio,quando unum peccatum est pœna alterius.16.A.
Pastores ecclesiæ non propter maiorem sapientiam firmi in fide & doctrina sunt,sed propter peculiarem Christi procurationem.197.A.
Pater,quas Christus per se fundit preces,omni tempore & loco exaudit: at quas offert per homines,non semper exaudit.490.A.
Patres ueteres in locutionibus quæ actionem dei sonare uidentur circa duritiem cæcitatem errores & peccata solam permissionem agnoscunt.17.A.
Patriarchæ duodecim sepulti sunt in Sichen,non autem in Hebron.95.B.
Paulus semen Abrahæ uocat populū gentium,eundemq; fratrem appellat minorem.13.A.
Peccatum collocatur in genere & specie uno modo formaliter & directè,altero modo materialiter & reductiuè.433.A.
Peccati uox pro pœna peccati sæpè usurpatur. 477.B.
Peccati nomine actus liber & moralis mox intelligitur.18.B.
Pœnitentiæ sacramenti institutio præceptumq; confessionis confecit synodus Complutēsis ex illo,quorū remiseritis peccata &c.417.B.
Permissionem diuinam, qua homo uel in errorem, uel in culpam inducitur,nō ministri boni sed mali exequuntur.14.A.
Pertinax ille est qui nimis in errore permanet,falsamq; sententiam mordicus tenet, arctēq; defendit.430.
Petrus Apostolus ut caput ecclesiæ, ita fundamentū est.213.B.
Petrus cùm ecclesiam docebat & oues in fide firmabat,errare non potuit.214.A.415.A.B.
Petrus si posset oues Christi falsis erroribus pascere non esset à Christo ecclesiæ prouisum. 115.A. 416.B.
Petrus Dominicis oraculis commonitus è ciuitate Antiochena Romam emigrauit,cathedramq; in de transtulit.237.B.
Petri priuilegium fuit ut eius ne personalis quidem fides deficere posset.238.A. 240.A.
Petro & successoribus eius primùm firmam certāq; doctrinam asserere debemus, mox uerò ecclesiæ Romanæ.229.B.
Petro data est potestas non minùs ad tollēdam ignorantiam quā ad tollendæ peccata.214.B.
Petro intelligantur esse commissi quicunq; fidei sacramentum habent.152.A.
Petro defuncto,diuino iure succedit alius in eadem authoritate & potestate.215.A.
Petrus significatissimis uerbis patefacit quando apostoli gloriam quasi unigeniti à patre uiderint. 497.A.
Petrum apostolum Christus instituit pastorem ecclesiæ uniuersalis.212.B.
In Petro aliud est quod spectat ad priuatam hominis excellentiam,aliud quod pertinet ad ecclesiæ utilitatem.240.A.
Petrum Romæ,& collocasse sedem,& pro Christo martyrij gloriam coronatum esse omnes graues historiæ tradunt.327.B.
Philones duo fuerunt, unus Philosophus & Theologus grauissimus,alius historicus & mēdax.327.B.
Philonis authoritas magna fuit,sed breuiarium temporum & libellus alter de antiquitatibus Philonis non fuerunt.382.A.
Philosophia non est meretrix uaga & garrula.&c. sed Thamar quæ causa prolis sedit in triuio. 302.B.
Philosophia uera est rerum humanarum ac diuinarum terrestrium atq; cælestium scientia.303.A.
Philosophia circa fidei ueritatem quomodo se habeat.304.B.
Plato uoluptatem appellat escam malorum.302.A.
Plato asserit animos esse immortales, ut saltem ali quando uirtutis præmium uiri probi recipiant. 400.A.
Plato tradit sacerdotes magna claritate oportere abundare, propter eorum quæ tractant magnitudinem.468.A.
Pontifex summus tantam in ecclesia habet authoritatem, quanta ad continendos Christianæ Reip. ciues in fide religione & officio est necessaria. 217.A.
Pontifex summus potest esse hæreticus.240.A.
Pontifex Romanus non fuit hæres priuilegiorum Petri propriorum, sed successit in his quæ spectabant ad ecclesiæ communes & necessarias commoditates.240.A.B.
Pontifex summus potest dispensare in his quæ apostoli tanquam ecclesiæ pastores constituerunt. 111.A.
Pontifex summus non tenetur amplecti concilij maioris partis sententiam.182.A.B.
Pontifex summus nusquam contra patres concilij bene sentientes dixit.183.A.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontifex & concilium in fidei finitionibus diligentiam sufficientem tenentur adhibere.183.B.
Pontifex & concilij patres, quod in se est præst. ant semper eùm de fide pronunliant.185.B.
Pontifex summus & concilium qua nam uia in fidei iudicijs procedant, & quæ pontifici, cũcilioq; tribuenda sunt.188.A.
Pontificem summum fideles iudicare possunt in solo casu hæresis.239.B.240.A.
Ad pontificem summum pertinet definire, qui nam liber sit canonicus.28.A.
Pontifices respondent sæpè ad priuatas quæstiones suam opinionem de rebus explicandis exponendo, nõ autem sententiam ferendo.232.B.
Pontifices Romani cùm edunt libros de re qualibet, non tanquam iudices de fide pronuntiant. 234.A.
Pontifices aliqui inciderunt in hæresim.239.A.B.
Populus Iudæorum machabæis ducatum tradidit nõ tanquam proprium & hæreditarium, sed ad legẽ depositi conseruandum.31.A.
Potentia diuina absoluta diffunditur solet circa ea res quæ non implicant contradictionem.9.B.
Potentia diuina ordinata diffinitur circa ea quæ esse possunt salua lege statutisq; diuinis. ibidem.
Præceptum vulgo datum de hæretico denunciando prudentia plenum est.434.A.
Præceptum in sacris libris pro lege & ordinatione quandoq; accipitur.18.A.
Præceptum domini seu cõsilium Paulus uocat, quod Christus ore proprio præcepit in euangelio, uel consuluit.86.B.
Præcepta quæ in sacris literis scripta sunt quædam à Christo apostoli acceperunt gentibus euulganda, altera ipsi apostoli populis tradiderũt illa nõ potest ecclesia soluere, ista potest.88.A.
Præcepta & institutа apostolorum quædam temporaria fuere, alia uerò perpetua.110.B.
Præcepta tria ponuntur, ad argumenta theologiæ inuenienda, atq; è suis locis deducenda.448. usq; 450.A.
Præcepto diuino id fieri dicitur, quod ordine iustitiæ diuinæ fit.18.B.
Presbyteri dicuntur sacerdotes, ideſt seniores, quoniam etiam apud gentiles non nisi in regibus uel senioribus sacerdotium residebat.473.A.
Principes & præfecti ecclesiastici, ecclesia appellantur & sunt.234.A.
Principes & pastores ecclesiæ eundem ueritatis spiritum habent, quem ipsa uniuersalis ecclesia habet.138.A.414.A.
Principes & optimates soli erga Deum habebant olim cæremoniarum facultatem.468.A.
Principia disciplinarum bipartita sunt.20.A.
Principia disciplinarum quædã simpliciter sunt prima, alia sunt præcipua quidem & immediata, sed contractiora.398.A.
Principia hæc, Deus est, & est remunerator inquirẽtium se, tanquam prima credibilia omnes fidei articulos impliciter in se continent.398.A.
Professores Christianæ doctrinæ duabus quasi personis inducti sunt.291.B.
Prolixitas utilitate pensatur.6.
Prophetæ intelligebãt quæ nam prophetiæ essent cõminatoriæ, quapropter minimè fallebantur.13.B.
Propositionum quæ ad fidem attinent duo gradus generales collocantur.411.B.412.A.
Propositio erronea ab hæretica non modò cogitatione, sed re etiam separatur.439.B.
Propositio erronea est error, qui minùs quidãquã aperta hæresis catholicæ doctrinæ contrarius est. 440.B.
Propositionem hanc, Christus est creatura, quidam existimant simpliciter ueram, author uerò asserit simpliciter esse falsam, fideiq; contrariam. 441.A.B.
Propositio sapiens hæresim quæ sit.441.442.A.B.
Propositionum sapores magis discernuntur uiribus sentiẽdi & gustandi, quàm speculandi.442.A.B.
Propositio malè sonans quæ sit.443.444.A.B.
Prouerbiam illud, Ex uerbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, quomodo sit uerum.425.B.
Prouerbia Salomonis uix explicari possunt, nisi habita ratione Hæbraicæ consuetudinis & sermonis.77.B.

Q

Quæstio theologica est duplex, altera cuius cognitio est ad salutem necessaria, altera cuius ignoratio sine salutis iactura esse potest.191.B.244.A.B.
Quæstio & conclusio eadem res est.405.A.
Quæstio theologica siue ad cõtemplationem siue ad mores attineat, alia est naturalis, alia supernaturalis, aliaq; media.407.A.B.
Quæstio fidei bifariam intelligitur, una quæ immediatè ad fidẽ attinet, altera quæ mediatè fidei est. 411.A.
Quæstio fidei interpretari potest, & secundùm naturam suam, & quo ad nos.517.A.
Quæstionis illius, utrùm beata uirgo penitus a peccato originali fuerit libera, neutra pars ad catholicam fidem potest attinere.249.A.B.
Quæstiones quatuor quas Aristoteles infert de una quaq; re, quo pacto terminari queant.406.A.
Quæstiones cognitionis quadripartitæ sunt.407.A.
Quæstiones Theologicæ sunt quædam, pro quarum ueritate Theologo est in capitis diserimen ueniendum, sunt & aliæ quæ ignorari & negari sine fidei iactura possunt.407.B.408.A.
Quæstiones naturales in duplici sunt differẽtia, quædam solis naturæ argumentis probantur, aliæ fidei etiam authoritate confirmantur.508.B.
Quæstionum actionis duo sunt genera.407.A.

R

Ratio res omnes continet, & nulla disputatione excluditur.292.B.
Rationes naturales & humanas theologo non solũ utiles sed necessarias esse ostenditur. 291.B. usq; 294.
Rationes naturales non sunt arma Saulis quæ pugilem magis grauant quàm iuuant, sed potiùs gladius Goliat.296.B.
Rationes naturæ quæ in usum theologiæ ueniunt interdum infirmæ, firmæ nonnunquam sunt.298.A.
Rationes philosophiæ qui reijcit dei ueritati qua ille subsistunt, refragatur.298.B.
Rationibus naturalibus exteri ad fidẽ adducũtur, fratres confirmantur, dociles inuitantur, repugnantes repelluntur.295.& 296.A.B.
Regulæ tres ad quas fidei iudicia externa dirigenda sunt.436.A. usq; 438.
Regulæ tres Annij quasi indices quibus historici cuiuscunq; fides ac ueritas exploretur.360.B.
Regulas istas Annij uanas esse ostẽdit author.361.A.
Regulæ Annij in iudicio historiæ utiles esse non possunt.361.A. usq; 371.
Regularũ Annij & ipsius Annij censura. quæ pag. 360. incepta est, finitur.373.A.
Regulæ & leges multiplices sunt, quæ ueraces historicos à fallacibus distinguere ualent.373.A.
Regula prima ex hominum probitate integritateq; sumitur. ibidem.
Regula secunda præfert historicos, qui ingenij seueritati quandam prudentiam adiunxerunt & adeligendum & ad iudicandum.377.B.
Regula tertia cui historico authoritatem ecclesia tribuit, hic dignus est, cui nos etiam authoritatem adiungamus.379.A.
Remissio iniquitatis duplex, una perfecta, altera imperfecta.476.B.
Res à Deo creatæ impropriè dicuntur esse fallaces. 10.A.
Respublica non potest contineri nisi duabus rebus, nẽpè præmio & pœna.400.A.

S

Sacerdos laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis pro una missa non potest.491.B.
Sacerdos siue pro paucis siue pro pluribus celebret, cibum uitæ necessarium expetere suo iure potest. 491.B.492.A.
Sacerdotes illi à Deo uocati sunt, qui ab apostolis et eorum successoribus ritè uocati sunt. 472.B.
Sacrificium est proprium opus religionis. 458.B.
Sacrificium est species operis sacri & religiosi, atq; adeò opus sacrũ est quasi genus sacrificij.458.B.
In sacrificio hostiam oportet esse quæ deo immoletur.459.A.
Sacrificium esse non potest ubi non est oblatio. ibidem.
Sacrificium quidam aliud præter oblationem sibi nẽ dicat. 459.B.
Sacrificium & donum differunt. ibidem.B.
Sacrificij nomen dupliciter in sacra scriptura accipitur, & propriè, & translatè.460.B.
Sacrificium si fuerit cruentum, mors erit cruenta: sin autem fuerit incruentum, mors quoq; erit mystica & incruenta. i. effectus mortis ceu nũc præsens adesset.475.A.
Sacrificiorum plura q̃ duo genera fuerunt in ueteri testamento.462.A.B.
Sacrificij nomen interdum pro re quæ domino offertur, interdum uerò pro actione ipsa sacrificandi solet accipi.462.B.
Sacrificium eucharistiæ duobus modis à catholicis asseritur. ibidem.
Sacrificium uerè & propriè est in lege noua. 462.B. usq; 470.
Sacrificij altaris effectus nec à bono ministro fit maior, nec à malo fit minor .484.B.
Sacrificium altaris per modum redemptionis & pretij prodest uiuis, defunctis uerò forsan per modum orationis & suffragij tantùm.490.B.
Sacrificium quo pacto dicatur delere crimina remittereq; peccata.487.B.488.A.
Sacrificium altaris per se propitiatorium est, ex se quoq; ad remissionem peccati instituтum.489.B
Sacrificium an contineat occisionem animalis quod offertur, & quomodo in eucharistia hostiæ mors interueniat.474.B.&c.
Salomon in peccatis Christi typus nõ fuit, sed in pace.13.A.
Salomon studium humanæ sapientiæ uocat occupationem pessimam, non quia mala, sed quia molesta sit.302.A.
Salmanasar & Senacherib eundem fuisse dixit Eusebius manifestè contra sacram scripturam. 380.B.
Salomonis sententias sparsas alij collegerunt 52.A
Sancti omnes & doctores ecclesiæ si asseruerint aliquem librum esse canonicum, habendum est, perinde ac si tota ecclesia asseruisset.27.B.
De sanctorum auctoritate triphariam disputari potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

test.244.A.
Sanctorum testimonia referri possunt uel ad philosophiæ dogmata,uel ad assertiones fidei comprobandas.244.A.
Sanctorum disputatio est duplex.244.A.B.
Sanctorum authoritas cùm affertur ad facultates quæ naturali lumine continentur, tantum pollet quantum ratio naturæ consentaneæ persuaserit. 245.A.B.
Sanctorum unius aut duorum authoritas etiam in his quæ ad doctrinam fidei pertinẽt probabile argumentum subministrare potest, firmum non potest.246.A.
Sancti authores etiam probatissimi non eodem gradu & loco sunt omnes.248.A.
Sanctorum plurium authoritas reliquis licèt paucioribus reclamantibus firma argumenta Theologo præstare non ualet.248.B.
Sanctorum omnium authoritas in his quæ ad fidem non pertinent,probabilem facit fidem,certã non facit.249.A.
Sanctorum omnium communis intelligentia certissimam argumentum Theologo præstat ad theologicas assertiones corroborandas.250.A.416.A.
Sanctos doctores in eundem scripturæ sensum conuenientes qui contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.256.A.
Sanctorum ueterum concordem expositionem qui reiecit, intelligentiam quam hactenus ecclesia habuit,reiicere conuincitur.258.A.
Sancti ecclesiæ doctores non tam ipsi docent quàm in ipsis Deus.259.A.
Si à sanctis antiquis fideles sensum scripturæ falsũ accepere,certè non receperunt Dei euangelium. ibidem.
Sanctis doctoribus sacrarum literarũ intelligentia si quibus maximè per spiritum data est.260 6.
Sanctis omnibus in scripturæ sacræ interpretatione qui spiritum ueritatis negat,hic eundem spiritum ecclesiæ tollit.ibidem.
Sancti simul omnes in fidei dogmate errare non possunt.260.usq;.262.item.416.B.
Sanctorum patrum doctrina & ecclesiæ traditio ita sunt coniuncta,ut dissociari non possint.261.B.
Sanctorum patrum antiqua consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis,sed in fidei regula nobis certò est sequenda.263.A.
Sanguis Christi in singulis sacramentis peculiarem effectum operatur iuxta cuiusq; peculiarem & significationem & naturam. 489.B.
Sanguis Christi in speciebus panis & uini per se remissionem pœnæ & culparum uenialium tribuit, interdum tamen quanuis per accidens tribuit etiam mortalium,non quia offertur,sed quia sumitur.489.B.
Sanguis Christi ex significatione specierũ panis et uini tanquam ex causa instrumentali & adiutrice definitur ut eam remissionẽ efficiat,cuius participes sunt ij qui non indignè ad altare Domini accedunt.490.A.
Sanguis Christi si tam propriè noster esset quàm suus cuiusq; proprius est,sine dubio Christi sanguine oblato tota pœna quanuis infinita solueretur.492.B.
Sanguis Christi noster est, eo modo quo lux solis nostra est,nempe ut causa uniuersalis. 473. .B. 493.A.
Scientia pietatis est nosse legem, intelligere prophetas, euangelio credere, Apostolos non ignorare.304.A.
Scripturæ sacræ firmitas corruet, si p ministros falli à deo possumus.10.B.
Scriptura minutos numeros præterire aliquando solet.336.B.
Scripturæ sacræ uis & energia in aliquibus locis non satis per negationem explicatur.17.A.
Scriptura est iudex mortuus, qui nec litigantium utrinq; rationes audire, nec sententiam eloqui ualet.15.B.
Scripturæ usus est perinde populum reprehendere ac si omnes mali essent, atq; ita consolari ut si omnes essent boni.145.B.146.A.156.B.199.B.
Scripturæ sacræ expositio legitima per traditionem maiorum accipienda est.255.usq;.258.item.416.
Scriptura in plerisbus locis hebraicum uerbum cum interpretatione sua ponit.55.A.
Scripturæ præcepta quædam temporaria, quædam uerò æterna sunt.87.B.88.A.
Sedes apostolica & insidens ei in fidei iudicio atq; decreto pro eodem reputantur.229.B.
Synagoga post tempora etiam Moysis habuit semper unum summum Pontificem, è cuius iudicio priuati omnes ciues ac iudices etiã minores penderent.216.B.
Sozomenum fortè pro Theodorito damnat Gregorius, nam quæ illi obijcit,in Theodorito reperiũtur. 381.B.
Spiritum sanctum à filio procedere conc. Ephesinũ ex illo scripturæ loco.de meo accipiet,& ex illo. quem ego mittam uobis &c. accepit.414.B.
Speculum exemplorũ & aurea legenda taxantur. 337.A.
Stellam apparuisse Magis ante Christi natiuitatem Chrysostomo & Aug. placet.333.B.

T

TErtuliani opuscula apocrypha per Gelasium. 383.A.
Testamentum minus solẽne an sit ualidè secundum sententiam Alexandri tertij.c.cùm esses.de testa. 230.B.231.A.B.
Testamentum apud latinos interdum pactũ & promissionem significat.56. A.
Testimonia ex uetustate desumpta potentiora sunt ad probandum.327.B.
Theologia ratio est sermoq; de deo.386.B.
Theologia scientiæ appellationem propriè sibi uendicat.390.A.
Theologia circa res etiam contingentes uersatur sine sui nominis iactura.ibidem.
Theologia duplex,altera naturalis, altera supernaturalis.394.A.
Theologia euidens & clara esse potest.396.A.
Theologia nullo mõ inutilia colligit,quin super dei fundamentum aurum argentum lapides pretiosos superædificat. 405.B.
Theologica conclusio seu quæstio ea propriè est, quæ ex theologiæ principijs ut effecta è causis suis oritur.405.B.
Theologiæ tractatio bipartita est.386.B.
Theologiæ finis primarius est diuinæ naturæ contẽplatio,postremus autem earum rerum actio,quæ ad bene beateq; uiuendũ sunt necessariæ.389. A.
Theologiæ consequentiæ firmæ & euidentes sunt. 390.B.
Theologiæ ratio formalis duplex & bipartita. 395.B.
Theologiæ ratio formalis est esse reuelatum à deo, lumen ue diuinitus infusum. 396.A.
Theologiæ principia per fidem intelligi asserunt ferè theologi,quia de uiatorum theologia disputãt 396.A.
Theologiæ nostræ formalis ratio eadem ac fidei est. 396.B.
Theologiæ principia ea sunt habenda quæ per sacros authores ecclesiæ diuinitus sunt reuelata. 397.B.
Theologiæ uera & germana principia in libris sacris atq; in Apostolorum traditionibus continentur.398.399.A.
Theologiæ primaria principia sunt articuli fidei, cætera omnia quæ in sacris literis uel in traditionibus assumuntur,sunt ueluti secundaria. 398.A.
Theologiæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt,demonstrare necessariè non possunt. 402.B.403.A.
Theologiæ effecta cùm in dubium uocantur,quæstiones sunt, eiũ ratione coguntur,cõclusiones.405.A
Theologiæ principia uel disposita inter se & ordinata sunt,uel connexa & colligata.406.A.
Theologiæ scholasticæ proprium munus, quod sit. 266.B.
Theologiæ ueræ tres fines,scilicet scientia dei,cælestium rerum cognitio,humanarum prudentia & usus.268.B.
Theologiam scholasticam explodũt & exsibilant hæretici iuniores.265.A.
Theologiam non esse speculatricem sed effectricem aliqui nituntur persuadere.387.
Theologus materiam à priscis auctoribus, formam à iunioribus mutuari debet.2.
Theologus præter communem eritẽ disserendi quã dialectici tradunt,aliam habeat necesse est.2.
Theologus scholasticus est,qui de rebus diuinis prudenter doctè è literis institutisq; diuinis ratiocinatur.266.A.
Theologo necessaria est & auctoritas & ratio.3.
Theologi qua de causa nullum principium in theologia reliquerunt,quod in quæstionem non uerterint.406.A.B.
Theologi differentis primum officium quod sit.408 B.410.A.
Theologi uniuersi in theologiæ certis constantibusq; decretis definiendis errare non possunt. 417.B. 418.A.
Theologi quidam indignè nominantur.365. B.
Theologi sunt quidam in discordiam nati.266.A.
Theologorum scholasticorum testimonio si alij uiri docti contra pugnant non plus ualet quàm ratio eorum,uel authoritas comprobat.269.B.
Theologorum communi omnium sententiæ refragari,temerarium est.270.A.
Theologorum omnium concordem sententiam de fide aut moribus contradicere,si hæresis non est, proximum est hæresi.270.B.
Theologis qui pontificum canones ignorant, multa desunt ad usus theologiæ necessaria.282.A.
Theologos omnes in una re concordare fieri non potest, nisi diuino spiritu permoueantur.270.B.
Traditio ad hæreticos confutandos maiorẽ uim quã scriptura habet.106.A.
Traditionum apostolicarũ alteras Apostoli à Christo domino acceperunt, alteras uerò apostoli ipsi spiritu sancto suggerente ad ecclesiæ utilitatẽ ediderunt.110.B.
Traditiones Apostolicæ impugnantur ab hæreticis. 97.usq;.99.
Ad traditiones Christi & apostolorum inuestigandas uiæ quatuor sternũtur.108.usq;.110.
Traditionum Apostolicarum certitudo ac firmitas multis magnisq; rationibus atq; authoritatibus & explicantur & muniuntur.112.usq;.114.
Traditiones sunt diuina uerba,nõ aliter ac illa quæ sacris libris scripta sunt.117.A.
Traditiones non sunt diuinarum scripturarum additamenta,sed complementa sunt potiùs,& earum quasi cõmentaria.117.B.
Transmigrationis septuaginta anni quomodo computandi sint, an in primũ annum Cyri,an uerò

Universidad de Deusto
Biblioteca

in secundum Darij fusissimè disputatur.338.&c.
Transmigrationis septuaginta annorum initium à desolatione sumendum est,non à transmigratione.341.B.
Turris Dauid,ideſt sacræ scripturæ authoritas arietibus quatuor concuti solet.7.A.

V

VAsa argentea & aurea ac supellex AEgyptiorum quid significent.268.A.
Verbum imperandi non semper aut præceptum,aut consilium secum, sed aliquando etiam permissionem fert.14.A.
Verbum,iudico,frequenter in ea significatione accipitur,ut idem sit qd sentio seu opinor.230.B.
Veritas purissima non est cui quoquomodo est uel falsitas uel fallacia permixta.u.B.
Veritas quædam est,quæ non habet pietatem.303.B.
Veritas scripturæ semper fuit connexa cum rectitudine fidei.63.B.
Veritas scripturæ uerè & propriè in intellectu est, in scriptura autem improprie tanquam in signo.414.A.
Veritates quædam catholicæ ita ad fidem pertinent ut his sublatis fides quoq; ipsa tollatur.440.A.
Veritates quædam catholicæ sunt quibus euersis fides quatitur sed non euertitur.ibidem.
Vincentius Valuacen. & D. Antoni.non tam uera quàm multa scripserunt.378.a.
Viri Apostolici & spirituales omnia discernunt quæ ad salutem sunt necessaria.36.B.
Viri prudentes nolunt cognitionem de Deo uacantem & otiosam esse.388.B.
Vnctio interior sapientibus ecclesiæ Magistris sufficit ad ea quæ fidei aduersantur refutanda,at ignorantibus opus est externa doctrina.29.A.
Vnctio non docet quemcumque de omnibus sed quemque de ijs, quæ sunt sibi propria & necessaria. 29.B.
Volente aliquo ea fieri dicuntur,quæ illo non inuito fiunt.18.B.
In uoce ambigua non licet unumquodlibet significatum accipere.143.B.
Vtrum concilium per legatos summi Pontificis celebratum firmam habeat authoritatem.177.B.
Vtrum summus pontifex teneatur in ferenda sententia maiorem partem iudicum sequi.181.B.
Vtrum concilia in moribus errare possint.190.
Vtrum sit hæreticum asserere uel aliquam ecclesiæ consuetudinem esse malam,uel aliquam ipsius legem iniustam.193.B.
Vtrum Anima Christi statim ab initio suæ creationis Deum clarè uiderit.494.B.
Vtrum animus hominis sit immortalis.508.B.
Vulgata dictione rerũ uocabula pro rerum imaginibus usurpãtur.338.A.
Vulgi falsæ opiniones in duplici sunt differentia. 337.B.
Vulgi sermones non solent homines seueri aucupari,quanuis grauissimi uiri in scribendo id fecerint.378.A.

Indicis Finis.

Authoritates sacræ scripturæ quæ in hoc opere inseruntur, & explicantur.

Genesis.

2 INspirauit in faciem eius spiraculum vitæ ,& factus est homo in animã viuentem. 414.b.
16 Illa concepisse se videns,desperit dominam suam &c.300.a.
18 Descendam & videbo vtrùm clamorẽ opere compleuerint.504.a.
19 Ne respicias post tergum.77.a.
22 Expectate hic,ego & puer postquã adorauerimus,reuertemur ad vos. 12.a.
26 Isaac discedens vt veniret ad torrentẽ Gerare,habitaret q; ibi,rursum fodit alios puteos,quos foderant serui patris sui Abraham &c.foderunt q; in torrẽte,& repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorũ Gerare aduersus pastores Isaac dicentium,nostra est aqua &c.fodit alium,pro quo non contenderunt, Itaq; vocauit nomen eius latitudo.69.a.b.
24 Per salutem Pharaonis exploratores estis.19.a.
27 Ego sum primogenitus tuus Esau &c. 12.a.b.13.a.

Exodi.

3 Vocaui ex nomine Beseleel,& impleui eum sapientia.298.b.
12 Fecerunt filij Israel,sicut præceperat dominus Moysi,& petierũt ab Aegyptijs vasa argentea & aurea.14.a.

Leuitici.

4 Orabit pro eo & pro peccato eius,& dimittetur ei.488.a.

Numer.

22 Si vocare te venerint homines isti,surge & vade cum eis.14.a.
23 Non est deus vt homo vt mentiatur nec vt filius hominis vt mutetur. 11.b.

Deutero.

17 Si difficile & ambiguũ apud te iudiciũ esse prospexeris,venies ad sacerdotes leuitici generis &c.167.a.215.b.
17 Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio &c.ex decreto iudicis morietur.181.a.
18 Qui verba prophetæ , qui loquetur in nomine meo noluerit audire, ego vltor existã &c. quòd si in nomine dñi prophetaille prædixerit ,& non euenerit, hoc dñs non est loquutus.35.b.

Primi regum.

13 Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset.350.b.

Secundi Regum.

16 Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid.18.a.

Tertij Regum.

6 Factum est ergo quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorũ Israel de terra AEgypti &c.352.a.
8 Non est homo qui non peccet. 130. b.
22 Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum.14.a.

Quarti Regum.

11 Atalia vero mater Ocoziæ videns mortuum filium suum,occidit omne semẽ regium.364.b.

Primi Paralipome.

11 Proficiebat Dauid vadens & crescens. 503.a.

Secundi Paralipomenon.

15 Bellum verò non fuit vsq; ad tricesimum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum quintum annũ regni Asa.350.a.
17 Creuit Iosaphat, & magnificatus est vsq; in sublime.503.a.

Iob.

12 Qui immutat cor principum,& decipit eos , & errare eos facit quasi ebrios. 14. b.
35 Qui docet nos super iumenta terræ,& super volucres cæli erudit nos. 310. b. 514. b.

Psalm.

11 Saluum me fac, quoniam defecit sanctus.145.b.
15 Adimplebis me lætitia cum vultu tuo &c.505.a.
21 Spes mea ab vberibus matris meæ. 502.b.
31 Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. 476.b
41 Beatum faciet eum in terra. 497. a.
44 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te deus &c. 504. b. & 505.a.
47 Circundate Sion & complectimini eã &c.quoniã hic est Deus Deus noster, ipse reget nos in secula.134. b.
49 Immola Deo sacrificium laudis.460.b
50 Sacrificium Deo spiritus contribulatus. 461. a.
52 Deus de cælo prospexit super filios hominum,vt videat si est intelligens &c. 504.a.
73 Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ 151.b.
88 Disposui testamentum electis meis, iurauí Dauid seruo meo, vsq; in æternum præparabo semen tuum. 134.b.
93 Qui docet hominem scientiam.514. b.
118 Errauí sicut ouis quæ perijt.151.b.
144 Fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.11.a.

Prouerbiorum.

5 Ne intenderis fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis ¦&c. 302.b.
7 Mulier garrula & vaga quietis impatiẽs &c.ibidem.

Ecclesiastes.

1 Vanitas vanitatum & omnia vanitas. 300.b.
7 Non est homo iustus in terra,qui faciat bonum & non peccet.130.b.
12 Verba sapientium sicut stimuli,& quasi clauí in altum defixi.256.b.
12 Donec reuertatur puluis in terram vnde erat,& spiritus redeat ad deum qui dedit illum.512.b.&.513.a.
12 Deum time,& mandata eius serua, hoc est enim omnis homo.302.a.

Canticorum.

2 Sicut liliũ inter spinas , sic amica mea inter filias.151.b.
3 Tenuí eum nec dimittam.134.b.

Sapientiæ.

13 Vani enim sunt oẽs homines, in quibus non est scientia dei &c.298.b.
2 Nescierunt sacramenta Dei,neq; mercedem speʒauerunt iustitiæ &c. quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem,et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.516.a.b.
9 Cogitationes mortalium timidæ,et incertæ prouidentiæ nostræ.301.a.

Ecclesiastici.

8 Nõ te prætereat narratio seniorũ. 255.a
15 Non dicas ille me implanauit.15.a.
17 A consiliario serua animam tuam, ne fortè mittat sudem in terra et dicat tibi,bo-

bi,bona est via tua.77.a.

Esaiæ.

11 Erit fides cinctorium renũ eius. 502. b.
22 Expellã te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te &c.199.a.
38 Proiecisti post tergum tuũ omnia peccata mea.476.b.
38 Cras morieris & non viues.13.b.
50 Dedit illis linguam eruditam, vt sciant sustentare eum qui cassus est verbo , aperuit illis quoq; aurem &c.403.b.
53 Pro eo,quòd laborauit anima eius videbit & saturabitur.504.b.
54 In misericordia sempiterna misertus sum tui dixit redemptor tuus domin⁹ &c. vsq;,et fœdus pacis meæ nõ mouebitur. 198.a.
59 Spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore tuo non recedẽt &c.134.b.135.b.258.b.413.a.
62 Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo,& opus illius coram illo. 505.b.
63 Quare errare nos fecisti domine de vijs tuis?18.b.

Hieremiæ.

2 Omnes dereliquistis me dicit dominus 145.b.146.a.b.
3 Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.151.a.
3 Dabo vobis pastores, qui pascant vos scientia & doctrina.167.b.
4 Ablue à malitia cor tuum.482.b.
20 Seduxisti me dñe & seductus sũ. 18. a.
25 Seruient gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis.339.a.& seq.
31 Nouum creauit Dominus super terrã, fœmina circundabit virum.495.a.
32 Feriam eis pactum sempiternum, & nõ desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum vt non recedant à me.198.a.
52 Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor &c.350.b.

Ezechielis.

3 Domus Israel noluit audire te,quia noluit audire me.145.b.
14 Homo qui posuerit immunditias in corde suo, & venerit ad prophetam interrogans per eum me &c. ego Dominus decepi prophetam illum.15.a.
16 Sanguinem tuum ex te & vnxi te oleo &c.153.a.b.
34 Suscitabo super ea pastorem vnũ qui pascat ea, ipse erit eis in pastorẽ.256.b.
37 Percutiam illis fœdus pacis,pactũ sempiternum erit eis. 198. a.

Daniel.

9 In dimidio hæbdomadis deficiet hostia et sacrificium. 149.a.
12 Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium,et posita fuerit abominatio.467.b.

Oseæ.

2 Desponsabo te mihi in fide &c.sponsabo te mihi in sempiternum.134.a.b.
14 Reddemus vitulos labiorum nostrorum.461.a.

Amos.

6 Væ vobis qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariæ optimates capita populorum.159.a.

Ionæ.

3 Adhuc quadraginta dies et Niniue subuertetur.356.b.

Micheæ.

2 Vtinam vir essem nõ habens spiritum, et mendacium potiùs loquerer.19.a.

Abachuc.

2 Iustus ex fide sua viuit. 482.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVTHORITATVM

Aggæi.

2 Interroga sacerdotes legem.167.a.

Malachiæ.

1 Non est mihi voluntas in vobis,& munus non suscipiam de manu vestra,à solis enim ortu &c.& in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.462.b.
2 Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.167.a.

Primi Machabæorum.

7 Homo sacerdos de semine Aaron venit,non decipiet nos.377.a.

Matthæi.

2 Ecce Magi ab oriente venerunt.332.a.
2 Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis mittẽs occidit omnes pueros &c.333.b.
5 Vos estis lux mundi.131.b.
6 Dimitte nobis debita nostra.130.b.
10 Quæ in aure auditis,prædicate super tecta.119.b.
10 Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.89.a.
10 Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere. 517.b.&c.
12 Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui.330.b.
15 Quare & vos transgredimini mandatũ dei propter traditionem vestram?172.b.
16 Quodcumq; ligaueris super terrã erit ligatũ & in cęlis: & quodcumq; solueris super terram &c.168.a. 235. a. & seq.
16 Cauete à fermento pharisæorũ.172. b.
16 Tibi dabo claues regni cælorum. 192.b
16 Super hanc petram ædificabo ecclesiã meam:& portæ inferi non pręualebunt aduersus eam.134.b.198.b.217.b.
16 Beatus es Simon Bar iona quia caro & sanguis non reuelauit tibi.&c.212.b.
18 Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunq; petierint fiet illis à patre meo.164.a.200.a.
18 Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum &c. 235.a. 13. b.
22 Simile factum est regnum cælorũ homini regi &c.131.b.
22 Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob,non est Deus mortuorum sed viuentium.518.a.
23 Væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum & ornatis monumenta iustorum &c.271.b.
23 Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi &c.172.b.197.a.
25 Simile est regnum cælorum decem virginibus &c.131.b.
25 Omni habenti dabitur & abundabit.ei autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.77.a.
26 Tristis est anima mea. 505. b. vsque. 507.a.b.
28 Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. 134.b.135.b.198.b.

Marci.

1 Initium euangelij Iesu Christi filij dei sicut scriptum est in Esaia propheta. 89.a.b.
13 De die autem illa nemo scit nec filius. 504.a.
13 Quod vobis dico omnibus dico vigilate.234.b.
15 Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.90.a.& seq.
16 Petrus autem cucurrit ad monumentum.238.a.
16 Prędicate euangelium omni creaturę. 159.b.

Lucæ.

1 Regnabit in domo Iacob in ęternum.

INDEX.

134.198.a.
2 Iesus proficiebat sapientia ætate & gratia apud deum & homines.502.b.&c.
3 Qui fuit Sale,qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxat.92.93.a.b.
7 Remittuntur ei peccata multa quoniã dilexit multum &c.477.b.
10 Qui vos audit me audit.172.b.
12 Neminem salutaueritis in via.77.a.
21 Cælum & terra transibunt, verba autẽ mea non transibunt.11.a.
22 Accepto pane gratias egit &c. hoc est corpus meum &c. vsq; nouum testamentum.464.470.b.
22 Hoc facite in meam commemorationem.235.a.414.a.
22 Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.118.a.182.b.184.b.186.b.214.a.
24 Aperuit illis sensum vt intelligerẽt scripturas.74.b.413.b.

Ioannis.

1 Dedit eis potestatem filios dei fieri.132.a
1 Verbum caro factum est.&c.497.b.
1 Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.495.b.
1 Illum oportet crescere,me autem minui.503.a.
1 Deum nemo vidit vnquam,vnigenitus q̃ est in sinu patris ipse enarrauit. 495.a.
2 Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileę. 334.b.&c.
3 Quod vidit & audiuit hoc testatur. 495.b.
5 Pater omnia demonstrat filio quæ ipse facit &c. 503.a.b.
5 Ego non ab homine testimonium accipio.29.a.
7 Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrùm ex deo sit.30.a.b.
10 Oues meæ vocem meam audient, alienum autem non sequuntur.30.a.b.
11 Cùm esset pontifex anni illius prophetauit.197.b.
14 Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia.86.a.192.b.
14 Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis vt maneat &c.135.b.
15 Vos autẽ dixi amicos quia omnia quæcunq; audiui à patre meo nota feci vobis.187.b.
16 Cùm autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. 135. b.192.a.
17 Sanctifica eos in veritate &c.135.b.
17 Volo pater vt vbi sum ego,& illi sint mecum.&c.499.b.
18 Ego in occulto loquut⁹ sũ nihil. 119.a.b.
19 Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper.14.a.
20 Sicut misit me pater & ego mitto vos: accipite spiritum sanctum &c. 235. a. 240.a.
21 Pasce oues meas.192.a.212.b.
21 Hic est discipulus ille qui testimoniũ perhibuit de his,& scimus quia verum est testimonium eius.25.a.

Actо.

5 Cæcis denunciauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu.233.a.
6 Verbum dei crescebat.503.a.
7 Ioseph accersiuit Iacob patrem suum & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinq;.94.a.
7 Positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filijs Emor filij Sichen. 95.b.
15 Conuenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc.167.b.
15 Viri fratres vos scitis qm̃ ab antiquis diebus deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum euangelij et credere.215.a.
15 Visum est spiritui sancto et nobis.173.b 181.b.
20 Attendite vobis et vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei.167.b.

Romanorum.

1 Quod notum est dei manifestum est in illis.198.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVTHORITATVM

1 Tradidit illos deus in reprobum sensum.17.b.
2 Nó enim quiin manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circuncisio &c. 169.a.
3 Iustificati gratis per gratiam ipsius,per redemptionem quæ est in Christo Iesu.493.b.
3 Propter remissionem præcedentiũ delictorum.466.b.
5 Habem⁹ accessum ad deũ per fidé.402.a
7 Non ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum.477.b.
10 Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. 168.a.
12 Non plus sapere quàm oportet sapere &c.255.a.
12 Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam.461.a.
14 Infirmũ in fide assumite.130.b.

1.Corinthi.

1 Ecclesiæ dei quæ est Corinthi vocatis sanctis.127.a.
1 Perdam sapientiam sapientum.303.a.
1 Obsecro vos vt id ipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata.173.a.
1 Videte vocationem vestrã fratres, quia non multi sapientes secundùm carné. 197.a.
3 Tanq; paruulis in Christo lac vobis potũ dedi,non escam.130.b.
4 Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.&c.133.b.
5 An nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi?132.a.
7 Præcipio non ego,sed dominus: cæteris ego dico,non dominus.86.b.
10 Omnia in figura contingebant illis:scripta sunt autem ad correptionem nostram.198.b.
11 Si quis videtur contentiosus esse, nos tamẽ talem consuetudinem non habemus, neq; ecclesia dei.112.a.
12 In vno spiritu omnes nos,in vnum corpus baptizati sumus.132.a.
12 Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij.292.a.
13 Cùm venerit quod perfectum est,euacuabitur quod ex parte est.495.a.
14 Nõ est dissensionis deus,sed pacis.173.a
14 Prophetæ duo aut tres dicant,& cæteri dijudicent &c.255.b.
15 Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.74.a.
15 Alia claritas solis,alia claritas lunæ &c. 248.a.

2.Corinth.

1 Fidelis autem deus, quia sermo noster qui fuit apud vos,non est in illo est & non,sed est in illo est.159.b.
4 Id quod in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ,æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.415.b.
5 Scimus enim quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem &c.416.a.
11 In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.87.a.

Ephesio.

2 Eratis illo in tempore alienati à conuersatione Israel: & hospites testamẽtorũ. 132.a.
4 Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas &c.130.b. 178.a.256.a.
4 Vnicuiq; nostrum data est gratia secũdùm mensuram donationis Christi. &c.136.a.b.
4 Vnum corpus & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. &c.157.b.
5 Eratis aliquando tenebræ &c.132.a.

Philippen.

4 Repletus sum exceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis hostiam placentem deo.461.b.

Colossen.

1 In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare,pacificans &c.497.b.
2 In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.497.b.

2.The

INDEX.

2.Thessaloni.

2 Ideo mittet illis deus operationem erroris.15.vsq;.17.b.

1.Timo.

4 Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij.463.a.
6 Non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi &c.433.b.
6 O Timothee deuita prophanas vocũ nouitates.81.a.
6 O Timothee d̃positũ custodi &c.115.a

2.Timo.

1 Resuscita gratiam dei quæ est in te per impositionẽ manuum mearũ.473.a.
2 Sed firmum fundamentum Dei stat,habens signaculũ &c.129.a.b.
2 Si quis emundauerit se ab istis,erit vas in honorem &c.482.b.
3 Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est &c.116.b.

Hebræo.

2 Nusq̃ enim angelos apprehẽdit.415.a.
2 Decebat enim propter quẽ omnia,qui multos filios in gloriam adduxerat,auctore.n salutis eorum per passionẽ cõsummari.505.b.
3 Pro hominibus constituitur vt offerat sacrificia pro peccatis.130.b.
5 Omnis pontifex constituitur vt offerat dona & sacrificia.459.b.
9 Nec vt sæpè offerat semetipsum quem admodũ pontifex intrat in sancta per singulos annos &c. vsq; per hostiam suam apparuit.473.b.474.a.b.
9 In redẽptionẽ earũ prẽuaricationũ quę erant sub priori testamento.476.b.
10 Vmbrã habẽs lex futurorũ bonorũ &c vsq; semel mũdati:& infra, omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans &c. vsq; in æternum sanctificatos.475.b.476.a.b.
10 Voluntarie peccãtibus nobis post acceptam notitiã veritatis iam nulla relinquitur pro peccatis hostia.477.a.b.
13 Beneficẽtiæ & cõmunionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur deus.461.b.
13 Per ipsum offeramus hostiam laudis &c. idest fructum labiorum confitentium nomini eius.460.b.

Iacobi.

1 Deus neminem tentat.15.a.
1 Religio munda & immaculata apud deũ & Patrem hæc est.visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.461.b.
3 In multis enim offendim⁹ omnes.130.b.

1.Petri.

1 Animas vestras castificantes.482.b.
2 Qui aliquando non populus dei, nunc autem populus dei.132.a.

2.Petri.

1 Non indoctas fabulas sequuti notam facimus domini nostri virtutem & prę sentiam &c.497.a.
1 Habem⁹ firmioré propheticũ sermonẽ cui bene facitis attendentes &c.74.

1.Ioannis.

1 Deus lux est,& tenebræ in eo vllæ non sunt.154.
1 Si dixerimus qm̃ peccatũ nõ habemus, ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est.130.
2 In hoc scimus qm̃ cognouimus Deũ,si mandata eius obseruamus. 154.
2 Non necesse habetis vt aliquis doceat vos,sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.29.a.
3 Omnis qui peccat non cognouit Deũ, & omnis qui natus est ex deo peccatũ non facit.154.a.b.
3 Qui facit iustitiam iustus est, qui facit peccatũ ex diabolo.&c.132.a.
5 Si testimonium hominum accipitis,testimonium dei maius est.31.a.

Apocalypsis.

5 Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatẽ & sapientiam.505.a.b.

Finis authoritatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Errata.

Pa.11.co.1.li.20.mentiũ pro mentirũ.pa.16 co.2.li.9.diuina.lege diuinæ. pa.17.co.1.li.6.adeò pro à deo.pa.31.col.1. li.2.cætera sequũtur pro cætera quæ sequũtur.eadé pa.col.2.li.21. interiorem pro in interiorẽ. eadé li.q; pro quę. pa.31.col.2.li.37.qua pro quæ. pa.47.col.1.li.41.lege conciliorum.& linea sequenti lege hæreticorum. pa.51.col.2.li. 25.tanquam. pro tanq;. pa.60.co.2.li.23.aucto.pro auctor. pa.74.co.2.li.9.Non.pro Nam.pa.92.co.2.li.30.Tueantur.pro Tueamur.pa.117.co.1.li.14.ne.pro de.eadé pag.li.19.de.pro ne.pa.121.col.2.li. 30.integriſq;. pro integriq;. pa.286.col.2.li.35.consultus. pro consuluntur.pa.342.co.2.li.15.49.pro.4.pa.361.co.1. li.9.etim. pro etiam.pag.388. col.2.li.20.etium. pro etiam.pa.394.co.2.li.14.illam.pro illa.pa.410.col.2.li.36.nimium. pro nimirum.pa.440.co.2. li.vltima. illa.pro ille.pa.443 co.1.li.11.mulieri. pro muliebri.pa.483.col.1.li. vltima.chordæ.pro chorda. pag.989. co.2.li.10.vim vel perfecta vel imperfecta.lege vires vel perfectas vel imperfectas.pa.490.co.1.li.14.efficiant.pro ef ficiat. Ité eadem linea. participes pro participes. pa.492.co.2.li.11.posit.pro poscit.pa.507.co.2.li.35. inuenis.pro iuuenis.pa.508.co.1.li.7.tria.pro via.pa.513.col.2.li.4.instruere.pro astruere.

SALMANTICÆ

Excudebat Mathias Gastius. Anno Domini.

M. D. LXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sociedad de Geografía
Biblioteca